UANL
DAD AUTÓNOMA DE NUEV
CIÓN GENERAL DE BIBLIOTEC

BX855
.I4
1733-62
v.6
v.6
c.1

1080046046

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

BULLARUM

PRIVILEGIORUM AC DIPLOMATUM

ROMANORUM PONTIFICUM

AMPLISSIMA COLLECTIO

CUI ACCESSERE PONTIFICUM OMNIUM

VITÆ, NOTÆ, ET INDICES OPPORTUNI

TOMUS SEXTUS

PARS SEXTA

AB ANNO X. ALEXANDRI VII. USQUE AD III. CLEM. IX.

SCILICET AB ANNO MDCLXIV. USQUE AD MDCLXIX.

ROMÆ MDCCLXII.

TYPIS, ET SUMPTIBUS HIERONYMI MAINARDI
IN PLATEA AGONALI AD VICUM COCCAGNÆ
SUPERIORUM FACULTATE, ET PRIVILEGIO SANCTISSIMI.

46588

Em̃o, & Rm̃o Domino

D. CORNELIO
TIT. SS. COSMÆ, ET DAMIANI
S. R. E. DIACONO
CARDINALI CAPRARA.

HIERONYMUS MAINARDUS F.

MAgni refert, ut quidquid agatur, ſuo loco, ſuoque agatur tempore. Cum, poſt multos exantlatos labores, plurimaſque pro meis viribus erogatas expenſas, ad metam tandem aliquando pleniſſimæ Editionis Pontificiarum Bullarum devenerim, non alio, niſi Tibi, PRINCEPS EMINENTISSIME, Volumen Ejuſ-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS
BMU Raúl Rangel Frías UANL FONDO A.R. PUBLICA DEL ESTADO

dem poſtremum nuncupare debueram. Patruus enim tuus clariſſimus ab incœpto, ac pœne ab immenſo hoc opere jam deſiſtentem, adeo me confirmavit; ac tot ſubinde a ſingulari humanitate tua in me profecta ſunt officia, ut animum variis affectum perturbationibus erexerint, laborioſumque opus ad optatum finem perduxerint.

Patruo itaque tuo, Cardinali Ampliſſimo, æque ac Sapientiſſimo, aliud Volumen Editionis meæ dicavi; Tibi, jam in Cardinalium Collegium jure, meritoque, cooptato, hoc poſtremum. Debui munuſculum hujuſmodi Illi offerre pro ſingulari ejus erga me voluntate, proque ejus excellenti bonitate non minus, quam in omni rerum genere doctrina. Quem etenim fugit, iis artibus inſtituiſſe vitam, quibus maximam & probitatis, & ſapientiæ adeptus eſt opinionem? A Secretis magnorum, graviſſimorumque Purpuratorum, qui juſſu Pontificis Maxim. rem Chriſtianam ubique gentium moderantur, prudentia tanta, tantaque in rerum agendarum dexteritate, ac zelo propagàndæ Fidei, munus hoc difficillimum exercuit, ut ejus virtutum fama, longinquas regiones pervagata, barbaros etiam populos, & religione diverſos, Illi conciliaverit. Ad nobiliſſimam Bibliothecam, quam magnis impenſis, magnoque ſtudio ſibi comparaverat, ipſam de Cœlo deduxit Philoſophiam, ut de ſua ſcripſit Boethius, cum ait (*) *Hęccine eſt illa Bibliotheca quam certiſſimam tibi ſedem noſtris in Laribus ipſa delegeras? In qua mecum ſæpe reſidens, de divinarum, humanarumque rerum ſcientia diſſerebas?*

Tuo vero nomini, CAPRARA EMINENTISSIME volumen hoc poſtremum ut exiret, non ſolum illa ſuperiora fecerunt, ſed etiam egregiæ laudes tuæ, animi ſcilicet, ingenii, conſiliique præſtantia, de quibus multa, & mira prædicarem, ſi id impetrare poſſem ab illa Modeſtia tua, quæ virtutem in ſe ipſa expetit, in aliis diligit, & inter homines meritis potius eminet, quam dignitate.

Ex Duodecimviris unus, litibus, controverſiiſque finiendis (Tribunal, toto Orbe celeberrimum, & illo forſan Areopagitico longe præſtantius) qua legum peritia, Deus bone, quo mentis acumine, qua animi conſtantia, tuum

(*) *Conſ. Phil. Lib.* I. *Proſ.* IV.

tuum ſolebas ferre ſuffragium! Hinc Magiſtratui regundæ Urbis præfectus, ita in imperio te abſtinentor geſſiſti, ita juſtitiam complexus es, ut ſumma tua cum laude, magnoque tui nominis incremento, graviſſimorum negociorum molem ſuſtineres: quamobrem ampliſſimam Cardinalatus dignitatem, non quaſi optatam, ſed quaſi debitam es adeptus.

Ultimam impoſui manum Editioni meæ ob tot, tantaque tua, tuique immortalis Patrui, in me officia, ultimum ergo Operis Volumen nomini tuo erat, CARDINALIS AMPLISSIME, inſcribendum. Et ſi magnitudine tua haud res digna videtur; benigne tamen, pro ſingulari humanitate, qua polles, munuſculum excipe. Vale.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro.

D. Jord. Arch. Nicomediæ Viceſg.

IMPRIMATUR

Fr. Thomas Auguſtinus Ricchinius Ordinis Prædicatorum Sac. Palatii Apoſt. Magiſt.

INDEX

INDEX
RUBRICARUM BULLARUM
ET PRIVILEGIORUM OMNIUM
Quæ in hac Tomi Sexti Parte Sexta continentur,

Quæ hoc Indice designantur erant in Editione CHERUBINI.

CDLXXI.
ATteſtatur Excellentiſſimum D. Principem Marium Chiſium Fratrem S. S. ac Capitaneum Generalem S. R. E. vere innocentem eſſe in omnibus illis, quæ diæ 20. Aug. 1662. contigerunt in Alma Urbe &c. pag. 1

CDLXXII. Abſolutio ampliſſima ab omnibus exceſſibus, & delictis in Civitate Avenionen., & Comitatu Venayſſino commiſſis occaſione, & prætextu caſus die 20. Auguſti in Urbe commiſſi. ibid.

CDLXXIII. Revocatio, & annullatio Mandatorum, & Præceptorum D. Cardinali Maidalchino factorum, ut extra Urbem habitaret, ſeque in loco, ſeu locis determinatis contineret cum abſolutione propter tranſgreſſionem mandatorum hujuſmodi, ſuumque e Stato Eccleſiaſtico egreſſum, & reſtitutione ad quæcumque privilegia, cum decreto, quod ejus familiares, qui conſilio, ſcriptura, vel opera caſui die 20. Aug. 1662. in Urbe ſecuto, & ipſius D. Card. egreſſui præfato moleſtari non poſſint. 6

CDLXXIV. Nobili Infanti Franciſco Duci Mutinen. ejuſque hæredibus, & ſucceſſoribus in perpetuum conceditur juſpatronatus, & præſentandi loci Ordinariis perſonas Idoneas ad Præpoſituram Secularem in Eccleſia Abbatiæ de Pompoſa, ac Archipresbyteratum, ſive Plebaniam Eccleſiæ Sanctæ Mariæ de Bondeno Ferrarien. Diœceſ., & perpetuum ſimplex Beneficium ex fructibus ab illa diſmembratis erectum. 10

CDLXXV. Confirmatio Decreti Congregationis Epiſcoporum, & Regularium, quo, inhærendo Conſtitutioni Ordinis Minorum Sancti Franciſci ſtatuitur, ut in poſterum Commiſſarii Viſitatores deputandi pro Provincia de Guatimala Nominis Jeſu nuncupat. Ordinis hujuſmodi, debeant aſſumi ex una de Provinciis vicinioribus, videlicet Sancti Georgii de Nicaraguas, & Sancti Joſephi de Jucatan. 12

CDLXXVI. Confirmatio Decreti Congr. Epiſcoporum, & Regularium, quo approbatur Conſtitutio duorum Capitulorum Generalium Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci de Obſervantia, per quam ſtabilitur Alternativa Officiorum inter Patres Criollos ex una parte, & Patres dictos Gachupinos, & filios Provinciæ Nominis Jeſu de Guatimala in nova Hiſpania Ordinis hujuſmodi ex altera &c. 13

CDLXXVII. Quod non liceat Fratribus Minorum de Obſervantia S. Franciſci commorantibus Toloſæ inducere novum Roſarium ſub tit. Seraphici: nec facere Proceſſionem Confraternitatis Conceptionis prima Dominica cujuslibet Menſis: nec Tabellam exponere in qua Beata Virgo det Roſarium, SS. Franciſco, & Claræ. 14

CDLXXVIII. Confirmat Decretum Sacræ Congregationis pro Erectione Conventus Congregationis Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum in Oppido Piſcinæ Marſicanæ Diœceſis. 15

CDLXXIX. Confirmatio Decreti Definitorii Generalis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci de Obſervantia, quod Commiſſarius Viſitator Provinciæ S. Didaci Canarien. Ordinis hujuſmodi ex eadem Provincia eligatur. 16

CDLXXX. Confirmatio Decreti Definitorii Generalis Ordinis Minorum Sancti Franciſci de Obſervantia, quo conceditur ſeptem Provinciis Peruanis Ordinis hujuſmodi Alternativa Officiorum inter Fratres Hiſpanos, & Nationales, ſicuti in nova Hiſpania ſervari ſolet. 17

CDLXXXI. Statuit, ut de cætero Capitula Provincialia in qualibet Provincia Congregationis Clericorum Secularium Doctrinæ Chriſtianæ Galliæ ſingulis trienniis intra menſem Septembris, vel Octobris habeantur: Capitulum vero Generale ſingulis tantum Sexenniis celebretur loco, & tempore a Præpoſito Generali deſignandis, &c. 18

CDLXXXII. Quod Feſtum S. Dominici celebretur de Præcepto in toto Regno Neapolitano tanquam de Patrono, cum Octava. 20

CDLXXXIII. Ut in Regnis Hiſpaniarum, & Indiarum de præcepto recitetur Officium, & Miſſa Conceptionis B. Mariæ Virg. Immac. cum Octava. ibid.

CDLXXXIV. Confirmatio Alternativæ in electione Provincialis, & aliorum Officialium Provinciæ S. Joſephi de Jucatan. in nova Hiſpania Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci de Obſervantia. 21

CDLXXXV. Confirmatio quorumdam Statutorum Provinciæ Franciæ Ordinis B. Joannis Dei in Capitulis Generalibus dicti Ordinis ab Anno 1645. Romæ celebratis, cum participatione Eminentiſſimi D. Cardinalis Ginetti Protectoris. 22

CDLXXXVI. Confirmatio quarumdam Definitio-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tionum in Definitorio Capituli Generalis Congregationis Obſervantiæ Lombardiæ Ordinis Eremitarum S. Auguſtini cum interventu Eminentiſſimi D. Cardinalis Pallotti Protectoris, & Præſidentis pro felici gubernio ipſius Congregationis factarum. 23

CDLXXXVII. Confirmatio Declarationis Pii V. quod Conventus Sanctæ Mariæ ſuper Minervam de Urbe Ordinis Prædicatorum ſit primus inter Conventus Provinciæ Romanæ, cum novo Decreto quod ab eadem Provincia ſeparari nequeat. 27

CDLXXXVIII. Prorogatio ſubſidii quadringentorum viginti millium ducatorum annuorum ſuper fructibus Eccleſiaſticis Univerſarum Hiſpaniarum, & Sardiniæ pro Rege Catholico ad quinquennium. 29

CDLXXXIX. Confirmatio Alternativæ inter Obſervantes, & Reformatos Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci, quod una vice eligatur Commiſſarius Generalis Familiæ Ciſmontanæ ex Reformatis, & altera ex Obſervantibus, hac tamen conditione, ut tres Definitores Generales eligantur ex Obſervantibus, & tres ex Reformatis in cunctis Congregationibus, & Capitulis Generalibus. ib.

CDXC. Confirmatio Decreti Magiſtri Gen. Ordinis Prædicatorum, quod Collegium Sancti Ludovici Angelopolitan., ad Conventum S. Dominici Mexican., & Provinciam S. Jacobi Ord. hujuſmodi pertineat, &c. 30

CDXCI. Unio Monaſterii S. Mariæ de Sagittario Ordinis Ciſtercien. S. Bernardi Anglonen. Diœceſ. Congregationi Tuſciæ Ordinis hujuſmodi. 33

CDXCII. Conſtitutio determinans quomodo, & quando liceat Superioribus Regularibus Monialium, earumque Confeſſoribus ingredi Septa Monaſterii, & prope illud commorari. 34

CDXCIII. Erectio Eccleſiæ Reginohradecen. in Regno Bohemiæ. 36

CDXCIV. Decernit, & ſtatuit quod deinceps in Indiarum partibus Priores Parochorum Ordinis Prædicatorum, non ab ipſiſmet Parochis, ſed a ſingularum Provinciarum Provincialibus per vota ſecreta duodecim ad minus canonice eligantur. 38

CDXCV. Confirmatio ſtatuti ſuper Commiſſariis Viſitatoribus Provinciarum Bethicæ, & Legionen. Tertii Ordinis S. Franciſci in Capitulo Generali editi. 39

CDXCVI. Commiſſio Nuncio Neapolis contra Epiſcopum Policaſtren. 40

CDXCVII. Ampliſſima facultas Legato Avenionen. abſolvendi omnes, & ſingulos Reos, complices, & participes delictorum in Civitate Avenionen. ejuſque diſtrictu a die 24. Octobr. proximi præteriti uſque ad præſentem diem commiſſorum, exceptis tamen illis perſonis, quas placuerit eidem Legato nominare, ſeu quæ ab ejus Vicelegato magis culpabiles repertæ fuerint. ib.

CDXCVIII. Indultum Regi Chriſtianiſſ. nominandi perſonas idoneas ad Cathedrales Eccleſias Meten., Tullen, & Virdunen. 45

CDXCIX. Quod Fratres Cappuccini Ordinis Minorum Sancti Franciſci tranſeuntes ad aliam Religionem non poſſint permanere in eadem Provincia in qua emiſerunt profeſſionem. 46

D. Ut Priores Abbatiarum Commendatarum Ordinis Præmonſtraten. in Gallia eligantur inter Definitores in Capitulo Generali Ordinis hujuſmodi. 47

DI. Quod in controverſia inter Provincias Sancti Joannis Baptiſtæ, & Beati Petri de Alcantara Fratrum Diſcalceatorum S. Franciſci circa poſſeſſionem Conventus Murciæ præfata Provincia S. Jo: Baptiſtæ non ſit amplius audiendà. Ib.

DII. Pro translatione Profeſſorii Monachorum Regularium Sancti Bernardi Ordinis Ciſtercienſis, a Monaſterio Sanctæ Pudentianæ de Urbe, ad Monaſterium Sancti Bernardi ejuſdem Urbis. 48

DIII. Conſtitutio prohibens acceſſum ad Monaſteria Monialium Regnorum Hiſpaniarum, cum diverſis Ordinationibus. 49

DIV. Exhibet formulam ſubſcribendam ab omnibus Eccleſiaſticis in Regnis Galliæ pro confutatione quinque propoſitionum Cornelii Janſenii &c. 52

DV. Confirmatio Decreti Congregationis Rituũ ſuper Patronatu principaliori S. Januarii in Regnum Neapolitanum. 53

DVI. Confirmatio Conſtitutionum pro felici regimine Congregationis, ſen Confraternitatis Scholæ Chriſti Madriti Toletan. Diœceſis, idque pro Congregationibus, ſeu Confraternitatibus ſub nomine dictæ Scholæ Chriſti, & ſub earumdem Conſtition. obſervantia tam erectis, quam erigendis in univerſis Regnis, & Dominiis Hiſpaniarum, ac etiam in Alma Urbe. 54

DVII. Commiſſio Nuncio Poloniæ ſuper convocatione novi Capituli Monachorum Ruthenorum Ordinis S. Baſilii Magni cum opportunis facultatibus. 71

DVIII. Ut Breve ſuper confirmatione quorumdam Decretorum Provinciæ S. Ivonis Tertii Ordinis S. Franciſci Congregationis Gallicanæ ſervetur in Provincia S. Ludovici Ordinis hujuſmodi. 72

DIX. Conſtitutio contra quaſdam cenſuras facultatis Theologicæ Pariſien. 73

DX. Concedit facultatem Congregationis Caſſinenſi Ordinis S. Benedicti alienandi bona ſtabilia uſque ad ſummam centum ſexaginta duorum millium nongentorum novem ſcutorum, pro liberatione Monaſteriorum ab ære alieno. 74

DXI. Confirmatio ſtatuti perpetui a Capitulo Eccleſiæ Paderbonen. conditi, & jurati, ne ulli Epiſcoporum Paderbonen. ex eorum menſe applicatis, & in futurum applicandis redditibus, &c. quidquam per Capitulum derogetur, aut alio deſtinetur, & ſi quid contra fiat id pro nihilo habeatur. 76

DXII. Confirmatio Decreti Congregat. Epiſcoporum, & Regularium circa præcedentiam inter Procuratores Generales, & Commiſſarios Curiæ, Ordinis Minorum S. Franciſci de Obſervantia. 77

Ut

DXIII. Ut in Ditionibus, & Dominii Duci Sabaudiæ ſubjectis de præcepto recitetur Officium, & Miſſa Conceptionis B. M. V. Immaculatæ cum Octava. 79

DXIV. Committit Archiepiſcopo Biſuntin., ac ejus Vicario in ſpiritualibus generali, uſque ad ſententiam excluſive cauſam aſſertorum delictorum, quæ Inquiſitori Biſuntin. imputantur, eiſque tam conjunctim, quam diviſim mandat, ut proceſſum deſuper conficiant, & ad S. S. tranſmittant. 79

DXV. Declarat, & concedit Monialibus Carmelitanis Diſcalceatis Belgii indultum fruendi privilegiis Carmelitarum Excalceatarum Franciæ, & Germaniæ. 80

DXVI. Mandatum, ut ſervetur Breve Urbani Octavi circa ſubjectionem Monialium Monaſterii Lugdunen. primæ Regulæ S. Claræ Juriſdictioni Provincialis, & Fratrum Provinciæ S. Franciſci in Gallia Ordinis Minorum Recollectorum. 81

DXVII. Confirmatio quorumdam Decretorum circa profeſſiones, & electiones in Capitulo Provinciali factas Provinciæ S. Elzearii, ſeu Aquitaniæ Congreg. Galliæ Tertii Ord. S. Franciſci. 82

DXVIII. Ut in ditionibus Ferdinando Magno Duci Etruriæ ſubjectis de præcepto recitetur Officium, & Miſſa Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis Immaculatæ, cum octava &c. 83

DXIX. Confirmat decretum Dietæ Generalis Fratrum Congr. S. Hieronymi Jeſuatorum nuncup. pro ſuſtentatione Procuratoris Generalis pro tempore. Ibid.

DXX. Damnat plurimas propoſitiones partim jam antiquatas, partim noviter prodeuntes in animarum perniciem, prohibetque omnibus Chriſti fidelibus ſub excommunicationis pœna ipſo facto incurrenda, eas, vel earum aliquam privatim, vel publice defendere, vel edere, vel ad praxim reducere. 84

DXXI. Renovatio facultatis admittendi in Collegium S. Petri Univerſitatis Studii Generalis Colymbrien. unum Collegialem Canoniſtam ſupranumerarium, qui ſit unus ex oppoſitoribus ad Cathedras facultatis ſacrorum Canonum prope diem vacaturas, & data prima vacatione alicujus ex quatuor locis ordinariis Collegialium Canoniſtarum in locum ſic vacantem ſubintrare debeat. 86

DXXII. Suppreſſio Collegii Maronitarum in Civitate Ravennæ erectum. Ibid.

DXXIII. Ut in Statu Mediolanen., & Marchionatu Finarienſi recitetur Officium, & Miſſa Conceptionis B. M. V. Immaculatæ, cum octava. 89

DXXIV. Ut in omnibus Dominiis, & Ditionibus Regnorum Siciliæ, & Sardiniæ recitetur Officium, & Miſſa Conceptionis Beatæ Mariæ V. Immaculatæ, cum octava. 90

DXXV. Confirmatio determinationis D. Cardinalis Protectoris ſuper reſtitutione Cuſtodiæ SS. Trinitatis Fratrum Minorum Sancti Franciſci Recollectorum nuncupatorum in Gallia in priſtinum ſtatum. Ibid.

DXXVI. Extenſio, & communicatio privilegiorum Fratum Diſcalceatorum in Hiſpania Ord. S. Franciſci ad omnes Provincias Diſcalceatorum Indiarum. 92

DXXVII. Confirmatio Decreti in Capitulo Generali Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia, & Reformatorum Sancti Franciſci editi, quod Provinciæ Angliæ Ordinis hujuſmodi Recollectorum nuncupatorum competat locus præcedentiæ juxta tempus ſuæ erectionis. 93

DXXVIII. Tranſactio inter Vicarium Generalem Bergomenſem, & Fratres Minimos S. Franciſci de Paula pro receptione Conventus B. Mariæ, omniumque Sanctorum de Galgario nuncupat. 94

DXXIX. Declaratio circa ſolutionem Decimæ 800. mil. duc. monetæ Hiſpaniarum claræ mem. Philippo Quarto conceſſæ. 95

DXXX. Decernit Fratres Laicos Provinciæ Turoniæ Majoris in Gallia Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci de Obſervantia profeſſione antiquiores præcedere debere Fratres clericos ejuſdem Provinciæ nondum in ſacris ordinibus conſtitutos. 97

DXXXI. Quod nulli ex Fratribus Reformatis S. Franciſci Provinciæ Romanæ competit jus præcedendi, ſive honoratioris loci, niſi Superioribus actualibus, & ex generalibus. Ibid.

DXXXII. Confirmatio Congregationis, & Inſtituti Monialium Hoſpitalariorum Monaſterii, Hoſpitii, ſeu Domus Dei nuncupat. Oppidi de la Heche Congregationis S. Joſephi Andevagen. Diœc. 99

DXXXIII. Confirmatio Binarum Literarum Patentium Magiſtri Generalis Ordinis Prædicatorum pro felici ſtatu, & progreſſu Congregationis B. Jacobi Veneti in Provincia Veneta d. Ordinis a dicto Magiſtro Generali inſtitutæ, ſtudiiſque in ea pro promovendis emanatarum, cum prohibitione ne de cætero Fratres profeſſi ejuſdem Congregationis ad Conventus præfatæ, vel alterius cujuſvis Provinciæ dicti Ordinis tranſire poſſint abſque expreſſa licentia dicti Magiſtri Generalis pro tempore exiſtentis. 109

DXXXIV. Decernit ſervandum, & exequutioni mandandum eſſe Breve S. S. anno 1661. emanatum quo ſtatutum fuit in Provincia S. Guillelmi Franciæ Ordinis Eremitarum S. Auguſtini perpetuo admittendos eſſe decem Magiſtros cum privilegiis loci, & vocis juxta Conſtitutiones &c. 102

DXXXV. Decernit, quod deinceps Capitulum Generale Congregationis Eremitarum Camaldulenſium de biennio in biennium: & dicta anno poſt celebrationem Capituli hujuſmodi reſpective celebrari debeant. 104

DXXXVI. Quod Fratres Trinitarii Provinciæ Caſtellæ, Aragoniæ, & Beticæ, aliarumque Provinciarum Redemptionis Captivorum, non poſſint uti Cappa nigra. 106

DXXXVII. Confirmatio diverſorum Capitulorum inter Fratres Conventus S. Franciſcæ Romanæ Ord. Sanctiſſ. Trinitatis Redemptionis Captiſtorum, & Auguſtinianos Re-

formatos Hospitii Sanctorum Ildefonsi, & Guillelmi de Urbe super statu dicti Hospitii ejusque Oratorii, ac numero Fratrum Augustinianorum inibi commoraturorum, aliisque articulis. 108
DXXXVIII. Damnantur iterum plurimæ aliæ ☞ propositiones tanquam scandalosæ, prout supra in Constitut. 520. 110
DXXXIX. Ut Nuncius Sabaudiæ audeat Recursus Subditorum Principatus Messerani, & Marchionatus Crevacorii. 111
DXL. Declaratio super reservatione beneficio- ☞ rum. ibid.
DXLI. Bulla, seu Literæ Decretales Canoniza- ☞ tionis S. Francisci de Sales Episcopi Genevensis. 113
DXLII. Constitutio pro Instauratione, ac Refor- ☞ matione Ordinis Cisterciensis. 119
DXLIII. Prohibitio ingressus Mulierum in Eremis Montis Anconæ, & Fanen. Congregationis Eremitarum Camaldulen. 125
DXLIV. Confirmatio concordiæ inter Capitulum, ac Canonicos Ecclesiæ Cathedralis Lucan., & Rempublicam initæ, per quam Capitulum Jurisdictionem tam Civilem, quam Criminalem sibi in quibusdam locis competen. cedit ipsi Reipublicæ. ibid.
DXLV. Pro Fratribus Ordinis Prædicatorum ☞ Teutoniæ, ne videlicet in illa Provincia fiat ulla secessio, divisio, aut separatio, sub pœna excommunicationis &c. 127
DXLVI. Præceptum Superioribus, & Personis Societatis Jesu in Insulis Maris Ægei, Zacynthi, & Cephaloniæ, aliorumque locorum adjacentium residentibus, ut visitationem ab Apostolico Visitatore Josepho Maria in eorum Collegiis, Domibus, Hospitiis, Residentiis, aliisve locis quibuscumque vigore alterius Brevis SS. instituendam omni mora, & dilatione postpositis, recipiant, & admittant. 129
DXLVII. Deputatio Visitatoris Apostolici Insularum Maris Ægei, & Zacynthi, & Cephaloniæ, ac aliorum locorum adjacentium cum amplissimis facultatibus. ibid.
DXLVIII. Circa novam formam assumendi Electores Rotæ Civitatis Perusin. 132
DXLIX. Confirmatio Decreti Congregationis Rituum, quod sint servanda decreta dictæ Congregationis sub die 21. Januar. 1662. super celebratione Festi S. Georgii de Præcepto, & sub die 24. Maii 1664. super concessione Officii ejusdem ad favorem Principatus Cathaloniæ, & Cleri edita. 133
DL. Confirmatio Decreti in Capitulo Generali Congregationis Sanctorum Vitonis, & Hidulphi Ordinis S. Benedicti editi, quod licet Fratres Laici, seu Commissi nulla emittant vota, sed tantum elapso biennio ad stabilitatem reciperentur, nihilominus vota simplicia castitatis, paupertatis, & obedientiæ emittere debeant, servanda quandiu permanserint in eadem Congregatione, ex qua a Superioribus expelli possunt, non autem propria voluntate discedere. ibid.
DLI. Indultum deferendi habitum Prælatitium ☞ pro Abbate Generali Congregationis Canonicorum Regularium Sancti Salvatoris Ordinis S. Augustini. 134
DLII. Confirmatio Decreti Congregationis Rituum, non licere medijs, ut ajunt Canonicis neque Terzenariis Ecclesiæ Colymbrien. in Regno Portugalliæ uti in Choro, & aliis functionibus Ecclesiasticis æquali habitu cum Canonicis, & dignitatibus, hoc est Mozzetta cum Cappuccio sine indulto Apostolico. 135
DLIII. Diversæ Ordinationes pro Metropolitanis Ecclesiis Beatæ Mariæ de Pilari, & Sancti Salvatoris Civitatis Cæsaraugustan. 136
DLIV. Commissio Nuncio Hispaniarum, ut absolvat a censuris Capitulum, & Canonicos Metropolitanæ Ecclesiæ S. Salvatoris Civitatis Cæsaraugustan., in quas declarati fuerunt incidisse, eo quod literis Executorialibus Rotæ, & mandatis ejusdem Nuncii non paruerint. 140
DLV. De non celebrandis Missis de Requiem in ☞ duplicibus, exceptis Anniversariis ex dispositione Testatorum relictis. 141
DLVI. Confirmatio Decreti, quo indulgetur, ut in posterum in Prov. Portugalliæ Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum Procurator Captivorum, necnon Secretarius Provinciæ, & Vicarius Commissarii Ulixbonen. dictæ Provinciæ pro tempore existentes gaudeant voto perpetuo in Capitulis Provincialibus ipsius Provinciæ. 142
DLVII. Decernit Conventum S. Francisci Civitatis Targovisti Provinciæ Vallachiæ spectare ad Fratres Custodiæ Vallachiæ Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum: nec ullum Jus in eo habere Fratres Minores Conventuales Congregationis de Propaganda Fide in dicta Provincia Missionarios. 143
DLVIII. Subsidium centum millium scutorum auri super fructibus Ecclesiasticis Reipublicæ Venetorum pro ipsa Republica erogan. contra Turcas. ib.
DLIX. Facultas Regi Catholico dispensandi de omnibus locis, atque officiis ordinis Aurei Velleris del Tofon vulgariter nuncupat. tam nunc vacantibus, quam imposterum vacaturis etiam extra Capitulum Generale dicti Ordinis. 145
DLX. Confirmatio Unionis Congregationum Doctrinæ Christianæ Neapolitan., & Urbis fact. per Instrumentum publicum, & a D. Cardinali Protectore confirmatæ. 146
DLXI. Quibusdam locis Congregationis Somas- ☞ chæ facta concessio sepeliendi Alumnorum Cadavera, sine interventu Parochorum. 150
DLXII. Confirmatio Statuti Civitatis Avenionen., ac Constitutionis Leonis X., quibus cavetur, ut causas Mercatorum eorum artem concernentes Judex remittat duobus relatoribus electis a Vicelegato ex quatuor Mercatoribus, quos Consilium ejusdem Civitatis quotannis deputare solet, & subinde secundum eorum relationem judicet, utque in eisdem Causis de bono, & æquo procedatur, atque etiam in Tribunalibus pariformiter procedi, & judicari debeat. 151
Con-

DLXIII. Confirmatio venditionis Feudi Montafiæ, ejusque investituræ Carolo Emmanueli Philiberto Hyacintho de Simiana Marchioni Planitiarum Taurinen. seu alterius Civitatis, vel Diœcesis concessæ. 152
DLXIV. Commissio Episcopo Ferrarien. ut pro- ☞ cedat contra Expulsores Inquisitoris Mantuan. a Civitate, & Ducatu Mantuan. 159
DLXV. Commissio duobus Archiepiscopis, & quatuor Episcopis Regni Galliarum super suppressione Ordinationum, seu mandamentorum a quatuor Episcopis ejusdem Regni occasione Formularis S. S. editorum. 160
DLXVI. Commissio contra quatuor Episcopos Galliarum, ut subscribant, & subscribi curent Formulario contra Propositiones Jansenianas edito. 161

CLEMENS PAPA IX.

I. Indictio Jubilæi universalis ad divinum auxi- ☞ lium initio sui Pontificatus pro salutari Catholicæ Ecclesiæ regimine imprecandum. 162
II. Confirmatio, & ampliatio indulti Sixti V., & ☞ Gregorii XV. de Officio S. Jacobi Apostoli, & Patroni Hispaniarum sub ritu semiduplici recitando. 164
III. Privilegia, Gratiæ, & Indulta concessa Con- ☞ clavistis, qui interfuerunt Conclavi, in quo ad Summi Apostolatus apicem fuit evectus. 165
IV. Indultum nominandi ad dignitates Belgii, & Comitatus Burgundiæ Regi Catholico conceditur. 172
V. Confirmatio decreti Card. Pallotti circa va- ☞ liditatem Capituli in Provincia Peruana a Fratribus Ordinis Eremitarum S. Augustini celebrati. 173
VI. Quod Alumni Seminarii Pontificii Brunsbergæ in Prussia ad titulum sufficientiæ literaturæ, & absque suorum Ordinariorum dimissoriis, ac non servatis interstitiis promoveri possint. 175
VII. Privilegia, exemptiones, & indulta Dapi- ☞ feris, qui in Conclavi suæ Assumptionis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus inservierunt, concessa. Ibid.
VIII. Facultas Duci Bavariæ tradendi octo ex decem Monasteriis Palatinatus superioris dudum per hæreticos occupatos, Religiosis eorum respective Ordinum, & reliqua duo Monasteria, quæ erant Monialium, in erectionem novi Monasterii Monialium in Oppido Bamberge faciendum. 180
IX. Confirmatio concordiæ inter Archiepisco- ☞ pum Toletan., ac Priorem, & Fratres Conventus Sancti Bartholomæi de Lupiano Ordinis Sancti Hieronymi Toletan. Diœcesis per quam modus colligen. decimas stabilitur. 182
X. Constitutio super Reformatione Jurisdictio- ☞ nis Tribunalis Burgi. 184
XI. Confirmatio quorumdam decretorum edi- ☞ torum in Capitulo Generali FF. Min. Ord. S. Francisci Cappuccinorum. 186
XII. Prævia ratificatione investituræ Regni Siciliæ, & Hierusalem cum tota terra citra Pharum Regi Catholico ab Alexandro VII. factæ eumdem Regem quatenus Ducatus Mediolanen. majorem partem Lombardiæ comprehendat, absolvit, & dispensat ad obtinen. dictum Regnum cum supradicto Ducato Mediolanen. 187
XIII. Renovatio indulti nominandi ad Canonicatus, & Præbendas Ecclesiarum Colonien. Rectori, Decanis, & Provisoribus Universit. studii generalis Colonien. concessi. 189
XIV. Confirmatio Decreti Alexandri Papæ Se- ☞ ptimi approbantis nonnulla Capitula ad reformationem Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci Conventualium nuncupator. inservientia. 193
XV. Confirmatio Patentium Magistri Generalis Ordinis Prædicatorum ad favorem Fratrũ Provinciæ Hiberniæ emanatarum per quas eisdem Fratribus conceditur facultas fundandi Conventus in Oppido Matriti, aliisque mundi partibus cum diversis ordinationibus. 194
XVI. Quod Presbyteri Societatis Jesu Officium ☞ cum octava de præcepto, & Missam Conceptionis B. M. V. recitare, & celebrare valeant. 197
XVII. Separatio quorumdam Conventuum a Provincia S. Dionysii in Gallia Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia Recollectorum cum eorum erectione in novam Provinciam sub tit. Sancti Antonii de Padua. 198
XVIII. Decernit Visitationem Apostolicam Ecclesiarum, & Locorum Piorum Urbis a fel. rec. Alexandro VII. institutam, & inchoatam continuari, & absolvi debere. 199
XIX. Confirmatio Brevis Alexandri VII. cum diversis aliis Ordinationibus pro Monasteriis Monialium Excalceatorum Regni Franciæ. 200
XX. Confirmatio Privilegiorum omnium concessorum, tam Guardiano Sacri Montis Sion, quam Fratribus, necnon Locis Terræ Sanctæ. 202
XXI. Quod Officium Sancti Ignatii Societatis Jesu Fundatoris sub ritu duplici imposterum recitetur ab omnibus, qui ad horas canonicas tenentur. 203
XXII. Extensio Literarum Pauli V. super erectione Monasterii Ursulinarum Burdagalen. emanatarum, & concessionum, & indultorum eidem Monasterio in eis factorum, ad omnia ejusdem Regulæ, & Instituti Monasteria in utraque Germania. Ib.
XXIII. Confirmatio Literarum Generalis Ordinis Prædicatorum pro Religiosis Provinciæ Hiberniæ, & aliarum ejusdem Ordinis sublevandis, novisque nationalibus Collegiis, & Domibus in Hispania, & alibi erigendis. 204
XXIV. Mittitur Nuncius Coloniæ ad congressum Pacis inter Reges Catholicum, & Christianissimum tractandæ in aliqua Germaniæ aut alia Civitate, vel loco destinando. 207
XXV. Constitutio ut Officium, & Missæ Concep- tio-

☞ ptionis Beatæ Mariæ Virginis Immaculatæ cum Octava in Urbe, ac universa Sanctæ Romanæ Ecclesiæ temporali ditione de- præcepto recitetur. 208
XXVI. Quod Provinciales Ordinis Beatæ Ma-
☞ riæ de Mercede Redemptionis Captivorum Discalceatorum in fine triennii sui officii Provincialatus, administrationis, & gubernii rationem Vicario Generali reddere teneantur. Ibid.
XXVII. Revocatio, & annullatio Constitutionis
☞ Urbani Octavi Eremitas Camaldulenſium Etruriæ, sive Provinciæ Aretinæ cum Congregatione Montis Coronæ ejusdem Ordinis incorporantis. 209
XXVIII. Revocatio unionis factæ ab Alexandro Septimo Congregationum Monachorum Vallis Umbrosæ, & Sylvestrinorum Ordinis S. Benedicti &c. 211
XXIX. Confirmatio decretorum pro felici regimine Conventus, & Collegii Majoris Parisien. Ordinis Eremitarum Sancti Augustini. 212
XXX. Suspensio pœnæ excommunicationis latæ sententiæ per Breve Alexandri Septimi super reformatione Monasteriorum Monialium Hispaniæ emanati impositæ, in omnibus iis casibus, in quibus eadem pœna a jure communi, vel aliis Constitutionibus Apostolicis imposita non reperitur. 214
XXXI. Nova concessio facultatis cognoscendi causas Universitatum, & Hominum Sancti Benigni, Montanarii, Filetti, Lombardorii, & aliorum locorum nullius Provinciæ Taurinen. Nuncio Sabaudiæ. 215
XXXII. Confirmatio Statuti a Capitulo Ecclesiæ Lexovien. conditi, & ab Episcopo confirmati circa fundationem Anniversariorum Canonicorum decentium. 216
XXXIII. Constitutio, in qua injungitur Fratribus Ordinis Eremitarum S. Augustini Officium, & Missam Conceptionis B. M. V. ex præcepto recitare, idemque Officium ad usum dicti Ordinis seorsim imprimi posse conceditur. 217
XXXIV. Suppressio Regularitatis Vice-Prioris, & Canonicor. Regularium Prioratus Conventualis S. Georgii Ordinis Canonicorum Regularium S. Augustini Grationopolitan. Diœc. a parte Ducatus Sabaudiæ cum eorum reductione ad statum Presbyterorum secularium. 217
XXXV. Impositio decimarum super fructibus Ecclesiasticis pro Republica Venetorũ. 219
XXXVI. Commissio Magno Magistro Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani super notificatione præcepti accedendi ad Urbem quibusdam Fratribus Militibus Linguæ Italiæ facienda. 222
XXXVII. Ut in Natione Germano-Belgica Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia, servetur Breve Urbani Octavi circa abrogationem privilegiorum personalium. 223
XXXVIII. Confirmatio Decreti trium Cardinalium a Congregatione Episcoporum, & Regularium specialiter deputatorum, quo resolvuntur Dubia Mulieres Pizzocheras nuncupat. Conservatorii Venetiarum concernentia. 224
XXXIX. Absolvit Diœcesanos, ac Capitulum, & Canonicos Ecclesiæ Portalegren. a censuris, & pœnis Ecclesiasticis, quas respective incurrerunt, dicti quidem Diœcesani, quia ad Minores Ordines promoti fuerunt a quibusdam Abbatibus, quibus Capitulum sede vacante Ordines hujusmodi conferendi facultatem concesserat, dicti vero Canonici, & Capitulum quia eamdem facultatem concesserunt. 225
XL. Confirmatio Definitionum duorum Capitulorum Generalium Congregationis Hispaniæ Monachorum Ordinis S. Benedicti circa electiones intermedias ad Abbatias, quæ inter celebrationem unius, & alterius Capituli Generalis vacant factarum cum decreto, quod nullatenus mutari possint absque Sedis Apost. speciali facultate. 226
XLI. Concedit licentiam Abbatibus Communis Observantiæ Ordinis Cistercien. recipiendi Novitios ad habitum, & professionem, & noviter professis collocandi in Monasteriis, quæ in ultimo Capitulo Generali pro Novitiatibus, & Professoriis respective designata fuerunt: Abbatibus vero Monasteriorum Germaniæ, Belgii, Poloniæ, Aragoniæ, Valentiæ, & Catholoniæ ejusdem Observantiæ indulget ut Novitios ad habitum, & professionem ut supra admittere, & noviter Professos collocare possint in illis Monasteriis in quibus actu degunt, & aluntur vigintiquinque Monachi. 227
XLII. Confirmatio Literarum diversorum Romanorum Pontificum super investituris Principatus Messerani, & Comitatus Crepacorii. 229
XLIII. Constitutio revocatoria exemptionum a vectigalibus, aliisque publicis oneribus. 230
XLIV. Confirmatio Patentium Generalis Ordinis Eremitarum S. Augustini circa Priora-tus Indorum Provinciæ Peruntinæ cum diversis Ordinationibus. 234
XLV. Breve Beatificationis Rosæ de S. Maria
☞ Limanæ in Regno Peruano Indiarum Occidentalium Tertii Ordinis S. Dominici. 236
XLVI. Damnatio, & prohibitio Libri Gallico idiomate impressi sub titulo Ritualis pro Diœcesi Aleten. 237
XLVII. Decretum in quo Privilegia Sanctæ Ro-
☞ manæ Ecclesiæ Cardinalium testandi de bonis, redditibus, & emolumentis Ecclesiasticis, etiam ad fructus inconsumptos, vel cum aliis ipsorum bonis non commixtos extenduntur. 237
XLVIII. Licentia conceditur Referendariis Votantibus Signaturæ Justitiæ nunc, & pro tempore existentibus celebrari faciendi Missam domi cum solitis restrictivis juxta concessam Clericis Cameræ Apostolicæ ab Alexandro VII. 238
XLIX. Super contributione Ecclesiasticorum Regnorum Castellæ, & Legionis 19. millionum cum dimidio Regi Catholico facienda. 239
L. Indultum Regi Christianissimo nominandi ad quæcumque Monasteria, Prioratus, Dignitates, etiam majores, & principales, aliaque Beneficia quæcumque (exceptis Curatis) in Civitatibus Meten., Tullen., & Virdunen. eorumque Territoriis dicti Regis Ditioni, & Dominio temporali de præsenti subjectis. 241
LI. Innovatio Constitutionis Pauli V. contra Fratres Ordinis Minorum S. Francisci de Observantiæ Provinciæ Aquitaniæ Antiquioris favores personarum extra eumdem Ordinem constitutarum emendicantes, illisque utentes ad obtinen. officia editæ. 243
LII. Literæ Processus publicatæ die Cœnæ Domini 1668. 244
LIII. Concessio Jurispatronatus Regi Christianissimo, ejusque Successoribus nominandi ad Ecclesiam Atrebaten. 248
LIV. Confirmatio Jurispatronatus, & præsentandi ad Ecclesiam Elnen., ac Monasteria consistorialia in Comitatibus Ruscinonensi, & Confluentino, & parte Cerdaniæ versus Galliam consistentia pro Rege Christianissimo, & Successoribus. 249
LV. Indultum Regi Christianissimo nominandi ad Dignitates Abbatiales, & regimina Monasteriorum, Prioratus, Præposituras, seu Præpositatus Conventum habentes in locis, & Ditionibus Belgicis, quæ de præsenti possidet. 250
LVI. Damnatio, & prohibitio libri Gallico idiomate impressi sub titulo Ritualis pro Diœcesi Aleten. est juxta minutam transmissam a R. P. D. Assessore S. Officii, cui adjecta est clausula, ut præsens Breve publicet. Romæ in locis solitis, ac sic publicatum afficiat perinde acsi unicutque personaliter intimatum fuisset, utque transumptis fides habeatur sicut originali. 252
LVII. Confirmatio Congregationis super statu
☞ Regularium, ejusque facultatum. 252
LVIII. Damnatio, & Prohibitio Libri versionis Gallicæ novi Testamenti Montibus Hannoniæ, & Lugduni (ut inscribitur) impressi. 254
LIX. Donativum Ordinarium Regni Siciliæ pro Rege Catholico. 255
LX. Privilegia, Indulta, Gratiæ, Facultates, &
☞ Exemptiones nonnullis Sanctitatis Suæ familiaribus concessa. 256
LXI. Confirmatio Resolutionis a particulari Congregatione per Alexandrum VII. deputata emanatæ, quod munus Protectoris Cappellæ ad Præsepe Domini in Basilica S. Mariæ Majoris de Urbe spectaret ad bo. me. Cardinalem Pallottum tamquam ex Provincia Marchiæ Anconitanæ oriundum in concursu Domini Cardinalis Ursini, qui tamquam de Parentela Sixti V. oriundus illud prætendebat. 263
LXII. Confirmatio Brevis Gregorii XV., ab Urbano VIII. confirmati per quod Hospitali Beatæ Mariæ Theutonicorum concessa fuerunt privilegia Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani. 264
LXIII. Commissio Nuncio Florentiæ super subsidio ab Ecclesiasticis Status Senen. conferendo pro expensis Fluminum, Fossatorum, & Aggerum, ac viarum Aquæductum, & Aquarum decursionum Districtus, & Status Senen. 266

LXIV. Moderatio Constitutionis Clem. VIII. lo-
☞ cum ciborum Paschalium pro Fratribus Sancti Francisci de Paula ad Infirmarias Conventuum restrigentis. 267
LXV. Confirmatio Privilegii Ordin. Sancti Antonii Viennen. a Bonifacio VIII. concessi, ut illius Religiosi Regulam Sancti Augustini servarent, & Canonici Regulares ejusdem Sancti Antonii vocarentur. 268
LXVI. Indultum, ut Religiosus Sacerdos professus Congregationis Monachorum S. Hieronymi in Regnis Hispaniarum specialiter ab eadem Congregatione deputandus, Notarii munere ad effectum capiendi. Informationes super puritate Sanguinis Monachorum ad professionem in eadem Congregatione admittendorum tantum fungi possit. 269
LXVII. Confirmatio Privilegiorum quorumdam Collegio Germanico, & Ungarico, ac Cardinalibus illius Protectoribus a Julio III, Gregorius XIII., & Clem. VIII. circa jurisdictionem privativam dictis Cardinalibus in causis ejusdem Collegii, ejusque Ecclesiarum, & Monasteriorum illi unitor. competen. concessorum, & a Greg. XV. confirmatorum, declaratorum, & extensorum cum declaratione, quod dicti Cardinales uti possint superioritate, & Jurisdictione privativa hujusmodi quoad Monasteria, & Ecclesias, ut præfertur, unita, quæ in præsentibus exprimuntur. 270
LXVIII. Indultum Priori Generali Fratrum Or-
☞ dinis B. M. de Monte Carmelo concessum, conferendi lauream Doctoratus in Collegio S. M. Transpontinæ de Urbe Fratr. ejusdem Ord., qui titulo Magisterii sunt insigniti. 276
LXIX. Erectio Congregationis, sive unionis Matronarum, & Virginum Nobilium, & Illustrium sub denominatione Crucisignarum in Ecclesia, seu Cappella per Episcopum Viennen. designanda. 277
LXX. Commissariatus pro sublevandis Communitatibus, & Universitatibus Status Ecclesiastici. 278
LXXI. Nova Concessio Cruciatæ Portugalliæ ad Triennium a die quo Ulixbonæ, quoad Portugalliam, & quoad loca ultra Marina a die quo in illis respective publicabitur computan. 280
LXXII. Licentia Duci, & Senatui Reipublicæ Venetorum vendendi quadam bona Ecclesiæ S. Marci Venetiarum, eorumque prætium convertendi in usus præsentis Belli contra Turcas. 281
LXXIII. Concedit Regi Christianissimo, ejusque Successoribus jus nominandi ad Ecclesiam Tornacen. 282
LXXIV. Ampliatio juris nominandi ad dignitates Abbatiales, & regimina Monasteriorum, Prioratus, Præposituras, seu Præpositatus Conventum habentes in quibusdam Ditionibus Belgicis confisten. Regi Christianissimo ante hac concessi ad similia Beneficia consistentia in aliis Ditionibus Belgicis ei per nuperum Tractatum Pacis a Rege Catholico concessis, & renunciatis. 283
LXXV. Super contributione Ecclesiasticorum Castellæ, & Legionis in novo subsidio duodecim

decim millionum, & 300.m. duc. pro Rege Catholico. 285
LXXVI. Conceſſio Indulgentiarum pro Confra-
☞ ternitatibus Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum, cum Indulto erigendi, inſtituendi, & aggregandi ſimiles Confraternitates. 288
LXXVII. Conceſſio Privilegiorum pro ſuis Cap-
☞ pellanis communibus. 290
LXXVIII. Suſpenſio Brevis Innocentii Decimi
☞ Generalem Congregationem in Societate Jeſu ſingulo quovis triennio celebrandam injungentis. 294
LXXIX. Jubilæum pro Regno Poloniæ, aliiſque
☞ Provinciis, & Ditionibus Regi Poloniæ ſubjectis ad implorandam divinam opem pro proſperis ejuſdem Regni ſucceſſibus. 296
LXXX. Conceſſio Indulgentiarum pro Chriſtifi-
☞ delibus Status Eccl. divinam opem impiorantibus pro tuitione Civitatis, & Regni Cretæ contra Turcas, ac pro felici directione negociorum Regni Poloniæ. 298
LXXXI. Commiſſio Epiſcopis Caturcen., Lemovicen., & Sarlaten., ut Monaſteria Monialium de bel Loco, & loci de Fieux ab Hoſpitali S. Joannis Hierololymitani dependentia Caturcen. Diœc. viſitent. 298
LXXXII. Conceſſio Indulgentiarum pro Chri-
☞ ſtifidelibus Italiæ divinam opem implorantibus pro tuitione Civitatis, & Regni Cretæ contra Turcas, ac pro felici directione negotiorum Regni Poloniæ. 299
LXXXIII. Confirmatio Privilegiorum Congregationi Hiſpaniæ Fratrum Carmelitarum Diſcalceatorum conceſſorum ſuper facultate erigendi novas Domos de ſola licentia Ordinariorum, & non obſtante diſtantia. 300
LXXXIV. Confirmatio reductionis novennalis præſtationis 850. ſcut. ratione quorumdam bonorum ad directum dominium Cameræ Apoſt. ſpectan. ab Hoſpitali majori Avenionen. debitæ ad 108. ſcut. quolibet novennio præſtanda, ita tamen, ut milites Sedis Apoſtolicæ ægroti, & convaleſcentes perpetuis futuris temporibus gratis in dictum Hoſpitale recipi, ibique curari debeant. 301
LXXXV. Committur Nuncio Sabudiæ, ut audiat recurſus ſubditorum Principatus Meſſerani, & Marchionatus Crevacorii. 302
LXXXVI. Decretum ad favorem Migiſtrorum
☞ Cœremoniarum non participantium exigendi a ſingulis Cardinalibus in promotione ad Cardinalatus honorem 36. duc. auri de Camera, & poſt eorum obitum ab eorum hæredibus vigintiquinque. 303
LXXXVII. Suppreſſio, & extinctio Congregatio-
☞ num Canonicorum S. Georgii in Alga Venetiarum, ac Fratrum Jeſuatorum, & Sancti Hieronymi de Feſulis. 304
LXXXVIII. Applicatio Bonorum trium Congregationum ſuppreſſarum in Statu Venetorum exiſtentium ipſi Reipublicæ in ſubſidium contra Turcas. 305
LXXXIX. Confirmatio quorumdam Decreto-
rum Congregationis de Propaganda Fide circa ſtudium Linguæ Arabicæ, & Controverſiarum in Conventu Sancti Petri in Monte Aureo de Urbe inſtitutum eman. 307
XC. Applicatio Bonorum trium Congregationum ſuppreſſarum in Regno Siciliæ ultra Pharum Duci, & Reipublicæ Venetorum in ſubſidium contra Turcas. 311
XCI. Renovatio ad viginti annos variarum Indulgentiarum, & gratiarum ſpiritualium pro converſione Infidelium Indiarum. 312
XCII. Confirmatio ſtatutorum pro felici regimine Hoſpitalis Pauperum ſeptuagenariorum ab Archiconfraternitate Sancti Joſephi Civitatis Bononien. erecti factarum. 315
XCIII. Jubilæum pro Regno Galliarum, aliiſque Provinciis, & Ditionibus Regi Chriſtianiſſimo ſubjectis ad implorandam divinam opem contra Turcas, cum præcepto Ordinariis, ut ſerio invigilent, ut eleemoſynæ, quas occaſione Jubilæi hujuſmodi a Chriſtifidelibus pro eorum devotione ſponte conferri, & in Capitulis Eccleſiarum reperiri contigerit, in cauſam belli contra Turcas fideliter erogentur. 321
XCIV. Indultum Reipublicæ Raguſinæ vendendi Capitalia Locorum Piorum Raguſin. in Civitate Neapolitana fundat. ad effectum Domos conſtruendi in Civitate Raguſina. 322
XCV. Licentia Religioſis Monaſteriorum Palatinatus ſuperioris ſolvendi 80. millium Florenorum in extinctionem debitorum Eccleſiæ Ratisbonen. 323
XCVI. Commiſſio Epiſcopo Ferentin. contra interfectores Epiſcopi Nicoteren. 324
XCVII. Declaratio incurſus in excommunicatio-
☞ nem, & anathema, aliaſque pœnas canonicas, ac excommunicatio, & anathematizatio interfectorum bon. mem. Jo: Franciſci Epiſcopi Nicoterenſis. 326
XCVIII. Indultum Reginæ Magnæ Brittaniæ recitari, & celebrari faciendi officium, & miſſam de Beata Roſa de Sancta Mariam in Cappella ſua Regia, in qua miſſa de Sedis Apoſtolicæ licentia celebratur. 328
XCIX. Confirmatio Decreti a Generali Ordinis Carmelitarum Diſcalceatorum editi, quo prohibetur Fratribus Provinciæ Januen., vel in illa morantibus ludus, quem ibi vocant *Seminarii* ſub excommunicationis, aliiſque pœnis, quarum abſolutio Summo Pontifici reſervatur. 328
C. Nonnullæ Ordinationes ſuper electione ad Abbatias, & Prioratus Congregationis Monachorum Cœleſtinorum. 329
CI. Decretum, in quo Conventus Licienſis, Gru-
☞ mi, Ripaldæ, & Caldarolæ Ordini Fratrum Minorum Conventualium Sancti Franciſci, cum omnibus bonis, juribus, & pertinentiis adjudicantur. 330
CII. Super præcedentia Procuratoris Generalis in
☞ concurſu aliorum Prælatorum Ordinis Canonicorum Regularium S. Salvatoris. 331
CIII. Omnia bona Congregationum ſuppreſſarum Canonicorum Sancti Georgii in Alga Venetiarum, ac Fratrum Jeſuatorum, & Fratrum Sancti Hieronymi de Feſulis (exceptis Sacris) in Regno Siciliæ ultra Pharum exiſtentia applicat in ſubſidium Civitatis Candiæ, & Regni Cretæ, ac expeditionis contra Turcas. 332

Ut

CIV. Ut exercitium Artis Serici in Civitate Piſaur-
en. nobilitati non præjudicet. 333
CV. Conceſſio Indulgentiarum pro Chriſtifideli-
☞ bus Italiæ, & Inſularum adjacentium divinum auxilium implorantibus pro felici electione Regis Poloniæ, ac liberatione Cretæ a tyrannide, & armis communis hoſtis. 334
CVI. Declaratio nullitatis geſtorum ab Oecono-
mo Mediolanen. circa apprehenſionem poſſeſſionis rerum, & bonorum ad Conventus Congregationum ſuppreſſarum Fratrum Jeſuatorum, & Fæſulanæ in ſtatu Mediolanen. ſitos ſpectantium, & amotionem Adminiſtratorum ab Ordinariis deputatorum. 335
CVII. Jubilæum pro Dominio Reipublicæ Raguſinæ ad ſupplicationem ejuſdem Reipubl. 336
CVIII. Facultas Magno Magiſtro Hoſpitalis Sancti Joannis Hieroſolymitani diſmembrandi ſex millia librarum annuarum ex redditibus Prioratus Sancti Ægidii Linguæ Provinciæ, ex quibus 5.m.ſc. applicabuntur expenſis victus Fratrum dictæ Linguæ, reliquæ vero mille libræ communi rarii in compenſationem damni, quod illi per diſmembrationem hujuſmodi inferri poſſet. 338
CIX. Donatio Conventus, & Eccleſiæ Sanctorum Joannis, & Pauli ſuppreſſæ Congregationis Fratrum Jeſuatorum Puellis pauperibus Sancti Philippi Nerii de Urbe. 339
CX. Declaratio nullitatis Capitulationum, Sede Archiepiſcopali Salisburgen. vacante a Capitularibus dictæ Eccleſiæ in præjudicium juriſdictionis Archiepiſcopalis, & auctoritatis Sedis Apoſtolicæ factarum. 341
CXI. Erectio novi Hoſpitalis in Civitate Neapolitan. ſub Invocatione S. Petri, & Sancti Januarii pro uſu Pauperum Mendicantium, & octio vacantium. 342
CXII. Conſtitutio prohibens Mercaturam, & ne-
☞ gociationes ſeculares Eccleſiaſticis præſertim Religioſis quibuslibet in Indiis Orientalibus, & America nunc, & pro tempore exiſtentibus. 344
CXIII. Declaratio circa ſolutionem Decimæ quo-
ad Eccleſiaſticos Regnorum, & Provinciarum Coronæ Aragoniæ. 347
CXIV. Erectio Congregationis Indulgentiis, &
☞ ſacris reliquiis præpoſitæ. 348
CXV. Conceſſio Indulgentiæ plenariæ Chriſtifide-
☞ libus Italiæ, & Inſularum adjacentium, divinam opem implorantibus pro liberatione Civitatis Candiæ, & Regni Cretæ ab oppreſſione Turcarum. 349
CXVI. Commiſſio Archiepiſcopo Mediolanen. procedi contra Expulſores Inquiſitoris Januen., eorumque complices cum facultatibus opportunis. 350
CXVII. Suſpenſio juris conferendi Beneficia in Civitate, Patria, & Diœceſi Leodien. ſita in aliquibus menſibus per obitum vacantia, Univerſitati Lovanien., illiuſque Facultati Artium a Sede Apoſtol. conceſſi. 351
CXVIII. Diverſæ facultates, & ordinationes circa exercitium muneris, ac dependentiam Miſſionariorum Regularium cujuſvis Ordinis, etiam Soc. Jeſu a Vicariis Apoſtolicis apud Sinas. 355
CXIX. Confirmatio, & extenſio decretorum Ale-
☞ xandri VII., & Cardinalium negotiis Propaganda Fidei Præpoſitorum de nonnullis abuſibus Eccleſiaſticorum in Inſulis Orientalibus degentium tollendis. 356
CXX. Extenſio declarationis ab Alexandro VII.
☞ circa Altaria privilegiata perpetua editæ, ad Altaria ejuſmodi privilegio temporaneo, nec omnibus hebdomadæ diebus decorata. 358
CXXI. Extenſio facultatis conſtituendi in Eccle-
ſia Monaſterii S. Antonii Viennen., & totius Ordinis ejuſdem S. Antonii Abbati Generali pro tempore exiſten. duos Pœnitentiarios ab Eugenio IV. conceſſæ ad alios duos Pœnitentiarios, attento quod duo primi non ſufficiunt. 359
CXXII. Confirmat Decretum S. Congreg. rebus
☞ Conſiſtorialibus Præpoſitæ editum in cauſa diſmembrationis a Metropolitana Eccleſia Burgenſi ejus partis Diœceſis, quæ vulgo dicitur le Montagne baſſe, ad effectum erigendi novum Epiſcopatum in Collegiata Eccleſiæ Oppidi de Santander. 360
CXXIII. Reductio Decreti circa vacationem Ge-
☞ neralatus ad formam Conſtitut. pro Ordine Fratrum Cappuccinorum. 361
CXXIV. Congregatio Clericorum Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum reſtituitur ad ſtatum Regularium, ac fruitionem privilegiorum Mendicantibus conceſſorum. 362
CXXV. Confirmatio Brevis Pauli V. ſuper licentia Alumnis Collegii Nationis Scutorum Pariſien. conceſſa celebrari facien. in d. Collegio, & ſuſcipien. Ordines Sacros ad titulum Paupertatis. 364
CXXVI. Confirmatio extinctionis antiquis, & erectio novi Montis Collegii Secretariorum Apoſtolicorum de numero Participantium. pag. 364.

INDEX

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

INDEX INITIALIS BULLARUM HUJUS VOLUMINIS.

AD pastoralis . pag. 30. 54.
Ad pastorale . 18. 264. 270.
Alias emanavit . 135.
Alias emanarunt . 104. 243.
Alias felicis . 347.
Alias Nobis . 96.
Alias piæ memoriæ . 189.
Alias pro parte . 15. 77. 86. 90. 164. 173. 208. 215. & 323.
Alias propositis . 224.
Animarum . 312.
Assidua cordis . 1.
Augustissimæ . 197.
Circumspecta . 257.
Circumspectionis . 6.
Commissæ . 133.
Commissi . 20. & 339.
Constantis . 229. & 333.
Controversiam . 43.
Crediti . 307.
Creditæ . 141. 194. 198. 203. 237. & 252.
Cum ad aures . 73.
Cum alias . 53.
Cum a prima . 237.
Cum Congregatio . 360.
Cum dilectus . 11.
Cum dilecti . 111. & 302.
Cum felicis . 199. 241. & 358.
Cum Nos. 129. 160. 298. 299. 305. 311. 321. 332. 335.
Cum noviter . 111.
Cum sicut. 40. 48. 79. 145. 207. 324. 326. 341. 361.
Cupientes . 129.
Decet . 134.
Debitum . 186. 193. 200. & 254.
De salute . 296.
Dilectos filios . 175.
Dudum emanarunt . 364.
Dudum felic. 263. 276. & 303.
Dudum pro parte . 150.
Ecclesia Catholica . 113.
Ecclesiæ . 300.
Egregia . 83.
Egregiis . 238.
Emanavit . 133.
Et si Nobis . 143.
Exigit . 217.
Eximia . 328.
Ex injuncti . 80. 89. 106. & 337.
Ex injuncto . 328. 330. 359. & 362.
Exponi Nobis. 16. 17. 21. 22. 28. 39. 47. 72. 74. 81. 82. 83. 92. 97. 140. 151. 152. 159. 216. 217. 223. 227. 234. 255. 269. 281. 301. 322. 331. & 350.
Felici . 34.
Grata . 290.
Illius, qui charitas . 30. & 209.
Illius qui visitat . 40.
In Congregatione . 84. & 110.
Indulgentias . 280.
In excelsa . 357.
In hoc primo . 184.
In ipsis . 348.
Injunctæ . 214. & 329.
Injuncti . 252. & 267.
In sublimi . 100.
In supereminenti . 288.
In supremo . 14. 94. 199. 127. 266. & 315.
Justis . 222.
Laudabilia . 11.
Licet alias . 161.
Magnis causis . 29.
Militantis . 38. 108. & 203.
Nos volentes . 165. & 175.
Nuper emanarunt . 204.
Nuper Nos . 334.
Nuper pro parte . 12. 13. 47. 142. 182. 225. 226. 335. & 364.
Olim . 172.
Orthodoxæ . 44. 239. & 285.
Pastoralis . 33. 46. 49. 93. 97. 97. 244. & 268.
Paterna . 132. 230. & 278.
Piis Christifidelium . 202.
Placuit . 162.
Præclara . 79. 187. 248. 249. 251. 282. & 283.
Quæ inter . 20.
Quod jam pluries . 349.
Redemptoris . 126. & 277.
Regiminis . 52.
Religiosorum . 294.
Romanus Pontifex . 86. 211. 212. 304. & 351.
Sacrosancti . 23. 91. 99. 102. 136. 180. & 219.
Sanctæ Matris . 236.
Sedes Apostolica . 342.
Sincera . 208.
Sollicitudo . 71. 76. 125. 146. & 344.
Speculatores . 355.
Super universas . 37.

CON-

I AN. CH. 1664.

CONSTITUTIONES ALEXANDRI VII. ANNO DECIMO.

CDLXXI.

Ex Regest. in Secret. Brev. Attestatur Excellentissimum D. Principem Marium Chisium Fratrem S.S. ac Capitaneum Generalem S. R. E. vere innocentem esse in omnibus illis, quæ die 20. Augusti 1662. contigerunt in Alma Urbe &c.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Proœmium. UM dilectus filius Nobilis Vir Marius Chisius Princeps Terræ Campaniani noster secundum carnem Frater germanus, totiusque nostræ, & S.R.E. Militiæ tam equestris, quam pedestris Capitaneus, & Gubernator Generalis circa attentatum die 20. Augusti 1662. in Alma Urbe nostra contra dilectum filium Nobilem Virum Ducem Crequium pro charissimo in Christo filio nostro Ludovico Rege Christianissimo apud Nos, & Sedem Apostolicam Oratorem a Militibus Corsis in eadem Urbe tunc existentibus commissum testatus fuerit, ut infra videlicet.

Io Mario Chigi attesto in fede di Cavaliere di non aver avuta parte alcuna nell'attentato commesso da' Soldati Corsi contro il Sig. Duca di Crequi Ambasciatore di Sua Maestà Cristianissima in Roma, e che averei creduto di fare un'azzione detestabile, e contraria alla mia nascita, ed alla mia condizione, se vi avessi pur pensato, e perciò ho scritta, e sottoscritta la presente di mia propria mano. In Roma questo di 18. Aprile 1664. Io Mario Chigi.

Attestatio Pontificis. §. 1. Nos veritati testimonium perhibere, simulque conventis, & promissis pro parte nostra per tractatum concordiæ inter nostrum, & dicti Ludovici Regis Plenipotentiarios die 12. Februarii proxime præteriti Pisis conclusum, & subinde tam a Nobis, quam ab eodem Ludovico Rege ratificatum satisfacere volentes, eumdem Marium Principem in omnibus illis, quæ dicta die 20. Augusti 1662. contigerunt omnino inscium, atque vere innocentem esse harum serie attestamur.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 26. Aprilis 1664. Pontificatus nostri Anno X. Dat. die 26. Aprilis 1664. An. X.

CDLXXII.

Absolutio amplissima ab omnibus excessibus, & delictis in Civitate Avenionen., & Comitatu Venayssino commissis occasione, & prætextu casus die 20. Augusti in Urbe commissi. Ex Regest. in Secret. Brev.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium. ASsidua cordis nostri meditatio paternam charitatem nostram ad id præcipue convertit, & sollicitat, ut nostrorum, & Apostolicæ Sedis etiam in temporalibus subditorum quieti, securitati, & indemnitati, quantum Nobis ex alto conceditur, prospicere jugiter studeamus.

Tractatus concordiæ cum Plenipot. Regis Christianiss. §. 1. Quoniam itaque in tractatu concordiæ nuper videlicet, die 12. Februarii proxime præteriti inter nostrum ex una, & charissimi in Christo filii nostri Ludovici Regis Christianissimi Plenipotentiarios ex altera partibus Pisis concluso, & stabilito, ac subinde tam a Nobis, quam a dicto Ludovico Rege ratificato inter alia, nempe articulo 14. ipsius tractatus conventum fuit, quod idem Ludovicus Rex immediate postquam dilectus filius noster Flavius tituli Sanctæ Mariæ de Populo S.R.E. Presbyter Cardinalis Chisius nuncupatus noster secundum carnem, ex Fratre germano nepos, quem nostrum, & dictæ Sedis Apostolicæ Legatum ad dictum Ludovicum jam deputavimus, in conspectum Regium venerit.

A Nos,

INDEX INITIALIS BULLARUM HUJUS VOLUMINIS.

AD pastoralis . pag. 30. 54.
Ad pastorale . 18. 264. 270.
Alias emanavit . 135.
Alias emanarunt . 104. 243.
Alias felicis . 347.
Alias Nobis . 96.
Alias piæ memoriæ . 189.
Alias pro parte . 15. 77. 86. 90. 164. 173. 208. 215. & 323.
Alias propositis . 224.
Animarum . 312.
Assidua cordis . 1.
Augustissimæ . 197.
Circumspecta . 257.
Circumspectionis . 6.
Commissæ . 133.
Commissi . 20. & 339.
Constantis . 229. & 333.
Controversiam . 43.
Crediti . 307.
Creditæ . 141. 194. 198. 203. 237. & 252.
Cum ad aures . 73.
Cum alias . 53.
Cum a prima . 237.
Cum Congregatio . 360.
Cum dilectus . 11.
Cum dilecti . 111. & 302.
Cum felicis . 199. 241. & 358.
Cum Nos. 129. 160. 298. 299. 305. 311. 321. 332. 335.
Cum noviter . 111.
Cum sicut. 40. 48. 79. 145. 207. 324. 326. 341. 361.
Cupientes . 129.
Decet . 134.
Debitum . 186. 193. 200. & 254.
De salute . 296.
Dilectos filios . 175.
Dudum emanarunt . 364.
Dudum felic. 263. 276. & 303.
Dudum pro parte . 150.
Ecclesia Catholica . 113.
Ecclesiæ . 300.
Egregia . 83.
Egregiis . 238.
Emanavit . 133.
Et si Nobis . 143.
Exigit . 217.
Eximia . 328.
Ex injuncti . 80. 89. 106. & 337.
Ex injuncto . 328. 330. 359. & 362.
Exponi Nobis. 16. 17. 21. 22. 28. 39. 47. 72. 74. 81. 82. 83. 92. 97. 140. 151. 152. 159. 216. 217. 223. 227. 234. 255. 269. 281. 301. 322. 331. & 350.
Felici . 34.
Grata . 290.
Illius, qui charitas . 30. & 209.
Illius qui visitat . 40.
In Congregatione . 84. & 110.
Indulgentias . 280.
In excelsa . 357.
In hoc primo . 184.
In ipsis . 348.
Injunctæ . 214. & 329.
Injuncti . 252. & 267.
In sublimi . 100.
In supereminenti . 288.
In supremo . 14. 94. 199. 127. 266. & 315.
Justis . 222.
Laudabilia . 11.
Licet alias . 161.
Magnis causis . 29.
Militantis . 38. 108. & 203.
Nos volentes . 165. & 175.
Nuper emanarunt . 204.
Nuper Nos . 334.
Nuper pro parte . 12. 13. 47. 142. 182. 225. 226. 335. & 364.
Olim . 172.
Orthodoxæ . 44. 239. & 285.
Pastoralis . 33. 46. 49. 93. 97. 97. 244. & 268.
Paterna . 132. 230. & 278.
Piis Christifidelium . 202.
Placuit . 162.
Præclara . 79. 187. 248. 249. 251. 282. & 283.
Quæ inter . 20.
Quod jam pluries . 349.
Redemptoris . 126. & 277.
Regiminis . 52.
Religiosorum . 294.
Romanus Pontifex . 86. 211. 212. 304. & 351.
Sacrosancti . 23. 91. 99. 102. 136. 180. & 219.
Sanctæ Matris . 236.
Sedes Apostolica . 342.
Sincera . 208.
Sollicitudo . 71. 76. 125. 146. & 344.
Speculatores . 355.
Super universas . 37.

CON-

I AN. CH. 1664.

CONSTITUTIONES ALEXANDRI VII. ANNO DECIMO.

CDLXXI.

Ex Regest. in Secret. Brev. Attestatur Excellentissimum D. Principem Marium Chisium Fratrem S.S. ac Capitaneum Generalem S. R. E. vere innocentem esse in omnibus illis, quæ die 20. Augusti 1662. contigerunt in Alma Urbe &c.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Proœmium. UM dilectus filius Nobilis Vir Marius Chisius Princeps Terræ Campaniani noster secundum carnem Frater germanus, totiusque nostræ, & S.R.E. Militiæ tam equestris, quam pedestris Capitaneus, & Gubernator Generalis circa attentatum die 20. Augusti 1662. in Alma Urbe nostra contra dilectum filium Nobilem Virum Ducem Crequium pro charissimo in Christo filio nostro Ludovico Rege Christianissimo apud Nos, & Sedem Apostolicam Oratorem a Militibus Corsis in eadem Urbe tunc existentibus commissum testatus fuerit, ut infra videlicet.

Io Mario Chigi attesto in fede di Cavaliere di non aver avuta parte alcuna nell'attentato commesso da' Soldati Corsi contro il Sig. Duca di Crequi Ambasciatore di Sua Maestà Cristianissima in Roma, e che averei creduto di fare un'azzione detestabile, e contraria alla mia nascita, ed alla mia condizione, se vi avessi pur pensato, e perciò ho scritta, e sottoscritta la presente di mia propria mano. In Roma questo di 18. Aprile 1664. Io Mario Chigi.

Attestatio Pontificis. §. 1. Nos veritati testimonium perhibere, simulque conventis, & promissis pro parte nostra per tractatum concordiæ inter nostrum, & dicti Ludovici Regis Plenipotentiarios die 12. Februarii proxime præteriti Pisis conclusum, & subinde tam a Nobis, quam ab eodem Ludovico Rege ratificatum satisfacere volentes, eumdem Marium Principem in omnibus illis, quæ dicta die 20. Augusti 1662. contigerunt omnino inscium, atque vere innocentem esse harum serie attestamur.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 26. Aprilis 1664. Pontificatus nostri Anno X. Dat. die 26. Aprilis 1664. An. X.

CDLXXII.

Absolutio amplissima ab omnibus excessibus, & delictis in Civitate Avenionen., & Comitatu Venayssino commissis occasione, & prætextu casus die 20. Augusti in Urbe commissi. Ex Regest. in Secret. Brev.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium. ASsidua cordis nostri meditatio paternam charitatem nostram ad id præcipue convertit, & sollicitat, ut nostrorum, & Apostolicæ Sedis etiam in temporalibus subditorum quieti, securitati, & indemnitati, quantum Nobis ex alto conceditur, prospicere jugiter studeamus.

Tractatus concordiæ cum Plenipot. Regis Christianiss. §. 1. Quoniam itaque in tractatu concordiæ nuper videlicet, die 12. Februarii proxime præteriti inter nostrum ex una, & charissimi in Christo filii nostri Ludovici Regis Christianissimi Plenipotentiarios ex altera partibus Pisis concluso, & stabilito, ac subinde tam a Nobis, quam a dicto Ludovico Rege ratificato inter alia, nempe articulo 14. ipsius tractatus conventum fuit, quod idem Ludovicus Rex immediate postquam dilectus filius noster Flavius tituli Sanctæ Mariæ de Populo S.R.E. Presbyter Cardinalis Chisius nuncupatus noster secundum carnem, ex Fratre germano nepos, quem nostrum, & dictæ Sedis Apostolicæ Legatum ad dictum Ludovicum jam deputavimus, in conspectum Regium venerit.

A Nos,

Sequitur ut in Rubrica.

§.2. Nos, & Sanctam Sedem Apostolicam in possessionem Civitatis Avenionen., & Comitatus Venayssini nostrorum cum omnibus illorum pertinentiis, & membris reponet, ac omnia acta, arresta, & alia quæcumq; a Curia Parlamenti Aquensis circa hoc negocium facta cassari, & annullari curabit, sublato omni impedimento ad hoc, ut eadem Sancta Sedes illis sicut prius frui possit; quodque Habitatores Civitatis Avenionen., & Comitatus Venayssini præfatorum cujuscumque Status, qualitatis, conditionis, & sexus existant, tam Ecclesiastici, quam Laici nobiles, & plebei, non excepta ulla persona, quæ sit originaria ex dicta Civitate, vel Comitatu, aut illic domicilium contraxerit, vel ibidem bona Stabilia, vel Mobilia, Feuda, vel Allodialia possideat, non molestabuntur, requirentur, nec inquirentur sub quocumque prætextu de iis omnibus, quæ secuta sunt in eidem Civitate, & Comitatu a die 20. Augusti 1662. usque ad dictum tempus, quo memoratus Ludovicus Rex Nos, & Sanctam Sedem præfatam in possessionem Civitatis, & Comitatus præfatorum reponet; Et ipsi Habitatores plena, pacifica, & tranquilla securitate gaudebunt vigore, & beneficio dicti Tractatus; Quodque Nos daturi simus bona fide, & absque ulla reservatione tacita, vel expressa omnes Ordines, Edicta, Declarationes, & assicurationes, quæ præfatus Ludovicus Rex desideraverit, ad hoc ut dicti Cives Avenionenses, ac Incola totius Comitatus præfati directe, vel indirecte, virtualiter, vel expresse sub clausulis in principio dicti Articuli appositis comprehensi tam Avenionen., & aliarum Civitatum dicti Comitatus, quam Communitatum, Oppidorum, Castellorum, & aliorum locorum subalternorum illius non possint accipere ab Officialibus nostris ullam molestiam, pœnam, & condemnationem sive judicialem, sive extrajudicialem nec in bonis, nec in personis, in odium ultionem, seu vindictam omnium illorum, quæ in dictis Civitate, Avenionen., & Comitatu facta, & secuta sunt in consequentiam casus die 20. Augusti 1662. in hac Alma Urbe secuti; ac demum, quod in executionem omnium conditionum supra narratarum Nos daturi simus supradictas expeditiones in meliori, & magis authentica forma, quam memoratus Ludovicus Rex necessaria existimaverit pro securitate, & indemnitate dictorum Habitatorum Avenionis, totiusque Comitatus, ut supra, & alias prout in dicto Tractatu, cujus tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, continetur.

Confirmit Pont quiquid per suos Plenipotentiarios statutum est.

§.3. Hinc est, quod Nos, sicut præfatum Ludovicum Regem omnibus illis, quæ ejus nomine, sicut præmittitur, promissa, & per eum ratificata fuerunt, Regia Fide satisfacturum certo Nobis pollicemur, ita quoque conventa pro parte nostra sincere, Pontificiaque Fide, a comui animi promptitudine adimplere volentes, ac paternam nostram erga nostros, & Apostolicæ Sedis Subditos charitatem, & benignitatem demonstrare cupientes, necnon omnium, & singulorum Civium, Habitatorum, Originariorum, & Incolarum Civitatis Avenionen., & Comitatus Venayssini nostrorum præfatorum, ac ibidem domiciliariorum, & bona Stabilia, & Mobilia, Feuda, vel Allodialia illic quomodolibet possidentium, tam Ecclesiasticorum, quam Laicorum utriusque Sexus nomina, cognomina, qualitates, statum, denominationes, nuncupationes, munera, officia, titulos, gradus, præeminentias, & dignitates tam Ecclesiasticas, Seculares, & Regulares, quam mundanas, bonorumque hujusmodi quantitates, naturas, situationes, vocabula, confines, ac veros etiam annuos valores, omniumque singulorum, quæ in eisdem Civitate Avenionen., & Comitatu Venayssino, ac illorum respective suburbiis, dependentiis, Oppidis, Castellis, Terris, Civitatibus, & Locis quibuscumque in consequentiam casus præfati die 20. Augusti 1662. in hac Alma Urbe secuti abinde citra quovis modo, etiam contra nostram, & d. Sedis Majestatem, & Supremam Potestatem, auctoritatem, & jurisdictionem ecclesiasticam, & temporalem, debitamque Nobis, & eidem Sedi obedientiam, subjectionem, observantiam, & reverentiam, ac in spretum, vilipendium, damnum, injuriam, & contumeliam Vice-Legati, Gubernatorum, Locumtenentium, Auditorum, Judicum, Apparitorum, Militum, Officiariorum, aliorumve quorumlibet nostrorum, & dictæ Sedis Ministrorum acta, facta, gesta, & attentata fuerunt hactenus, quæque in futurum usque ad restitutionem naturalis possessionis Civitatis Avenionen., & Comitatus Venayssini nostrorum præfatorum, Nobis, & dictæ Sedi Apostolicæ a memorato Ludovico Rege, ut præfertur faciendam quomodolibet agi, fieri, geri, vel attentari contigerit, seriem, qualitates, causas, occasiones, & circumstantias quascumque, etiam factum ipsum quomodocumque, & qualitercumque, ac quantumcumque aggravantes, mutantes, & alterantes, ac etiam læsæ Majestatis etiam in primo capite, seditionis, rebellionis, conspirationis, vis publicæ, & armatæ, aliave quæcumque crimina, & delicta quantumlibet atrocia, & enormia, ac gravissima, & enormissima importantes, seu inducentes, & alia quæcumque, etiam specialem, & individuam mentionem, & expressionem requirentia, etiamsi talia sint, ut nisi nominatim, & sigillatim enumerentur sub quacumque generali, & generalissima expressione etiam in favorabilibus non veniant, nec comprehensa censeantur, presentibus pro plenissime, & sufficientissime, ac sigillatim, & nominatim, accuratissimeque, & nihil penitus omisso expressis, annotatis, specificatis, & enumeratis habentes, & semper haberi debere decernentes.

Motu

Et absolutionem ab omnibus delictis ac occasione patratis concedit.

§.4. Motu proprio, ac ex certa scientia nostra, & matura deliberatione, meraque liberalitate nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine omnes, & singulos Cives, Habitatores, originarios, domiciliarios, & Incolas Civitatis Avenionen., & Comitatus Venayssini nostrorum præfatorum, ac bona stabilia, mobilia, feudalia, & allodialia in eis quomodolibet possidentes tam Ecclesiasticos, Seculares, & Regulares, quam Laicos cujuscumque status, sexus, gradus, Ordinis, Congregationis, Societatis, vel Instituti, militiæ, dignitatis tam Ecclesiasticæ, etiam Archiepiscopalis, & Episcopalis, quam temporalis, seu mundanæ, præeminentiæ, prærogativæ, & conditionis existant, necnon Civitatis Avenionen., & Comitatus Venayssini hujusmodi, illorumque respective Suburbiorum, Oppidorum, Terrarum, Civitatum, Locorum, pertinentiarum, & dependentiarum quarumcumque Communitates, Universitates, & Homines, Consules, Priores, Rectores, Viguerios, Gubernatores, Vicarios, Apparitores, Barisellos, Satellites, Notarios, Scribas, Actuarios, Graphiarios, Tabelliones, aliosve quoslibet Officiales, & Ministros quomodocumque nuncupatos, ac Marchiones, Comites, Barones, Magnates, Optimates, Illustres, Nobiles, Domicellos, Patritios, & quovis titulo, & prærogativa insignitos, qui in consequentiam, seu occasione, obtentu, vel prætextu casus supradicti die 20. Augusti 1662. in hac Alma Urbe secuti abinde citra usque ad presentem diem quomodocumque, & qualitercumque, & quantiscumq; vicibus etiam adversus nostram, & dictæ Sedis Apostolicæ Majestatem, dignitatem, Supremum Dominium, potestatem, auctoritatem, & jurisdictionem ecclesiasticam, & temporalem, debitamque, ac etiam juratam Nobis, & eidem Sedi fidelitatem, obedientiam, subjectionem homagium, fidem observantiam, & reverentiam, necnon in spretum, contemptum, vilipendium, damnum, injuriam, & contumeliam Vice-Legati, Gubernatorum, Magistratuum, aliorumque Officiariorum, & Ministrorum nostrorum præfatorum, seu alicujus eorum, sive pro subvertendo, turbando, mutando, vel alterando antiquo regimine, & gubernio Civitatis Avenionen., & Comitatus Venayssini, aliarumque Civitatum, Oppidorum, Terrarum, & Locorum prædictorum aliquid etiam gravissimum, & atrocissimum fecerunt, egerunt, gesserunt, commisserunt, perpetrarunt, dixerunt, machinati sunt, & attentarunt, seu fieri, agi, geri, committi, perpetrari, dici, machinari, & attentari curarunt, vel permiserunt, aut aliis similia facientibus, machinantibus, & attentantibus auxilium, consilium, favorem, auctoritatem, opem, subsidium, vel adminiculum publice, vel occulte, directe, vel indirecte tam conjunctim, quam divisim, & alias quomodolibet præstiterunt, vel illis obtemperarunt, & obsecuti sunt, a præmissis omnibus, & singulis delictis, reatibus, & criminibus, etiam læsæ Majestatis in quocumque capite etiam primo, rebellionis, seditionis, conspirationis, ac vis publicæ, & armatæ, & injuriæ Principi, Magistratibus, Jurisdictioni, & personis publicis in nostra, & dictæ Sedis tutela, & salvaguardia existentibus quomodolibet illatæ, aliisve quibuslibet excessibus quantumcumq; gravibus, atrocibus, & enormibus, ac gravissimis, atrocissimis, & enormissimis, ex præmissis, seu eorum aliquo qualitercumque, & quomodocumque resultantibus, & consurgentibus, atque inde resultare, & consurgere prætendi, censeri, vel intelligi, seu induci quovis modo possent, etiam quantumlibet continuatis, & iteratis, necnon excommunicationis latæ sententiæ, suspensionis, & interdicti, aliisque sententiis, & censuris, ac etiam capitis, & ultimi supplicii, læsæque Majestatis, rebellionis, & aliorum criminum, & delictorum hujusmodi, ac amissionis privilegiorum, gratiarum, & indultorum a dicta Sede Apostolica concessorum, privationis, confiscationis, publicationis, caducitatis, & devolutionis quorumcumque Titulorum, Honorum, Insignium, Dignitatum, Ecclesiarum, Monasteriorum, Beneficiorum, Munerum, Officiorum, Castrorum, Terrarum, Villarum, Casalium, Prædiorum, Possessionum, Domorum, Palatiorum, Censuum, locorum Montium, Societatum, Officiorum, Fidecommissorum, Substitutionum, Primogeniturarum, Majoricatuum, fructuum, emolumentorum, creditorum, rerum, jurium, & actionum, aliorumque bonorum tam mobilium, quam immobilium, dominiorum, feudorum, etiam Ecclesiasticorum, & jurisdictionalium, merumque, & mixtum Imperium, gladii potestatem, Vassallagia, & alia regalia habentium, ac allodialium, & emphyteuticorum cujuscumque quantitatis, & qualitatis existentium, tam de presenti, quam in futurum quomodolibet, & qualitercumque, & ex quavis causa competentium, aliisque tam corporis afflictivis, quam bonorum districtivis, exteriscq; tam spiritualibus, quam temporalibus pœnis a jure, vel ab homine, ac etiam per quascumque Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum, & nostras Constitutiones, ordinationes, & sanctiones, nec non leges publicas, Edicta, Bannimenta, & Decreta quælibet etiam Cameralia, & Consistorialia etiam contra perjuros, fidelitatisque debitæ, & juratæ Violatores, & alias quomodolibet inflictis, & impositis, quas propter omnia, & singula præmissa, illorumque, seu alicujus eorum causa, & occasione quovis modo incurrerunt, aut incurrisse dici, censeri, prætendi, intelligi, vel allegari possent, quasque pati, & luere deberent, etiamsi majores supra expressis, & quantumcumque graves forent, specialemque, & individuam notam, & expressionem requirerent, ac etiamsi ipsi, vel eorum aliqui aliæ similia, vel dissimilia,

milia, etiam graviſſima, & ſupradictis graviora crimina, delicta, & exceſſus commiſſerint, & deſuper abſolutionem, & gratiam ſemel, iterum, & pluries etiam a Nobis, & dicta Sede obtinuerint tenore præſentium in utroque foro pleniſſime abſolvimus, penituſque, ac omnino, & totaliter liberamus.

Necnon ab incurſu cenſurarum.

§.5. Quinimo illos omnes, & ſingulos ab incurſu cenſurarum, & pœnarum hujuſmodi ex cauſa, & ratione continuationis, & iterationis, novæque commiſſionis, & perpetrationis ſimilium, vel diſſimilium exceſſuum, criminum, & delictorum, quæ per eos, ſeu eorum aliquem uſque ad diem, quo memoratus Ludovicus Rex nos & Sanctam Sedem Apoſtolicam præfatam in poſſeſſionem Civitatis Avenionen. & Comitatus Venayſſini noſtrorum præfatorum ſicut præmittitur, reponet, communiter, vel diviſim, & alias quovis modo, & qualitercumque continuari, repeti, & iterari, ac de novo quantiſcumque vicibus committi perpetrari, vel attentari contigerit, præſervamus, ac præſervatos, illiſos; nullatenus obnoxios, atque ex nunc prout ex tunc, & e contra reſpective abſolutos, & pleniſſime liberatos eſſe, & fore decernimus, & declaramus, omneſque, & ſingulas culpas, reatus, exceſſus, delicta, crimina, circumſtantias, & pœnas hujuſmodi illis, & eorum cuilibet gratioſe remittimus, & condonamus.

Ex in priſtinum ſtatum ea in quæstes reponit.

§.6. Ac illos omnes, & ſingulos ad priſtinam famam, ſtatum, honores, titulos gradus, dignitates etiam Eccleſiaſticas, Monaſteria etiam conſiſtoralia, Beneficia, privilegia, gratias, & Indulta Apoſtolica, prærogativas, præeminentias, Caſtra, Terras, Villas, Caſalia, Prædia, Poſſeſſiones, Domos, Palatia, Cenſus, Loca Montium, Societates officiorum, mobilia, immobilia, feuda allodialia, & alia bona quæcumque etiam jurisdictionalia, ac emphyteutica, & Eccleſiaſtica, necnon juriſdictiones, dominia, Vaſſallos, & alia regalia, jura, officia, etiam Eccleſiaſtica, munera, credita, res, & actiones, fideicommiſſa tam purificata, quam purificanda, ſubſtitutiones, donationes, primogenituras, majoratus, proprietates, fructus tam hactenus, ſeu medio tempore decurſos, quam decurſuros, & quæcumque alia ad ipſos, & eorum quemlibet ſpectantia eiſq; & eorum cuilibet undecumque, & quomodocumque competentia, & debita ad hoc, ut ipſi omnes, & ſinguli præmiſſa omnia, & ſingula, ut prius habere, poſſidere, retinere, adminiſtrare, & de illis diſponere, illorumque fructus, jura, obventiones, & emolumenta quæcumque percipere, exigere, levare, ac in ſuos uſus, & utilitatem convertere, necnon privilegiis, indultis, prærogativis, præeminentiis, facultatibus, conceſſionibus, & aliis gratiis tam ſpiritualibus, quam temporalibus ſibi reſpective quomodolibet conceſſis, & competentibus uti, frui, potiri, & gaudere libere, & licite valeant, ac denique in priſtinum, & eum in quo ante dictam diem 20. Auguſti 1662. quomodolibet erant; ſique omnia, & ſingula ſubinde ſequuta nullatenus contigiſſent quovis modo reperirentur ſtatum in omnibus, & per omnia, ac quoad omnia perinde acſi de præmiſſis nunquam cogitaſſent reſtituimus, reponimus, & plenarie reintegramus, ac reſtitutos, repoſitos, & plenarie reintegratos eſſe volumus, pariterque decernimus, & declaramus: necnon omnem, & quamcumque, & qualemcumque inhabilitatis, & infamiæ tam juris, quam facti, ac irregularitatis, & aliam quamlibet maculam, ſive notam ex præmiſſis quomodolibet inſurgentem. vel contractam ab ipſis omnibus, & ſingulis reſpective penitus, & omnino tollimus, abſtergimus, & abolemus, ac per præmiſſa eorum omnium, vel ſingulorum ſtatui, honori, famæ, titulis, dignitatibus, Eccleſiis, Monaſteriis, Beneficiis, officiis juriſdictionibus, dominiis, regalibus, feudis allodialibus, inveſtituris, Majoratibus, primogenituris, fideicommiſſis, ſubſtitutionibus, rebus, fructibus, cæteriſque bonis mobilibus, & ſtabilibus, privilegiis, gratiis, & indultis Apoſtolicis, ac juribus, & aliis præfatis nullum omnino præjudicium etiam minimum illatum, exortum, vel induſtum, nec aliquod jus Fiſco noſtro, vel Cameræ noſtræ Apoſtolicæ, ſeu cuicunque alteri in illis, vel ad illa acquiſitum, aut in alios translatum fuiſſe, nec eſſe, nec unquam fore decernimus ſimiliter, & declaramus.

Nec ullo unquam tempore de patratis a delinquentibus inquiri jubet.

§.7. Volentes, & ſtatuentes præfatos omnes, & ſingulos nullo unquam tempore ſuper præmiſſis, ſeu eorum aliquo, vel aliquibus, etiam hic minus plene, & ſufficienter ſpecificatis, & expreſſis, ac etiam penitus occultis, illorumque dependentibus, annexis, & connexis, ac inde ſequutis, & ſequuturis quibuſcumque, eorumque cauſa, occaſione, & ratione quovis prætextu, & quæſito colore, aut ingenio capi, carcerari, inquiri, accuſari, denunciari, quærelari, arreſtari, interrogari, vel examinari, aut alias in eorum perſonis, feudis, allodialibus bonis mobilibus, & ſtabilibus, privilegiis, gratiis, & indultis, juribus, & rebus quibuslibet, aliiſque ſupra expreſſis, civiliter, criminaliter, vel mixtim, aut alias quomodolibet directe, vel indirecte, publice, vel occulte conjunctim, vel diviſim perturbari, moleſtari, vexari, inquietari, aut impediri a quibuſvis Judicibus, & perſonis quacumque auctoritate, & poteſtate fungentibus, & functuris, etiam S.R.E. Cardinalibus, & ſacro illorum Collegio poſſe, neque debere - Et nihilominus omnibus, & ſingulis Legatis, Vicelegatis, Gubernatoribus, Judicibus, Barigellis, Capitaneis, cæteriſque Juſtitiæ Miniſtris præſentibus, & futuris tam Urbis, & Civitatis Avenionen. ac Comitatus Venayſſini præfatorum quam univerſi Status Eccleſiaſtici Nobis mediate vel immediate ſubjecti, etiam ejuſd. S.R.E. Cardinalibus, eorumque Collegio, ac quibuſcumque aliis perſonis intereſſe quomodolibet habentibus, & habere prætendentibus, ne aliquid in perſonas, Feuda, allodialia, res, vel bona mobilia, & ſtabilia jura, aliaque ſupradicta omnium, & ſingulorum præfatorum, aut alias quidquam aliud in eorum, ſeu cujuslibet eorum præjudicium contra tenorem præſentium facere, vel attentare quoquo modo audeant, ſeu præſumant, diſtrictius inhibemus, & præcipimus, ac illis omnibus, & ſingulis, necnon etiam Fiſco noſtro, ipſiuſque Fiſci Procuratori perpetuum deſuper ſilentium harum ſerie imponimus, oſque occludimus.

Imo quaſcumque proceſſus occaſione præmiſſorum irritat.

§.8. Ac quaſcumq; informationes, inquiſitiones, relationes, examina, & proceſſus, aliaque acta, ſive judicialia, ſive extrajudicialia, ſi quæ contra præfatos omnes, & ſingulos occaſione, vel cauſa præmiſſorum, ſeu alicujus eorum, ac inde ſequutorum, & ſequuturorum, ſeu dependentium quorumcumque per quoſcumque Legatos, Vice-Legatos, Præſidentes, Gubernatores, Auditores, Judices, & alios quoslibet noſtros, & Sedis præfatæ Officiales, & Miniſtros quacumque auctoritate, & poteſtate fungentes ubicumque, & quandocumque facta, formata, & fabricata fuerint, caſſamus, irritamus, & annullamus, viribuſque, & effectu penitus, & omnino vacuamus, ac ab omnibus, & ſingulis, ad quos ſpectat, & pertinet, ſeu ſpectabit quovis modo in futurum, de libris, notis, & ſcripturis, in quibus aliqua illorum mentio facta reperiatur, omni mora, & contradictione, ſeu tergiverſatione remota, confeſtim caſſari, deleri, & aboleri, & ex nunc pro caſſatis, deletis, abolitis, annullatis, irritis, viribuſque, & effectu vacuis penitus, & omnino haberi, & cenſeri volumus, & mandamus, illiſque nullam prorſus fidem in judicio, vel extra illud ubicumque haberi perinde acſi nunquam emanaſſent, aut extitiſſent, omneſque. & ſingulos præfatos ad verificanda præmiſſa, aut ea, vel illorum aliqua, eorumque cauſas, loca, tempora, qualitates, & circumſtantias in judicio, vel extra illud exprimenda, vel revelanda nullatenus teneri, neque ad id nullo unquam tempore invitos cogi, vel compelli poſſe, ſolaſque præſentes literas ad probationem, verificationem, & juſtificationem omnium, & ſingularum gratiarum præmiſſarum ſufficere, nec alterius probationis adminiculum ad hoc requiri, ipſaſque præſentes literas etiam ex eo, quod motu proprio emanaverint, nec Fiſci noſtri Procurator, & Cameræ noſtræ Apoſtolicæ Commiſſarius Generalis, aliique noſtri, & dictæ Sedis Officiales, & Miniſtri, cæterique deſuper intereſſe habentes, ſeu habere prætendentes ad præmiſſa vocati, citati, & auditi fuerint, neque cum eis concordatum extiterit, ipſique ad id non conſenſerint, ſeu quod non ſic, ſed aliter factum ſe habuerit, & præmiſſa cum eorum circumſtantiis, & qualitatibus etiam quantumcumque aggravantibus, tam perſonarum, quam rerum, temporum, & locorum aliove quovis reſpectu expreſſa, & ſpecificata non ſint, & ex quibuſvis aliis cauſis quantumvis legitimis, & juridicis, ac ex quocumque prætextu, titulo, & capite, etiam in corpore juris clauſo de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtræ, vel quopiam alio quantumlibet magno, ſubſtantiali for. mali, incogitato, & inexcogitabili defectu notari, impugnari, redargui, infringi, retractari, limitari, modificari, reſcindi, annullari, ad terminos juris reduci, vel adverſus illas aperitionis oris, reſtitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, ſeu etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus concedi, aut ita conceſſo quempiam in judicio, vel extra illud uti nullatenus unquam poſſe, minuſque eaſdem præſentes literas ſub quibuſvis ſimilium, vel diſſimilium gratiarum revocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, vel aliis contrariis diſpoſitionibus etiam per Nos, & Romanos Pontifices Succeſſores noſtros, Sedemque præfatam ſub quibuslibet verborum tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis clauſulis, & decretis quandocumque faciendis comprehendi, aut comprehenſas cenſeri, ſed ſemper ab illis exceptas, & quoties illæ emanaverint, toties in priſtinum, firmiſſimumque, & validiſſimum, eumque in quo antea quomodolibet erant ſtatum reſtitutas, repoſitas, & plenarie reintegratas, & de novo etiam ſub quacumque poſteriori data per eos, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, eorumve quemlibet quandocumque eligenda conceſſas intelligi, perpetuoque valjdas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac inviolabiliter, & inconcuſſe obſervari, omnibuſque, & ſingulis præfatis, ut ſupra in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari,

Ab omnibus Judicibus ſecundum præſentium literarū tenorem judicari mandat.

§.9. Necnon in eventum, quo ſuper præmiſſis, aut eorum aliqua parte, ambiguitatem, controverſiam, dubium, litem, vel contentionem judicialiter, vel extrajudicialiter oriri, vel moveri contigerit, ſemper ad omnium, & ſingulorum præfatorum commodum, utilitatem, & favorem reſolvi, decidi, decerni, & interpretari; Sicque, & non aliter in omnibus, & ſingulis præmiſſis per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, ipſorumque Cardinalium Collegium, necnon Camerarium, ſeu Pro-Camerarium, Theſaurarium Generalem, Præſidentes, Clericos, & Commiſſarium Generalem, Vice-Legatos, Rectores, Gubernatores, alioſve quoslibet Sedis, & Cameræ præfatarum Officiales, & Miniſtros, quacumque præeminentia, auctoritate, & poteſtate prædictos ſuffultos, & fungentes, ac quandocumque functuros, ſublata eis, & eorum

eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane quidquid secus super his per quoscumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus, pariter, & declaramus.

Derogat contrariis.

§.10. Non obstantibus omnibus, & singulis præmissis, ac fel. rec. Pii IV., & Pii V. Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum, quibus cavetur hujusmodi gratias, seu ablolutiones non valere nisi reis constitutis in carceribus, necnon ejusdem Pii IV. Prædecessoris de gratiis qualecumque intereſſe Cameræ Apostolicæ præfatæ quomodolibet concernentibus in eadem Camera intra certum inibi expressum tempus præsentandis, registrandis, seu insinuandis, itaut præsentes literæ etiamsi in ipsa Camera, vel in quovis alio Tribunali, aut loco nunquam præsententur, registrentur, aut insinuentur, nihilominus valeant, firmissimeque subsistant, ac omnibus, & singulis præfatis, quos concernunt plenissime, ac amplissime suffragari debeant, aliisque dicti Pii IV. & rec. mem. Julii III., Gregorii XIII., & Sixti V. Romanorum Pontificum Prædecessorum pariter nostrorum, & præsertim ejusdem Sixti Prædecessoris, quæ incipiunt: *Hoc nostri Pontificatus &c.* sub dat. Kalendas Julii 1585., & *Dum pro commissi &c.* sub dat. 11. Kal. Martii 1588. respective emanatis, necnon nostris, & Cancellariæ Apostolicæ Regulis, præcipue illa de non tollendo jure quæsito, cæterisque quibuslibet Apostolicis, ac in Universalibus, provincialibusque, & synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, legibus quoque etiam imperialibus, & municipalibus, Edictis, Bannimentis, stabilimentis, ac Decretis etiam Cameralibus, & Consistorialibus, Cameræque, & Civitatis Avenionen., & Comitatus Venayssini præfatorum, aliorumve quorumvis locorum, & aliis quibuslibet etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, eorumque reformationibus, & novis additionibus, stylis, usibus, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque indultis, & Literis Apostolicis etiam Civitati Avenionen., Comitatui Venayssino, ac Fisco, & Cameræ præfatis, eorumque Officialibus, & Ministris, aliisque quibuslibet personis, & locis per quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores nostros, ac per Nos, & Sedem præfatam etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, ac etiam consistorialiter, & alias quomodolibet sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie, ac alias in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis, & sæpius innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil pœnitus omisso insererentur, præsentibus pro expressis, ac sufficienter specificatis, & insertis, formasque in illis traditas pro servatis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum harum serie specialiter, & expresse, ac latissime, & plenissime derogamus, ac derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§.11. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra illud habeatur, quæ præsentibus ipsis haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 16. Aprilis 1664. An. X.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris die vigesimasexta Aprilis 1664. Pontificatus nostri Anno X.

CDLXXIII.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Revocatio, & annullatio Mandatorum, & Præceptorum D. Cardinali Maidalchino factorum, ut extra Urbem habitaret, seque in loco, seu locis determinatis contineret cum absolutione propter transgressionem mandatorum hujusmodi, suumque è Stato Ecclesiastico egressum, & restitutione ad quæcumque privilegia, cum decreto, quod ejus familiares, qui consilio, scriptura, vel opera casui die 20. Augusti 1662. in Urbe secuto, & ipsius D. Card. egressui præfato molestari non possint.

Dilecto filio nostro Francisco Sanctæ Mariæ in Porticu S. R. E. Diacono Cardinali Maidalchino nuncupato.

ALEXANDER PAPA VII.

Dilecte fili noster salutem, & Apostolicam benedictionem.

Exordium.

CIrcumspectionis tuæ erga Nos, & Sedem Apostolicam fides, & divotio, ac præcipuus quo te in Domino prosequimur, charitatis affectus, Nos inducunt, ut quieti, securitati, & indemnitati tuæ, quantum Nobis ex alto conceditur, benigne consulamus.

Card. Maidalchinum egressum a statu Pontificio, & in Galliam profectum.

§.1. Cum itaque tibi alias justu nostro semel, vel pluries mandatum, seu præceptum fuerit, ut e Romana Curia, & Almæ Urbe nostra egredereris, teque in districtu Civitatis nostræ Viterbien., & Terræ Caprarolæ contineres: Et tu quidem debitam illico

illico obedientiam mandatis nostris hujusmodi præstiteris, verum occasione eorum, quæ subinde consecuta sunt, ad requisitionem charissimi in Christo filii nostri Ludovici Regis Christianissimi, jam inde a mense Januario 1663. licet mandata, seu præcepta præfata revocata non essent, nec licentiam ea super re a Nobis petiisses, nihilominus temporali Status nostri Ecclesiastici Ditione egressus fueris, ac in Status dilecti filii nobilis viri Raynutii Parmæ, & Placentiæ Ducis, aliasque Italiæ Civitates te contuleris, & postea in Galliam transieris: Unde inferri posset, te mandata, seu præcepta nostra hujusmodi transgressum esse, ac in contraventionem diversarum Constitutionum Apostolicarum, & præsertim fel. rec. Innocentii Papæ X. Prædecessoris nostri, quæ incipit: *Cum juxta Sacrorum Canonum dispositionem, &c.* Incurrisse; tametsi revera tuæ intentionis nunquam fuerit debitam Nobis, ac Constitutionibus Apostolicis præfatis obedientiam, & observantiam ullo modo violare.

Ad urbem redire, & solitis prærogativis frui postulat Rex Christia. nissimus.

§.2. Cumque propterea memoratus Ludovicus Rex securitati tuæ provisum esse desideret, ac in Tractatu Concordiæ Pisis inter nostrum, & ejusdem Ludovici Regis Plenipotentiarios die 12. Februarii proxime præteriti concluso, & postea tam a Nobis, quam ab eodem Ludovico Rege ratificato, inter alia per specialem Articulum ipsius Tractatus conventum, & nomine nostro promissum fuerit; Nos rem gratam dicto Ludovico Regi faciendi ergo, tibi per missuros esse, ut de præsenti ad Almam Urbem præfatam revertaris, ad hoc, ut ibidem in futurum omnibus prærogativis tuæ dignitatis frui, ac Functiones Cardinalitias exercere valeas, teque non iri inquietatum, vel molestatum ex causa cujuscumque præjudicii, quod incurrisses, quia Statu Ecclesiastico egressus fuisti, quemadmodum tibi ab eodem Ludovico Regi significatum fuerat; ac nostras in simili forma Brevis literas tibi super his concessum iri pro majori tua securitate juxta desiderium præfati Ludovici Regis cum reintegratione in bonis tuis, in casum quo ratione dicti egressus è Statu Ecclesiastico damnum acceperis.

A censuris in primis Cardinalem prad. absolvit Pontifex.

§.3. Hinc est, quod Nos in executionem Tractatus hujusmodi, & juxta illius articulum supra expressum rem gratam memorato Ludovico Regi facere, simulque paternum nostrum in te affectum demostrare, & clementia nostra erga te uti volentes, ad instantiam ipsius Ludovici Regis, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine te in primis ab interdictis, aliisve quibuslibet censuris, quibus quomodocumque innodatus esse posses, ad effectum præsentis gratiæ dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, omnia mandata, præcepta, seu jussa, sive judicialiter, sive extrajudicialiter quocumque tempore inscriptis, vel oretenus data, seu facta, & per quamcumque personam mediate, vel immediate tibi significata, ut extra Urbem præfatam habitares, vel a quocumque loco non discederes, sive in loco, vel locis determinatis remaneres, tenore præsentium revocamus, cassamus, irritamus, & annullamus viribusque, & effectu penitus, & omnino vacuamus, & revocata, cassata, irritata, & annullata, viribusque, & effectu penitus, & omnino vacua esse volumus in omnibus, & per omnia perinde acsi nunquam facta, data, tibique significata, seu intimata fuissent, nec unquam emanassent, itaut nullo unquam tempore ex quacumque causa, prætextu, vel colore inquietari, vel molestari possis ratione cujusvis actus contraventionis, vel inobedientiæ ex causis supradictis,

Neque in pœnas a bullis Pontificum commissas incidisse declarat.

§.4. Et quia mentis nostræ est te ad habitationem dictæ Urbis, & consequenter ad exercitium functionum tuæ dignitatis, ac ad omnes, & quascumque prærogativas, privilegia, jura, & actiones, quæ tibi antequam mandata, præcepta, seu jussa præfata emanarent, competebant, plenarie, & integre restitutum, & reintegratum intelligi, nec ad cujuscumque instantiam tam, pro tempore post emanata mandata, & præcepta, seu jussa hujusmodi lapso, quam in futurum respectu eorum quæ consecuta sunt nllam unquam molestiam, ullumve damnum, seu præjudicium etiam minimum in ulla re, quæ personam, vel bona, seo utilitates tuas concernant pati posse, vel debere; idcirco ex eisdem causis gratificandi dicto Ludovico Regi, & articulum supra expressum dicti Tractatus concordiæ adimplendi, ac ut ostendamus quantopere ad rem gratam eidem Ludovico Regi faciendum, teque in futurum patetna benevolentia, ac omni affectus, & clementiæ significatione prosequendum propensi simus, ad instantiam ipsius Ludovici Regis, ac ex certa scientia, & matura deliberatione, deque apostolicæ potestatis plenitudine paribus te nullum omnino præjudicium ex causa, seu ratione pœnarum in præfata Innocentii, aliisve quibuslibet Romanorum Pontificum Prædecessorum, pariter nostrorum Constitutionibus ejusdem, seu similis naturæ existentibus commemoratarum pati, vel recipere debere volumus, ordinamus, & declaramus: Et quatenus in pœnas hujusmodi incurreris, seu incurrisse quoquo modo, dici, prætendi, vel intelligi posses, te ab interdicti ingressus Ecclesiæ, aliisve quibuslibet censuris, & pœnis ecclesiasticis, & temporalibus per præfatas Innocentii Prædecessoris, & alias Constitutiones Apostolicas quomodolibet impositis, & aliis etiam quantumlibet gravioribus, & majoribus, ac individua mentione, specialique nota dignis, ad quarum declarationem, & executionem a Nobis, vel Romanis Pontificibus Successoribus nostris contra te propter præmissa, quovis modo devenire posset, earumdem tenore præsentium absolvimus, & totaliter liberamus, dictaque pœnas tibi gratiose remitti-

mittimus, & condonamus, ac te ab eisdem pœnis absolutum, nec illis ullatenus obnoxium esse, vel fore decernimus, & declaramus, in omnibus, & per omnia perinde acsi præfato Statu Ecclesiastico, sicut præmittitur egressus non fuisses, nec eisdem Innocentii, & aliorum Prædecessorum Constitutionibus ullo modo contravenisse reperiveris; omnemque inhabilitatis, seu inobedientiæ, aliamve quamlibet maculam, sive notam ex præmissis quomodocumque consurgentem, seu quæ inde quomodolibet induci, vel inferri posset, abs te penitus, & omnino abstergimus, & abolemus.

Aliaque Cardinali præditio concedit ut in Rubrica

§.5. Præterea te adversus præmissa, & quæcumque præjudicialia tibi inde quomodolibet enata ad omnia, & singula privilegia, immunitates, exemptiones, facultates, & indulta quæcumque etiam conferendi, & commendandi Beneficia Ecclesiastica, ac transferendi pensiones, seu fructus ecclesiasticos loco pensionum tibi auctoritate apostolica reservatas, & reservatos, necnon testandi, & disponendi de rebus, & bonis tuis, etiam paramentis, & ornamentis ecclesiasticis, ac Sacris Supellectilibus Cappellæ tuæ Cardinalitiæ tibi per Sedem Apostolicam concessa, & quomodolibet competentia, seu quæ tibi antequam e præfato Statu Ecclesiastico, sicut præmittitur, egredereris, quovis modo competebant, eorumque omnium, & singulorum liberum usum, & fruitionem in integrum, & pristinum, ac eum, in quo priusquam e Statu Ecclesiastico hujusmodi, ut præfertur, egredereris quomodolibet eras statum restituimus, reponimus, & plenarie reintegramus, illaque omnia, & singula tibi harum serie confirmamus. Ac quascumque provisiones, collationes, nominationes, commendas, & dispositiones de beneficiis hujusmodi, necnon pensionum, & fructuum Ecclesiasticorum præfatorum translationes, ac bonorum ad Ecclesias, Prioratus, Monasteria, aliaque Beneficia Ecclesiastica quæcumque per te in titulum, commendam, vel administrationem, seu alias quomodolibet obtenta, & possessa spectantium, in emphyteusim perpetuam, vel ad tempus concessiones, & ejusmodi concessionum renovationes, si quas post præfatum tuum e Statu Ecclesiastico egressum quovis modo feceris, dummodo cæteroquin canonice factæ fuerint, validamus, & confirmamus, validasque, firmas, & efficaces existere, & fore, ac suos plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere debere decernimus pariter, & declaramus.

Et de omnibus redditibus ecclesiasticis tam decursis, quam decurrendis fient.

§.6. Volentes te propter causas supradictas a perceptione fructuum, redditum, proventuum, jurium, obventionum, & emolumentorum quorumcumq; omnium, & singularum dignitatum, Ecclesiarum, Monasteriorum, Prioratuum, Beneficiorum, officiorum, & munerum tuorum quorumlibet, ac Jurisdictionis Ecclesiasticæ, & temporalis, quam antehac habueris nullo modo sive in perpetuum sive ad tempus cecidisse, idque non solum quoad perceptionem, & recuperationem omnium fructuum, redditum, proventuum, jurium, obventionum, & emolumentorum hujusmodi, quæ durante tua a memorato Statu Ecclesiastico absentia, decurrerunt, sed etiam quoad integram actionem, & jus prosequendi perceptionem, & recuperationem eorumdem fructuum, redditum, proventuum, jurium, obventionum, & emolumentorum tam judicialiter, quam extrajudicialiter contra quamcumque personam, quæ sub quovis prætextu tenoris præfatæ Constitutionis Innocentii Prædecessoris, seu ex quocumque alio jure, vel concessione cujuslibet naturæ, ex causa tamen, & occasione contraventionis supradictorum mandatorum, præceptorum, & jussorum, ac egressus tui e Statu Ecclesiastico hujusmodi fundos, vel redditus, aut jura, quæ ad te prius spectabant, & nunc spectant sibi appropriare prætendere valeret, ad quam actionem, & jus te pariformiter harum serie restituimus, & plenarie reintegramus. Ac in gratiam supradicti Ludovici Regis tibi, ut ad Almam Urbem præfatam reverti, omnibusque, & singulis tuæ Cardinalitiæ Dignitatis honoribus, & prærogativis uti, frui, potiri, & gaudere, necnon omnes Functiones Cardinalitias, quemadmodum omnes, & singuli Venerabiles Fratres nostri S. R. E. Cardinales facere solent pariformiter exercere libere, et licite possis, et valeas præmittimus, concedimus, et indulgemus.

Familiares etiam Cardinalis prædicti pro tenuibus tali occasione incursis non molestari decernit.

§.7. Cæterum, ut benevolentiam erga te nostram uberiori significatione testatam faciamus, omnes, & singulos familiares tuos, qui consilio, scriptura, vel opera casui die 20. Augusti 1662. in Urbe prædicta sequuto, tuoque e Statu Ecclesiastico egressui, & seu illorum annexis, & connexis, dependentibus, vel inde sequutis quibuscumque, quæ præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & specificatis haberi volumus, aliquid contribuerint, seu desuper quicquam sive magnum, sive parvum, principaliter, vel accessorie, aut alias quomodolibet egerint, vel fecerint, seu contribuere, agere, vel facere potuerint ea de causa, ratione, vel occasione sub quovis prætextu, colore, vel ingenio a quibusvis Judicibus, & personis quacumque auctoritate, & potestate fungentibus, & functuris, ac ejusdem S.R.E. Cardinalibus, & Sacro illorum Collegio in personis bonis, juribus, & rebus suis civiliter, criminaliter, vel mixtim, & alias quomodolibet directe, vel indirecte, publice, vel occulte molestari, perturbari, vexari, inquietari, vel impediri, seu capi, carcerari, arrestari, interrogari, examinari, aut inquiri, nullatenus posse, neque debere decernimus similiter, ac ordinamus, & declaramus.

§.8. Et nihilominus omnibus, & singulis Legatis, Vicelegatis, Gubernatoribus, Judicibus, Bargellis, Capitaneis, cæterisque justitiæ Ministris præsentibus, & futuris

turis tam dictæ Urbis, quam universi status Ecclesiastici Nobis mediate, vel immediate subjecti etiam S. R. E. Cardinalibus, eorumque Collegio, ac quibuscumq; aliis personis interesse quomodolibet habentibus, & prætendentibus, ne aliquid in personas, res, bona, vel jura tua, eorumque familiarium præfatorum, seu alicujus eorum respective, aut quidquam aliud in tuum, eorumque, seu cujuslibet eorum præjudicium contra tenorem præsentium facere, vel attentare quoquo modo audeant seu præsumant, districtius inhibemus, & præcipimus, necnon illis omnibus, ac etiam Fisco nostro, ipsiusque Fisci Procuratori perpetuum desuper silentium harum serie imponimus, ac quascumque informationes, inquisitiones, relationes, examina, & processus aliaque acta sive judicialia, sive extrajudicialia, si quæ contra Te, vel familiares tuos præfatos, aut eorum aliquem præmissorum, ac inde sequutorum, ac dependentium causa, vel occasione per quoscumque Legatos, Vicelegatos, Præsidentes, Gubernatores, eorumque Locatenentes, & alios quoslibet nostros, & Sedis Apostolicæ Officiales, & Ministros quacumque auctoritate, & potestate fungentes, ubicumque etiam in Urbe præfata, & quandocumque facta, formata, & fabricata fuerint cassamus pariter, & irritamus, ac annullamus, viribusque, & effectu vacuamus & ab omnibus, & singulis ad quos spectat, & pertinet, de libris, notis, & scripturis, in quibus aliqua illorum mentio facta reperitur, omni mora, & contradictione remota confestim cassari, deleri, & aboleri, ac ex nunc pro cassis, deletis, & abolitis, annullatis, irritis, viribusque, & effectu vacuis penitus, & omnino haberi, & censeri volumus, & mandamus, illisque nullam prorsus fidem in Judicio, vel extra illud ubicumque haberi, perinde acsi nunquam extitissent, Teque, & familiares tuos præfatos ad verificanda præmissa, aut ea, vel illorum aliqua, eorumque causas, loca, tempora, personas, qualitates, & circumstantias in judicio, vel extra illud exprimenda, & revelanda nullatenus teneri neque ad id ullo unquam tempore invitos cogi, vel compelli posse, solasque præsentes ad probationem omnium, & singulorum præmissorum sufficere, nec alterius probationis adminiculum ad hoc requiri; easdem autem præsentes literas, & in eis contenta quæcumque etiam ex eo quod Fisci nostri Procurator, & Cameræ nostræ Apostolicæ Commissarius generalis, aliique nostri, & dictæ Sedis Officiales, & Ministri, cæterique desuper interesse habentes, seu habere prætendentes ad præmissa vocati non fuerint, nec cum eis concordatum extiterit, ipsique ad id non consenserint, seu quod non sic, sed aliter factum se habuerit, & præmissa cum eorum circumstantiis, & qualitatibus etiam quantumcumque aggravantibus tam personarum, quam rerum, & locorum, aliove quovis prætextu expressa, & specificata non sint, seu ex

Post. irritat processus omnes his de causis factos.

quibusvis aliis causis quantumvis legitimis, & juridicis, ac ex quocumque prætextu, titulo, & capite, etiam in corpore juris clauso de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, vel quopiam alio quantumlibet magno, & substantiali defectu notari, impugnari, redargui, infringi, retractari, rescindi, annullari, ad terminos juris reduci, vel adversus eas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, seu etiam motu proprio concedi, aut ita concesso quempiam in judicio, vel extra illud uti nullatenus unquam posse, minusque sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus comprehendi, sed semper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum, & eum, in quo antea quomodolibet erant statum restitutas, repositas, & plenarie reintegratas, ac de novo etiam sub quacumque posteriori data per Te, & familiares tuos præfatos, eorumve quemlibet quandocumque eligenda, concessas, perpetuoque validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac inviolabiliter observari, Tibique, & familiaribus tuis præfatis, ut supra in omnibus, & per omnia pleniſſime suffragari, necnon in eventum, quo super præmissis, aut eorum aliqua parte ambiguitatem, controversiam, dubium, litem, vel contentionem judicialiter, vel extrajudicialiter oriri, vel moveri contigerit, semper ad tui, & familiarium tuorum prætatorum commodum, utilitatem, & favorem resolvi, decidi, & interpretari; sicque, & non aliter in omnibus, & singulis præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S.R E. Cardinales etiam de latere Legatos, ipsorumque Cardinalium Collegium, necnon Camerarium, seu Procamerarium, Thesaurarium generalem, Præsidentes, Clericos, & Commissarium, aliosve quoslibet dictarum Sedis, & Cameræ Officiales, & Ministros quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros in quavis causa, & instantia, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausulæ subrogatæ, & Decorum irritans.

§.9. Non obstantibus omnibus, & singulis præmissis, ac præfata Innocentii Prædecessoris necnon quatenus opus sit rec. mem. Pii IV. et Pii V. Romanorum Pontificum Prædecessorum pariter nostrorum disponen. hujusmodi gratias, seu absolutiones non valere nisi Reis constitutis in Carceribus, & ejusdem Pii IV. Prædecessoris de gratiis qualecumque interesse dictæ Cameræ Apostolicæ concernentibus in eadem Camera intra certum tempus inibi

Contraria tollit.

expreſſum præſentandis, regiſtrandis, ſeu inſinuandis, itaut præſentes literæ etiamſi in ipſa Camera, ſeu quovis alio Tribunali, Archivo, et loco nunquam præſententur, regiſtrentur, nec inſinuentur, nihilominus valeant, et ſubſiſtant, ac tibi, et familiaribus tuis, quos concernunt ſuffragari debeant, ac noſtris, et Cancellariæ Apoſtolicæ Regulis præſertim illa de non tollendo jure quæſito, aliiſve quibuslibet Apoſtolicis, ac in Conciliis etiam Univerſalibus editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, legibus quoque etiam Imperialibus, & municipalibus, Edictis, Bannimentis, & Decretis etiam Conſiſtorialibus, & Cameralibus ac dictæ Urbis, & Cameræ, aliiſve quibuslibet etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, eorumque Reformationibus, & novis additionibus, ſtylis, uſibus, & conſuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis etiam Filco noſtro, & Cameræ præfatæ, ejuſque, & dictæ Sedis Officialibus, & Miniſtris, aliiſve quibuslibet perſonis, & locis ſub quibuſcumq; verborum tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, ac irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in ſpecie, ac alias in contrarium quomodolibet conceſſis, confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis etiamſi pro eorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum nihil penitus omiſſo inſererentur præſentibus pro expreſſis, ac ſufficienter ſpecificatis, & inſertis, formamque in illis traditam pro ſervata habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum harum ſerie ſpecialiter & expreſſe, ac latiſſime derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Tranſumptis credendum. §.10. Volumus autem, ut earumdem præſentium literarum tranſumptis manu alicujus Notari publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis eadem prorſus fides ubique tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipſis præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Dat. die 26. Apr. 1664. An. X. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, die 26. Apr. 1664. Pontificatus noſtri anno X.

CDLXXIV.

Ex Regeſt. in Secret. Brev. Nobili Infanti Franciſco Duci Mutinen. ejuſque hæredibus, & ſucceſſoribus in perpetuum conceditur juſpatronatus, & præſentandi loci Ordinariis perſonas Idoneas ad Præpoſituram Secularem in Eccleſia Abbatiæ de Pompoſa, ac Archipresbyteratum, ſive Plebaniam Eccleſiæ Sanctæ Mariæ de Bondeno Ferrarien. Diœceſ. & perpetuum ſimplex Beneficium ex fructibus ab illa diſmembratis erectum.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Motiva. §.1. Laudabilia infantilis ætatis indicia ex quibus veriſimiliter concipitur dilectum filium nobilem Infantem Franciſcum Mutinæ etiam Regii Ducem, ſuccedentibus ſibi cum Dei benedictione annis, in virum virtutibus generis ſui ſplendore diguis Illuſtrem, Principemque Sedi Apoſtolicæ devotum eſſe evaſurum, Nos inducunt, ut libentius illa ei, ejuſque hæredibus, & ſucceſſoribus paterna benignitate concedamus, per quæ erga perſonas benemeritas, ſibique gratas, & acceptas ſeſe beneficos exhibere poſſint, & liberales.

Pontifex concedit Sereniſſ. Duci Mutinæ juſpatron. ut in rubrica. §.2. Itaque conventis, & promiſſis pro parte noſtra per Tractatum concordiæ inter noſtrum, & Chariſsimi in Chriſto filii noſtri Ludovici Regis Chriſtianiſſimi Plenipotentiarios die 12. Februarii proxime præteriti Piſis initum, & concluſam, ac ſubinde tam a Nobis, quam ab eodem Ludovico Rege ratificatum ſatisfacere, dictoque Ludovico Regi per amplius gratificari, ac præfatum Franciſcum Ducem ſpecialis favore gratiæ proſequi cupientes, necnon dicti Tractatus tenorem, ac Præpoſituræ, & Archipresbyteratus, ſive Plebaniæ, & Beneficii infraſcriptorum qualitates, eorumve cujuslibet fructuum, redditum, & proventuum veros etiam annuos valores, & alia quæcumque etiam ſpecialem, & individuam mentionem, & expreſſionem requirentia, præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & ſpecificatis habentes, motu proprio, ac ex certa ſcientia, & matura deliberatione noſtris, deque apoſtolicæ poteſtatis plenitudine eidem Franciſco Duci, ejuſque hæredibus, & ſucceſſoribus in perpetuum juſpatronatus, & præſentandi loci Ordinario perſonas idoneas ad Præpoſituram ſecularem in Eccleſia Monaſterii Abbatiæ nuncupati de Pompoſa S. Benedicti, ſeu alterius Ordinis, ac Archipresbyteratum, ſive Plebaniam Eccleſiæ S. Mariæ de Bondeno, perpetuumque Beneficium ſimplex ex fructibus ab illa diſmembratis erectum Ferrarien. Diœceſ. quos Ven. Frater noſter Franciſcus Epiſcopus Portuen. S. R. E. Cardinalis Barberinus nuncupatus ejuſdem S. R. E. Vice-Cancellarius in titulum, ſeu commendam ad ſui vitam ex conceſſione, & diſpenſatione apoſtolica ad præſens obtinere dignoſcitur, quotieſcumque Præpoſituram, & Archipresbyteratum, ac Beneficium hujuſmodi ſeu eorum alterum perpetuis futuris temporibus tam ex præfati Franciſci Cardinalis,

lis, quam cujuſvis alterius S. R. E. Cardinalis, & aliorum quorumcumque etiam noſtrorum, & Romani Pontificis pro tempore exiſtentis, ſeu cujuſvis S. R. E. præfatæ Cardinalis tunc viventis, aut defuncti familiarium continuorum commenſalium, ſeu Romanæ Curiæ, et Sedis Apoſtolicæ Officialium, aut alias quomodolibet reſervationem inducentibus perſonis per liberas, ac etiam in favorem, et ex cauſa permutationis, reſignationes, juriumque ceſſiones, etiam neceſſarias, vel ſimplices de illis, ſeu eorum altero in noſtris, et pro tempore exiſtentis Romani Pontificis, aut cujuſvis alterius perſonæ manibus pro tempore quandocumque factas, et admiſſas, vel quamvis aliam dimiſſionem, amiſſionem, ſeu privationem, et aſſecutionem cujuſvis Beneficii Eccleſiaſtici quacumque auctoritate collati, Religionis ingreſſum, matrimonii contractum, ad Cathedralium Eccleſiarum, vel Monaſteriorum etiam conſiſtorialium regimina, aliamve quam cumque promotionem, ſeu deceſſum, et obitum etiam apud Sedem, et in Curia hujuſmodi, ac etiam in quocumque ex menſibus Nobis, ſeu Romano Pontifici pro tempore exiſtenti, et dictæ Sedi per quaſcumque Conſtitutiones Apoſtolicas, ſeu Cancellariæ Apoſtolicæ Regulas editas, et quandocumque edendas, vel alias quomodolibet reſervatis, et reſervan., aut locorum Ordinariis, et aliis Collatoribus per eaſdem vel alias Conſtitutiones Apoſtolicas, aut Cancellariæ hujuſmodi regulas ſimiliter editas, et edendas, vel literas alternativarum, aliave quævis indulta apoſtolica, ſeu alias quomodolibet hactenus conceſſis, et inpoſterum concedendis, ac de jure communi, vel particulari, et alias quomodocumque competentibus, et competituris, et alias quomodolibet, et ubicumque tam apud Sedem, et in Curia hujuſmodi, quam extra eam vacare contigerit, etiamſi affecti ſpecialiter ex cauſis prædictis, vel alias generaliter, et quantumvis multipliciter reſervati, et ſeu litigioſi exiſtant, in Præpoſitum Præpoſituræ Secularis, et Archipresbyterum Archipresbyteratus, ſive Plebaniæ, necnon Rectorem Beneficii præfatorum reſpective ad præſentationem hujuſmodi in forma ſolita inſtituendas tenore præſentium perpetuo reſervamus, concedimus, et aſsignamus.

Alia privilegia in jurepatron. præd. §.3. Decernentes, et declarantes juſpatronatus, et præſentandi hujuſmodi laicorum nobilium, et Illuſtrium, et Principum, ac in omnibus, et per omnia ad inſtar Regum vere exiſtere, dictiſque Franciſco Duci, et aliis futuris Patronis non ex privilegio, ſed ex vera primæva, reali, actuali, plena, integra, et omnimoda fundatione, erectione, et dotatione laicali ex bonis mere laicalibus, et patrimonialibus competere, ac ad illos pertinere, necnon juriſpatronatus, et præſentandi laicorum nobilium, et Illuſtrium, ac Principum, et ad inſtar Regum effectum, vim, naturam, ſubſtantiam, et eſſentiam, ac qualitatem, validitatem, ſet roboris firmitatem obtinere, ac Franciſco Duci, aliiſque futuris Patronis prædictis perpetuo ſuffragari debere in omnibus, et per omnia, et abſque ulla prorſus differentia, perinde acſi ipſi Franciſco Duci, ejuſque hæredibus, et ſucceſſoribus in perpetuum nomine veræ, realis, actualis, plenæ, atque integræ fundationis, et perpetuæ dotationis per eos de propriis, ac mere laicalibus, et patrimonialibus eorum bonis factæ, ac prout Principibus, et Regibus competeret, ac reſervatum, conceſſum, et aſsignatum eſſet: Et proinde uti tale ſub quacumque derogatione, etiam cum quibuſvis prægnantiſsimis, et efficaciſsimis clauſulis, ac irritantibus, et aliis fortioribus Decretis etiam cum clauſula quorum tenores in quacumque diſpoſitione etiam per viam Conſtitutionis, legis generalis, et Regulæ Cancellariæ prædictæ, etiam per Nos, et Romanos Pontifices Succeſſores noſtros in craſtinum aſſumptionis cujuslibet eorum ad ſummi apoſtolatus apicem, ac etiam motu, ſcientia, et poteſtatis plenitudine paribus, et conſiſtorialiter, ſeu alias quomodolibet pro tempore facta, conceſſa, et emanata nullatenus comprehendi, ſeu comprehenſum dici, intelligi, vel prætendi poſſe, neque illi ullo unquam tempore ſub quocumque prætextu, aut ex quacumque cauſa quantumvis urgenti, pia, favorabili, et legitima etiam per Nos, ſeu Romanos Pontifices Succeſſores noſtros, et Sedem prædictam, aut illius etiam de latere Legatos, etiam motu, ſcientia, et poteſtatis plenitudine ſimilibus, ſeu cujuſvis intuitu, et contemplatione per quaſcumque literas Apoſtolicas etiam in ſimili forma Brevis, et quaſcumque etiam derogatoriarum derogatorias, ac fortiores, et inſolitas clauſulas, necnon irritantia, et alia decreta contraria quæcumque continentes, etiam toto, et integro præſentium tenore inſerto, aut alias quomodolibet, niſi de conſenſu Patronorum derogari poſſe, vel debere. Præſentes quoque literas nullo unquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtræ, vel alio quocumque quantumvis formali, et ſubſtantiali defectu, etiam ex eo quod quicumque in præmiſſis intereſſe forſan. habentes, vel habere quomodolibet prætendentes cujuſvis ſtatus, gradus, ordinis, præeminentiæ, & dignitatis, vel alias ſpeciali, & individua mentione digni exiſtant, ad præmiſſa vocati, citati, & auditi, cauſæque propter quas præſentes emanarunt adductæ, verificatæ, & juſtificatæ non fuerint, nec prædicti intereſſe habentes deſuper conſenſerint, vel ex quavis alia quantumvis legitima, juridica, pia, & privilegiata cauſa, occaſione, prætextu, & capite etiam in corpore juris clauſo, notari, impugnari, annullari, invalidari, retractari, ad terminos juris reduci, in controverſiam revocari, aut adverſus illas aperitionis oris, reſtitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris,

facti, vel gratiæ remedium impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concesso quempiam in judicio, seu extra illud uti posse, neque easdem præsentes literas sub quibusvis similium, vel dissimilium reservationum, concessionum, & assignationum, aliarumque gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, & aliis contrariis dispositionibus per quascumque literas, & Constitutiones Apostolicas, seu Cancellariæ prædictæ Regulas sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis per Nos, seu quoscumque Successores nostros Romanos Pontifices, etiam in crastinum cujuslibet eorum ad summi apostolatus apicem assumptionis, dictamque Sedem etiam motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine similibus, ac etiam consistorialiter pro tempore factis, & emanatis comprehendi, seu comprehensas censeri, sed semper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum, & validissimum statum restitutas, repositas, & plenarie reintegratas, ac de novo etiam sub quacumque posteriori data per prædictum Franciscum Ducem, aliosque Patronos pro tempore quandocumque eligenda concessas intelligi, firmasque, validas, & efficaces existere, & perpetuo fore, ac Francisco Duci, & aliis Patronis prædictis plenissime suffragari; Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales etiam de latere Legatos, & quosvis alios quacumque auctoritate, & potestate fungentes, & quandocumque functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Sicque ab omnibus judicari mandat.

Derogat contrariis.

§.4. Non obstantibus præmissis, ac quibusvis nostris, & Cancellariæ prædictæ Regulis editis, & edendis, etiam illa de non tollendo jure quæsito, aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, & synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon quatenus opus sit, Ecclesiarum, & Monasterii, seu Abbatiæ, & ordinis prædictorum, aliisve quibusvis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, & irritan., & aliis decretis, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, ac consistorialiter, & alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, confirmatis, & pluries innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, acsi de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita insererentur, & exprimerentur, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum specialiter, & expresse, ac latissime derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die vigesima Maii 1664. Pontificatus nostri Anno Decimo.

Dat. die 21. Maii 1664. An.X.

CDLXXV.

Confirmatio Decreti Congregationis Episcoporum, & Regularium, quo, inhærendo Constitutioni Ordinis Minorum S. Francisci statuitur, ut in posterum Commissarii Visitatores deputandi pro Provincia de Guatimala Nominis Jesu nuncupat. Ordinis hujusmodi, debeant assumi ex una de Provinciis vicinioribus, videlicet S. Georgii de Nicaraguas, & S. Josephi de Jucatan.

Ex Regest. in Secret. Brev.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio.

§.1. NUper pro parte dilecti filii Alphonsi de Ortega Custodis Provinciæ Nominis Jesu de Guatimala Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum Congreg. Venerabilium Fratrum nostrorum S.R.E. Card. negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ expositio, quod per Constitutiones Generales dicti Ordinis cavetur expresse, ut Commissarii Visitatores ex Provinciis vicinioribus mittantur; quodque Provinciæ viciniores præfatæ Provinciæ de Guatimala sint Provinciæ Sancti Georgii de Nicaragua, & Sancti Josephi de Jucatan., inter alias vero Provincias vicinior trecentarum Leucarum intervallo distet, nec Commissarius Visitator inde ad primodictam Provinciam, nisi cum illius maxima impensa, & detrimento proficisci possit. Et in eadem expositione subjuncto, quod idem Alphonsus præmissis attentis plurimum cupiebat ordinari, ut Commissarius Visitator non posset ad eamdem Provinciam Nominis Jesu de Guatimala mitti, nisi ex alterutra memoratarum Provinciarum viciniorum S. Georgii, & S. Josephi assumeretur; emanavit ab eadem Congregatione Cardinalium Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet.

Sacra Congregatio Eminentissimorum San-

S.R.E. Cardinalium negociis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ, attentis narratis, & assensu Ministri Generalis Ordinis hujusmodi, inhærendo præfatæ ejusdem Ordinis Constitutioni statuit, & decrevit, ut in posterum Commissarii Visitatores pro præfata Provincia de Guatimala deputan. debeat assumi ex una de duabus Provinciis vicinioribus tantum videlicet S. Georgii de Nicaraguas, & S. Joseph de Jucatan., & ita harum vigore statuit, & decernit: contrariis quibuscumque non obstantibus. Romæ 9. Maii 1664.

Decretum Sac. Cong. in quo statuitur ut in rubr.

M. Card. Ginettus.

E. Episcopus Camerinen. Secr.

Confirmat Decretum.

§.2. Cum autem, sicut dilectus Alphonsus Nobis subinde exponi fecit, ipse Decretum hujusmodi pro firmiori illius subsistentia apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desideret: Nos ipsum Alphonsum specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum auctoritate apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adjicimus; salva tamen semper in præmissis auctoritate præfatæ Congregationis Cardinalium.

Decretum ittitans.

§.3. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore spectabit, plenissime suffragari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§.4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit, Ordinis, & Provinciarum hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 26. Maii 1664. Pontificatus nostri Anno X.

Dat. die 26. Maii 1664. An.X.

CDLXXVI.

Confirmatio Decreti Congr. Episcoporum, & Regularium, quo approbatur Constitutio duorum Capitulorum Generalium Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia, per quam stabilitur Alternativa Officiorum inter Patres Criollos ex una parte, & Patres dictos Cachapinos, & filios Provinciæ Nominis Jesu de Guatimala in nova Hispania Ordinis hujusmodi ex altera &c.

Ex Regest. in Secr. Brev.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Postulatio.

§.1. NUper pro parte dilecti filii Alphonsi de Ortega Custodis Provinciæ Nominis Jesu de Gatimala in nova Hispania Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum Congregationi Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ expositio, quod in Capitulo Generali dicti Ordinis Anno 1645. Toleti celebrato facta fuerat Constitutio tenoris, qui sequitur, videlicet.

Confirmatio Capit. Gen.

Præterea Definitorium Generale declaravit, quod in Provincia Nominis Jesu de Guatimala in nova Hispania observetur alternativa inter Patres dictos Criollos ex una parte, & inter Patres dictos Cachapinos, & filios Provinciæ ex alia, & quod cætera Officia æqualiter dividantur inter prædictas duas partes. Quæ Constitutio confirmata fuerat in Capitulo ejusdem Ordinis Anno 1658. habito sub titulo pro Indiis Occidentalibus numero primo his verbis. Confirmatur alternativa in Provincia Nominis Jesu de Guatimala inter Patres Criollos ex una parte, & Patres Cachapinos, & filios Provinciæ ex altera, quemadmodum in Capitulo Toletano Anno 1645. celebrato institutum est, sicque servari debet sub pœna nullitatis aliter factorum.

Et in eadem expositione subjuncto, quod dictus Alphonsus præfatas Constitutiones auctoritate dictæ Congregationis confirmari plurimum desiderabat; emanavit ab eadem Congregatione Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet.

Decretum Sac. Congr.

Sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ, attentis narratis, ac audito Ministro Generali Ordinis hujusmodi, præinsertum Decretum Capitulorum Generalium benigne approbavit, & confirmavit, & juxta illorum tenorem in posterum omnino servari mandavit: Romæ 9. Maii 1644.

M. Cardinalis Ginettus.

E. Episcopus Camerinen. Secret.

§.2. Cum autem, sicut præfatus Alphonsus

Pontifex decretum confirmat.

stus Nobis subinde exponi fecit ipse Decretum hujusmodi pro firmiori illius subsistentia apostolicæ confirmationis nostræ robore communiri summopere cupiat: Nos ipsum Alphonsum specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsetium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, præmissorum præfatæ Congregationis Cardinalium Decretum auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique apostolicæ firmitatis robur adjicimus; salva tamen semper in præmissis auctoritate ejusdem Congregationis Cardinalium.

Decretum irritat.

§.3. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit plenissime suffragari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contraria tollit.

§.4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit præfatorum Ordinis, & Provinciæ etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumq;

Dat. die 26. Maii 1664. An.X.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 26. Maii 1664. Pontificatus nostri Anno X.

CDLXXVII.

Quod non liceat Fratribus Minorum de Observantia S. Francisci commorantibus Tolosæ inducere novum Rosarium sub tit. Seraphici: nec facere Processionem Confraternitatis Conceptionis prima Dominica cujuslibet Mensis: nec Tabellam exponere in qua Beata Virgo det Rosarium S.S. Francisco, & Claræ.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Proœmium.

IN supremo Militantis Ecclesiæ solio, meritis licet imparibus, per ineffabilem Divinæ bonitatis abundantiam constituti, exortas inter Religiosos viros controversias opportunis rationibus dirimere studemus, sicut in Domino conspicimus salubriter expedire.

§.1. Itaque dilectum filium Procuratorem Generalem Ordin. Prædicatorum specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure. vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes.

Prohibet Pontifex P. P. præd. ctis ut in rubrica.

§.2. Supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabil. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus Præpositorum consilio, auctoritate Apostolica tenore præsentium declaramus, ad favorem dilectorum filiorum Fratrum dicti Ordinis Prædicatorum Tolosæ commorantium, non licere dilectis pariter filiis Fratribus Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum, minusque Confraternitati in eorum Ecclesia magni Conventus erectæ sub titulo Conceptionis Sanctissimæ Virginis Immaculatæ, illiusque Confratribus facere Processionem prima Dominica cujuslibet Mensis, nec posse prædictos Fratres Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia novum Rosarium sub titulo Seraphici, aut novem novenarum, vel alterius rationis inducere, prædicare, & docere, nec in Litaniis B. Virginis aliquid innovare, nec tabellam exponere, in qua B. Virgo Dei Mater det Rosarium Sanctis Francisco, & Claræ, prout etiam præfata omnia fieri prohibemus, & servari mandamus.

Decretum irritans.

§.3. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§.4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumpti danda fides.

§.5. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ,

Dat. die 28. Maii 1664. An.X.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 28. Maii 1664. Pontificatus nostri Anno X.

Con-

CDLXXVIII.

Confirmat Decretum Sacræ Congregationis pro Erectione Conventus Congregationis Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum in Oppido Piscinæ Marsicanæ Diœcesis.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio.

ALias pro parte dilectorum filiorum Congregationis Sacræ Clericorum Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum Congregationi Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ exposito, quod ipsi jam inde ab anno 1642. fundationem Conventus in Oppido Piscinæ Marsicanæ Diœcesis, in exequutionem legati domus, & summæ decem millium ducatorum sibi a quondam Lælio Thomasetti facti, de licentia Ordinarii, ac consensu Regularium, necnon Universitatis, & hominum dicti Oppidi inchoaverant, prout ex scripturis alias in eadem Congregatione Cardinalium exhibitis constare asserebant; nec fundationem hujusmodi subinde perficere potuerunt propter multa impedimenta, quæ supervenerant, ac deducta, & discussa fuerunt in prædicta Congregatione Cardinalium, quæ tunc ipsis Exponentibus legatum hujusmodi, quod a dilectis filiis Monachis Sylvestrinis occupatum fuerat, consignari curaverat: Ideoque iidem Exponentes mediante dicto legato fundationem prædictam prosequi, & absolvere intendebant.

§.1. Et licet non putarent sese sub Constitutione fel. recordationis Innocentii Papæ X. Prædecessoris nostri super extinctione, & suppressione parvorum Conventuum, anno 1652. edita comprehensos esse, cum novam fundationem Conventus non facerent, sed inchoatam anno 1642. de licentia Ordinarii prosequi, & perficere intenderent: nihilominus ad tollendam omnem difficultatem, & dubietatem opportunam sibi desuper licentiam a memorata Cardinalium Congregatione concedi plurimum desiderabant, attento quod ad eorum favorem licentia Ordinarii, & consensus necessarii, sicut supra dictum est, concurrerent: quodque legatum Domus, & decem millium ducatorum hujusmodi pro Fabrica Ecclesiæ, & Conventus, eorumque sustentatione abunde sufficeret idq; eo magis, quod ipsi exponentes juxta eorum Institutum eleemosynas quærere solent, unde etiam ultra numerum duodenarium sustentari possent, prout in hac Alma Urbe, aliisque locis experientia compertum erat; quodque in prædicto Oppido Piscinæ victualia, ac operæ, & res ad fabricandum necessarias satis vili prætio haberi possent, emanavit a prædicta Congregatione Cardinalium Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet.

Confirmat Pontif. decessorum.

§.2. Sacra Congregatio Eminentissimorum S.R.E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ, attentis narratis, & ex eo, quod de requisitis ad fundationem Conventus hujusmodi constitit, facultatem impertitur Episcopo Marsorum, ut ad ipsam fundationem procedi ad formam Constitutionum Apostolicarum concedat, ac decernat, contrariis quibuscumque non obstantibus. Romæ 15. Februar. 1664. M. Card. Ginettus.

Decr. Sacræ Congreg.

§.3. Cum autem, sicut Exponentes prædicti Nobis nuper exponi fecerunt, ipsi decretum hujusmodi pro firmiori ejus subsistentia, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere cupiant Nos specialem ipsis Exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præmissorum auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in præmiss. auctoritate Congregationis Cardinalium.

Decretum irritans.

§.4. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit, plenissime suffragari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contraria derogat.

§.5. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus fit, sub quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et literis Apostolicis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisq; contrariis quibuscumque.

Dat. die 16. Junii 1664. An.X.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 16. Junii 1664. Pontificatus nostri Anno X.

Con-

CDLXXIX.

Ex Regist. in Secret. Brev. Confirmatio Decreti Definitorii Generalis Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia, quod Commissarius Visitator Provinciæ S. Didaci Canarien. Ordinis hujusmodi ex eadem Provincia eligatur.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio. §. 1. EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Bernardus Andreas de Vera Lector Jubilatus, & Custos, & Antonius Valladares Guardianus, & Pro-Minister Provinciæ S. Didaci Canarien. Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum quod cum eadem Provincia trecentarum Leucarum intervallo ab Oris Hispaniæ distet, nec in ea tam copiosę fiant eleemosynę quam in Hispania, & Italia, ipsaque Provincia proinde summa egestate prematur, itaut illi non suppetat unde necessitatibus Fratrum subveniatur, & Conventus eleemosynis Missarum ad Religiosorum victum indigeant; Constitutio Generalis dicti Ordinis qua cavetur, quod Visitatores Commissarii cujuslibet Provinciæ sint electi ex altera vicinori, & quod non sint de ipsamet Provincia visitanda, in eadem Provincia Canarien. servari non potest. Nam Provincia hujusmodi, quæ in septem Insulis a se invicem dissitis unica existit, alteram sibi propinquam non habet, ex qua Commissarii Visitatores eligi possint. Accedit quod Insulæ Canarien. a Turcis infestantur, sicut etiam oræ Hispaniæ; Unde si Commissarius Visitator ejusque Socii caperentur, Provincia præfata, ut eos a captivitate liberaret, vasa argentea divino cultui dicata vendere cogeretur, atque ita Conventus calicibus ad celebrationem Missarum necessariis destituti remanerent. Præterea Commissarius Visitator secum ducere solet saltem Secretarium, ac Socium, & Fratrem Laicum, pro quorum expensis, accessus de Hispania, & reditus in Hispaniam summa mille quingentorum scutorum est necessaria, quam dicta Provincia suppeditare, simulque Religiosorum necessitatibus subvenire non valeret; periculumque esset ne Religiosi necessitate pressi ad votum paupertatis infringendum, & necessaria mediis illicitis sibi conquirenda contra Regulam, & in animarum suarum perniciem adducerentur. Nec minori consideratione dignum est, quod propter adeo graves sumptus Commissariorum Visitatorum ex Hispania venientium, illucque regrediendum dictæ Provinciæ Canarien. per multos annos impossibile fuerit mittere Vocales ad Capitula Generalia Ordinis prefati, quæ Toleti, & Romæ respective celebrata fuerunt.

§. 2. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, præmissis attentis, dicti Exponentes, supplicaverint dilectis filiis Definitorio Generali dicti Ordinis, ut decernerent, quod de cætero dilectus pariter filius Minister Generalis ejusdem Ordinis de tempore Capituli in præfata Provincia Canarien. celebrandi monitus, ex propositis per Definitorium ipsius Provinciæ quatuor, aut quinque Religiosis aptis, & idoneis unum eligere deberet in Commissarium, qui Provinciam visitare, ac Capitulum celebrare, & actus sui rationem eidem Ministro Generali reddere teneretur; hoc etiam per eosdem exponentes adjecto, quod Commissarii Visitatores ex Hispania missi unam tantum, vel duas ex præfatis Insulis visitare, ad alias vero propter earumdem distantiam, ac maris, Turcarumque pericula, suos Commissarios ex dicta Provincia nominatos mittere solebant. Cumque idem Definitorium Generale post maturam discussionem decreverit, quod attenta necessitate, ac itinerum periculis, necnon ad tollendas intolerabiles expensas, proponat deinceps ipsamet Provincia Canarien. Superiori Generali dicti Ordinis tres, aut quatuor Fratres ex eadem Provincia, ex quibus eligatur Commissarius Visitator, & ita in posterum observari mandaverit, non obstantibus in contrarium quibuscumque, prout in Decreto hujusmodi in Conventu Sanctæ Mariæ de Ara-Cœli de Urbe ejusdem Ordinis die 29. Maii proxime præteriti edito continetur: Nobis propterea dicti Exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut idem Decretum quo firmius subsistat, & servetur exactius, apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communire de benignitate apostolica dignaremur.

Confirmat Pontifex Decretum Definitorii Gen.

§. 3. Nos igitur ipsos Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, supra expressum Decretum Definitorii Generalis hujusmodi pro memorata Provincia S. Didaci Canarien., die 29. Maii proxime præteriti editum, ut præfertur, auctoritate apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Decretum firmatur.

§. 4. Decernentes eadem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac abillis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit inviolabiliter observari, & illis respective plenissime suffragari: sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogat contraria. §. 5. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon dictorum Ordinis, & Provinciæ, aliisve quibusvis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 17. Junii 1664. An. X. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 17 Junii 1664. Pontificatus nostri Anno X.

CDLXXX.

Ex Regest. in Secr. Brev. Confirmatio Decreti Definitorii Generalis Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia, quo conceditur septem Provinciis Peruanis Ordinis hujusmodi Alternativa Officiorum inter Fratres Hispanos, & Nationales, sicuti in nova Hispania servari solet.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium. §. 1. EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Custodes, & Prominstri septem Provinciarum Peruanarum Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum, quod ipsi decretum a Definitorio Generali dicti Ordinis obtinuerunt eorum libello supplici subnotatum tenoris, qui sequitur, videlicet.

Reverendissime Pater, cæterique RR. PP. ex Definitorio Generali.

Supplex Libellus a PP. Peruanis Definitorio datus. Patres Custodes, & Prominstri Provinciarum septem Peruanarum adsumus, & pervenimus ad Reverendissimas Paternitates Vestras in illa meliori forma, quæ nobis secundum jus pertinere possit cum illa etiam humilitate, quæ Nobis, ut subditis attinet ratione tantorum Patruum, & Prælatorum, & dicimus, quod cum jam per multum temporis spatium, & tam per multas etiam experientias cognita sint disturbia, jurgiaque inter illas pauperes Provincias, eo quod, tam multi sint Fratres diversi in Patria; Siquidem uni sunt Hispani, alteri ex altera natione, alteri etiam naturales, & oriundi ex illis partibus qui quidem communiter appellantur Criollos, ex quibus omnibus quotidie accidit construere quamdam partialitatem admodum Monarchiæ ita ferox, & rigorosa, ut non solum irregularis, verum etiam barbara, suo modo loquendo videntur, hoc est valde experimentatum, & quod pejus est, scandala, quæ oriuntur inter seculares, & irrisiones, quas ratione istius magni momenti, Nos talia scientes patimur: quapropter multis aliis rationibus, & fundamentis istius generis, quasi jam prænotatis, ut qualibet censura dignis, ut hoc malum, & perniciosum paci communi, & particulari illarum Provinciarum, & suo meliori commodo, & regimini, & tranquillitati Fratrum diversorum, & ut tollatur de medio inconveniens nationum, & omnes habeant tam in officiis, quam in cæteris functionibus suam intentionem, & omnia omnibus æquivalenter distribuantur ad vestras Paternitates Reverendissimas accedimus, & humillime petimus, necnon cum omni fiducia postulamus, ut illis nostris Provinciis Peruanis, modus alternandi in electionibus, vel alternativa, ut ita dicam concedatur eo simili modo, servatis servandis, quo concessum est Provinciis novæ Hispaniæ, ratione cujus omnes illæ Provinciæ pace gaudent, & tali suffragio ad invicem consolantur in Domino; utor etiam alio exemplari, quo jam fruitur una ex illis septem Provinciis Peruanis scilicet Provincia Sancti Francisci de Quito, in qua alternantes Fratres Hispani cum naturalibus communiter appellati, ut antea diximus Criollos, in omnibus electionibus, & officiorum distributione summa gaudent pace, & non est jurgium quoddam inter ipsos, imo Confraternitas desiderabilis, & amicitia mutua unis cum alteris intercedit; Hæc etiam alternativa habetur pro commodo speciali justitiæ distributivę in illis partibus Limæ apud Patres Augustinianos Regni de Quito, apud Patres Domenicanos, & sic multa alia exemplaria, quæ nec latent, nec latere possunt maxime apud Regentes, & Gubernantes homines, qui quidem sunt diversi in natione, Patria, moribus &c. Hoc est RR. PP. N. quod a Nobis postulatur, in cujus testimonio subscribimus nomina nostra, ut si inconveniens fuerit, ut nos judicamus, placueritque tanto, & superiori judicio fiat a RR. PP. VV. Aracœli, & Maii vigesimaoctava, die Anno Domini millesimo sexcentesimo sexagesimo quarto.

Frater Ignatius Irraraga, Custos Provinciæ Limensis.

Fr. Benedictus de Jesu Prominister Sancti Francisci Queti.

Fr. Bartholomæus Alunque Custos Sanctæ Fidei.

Fr. Gabriel Alfian Custos Provinciæ Quitensis.

Fr. Franciscus Perez de Ybieta Custos Charcarum.

Fr. Joannes Guttierez Prominister Sanctæ Fidei.

Fr. Didacus Corottada Prominister de Chilensis.

Suppoſita petitione Provinciarum conceditur Alternativa, ſicuti in nova Hiſpania uti ſolet die 5. Junii 1664.

Decretum Definitorii.

Fr. Blaſius a Benſumea Definitor Generalis, & Secretarius Definitorii.

§ 2. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, præfati Exponentes decretum hujuſmodi quo firmius ſubſiſtat, & ſervetur exactius apoſtolicæ confirmationis noſtræ patrocinio communiri ſummopere deſiderent.

Decretum hujuſmodi confirmat.

§. 3. Nos ſpecialem ipſis exponentibus gratiam facere volentes, & eorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, ſuppl cationibus eorum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſitorum conſilio, attentis narratis, ac viſo per eoſdem Cardinales decreto Definitorii generalis præinſerti tenoris in authentica forma exhibito, ipſum decretum auctoritate apoſtolica tenore præſentium benigne approbamus, & confirmamus, & executioni demandari jubemus; ſalva tamen ſemper in præmiſſis auctoritate Congregationis præfatorum Cardinalium.

Decretum irritans.

§. 4. Decernentes eaſdem præſentes Literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, pleniſſime ſuffragari, & ab illis reſpective inviolabiliter obſervari; Sicque in præmiſſis per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum

§. 5. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon quatenus opus ſit Ordinis, & Provinciarum hujuſmodi, etiam juramento, confirmatione apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, approbatis, & innovatis, Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Dat. die 20. Jan. 1664. An.X.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, ſub Annulo Piſcatoris, die vigeſima Junii 1664. Pontificatus noſtri Anno Decimo.

CDLXXXI.

Statuit, ut de cætero Capitula Provincialia in qualibet Provincia Congregationis Clericorum Secularium Doctrinæ Chriſtianæ Galliæ ſingulis trienniis intra menſem Septembris, vel Octobris habeantur; Capitulum vero Generale ſingulis tantum Sexenniis celebretur loco, & tempore a Præpoſito Generali deſignandis, &c.

Ex Regeſt. in Secret. Brev.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

AD paſtorale faſtigium, meritis licet imparibus, divina diſpoſitione evecti, fælici Congregationum virorum pietatis officiis aſſidue incumbentium regimini, & gubernio libenter intendimus, ut Congregationes ipſæ laudabilibus ſuis Inſtitutis inhærentes proſperioribus in dies (benedicente Domino) proficiant incrementis.

Expoſitio.

§. 1. Exponi ſiquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Franciſcus Avias Presbyter, & Procurator Generalis Congregationis Clericorum Secularium Doctrinæ Chriſtianæ in Gallia, quod juxta tenorem quarumdam noſtrarum in ſimili forma Brevis literarum Anno 1659. emanatarum, quibus cavetur, ut Capitulum Generale dictæ Congregationis cum præſcripto numero Vocalium ſingulis trienniis celebretur, menſe Septembri proxime præterito celebratum fuit Toloſæ ultimum Capitulum Generale ejuſdem Congregationis in quo Vocales congregati, viſis inſtantiis miſſis a Provinciis ipſius Congregationis ſupplicantibus, ut Capitula Provincialia, quæ in Capitulo Generali præcedenti Avenione Anno 1660. habito ſuppreſſa fuerant, reſtituerentur, & in unaquaque Provincia ſingulis trienniis more ſolito intra menſem Septembris, vel Octobris celebrarentur, reque mature diſcuſſa, & attenta facultate Conſtitutiones condendi, ac conditas pro rerum, & temporum qualitate variandi, & alias de novo edendi, Præpoſito Generali cum aſſenſu Capituli Generalis ejuſdem Congregationis a fel. rec. Innocentio Papa X. Prædeceſſore noſtro Anno 1647. conceſſa, decreverunt reſtituenda eſſe cuilibet Provinciæ Congregationis hujuſmodi ſua Capitula Provincialia ſingulis trienniis, ut hactenus celebranda intra menſem Septembris, vel Octobris; quod quidem Decretum, abſoluto præfato ultimo Capitulo Generali, in unaquaque Provincia ipſius Congregationis executioni demandatum fuit. Et poſtmodum in eodem ultimo Capitulo Generali decretum fuit, attentis reſtitutione Capituli Provincialis in qualibet Provincia ſingulis trienniis celebrandi hujuſmodi, ac prorogatione dictæ Congrega-

bus Vicarius Generalis Congregationis hujuſmodi, cum electus fuerit adjungatur; Præterea, ut duo Diſcreti, unus ſcilicet Rector, & alius non Rector ex qualibet Provincia mittendi ad Capitulum Generale, in Capitulo Provinciali immediate præcedenti Capitulum Generale eligantur; eveniente autem obitu Præpoſiti Generalis dictæ Congregationis, is qui defuncti vices geret ex præſcripto Conſtitutionum ejuſdem Congregationis non expectato ſexennio teneatur intra ſex menſes convocare Capitulum Generale, in quo ſi ante illius celebrationem non præceſſerit Capitulum Provinciale in Provinciis, interveniant iidem duo Diſcreti, qui præcedenti Capitulo Generali interfuiſſe reperientur, auctoritate apoſtolica tenore præſentium concedimus, & indulgemus, ac ſtatuimus, & ordinamus.

Decretum irritans.

§. 4. Decernentes eaſdem præſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab illis ad quos ſpectat, & pro tempo re quandocumque ſpectabit inviolabiliter obſervari; Sicque in præmiſſis per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariorol. lit.

§. 5. Non obſtantibus literis præfatis, aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon dictæ Congregationis, ejuſque Provinciarum quarumlibet, etiam juramento, confirmatione apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegii quoque, indultis, & Literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, approbatis, & innovatis, Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Tranſumpto- tum fides.

§. 6. Volumus autem, ut earumdem præſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis eadem prorſus fides ubique locorum tam in judicio, quam extra illud adhibeatur, quæ ipſiſmet præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Dat. die 15. Junii 1664. An.X.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, die 25. Junii 1664. Pontificatus noſtri Anno X.

CDLXXXII.

Quod Feſtum S. Dominici celebretur de Precepto in toto Regno Neapolitano tanquam de Patrono, cum Octava.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

COmmissi Nobis divinitus Sacrosancti Apostolatus officii ratio postulat, ut piis Christifidelium votis, quibus Sanctorum in Cœlis regnantium honor, & veneratio in terris augentur, paterna benignitate annuamus.

S. Januarius in toto Regno Neapolitano dignior Patronus.

§. 1. Cum itaque ea semper fuerit erga S. Januarium dilectorum filiorum Populi Neapolitani Religio, ut quamvis idem Populus S. Dominicum Confessorem in totius Regni patronum duxerit assumendum, cum tamen S. Januario digniori Patrono, utpote Martyri Pontifici, præferendum nunquam assenserit.

Et S. Rituum Congr. Præeminentias utpote digniori Patrono decrevit.

§. 2. Proindeque Congregationi Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus Præpositorum iterum, atque iterum supplicaverit, ut debitas Sancto Januario Martyri, & Pontifici Patronatus Regni præeminentias decerneret: & eadem Congregatio supplicationibus hisce die 4. Augusti 1663. benigne subscripserit,

D. Dominici festum de præcepto servari mandat.

§. 2. Nunc vero, ne exinde in eodem Regno devotio erga S. Dominicum decrementum aliquod patiatur, Populus prædictus festum ejusdem S. Dominici Patroni in toto Regno Neapolitano pariter de præcepto servari, ejusque Officium cum Octava, ut hactenus, ab universo Clero inibi recitari summopere desideret: Nos memorati Populi devotionem specialis favore gratiæ prosequi cupientes, ipsiusque Populi singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes.

Quod approbatur a Pont.

§. 4. Supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de prædictorum Cardinalium consilio festum ejusdem S. Domiuici Patroni in Universo Regno Neapolitano prædicto ab omnibus Christi fidelibus illic degentibus de præcepto servari, & sicuti alia festa de præcepto celebrari, ejusque Officium cum Octava, ut hactenus, ab universo Clero ejusdem Regni recitari, auctoritate Apostolica tenore præsentium decernimus, præcipimus, & mandamus, salva tamen in præmissis auctoritate prædictæ Congregationis Cardinalium. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Derogatio contrariorum

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Transumptorum fides.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sua Annulo Piscatoris, die 28. Junii 1664. Pontificatus nostri Anno X.

AN. CH. 1664. Dat. die 28. Junii 1664. An. X.

CDLXXXIII.

Ut in Regnis Hispaniarum, & Indiarum de præcepto recitetur officium, & Missa Conceptionis B. Mariæ Virginis Immaculatæ cum Octava.

Ex Regest. in Secr. Brev.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Motiva.

QUÆ inter præclaras, multiplicesq; Charissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum Regis Catholici virtutes eximie elucet erga Beatissimam Virginem Dei Genetricem Mariam devotio, aliaque omni laude digna ejusdem Philippi Regis in res sacras studia promoventur, ut piis ejus votis ad augendum ejusdem Beatissimæ Cœli Reginæ cultum tendentibus paterna benignitate libentissime annuamus.

Officium, & Missa Beatæ Conceptionis cum Octava in Hispaniis.

§. 1. Itaque iteratis, piisque precibus memorati Philippi Regis nomine Nobis humiliter porrectis benigne inclinati, ut in omnibus Regnis Hispaniarum, & Indiarum ejusdem Philippi Regnis Imperio subjectis tum a secularibus, tum a Regularibus utriusque sexus, qui horas Canonicas recitare tenentur, Officium, & Missa Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis Immaculatæ cum octava in posterum de præcepto recitetur cum lectionibus in Octavario Romano a Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus præpositorum approbato contentis, & a die octava ad decimam quintam Decembris rite dispositis auctoritate Apostolica tenore præsentium mandamus, & decernimus; idemque officium ad usum ejusdem Cleri seorsum ab Octavario Romano imprimi posse concedimus.

Clausulæ sublatæ.

§. 2. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§. 3. Volumus autem, ut earumdem præsentium Literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum, & gentium tam in judicio, quam extra illud adhibeatur, quæ ipsismet præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 7. Julii 1664. Pontificatus nostri Anno X.

Dat. die 7. Julii 1664. An. X.

CDLXXXIV.

Confirmatio Alternativæ in electione Provincialis, & aliorum Officialium Provinciæ S. Josephi de Jucatan. in nova Hispa-

Ex Regest. in Secr. Brev.

Hispania Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio.

§. 1. EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Fratres Provinciæ S. Josephi de Jucatan. in nova Hispania Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum, quod alias postquam dilectus filius Michael Angelus a Sambuca tunc temporis Minister Generalis dicti Ordinis Alternativam in electione Ministri Provincialis, & aliorum Officialium dictæ Provinciæ jampridem ad litium occasiones extirpandas, de communi omnium consensu determinatam, seu stabilitam, & non solum per quondam Joannem Merinero, dum vixit Ministrum Generalem Ordinis hujusmodi, sed etiam in Capitulo Generali ejusdem Ordinis Toleti Anno 1645. celebrato roboratam approbaverat, ratificaverat, & confirmaverat per suas Patentes Literas tenoris, qui sequitur videlicet.

Frater Michael Angelus a Sambuca, totius Ordinis Fratrum Minorum Seraphici Patris Nostri Francisci Minister Generalis, & servus, Dilecto Nobis in Christo P. Fratri Josepho de Arcila Provinciæ nostræ Sancti Josephi de Jucatan. in Regno novæ Hispaniæ, salutem in Domino sempiternam.

Requiritur Minister Gen. de alternativa prout in sub.

§. 2. Cum jam pridem per Patres Provinciæ nostræ Sancti Josephi de Jucatan. in Regno novæ Hispaniæ, de communi omnium consensu ad litium occasiones extirpandas, determinata fuerit Alternativa in electione Ministri Provincialis, & aliorum Officialium, confirmataque per Reverendissimum P. Fratrem Joannem Merinero Ministrum Generalem, ac postmodum omnimode roborata in Capitulo Generali Toleti celebrato Anno millesimo sexcentesimo quadragesimo quinto, quo non obstante in pacis dispendium, aliquando executa non fuit per Commissarios Generales, & Commissarios Visitatores illius Regni sub variis prætextibus; Nobis humiliter P. V. suo, & totius Provinciæ nomine, supplicari fecit, quatenus prædictam Alternativam iterum confirmare, & sub gravibus pœnis observari mandare, dignaremur.

Et Generalis illam approbat

§. 3. Hinc est, quod pro nostri muneris ratione prædictæ Provinciæ tranquillitati, meliorique gubernio providere volentes Alternativam prædictam denuo approbamus, ratificamus, & confirmamus. Præcipientes pro ejus inviolabili observatione Commissariis Generalibus novæ Hispaniæ nunc, & pro tempore existentibus in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub excommunicationis latæ sententiæ pœna, ut prædictam alternativam inviolabiliter servent & ab aliis, ad quos spectat, & spectabit quomodolibet, servari curent: alioquin si eos in hac parte deliquisse compertum fuerit, ad propriam Provinciam regredientes omni privilegio, titulo, immunitate, & exemptione privati remaneant. Ita præcipimus, ordinamus, & mandamus, non obstantibus quibuscumque. Datum Romæ in Conventu nostro Aracœlitano die 16. mensis Maii Anno 1664.

Fr. Michael Angelus de Sambuca Minister Generalis.

Fr. Christophorus de Chaves Secretarius Generalis Ordinis.

Illamque observari mandat Eminentissimus Ordinis Protector.

Venerabilis Frater noster Franciscus Episcopus Portuen. Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Barberinus nuncupatus Ordinis præfati apud Nos, & Sedem Apostolicam Protector eandem Alternativam confirmavit pariter, & approbavit, ac inviolabiliter observari mandavit per suas quoque patentes Literas tenoris sequentis, videlicet.

Franciscus Miseratione Divina Episcopus Portuensis Cardinalis Barberinus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Vice-Cancellarius Ordinis Minorum Sancti Francisci Protector, Corrector, & Gubernator.

Dilectis Nobis in Christo Commissario Generali novæ Hispaniæ Ministro Provinciali, Custodi, ac Definitoribus, cæterisque Fratribus præsentibus, & futuris Provinciæ Sancti Josephi de Jucatan. in partibus Indiarum, salutem in Domino sempiternam.

Cum (sicut accepimus) ad tollendas discordias, & litium occasiones in hujusmodi vestra Provincia amputandas omnium suffragiis determinatum fuerit in electionibus Ministri Provincialis, & aliorum officialium servandam esse Alternativam, quæ postmodum confirmata, & approbata fuit a piæ mem. P. Joanne Marinero, & demum in Capitulo Generali Toletano Anno 1645.; nihilominus sub diversis prætextibus nonnulla in contrarium attentata, seu innovata fuerunt per Commissarios Generales, seu Visitatores, aliosque non sine animorum perturbatione, & religiosæ quietis detrimento; Quibus omnibus occurrere, ut par est, auctoritate nostra cupientes, audita relatione P. Ministri Generalis alternativam præfatam ex certa scientia confirmamus, & approbamus, ac inviolabiliter observari mandamus. Quocirca vobis omnibus, & vestrum cuilibet stricte præcipimus, & inhibemus, ne aliquid in contrarium quavis de causa, aut quæsito colore attentare præsumat sub pœnis nullitatis, atque privationis vocis activæ, & passivæ, privilegiorum, & perpetuæ inhabilitatis ad eadem ubique obtinenda, necnon excommunicationis latæ sententiæ ipso facto incurrendis. Datum Romæ in Cancellaria Apost. die 31. Maii 1664.

F. Card. Barberinus Protector.

Fr. Idelphonsus Salizanes Minister Generalis.

Agapitus Colortius Secretarius.

Confirmatio Apostolica petitur.

§. 3. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, præfati Exponentes præmissa quo firmius subsistant, & serventur exa-

exactius, apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desideret: Nos specialem ipsis Exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Alternativam in electione Ministri Provinciæ, & aliorum Officialium supradictæ Provinciæ Sancti Josephi de Jucatan., sicut præmittitur, stabilitam, & roboratam, a memoratis Francisco Cardinale Protectore, & Michaele Angelo Ministro Generali confirmatam, & approbatam, expeditasque desuper respective eorumdem Francisci Cardinalis Protectoris, & Michaelis Angeli Ministri Generalis literas patentes præinsertas auctoritate apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Et Pontifex illam confirmat.

Decretum irritans.

§. 4. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 5. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit Provinciæ, & Ordinis præfatorum, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 7. Junii 1664. An. X.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die septima Julii 1664. Pontificatus nostri Anno Decimo.

CDLXXXV.

Ex Regest. in Secr. Brev.

Confirmatio quorumdam Statutorum Provinciæ Franciæ Ordinis B. Joannis Dei in Capitulis generalibus dicti Ordinis ab anno 1645. Romæ celebratis, cum participatione Eminentissimi D. Cardinalis Ginetti Protectoris.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Supplicatio.

§. 1. EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Fratres Provinciæ Franciæ de charitate nuncupat. Ordinis B. Joannis Dei, quod in Capitulis Generalibus dicti Ordinis ab anno 1645. celebratis in hac Alma Urbe cum participatione, & consensu Venerab. Fratris nostri Martii Episcopi Sabinen. S. R. E. Cardinalis Ginnetti nuncupati ejusdem Ordinis apud Nos & Sedem Apostolicam Protectoris facta, & stabilita fuerunt, statuta infrascripta in eadem Provincia Franciæ deinceps observanda, videlicet.

Quod Fratres Galli debebunt de triennio in triennium celebrare Capitula Provincialia, ubi electo per eos Præsidente Capituli celebrandi, eligent pariter Provincialem, Priores, & duos Assistentes Provinciæ, qui a dicto Præsidente confirmabuntur; Novus autem Provincialis statim atque electus fuerit, habebit, & debebit exercere munus Vicarii Generalis, & illi, & non alii debebit Superior Generalis Ordinis præfati mittere patentes Literas Vicariatus Generalis. Deinde quod sequuto Provincialis obitu, subintrabit in ejus officium ejus Antecessor immediatus, illoq; ex causa morbi, vel aliter impedito, succedet qui eum præcessit, & hoc quoque deficiente primus Assistens Provinciæ; deficientibus autem omnibus istis, primus Prior secundum Ordinem Conventuum. Et Provincialis sic substitutus habebit eamdem auctoritatem, quam habebat defunctus Provincialis, ac exercebit ambo officia Provincialis, & Vicarii Generalis quousque alius Provincialis in proximo Capitulo, quod tempore solito celebrabitur, electus fuerit. Quod si Superior Generalis Capitulum in quinto mense celebrationem illius præcedente non intimaverit, ad Provincialem spectabit ejusmodi intimationem facere. Præterea quod Superior Generalis non concedet ulli Religioso dictæ Provinciæ Literas dimissoriales ad effectum suscipiendi Sacros Ordines, nisi prius viderit attestationem de vita, & moribus ejusmodi Religiosi subscriptam a Superiore majori Provinciæ, ac a Superiore familiæ, in qua dictus Religiosus reperietur, & ubi per aliquod tempus habitaverit; Quod si aliquis Religiosus sese contra formam jam dictam ad Ordines promoveri curaverit, in Italia retineri debebit, si autem in Franciam redire voluerit, interdictum ei erit exercitium Sacrorum Ordinum perinde ac si Religionis habitum dimisisset, juxta dispositionem quarumdam felic. recordat. Pauli Papæ V. Prædecessoris Literarum die 1. Julii 1609., ut asseritur, emanatarum.

Cum

sequiis sese sub suavi Religionis jugo manciparunt, uberesque bonorum operum fructus assidue proferre satagunt, curam gerentes, eosque peculiari charitate prosequentes, illa, quæ pro felici eorum in via Domini directione, prosperoque gubernio provide, sapienterque constituta esse noscuntur, pro firma, illibbataque permaneant, & inviolabiliter serventur, apostolici munaminis nostri patrocinio constabilimus.

Petunt a Pontifice prædict. statut. rum confirmationem.

§. 2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, præfati exponentes statuta hujusmodi, ut firmius subsistant, & serventur exactius, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desiderent; Nos specialem ipsis Exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum, consilio, attentis narratis, & habita desuper per eosdem Cardinales relatione, ac voto memorati Martii Cardinalis Protectoris, præinserta statuta auctoritate Apostolica tenore præsentium benigne approbamus, & confirmamus, atq; exequutioni demandari jubemus, quatenus tamen ejusdem Ordinis Constitutionibus præsertim Apostolica auctoritate roboratis non repugnent.

Expositio.

Decretum irritans.

§. 3. Decernentes easdem præsentes literas, semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, pleniſſime suffragari, & ab illis respective inviolabiliter observari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 15. Julii 1664. An. X.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 15. Julii 1664. Pontificatus nostri Anno X.

Ordinationes factæ a Definitorio generali.

Definitiones factæ in Definitorio Capituli Generalis Congregationis Observantiæ Lombardiæ Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Augustini in Conventu Sanctæ Mariæ de Populo Romæ celebrati Sabbato ante Dominicam quartam post Pascha Resurrectionis Anno Domini 1664. interessentibus Eminentissimo, & Reverendissimo D. Domino Joanne Baptista Episcopo Albanensi S. R. E. Cardinali Pallotto totius Ordinis S. Augustini Protectore, ac ejusdem Capituli Generalis Præsidente, & admodum RR. PP. Hieronymus de Sauliano Vicario Generali noviter electo, Donato de Bergomo Vicario Generali absoluto, ac Angelo Maria de Mediolano, Fulgentio de Casali, Francisco de Menenio, & Joanne Carolo Maria de Genua Definitoribus; necnon Julio Cæsare de Lauda, & Joanne Francisco de Vitelliana Visitatoribus, Carolo de Ponte Vico, & Carolo di Immola loco Patrum Angeli de Pontenico, & Modesti de Cremona Visitatorum absentium subrogatis; necnon aliis opportune subrogatis in locum aliquorum ex prædictis respective prout in actis capitularibus.

Cum qui præsunt, zelum divini cultus sedulo induere in sollicitudine debeant, ac circa commissum sibi gregem vigiles semper admonere teneantur oculos, hinc est, quod in prædicto Capitulo Generali Congregationis observantiæ Lombardiæ Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini in Conventu Sanctæ Mariæ de Populo Romæ, ut supra celebrato, præfatus Eminentissimus, & Reverendissimus Dominus Joannes Baptista Episcopus Albanensis S. R. E. Cardinalis Pallottus totius Ordinis Sancti Augustini vigilantissimus Protector, ac ejusdem Capituli Generalis Apostolicus Præsidens a Sanctissimo Domino nostro Alexandro Papa VII. per literas in forma Brevis sub die septima Maii ejusdem Anni

---

CDLXXXVI.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Confirmatio quarumdam Definitionum in Definitorio Capituli Generalis Congregationis observantiæ Lombardiæ Ordinis Eremitarum S. Augustini cum interventu Emi D. Cardinalis Pallotti Protectoris, & Præsidentis pro felici gubernio ipsius Congregationis factarum.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

SAcrosancti Apostolatus Officii, quod auctore Deo gerimus, sollicitudo Nos admonet, ut paternam Christifidelium, qui spretis mundi illecebris, Altissimi ob-

ni 1664. emanatæ ſpecialiter deputatus, & prædicti alii RR.PP. integrum completum, & canonicum Corpus Definitorii perficientes unicuique dictæ Congregationis Religioſo verba illa S. Paramiaſtes memorantes: *Si volueris mandata ſervare conſervabunt te*, ſequentes mandarunt, & ordinarunt Definitiones, videlicet.

I. Declaratum, & decretum fuit, nedum Definitores, verum etiam Viſitatores, Lectoratus gradu eſſe debere inſignitos, eorumque ſufficientiam per Lecturas, aut Prædicationes, vitæ probitate accedente, a Patre Vicario Generali, & Examinatoribus deputatis per ſecreta ſuffragia, majori parte votorum concurrente, in literis patentibus ab eodem Patre Vicario Generali expeditis cognoſcendam, & approbandam eſſe; abſentibus autem, aut deficientibus Examinatoribus, vel aliquo eorum, Patrem Viſitatorem Generalem alios aſſumere debere, quos idoneos judicaverit.

II. Neminem impoſterum poſſe in Priorem alicujus Conventus eligi, aut deputari, qui trigeſimum ætatis annum non compleverit, & duodecimum ad minus in Congregatione poſt profeſſionem laudab liter vixerit; omninoque vetitum ſit Patri Vicario Generali pro tempore creare, aut deputare aliquem in Priorem, non ſervata forma, & non concurrentibus requiſitis, ac conditionibus in Conſtitutionibus, & Definitionibus, etiam præſentibus præfixis; quod ſi ipſe Pater Vicarius Generalis contrafecerit, decretum fuit, ipſum utraque voce privatum ſaltem per triennium remanere, hujuſque pœnæ declarationem, & executionem ad Definitorium ſpectare.

III. Prævia confirmatione, & quatenus opus ſit innovatione Definitionis duodecimæ in Capitulo Generali Romano 1644. decretum fuit Priores creatos, & creandos poſt prædictam Definitionem, & Capitulum, nullatenus poſſe habere vocem in Capitulo Generali, prærogativiſque, ac titulo Priorum eatenus gaudere, quatenus fuerint in actuali gubernio Conventuum, quo peracto redire teneri ad ſuæ profeſſionis locum ſub pœna privationis vocis activæ, & paſſivæ per ſexennium.

IV. Decretum fuit, quod illi, qui ratione Lecturæ, ſeu Prædicationis locum, & vocem ſuper alios reſpective vigore Definitionis XIII. præfati Capituli Generalis Romani 1644. obtinuerint, eumdem locum, & prærogativam retineant etiam reſpectu eorum, qui locum, & vocem ex vi dictæ Definitionis poſt ipſum aſſecuti fuerint, licet profeſſione anteriores.

V. Decretum fuit, quod inter Priores, quibus Prioratus gradus fuerit in eodem Definitorio collatus præcedentia illi competat, qui in Profeſſione fuerit anterior etiamſi forſan in poſteriori ſeſſione ejuſdem Definitorii fuerit in Priorem Conventus conſtitutus.

VI. Cum legitimam, ſeu rationabilem cauſam, propter quam liceat Prioribus recuſare, ſeu non acceptare, aut renuntiare actuale gubernium Conventuum, fuit decretum quod ſi hujuſmodi recuſatio, non acceptatio, aut renunciatio facta fuerit durante Capitulo generali, ſeu Dieta ad judicium Definitorii pertineat; ſi autem extra tale tempus acciderit ad Patrem Vicarium Generalem Judicium ſpectet etiam auctoritate Capituli Generalis, ſeu Dietæ cum voto ſaltem quatuor ex Patribus, qui jus habeant ingrediendi Definitoria.

VII. Quoad Lectorum creandorum examen non modo ſervari debere ea, quæ diſponuntur in Definitione XVI. Capituli generalis Romani 1644., & in Capitulo generali Cremonenſi 1650. ſed ulterius præſcriptum fuit, quod his, qui ad Lectoratum conſequendum examinandi ſunt dentur tria puncta, ſeu quæſtiones ſorte extractæ ex diverſis tractatibus ſummæ Divi Thomæ per vigintiquatuor horas ante ſuper quibus lectionem, ſive explanationem latino idiomate facere teneantur coram Examinatoribus, a quibus Concluſiones ex materiis explanatis impugnandę erunt ſolventes ipſi objectiones. Præceptum autem fuit prædicta omnia, ut ſupra diſpoſita ita ſervari, ut aliquo non ſervato totum quod geſtum fuerit irritum ſit, & inane, & P. Vicarius Generalis ſubjaceat pœnis ſuperius taxatis.

VIII. Decretum fuit, quod in poſtulatione conventuali Priorum ad Capitulum generale mittenda, quæ per ballottationem fieri debet, præcedat nominatio a quolibet Vocali Conventus, ſaltem duorum, quæ quidem nominatio per ſchedulas fiat manu unius, vel plurium ſcriptas, ut ſecretum magis ſervetur, & illi tres, qui a pluribus fuerint in ſchedulis nominati, imbuſſulentur, & ballottentur in primo, ſecundo, & tertio loco ad præſcriptum noſtrarum Conſtitutionum.

IX. Modus recipiendi Novitios ad habitum in Congregatione aſſignatus in definitione XX. Capituli Gener. Romani 1644. omnino fuit reductus ad præſcriptum Decreti Sanctiſſ. D. N. Alexandri Papæ VII. pro recipiendis Novitiis in Congregatione noſtra emanati. Atteſtationes autem, & petitiones ex vi præfati Decreti ad Patrem Viſitatorem mittendæ ad eumdem non tranſmittantur, niſi per manus Patris Vicegerentis loci, ſeu Conventus cujus nomine Novitius acceptatur.

X. Caputium nimis latum, & Manicæ capparum nimis latæ prohibitæ ſint, & decretum fuit, quod Manicæ non excedant in circumferentia quatuor palmos Romanos, & caputia ad cubitos non pertingant, & in anteriori parte zonam non cooperiant ſub pœnis arbitrio Patris Vicarii Generalis.

XI. Fuit Decretum, quod Lectores, qui Lecturas Scholaſticas actu non exercent, aut Prædicationibus non ſunt addicti juſſu Prioris docere teneantur Grammaticalia Clericos Grammaticæ inſtructionibus indigentes ſub pœna privationis Lectoratus ſi docere recuſaverint.

Reſo-

XII. Reſolutum, & Decretum fuit omnium actorum Capitulorum Generalium, & Dietarum, item omnium Decretorum Sacrarum Congregationum Curiæ Romanæ, necnon omnium Literarum Apoſtolicarum, tam ſub plumbo, quam ſub Annulo Piſcatoris concernentium intereſſe Congregationis; Item omnium inſtrumentorum piarum diſpoſitionum, legatorum, ſententiarum, ſeu decretorum jura omnium, & ſingulorum Conventuum Congregationis tangentium, originalia accurate, & diligenter conſerventur in Archivio Congregationis in Conventu Sanctæ Mariæ de Populo Romæ ad id ſpecialiter deputato, in loco bene tuto, & ſecuro cum crate ferrea, & porta valida, & bene firmata, tribus clavibus obſeranda, quarum una pœnes Priorem dicti Conventus, alia pœnes Procuratorem Generalem pro tempore, & alia pœnes Religioſum ejuſdem Conventus a Capitulo ejuſdem Conventus eligendum remaneant, & copiæ in authentica forma omnium prædictarum ſcripturarum conſerventur in Archivio altero Congregationis aſſignato in Conventu Sancti Auguſtini Cremonæ cum qualitatibus pro Archivio Romano deſcriptis, & una ex tribus clavibus ſervetur pœnes Priorem Conventus pro tempore, & aliæ duæ pœnes Syndicos ejuſdem Conventus, & aliæ copiæ ſimiliter authenticæ prædictarum omnium ſcripturarum in alio pariter Archivio Congregationis conſerventur, aſſignando in Conventu Sancti Jacobi in Carignano Genuæ cum iiſdem prorſus conditionibus ſupra aſſignatis, expenſis intereſſe habentium, retineatur tamen in Archivio cujuslibet Conventus copia pariter authentica omnium inſtrumentorum, & ſcripturarum ad eundem Conventum ſpectantium.

Quorum omnium executio ſtricte injungitur P. Vicario Generali, ut omnino infra annum curet illorum implementum, & Patres Viſitatores de hujuſmodi implemento in Viſitatione ſedulo inquirant, & ubi opus fuerit, prædicta adimpleri curent, & faciant, & in proximo Capitulo Generali accurate, & fideliter referant.

XIII. Decretum fuit, quod ex mille quingentis duplis aureis Hiſpaniarum depoſitis Taurini ex retractu Conventus Sancti Nicolai de Broù Borgi Brixiæ, qui quidem contractus locum habeat ad formam, & præſcriptum Literarum Apoſtolicarum Sanctiſſimi Domini noſtri, & non alias aliter, nec alio modo &c. tranſmittantur quo nunc Romam hic integre perſolvenda ſcuta quatuor mille monetæ Romanæ, ad effectum inveſtiendi in locis montium non vacabilium Romanæ Curiæ Cameralium, ſeu Communitatum dictam integram ſummam ſcutorum quatuor millium monetæ Romanæ, & reliqua, quæ ſuperſunt, relinquantur ad commodum unius, vel plurium Conventuum Regionis Pedemontium noſtræ Congregationis juxta intentionem datam Sereniſſimo Sabaudiæ Duci, vel illius Miniſtris, & hujuſmodi applicatio fiat ad commodum unius, vel plurium dictorum Conventuum cum onere ſummam præfatam inveſtiendi in bonis ſtabilibus liberis, & ſecuris, & quod talis applicatio ſit remiſſa ad arbitrium P. Vicarii Generalis præſentis, reſervato beneplacito Apoſtolico, & non alias aliter, nec alio modo.

XIV. Decretum fuit ulterius, quod fructus percipiendi ex dictis ſcutis quatuor millibus monetæ Romanæ inveſtiendis in tot locis montium non vacabilium Cameralium, ſeu Communitatum ex retractu prædicti Conventus Sancti Nicolai de Broù ad favorem, & in creditum Congregationis noſtræ applicentur, & expendantur tantum pro urgentiis, & neceſſitatibus extraordinariis præfatæ Congregationis a Definitorio Capituli Generalis cognoſcendis, & approbandis per vota ſecreta tribus ſaltem ex quatuor partibus concurrentibus; ita tamen ut ſi omnes fructus prædicti, vel pars ipſorum in hujuſmodi neceſſitatibus, & urgentiis ſervata forma prædicta non expendantur, inveſtiri debeant in tot locis montium ſimilium, & hoc idem faciendum ſit de fructibus percipiendis tam de locis montium primo acquirendis, quam de aliis emendis ex fructibus ſucceſſive percipiendis. Quæ quidem loca montium ex fructibus, ut præfertur, emenda, & multiplicanda, remaneant ſub libera diſpoſitione prædicti Definitorii Capituli Generalis pro tempore, ad effectum tamen erogandi prædictos fructus non niſi in gravioribus neceſſitatibus, & contingentiis noſtræ Congregationis, tribus ſaltem ex quatuor votorum partibus concurrentibus per vota ſecreta, reſervato pro ſubſiſtentia præſentis definitionis beneplacito Apoſtolico, & non alias aliter, nec alio modo.

XV. Item decretum fuit, quod mille Duplæ aureæ Hiſpaniarum, quæ hodie remanent pœnes Patres Diſcalceatos Ordinis S. Auguſtini Congregationis Franciæ, & quæ juxta diſpoſitionem Literarum Apoſtolicarum Sanctiſſimi Domini Noſtri ſuper ceſſione præfati Conventus S. Nicolai de Broù ſolvendæ ſunt a dictis Patribus Diſcalceatis, cum ad manus, & commodum dictæ noſtræ Congregationis pervenerint, tunc inveſtiendæ ſint in tot locis montium non vacabilium Romanæ Curiæ Cameralium, ſeu Communitatum, ad favorem ejuſdem Congregationis eiſdem modo, & forma, tam quoad ſortem prædictam, quam quoad fructus, & alia in omnibus, & per omnia, ut ſupra dictum eſt, de ſcutis quatuor millibus inveſtiendis ex Duplis mille, & quingentis retractis ex ceſſione præfati Conventus S. Nicolai, & depoſitis Taurini, & de fructibus ſubinde percipiendis.

XVI. Statutum, & decretum fuit, quod in futurum ad Capitulum Generale convenire debeant tantum P. Vicarius Generalis actualis, Patres Vicarii Generales abſoluti, Patres Definitores, & Viſitatores actuales, Pater Procurator Generalis, Pa-

ter Socius, seu Scriba P. Vicarii Generalis actualis, P. Secretarius Congregationis, licet alias in Capitulo Generali vocem non haberet, & Patres Priores actuales, & qui juxta Definitionem 13. Capituli Generalis Romæ celebrati de Anno 1644. votum obtinuerint, exclusis Patribus Prioribus vacantibus, & Patribus Discretis ex gravissimis causis in Definitorio propositis, & plene discussis, reservato tamen beneplacito Sedis Apostolicæ, & non alias aliter, nec alio modo.

XVII. Statutum fuit, quod in futurum Patres omnes Vicarii Generales absoluti ingredi possint Definitoria tam Capituli Generalis, quam Dietæ, & alia etiam extraordinaria, cum voto una cum Patribus Vicario Generali pro tempore, seu Vicario Generali absoluto respective, & quatuor Patribus Definitoribus, & quatuor Visitatoribus electis, seu subrogatis, cum prærogativa tamen non solum præcedentiæ respectu Definitorum, & Visitatorum prædictorum, verum etiam Præsidentiæ in casibus, in quibus Præsidentia alias spectasset ad primum Definitorem: hoc tamen ordine, & modo, ut inter plures Vicarios Generales absolutos illi Præsidentia competat, qui alias Præsidentiæ munus non obierit, & inter plures, qui eodem Præsidentiæ munere functi non fuerint, is præferatur, qui ante alios munus Vicariatus Generalis adimpleverit; & si omnes Vicarii Generales absoluti prædicto munere Præsidentiæ aliquando functi fuerint, tunc inter illos per circulum, is præsidere debeat, qui prius Vicarii Generalis Officium exercuerit: & successive ii, qui postea eodem officio functi fuerint, non concurrente tamen alio, qui munus dictæ Præsidentiæ nunquam impleverit, qui semper præferatur iis, qui aliquando præfato munere Præsidentiæ functi fuerint. Quod Vicarii Generales absoluti ineligibiles sint, & incapaces Officii Definitorum Generalium, & Visitatorum Generalium, & dummodo ex omnibus qui, ut supra, jus habent ingrediendi Definitorium, novem præsentes sint subrogationi vice absentium, seu deficientium locus non sit, reservato tamen Beneplacito Apostolico, & non alias aliter, nec alio modo.

XVIII. Decretum fuit, quod pro bono Congregationis, & feliciori directione gubernii illius in futurum Patres omnes, qui jus habent ingrediendi Definitorium Capituli Generalis, conveniant ad celebrationem ejusdem Definitorii pro secunda Dominica post Pascha Resurrectionis; itaut ante electionem Patris Vicarii Generalis, quæ facienda est Sabbato ante Dominicam tertiam fieri possint Definitiones, Decreta, & Statuta, quæ hactenus fiebant post electionem Patris Vicarii Generalis: & prædicti, qui convenire debent, omnino id exequantur sub pœnis arbitrio ejusdem Definitorii infligendis, quatenus sine rationabili, aut legitima causa non accesserint.

XIX. Ad fovendam humilitatem, & obedientiam regularem, exercendam justitiam distributivam, & providendum laudabili otio, & quieti Religiosorum, decretum fuit, quod in futurum Religiosi, qui per sex annos continuos munus quodcumque jurisdictionis exercuerint, sive Vicarii Generalis, sive Definitoris, aut Visitatoris per electionem, sive Prioris actualis, a quocumque ex prædictis muneribus indispensabiliter per biennium vacare debeant.

XX. Statutum fuit, quod in futurum acta Visitationum, tam P. Vicarii Generalis, & illius Commissariorum, quam Patrum Visitatorum deferenda sint ad Capitulum Generale, & deferenda in Definitorio ejusdem Capituli ante electionem Patris Vicarii Generalis congregando, ad effectum, ut opportune provideri possit, prout justitia, religiosa prudentia, & zelus dictaverit, etiam in electionibus faciendis.

XXI. Pro majori Dei servitio, beneficio Congregationis, ac illius perfectiori observantia, aliisque justis de causis insinuatis, & mature perpensis, decretum fuit, quod in futurum (servato tamen Beneplacito Sedis Apostolicæ, & non alias aliter, nec alio modo) tempus durationis Munerum Vicarii Generalis, Definitorum, & Visitatorum per electionem, necnon Priorum actualium singulorum Conventuum, non amplius ad biennium, sed ad triennium perduret, & Dietæ non nisi in secundo anno celebrari possint.

XXII. Stantibus Definitione, & Decreto superius facto pro duratione munerum, & gubernio rum ad triennium, ex altero pariter Decreto de vacatione biennali post sex annos jurisdictionalis regiminis, decretum fuit, quod in posterum vacatio, non quidem per biennium tantum, sed per triennium perduret respectu munerum in eodem Decreto expositorum; quo vero ad Patrem Vicarium Generalem, qui functus sit munere Vicarii Generalis, ad idem munus ineligibilis sit per sexennium, reservato Beneplacito Apostolico, & non alias aliter, nec alio modo.

XXIII. Decretum fuit, quod id, quod statutum est de duratione triennali munerum Patris Vicarii Generalis, & aliorum, ut supra, idem observandum sit quoad durationem munerum Patrum Procuratoris Generalis, Socii, seu Scribæ, & Secretarii Congregationis pro tempore existentium, reservato Beneplacito Apostolico, & non alias, &c.

XXIV. Statutum, & decretum fuit quod eveniente casu mortis, seu cujuscumque alterius legitimi, & canonici impedimenti P. Vicarii Generalis pro tempore, quo munus Vicarii Generalis per alium exercendum foret, tunc si dictus casus accidat intra sex menses proximos ante celebrationem Capituli Generalis, gubernium Congregationis devolvatur ad P. Vicarium Generalem proxime absolutum superstitem, seu legitime, & canonice non impeditum, usque ad proximum Capitulum Gene-

Generale celebrandum tempore superius statuto durationi gubernii ad triennium, in reliquis ad formam Constitutionum; si autem casus, de quo supra, evenerit ante sex menses prædictos, tunc delato gubernio P. Vicario Generali absoluto prædicto, procedatur intra duos Menses (& interim quo citius fieri poterit) ad electionem novi Vicarii Generalis: Et ad electionem opportuno tempore advocentur Patres Vicarii Generales absoluti, quatuor Definitores, quatuor Visitatores, Procurator Generalis, Socius, & Secret. Congregationis, & his competat jus eligendi Patrem Vicarium Generalem alias eligibilem, & capacem, & non vacantem ad formam Decreti superius emanati, duraturum usque ad Capitulum Generale proxime celebrandum; satisque erit, si ex prædictis nominatis Electoribus saltem duodecim conveniant, & reperiantur in electione prædicta; si autem in minori numero, quam duodecim, convenerint usque ad eumdem numerum duodecimum ab his, qui præsentes fuerint, subrogentur alii, qui alias vocem in proximo Capitulo habituri essent, & qui, ut præfertur, electus fuerit ineligibilis omnino sit in Vicarium Generalem in proximo Capitulo celebrando, reservato beneplacito Apostolico, & non alias &c.

XXV. Confirmatæ, & quatenus opus sit innovatæ fuerunt, Definitiones in Capitulo Generali Romano de anno 1644. editæ, & emanatæ in omnibus præsentibus non adversantibus.

XXVI. Ne prædictarum Definitionum exequutio oblivioni tradatur, districte præcipitur Prioribus omnibus localibus, ut post illarum receptionem, & publicationem eas inferere, & colligare faciant in libro Regulæ post antiquas Definitiones sub pœna privationis officii, & aliarum arbitrio Patris Vicarii Generalis: quas pœnas pariter subibunt, si eas singulo quoque mense coram fratribus in publica Mensa legi non curaverint.

Et supplicetur Sanctissimo D. N. pro confirmatione in forma specifica omnium prædictarum Definitionum per Breve Sanctitatis Suæ.

Jo: Baptista Episcopus Albanen. Cardinalis Pallottus Protector, & Præses.

Fr. Franciscus Maria de Cremona Procurator Gen. manu propria.

A Pontifice confirmantur.

§. 2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, præfatus Franciscus Maria Procurator Generalis definitiones hujusmodi, quo firmius subsistant, & serventur exactius, Apostolicæ confirmationis nostræ præsidio communiri summopere desideret: Nos ipsius Franciscí Mariæ Procuratoris Generalis votis favorabiliter annuere cupientes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnes, & singulas definitiones præinsertas in Definitorio Capituli Generalis hujusmodi factas, ut præfertur, cum omnibus, & singulis contentis in illis auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuo confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui in illis quomodolibet intervenerint, supplemus.

Decretum istitans.

§. 3. Decernentes easdem præsentes literas, ac definitiones præinsertas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumq; spectabit, inviolabiliter, & inconcusse observari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contraria derogat.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit Congregationis, & Ordinis hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Trans sum præsentibus credi mandat.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum, & gentium adhibeatur, quæ ipsismet præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 18. Julii 1664. Pontificatus nostri Anno X.

Dat. die 18 Julii 1664. An. X.

CDLXXXVII.

Confirmatio Declarationis Pii V. quod Conventus Sanctæ Mariæ super Minervam de Urbe Ordinis Prædicatorum sit primus inter Conventus Provinciæ Romanæ, cum novo Decreto quod ab eadem Provincia separari nequeat.

Ex Regest. in Sect. Brev.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio. §.1. EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Fratres Conventus Sanctæ Mariæ ſuper Minervam de Urbe Provinciæ Romanæ Ordinis Prædicatorum, quod cum dictus Conventus unus ex magis conſpicuis Provinciæ, & Ordinis hujuſmodi Conventibus ſemper fuerit, fel. rec. Pius Papa V. Prædeceſſ. noſter informatus quod idem Conventus, vel rationabili ordinatione Patrum, vel uſu plurium annorum continuatione deductolocum habebat ſuper omnes alios ejuſdem Provinciæ Conventus; ad tollendam de cætero omnem in hac parte ambiguitatem, & hæſitationem, vivæ vocis oraculo bo: me: Michaeli Bonello, dum vixit S. R. E. Cardinali Alexandrino nuncupato ea ſemper re facto declaravit, ac decrevit, & ſtatuit, ut deinceps perpetuis futuris temporibus idem uſus ſervari deberet, ac Prior dicti Conventus tanquam Provinciæ Capitis in communibus actionibus, & Conventibus, ſeu Capitulis ejuſdem Provinciæ primum locum, & vocem haberet ſuper omnes aliorum Conventuum dictæ Provinciæ Priores; ſalvis jure Magiſterii in Theologia, & aliis exceptionibus per Conſtitutiones, vel Ordinationes dicti Ordinis expreſſis, non obſtante antiquitate cujuſvis alterius Conventus (ſi probari poſſet) aliiſque contrariis quibuſcumque, & alias prout contineri dicitur in literis patentibus præfati Michaelis Cardinalis deſuper expeditis tenoris, qui ſequitur, videlicet.

Litteræ Patentes Card. Alexandrini ut in rubrica. Michael Bonellus Miſeratione Divina S. R. E. Tituli Sanctæ Mariæ ſupra Minervam Presbyter Cardinalis Alexandrinus nuncupatus. Univerſis, & ſingulis, ad quorum notitiam hæ noſtræ pervenerint fidem facimus, & atteſtamur qualiter Sanctiſſimus in Chriſto Pater, & Dominus Noſter Pius divina providentia Papa PP. V. informatus qualiter in Romana Provincia Ordinis Prædicatorum Conventus Sanctæ Mariæ ſuper Minervam, vel rationabili Ordinatione Patrum, eo videlicet, quia eadem Provincia ab Urbe Roma denominatur, vel uſu a pluribus annis continuatione deducto locum habet ſuper omnes alios ejuſdem Provinciæ Conventus; ad tollendam de cætero omnem in hac parte ambiguitatem, & hæſitationem, vivæ vocis oraculo Nobis hac infraſcripta die, facto declaravit, immo decrevit, ac ſtatuit, ut deinceps perpetuis, futuris temporibus idem uſus ſervari debeat, ac Prior dicti Conventus tanquam Provinciæ Capitis in communibus actionibus, & Conventibus, ſeu Capitulis ejuſdem Provinciæ primum locum, & vocem habeat ſuper omnes aliorum Conventuum dictæ Provinciæ Priores; Salvis jure Magiſterii in Theologia, & aliis exceptionibus per Conſtitutiones, & Ordinationes dicti Ordinis expreſſas, non obſtante antiquitate cujuſvis alterius Conventus (ſi probari poſſet) aliiſque in contrarium facientibus quibuſcumque. In quorum fidem has fieri, & manu noſtra ſubſcriptas, noſtri ſigilli juſſimus appoſitione muniri. Datum Romæ in Palatio Apoſtolico die 21. Novembris 1566. Pontificatus ejuſdem Sanctiſſimi Domini Noſtri Pii Anno Primo.

F. Michael Bonellus Cardinalis Alexandrinus.

Locus ✠ Sigilli.

Pontifex confirmat. §.2. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, præfati Exponentes præmiſſa quo firmius ſubſiſtant, & ſerventur exactius, Apoſtolicæ confirmationis noſtræ patrocinio communiri, & alias opportune deſuper, ut infra a Nobis indulgeri ſummopere deſiderent: Nos ſpecialem ipſis Exponentibus gratiam facere volentes, & eorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum preſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus eorum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, declarationem, ac Decretum, & ſtatutum a memorato Pio Prædeceſſore, ſicut præmittitur, facta, & a præfato Michiele Cardinale atteſtata, expeditaſque deſuper ipſius Michaelis Cardinalis Literas patentes præinſertas, cum omnibus, & ſingulis contentis in illis auctoritate Apoſtolica tenore præſentium confirmamus, & approbamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adiicimus, ac omnes, & ſingulos juris, & facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus.

Et Conventum S. Mariæ ſuper Minervam in Provincia Romanæ caput declarat. §.3. Præterea ſupradictum Conventum S. Mariæ ſuper Minervam ad præfatam Provinciam Romanam ſemper in futurum ſpectare, nec ab illa quovis modo ſeparari poſſe, ſed uti Caput ejuſdem Provinciæ ſupradictæ præcedentia gaudere debere, auctoritate, & tenore prædictis decernimus, ac ſtatuimus, & ordinamus.

Decretum irritans. §.4. Decernentes eaſdem præſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, plenillime ſuffragari, & ab illis reſpective inviolabiliter obſervari; Sicque in præmiſſis per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clauſulæ ſolitæ. §.5. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon quatenus opus ſit dictorum Ordinis, & Provinciæ, aliiſve quibuſvis etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Dat. die 29. Julii 1664. An.X. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, die 29. Julii 1664. Pontificatus noſtri Anno X.

CDLXXXVIII.

Ex Regeſt. in Secret. Brev. Prorogatio ſubſidii quadringentorum viginti millium ducatorum annuorum ſuper fructibus Eccleſiaſticis Univerſarum Hiſpaniarum, & Sardiniæ pro Rege Catholico ad quinquennium.

Chariſſimo in Chriſto filio noſtro Philippo Hiſpaniarum Regi Catholico.

ALEXANDER PAPA VII.

Chariſſime in Chriſto fili noſter ſalutem, & apoſtolicam benedictionem.

Motiva. §.1. MAgnis cauſis adducti, conceſſionem ſubſidii annui quadringentorum, & viginti millium ducatorum ex fructibus, & redditibus Eccleſiaſticis Civitatum, & locorum Regnorum Univerſarum Hiſpaniarum, ac etiam Sardiniæ clar. mem. Philippo II. Avo tuo Hiſpaniarum Regi Catholico a fel. rec. Pio V. ad certum tunc expreſſum tempus factam, & deinde pluries etiam a Greg. XIII., Sixto V. Greg. XIV. Clemente VIII., ac Paulo V Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus noſtris eidem Philippo Avo, & clar. ſimiliter memoriæ Philippo V. etiam Hiſpaniarum Regi Catholico genitorum tuis, & a re. me. Urbano VIII., & Innocentio X. Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus pariter noſtris per diverſas eorum reſpective, & præſertim dicti Clementis ſub dat. die 9. Februarii 1592. Pontificatus ſui Anno Primo, & die 17 Junii 1600 Pontificatus item ſui Anno IX., & die 30. Octobris 1603. Pontificatus ſimiliter ſui Anno XII., ac dicti Pauli ſub dat. die 21. Junii 1605. Pontificatus ſui Anno I., & die 7. Septemb. 1611. Pontificatus item ſui An. VII., & die 12. Novembris 1615. Pontificatus pariter ſui Anno XI., & die 21. Octobris 1619. Pontificatus etiam ſui Anno XV. necnon prefati Urbani, die 26. Martii 1624. Pontificatus ſui Anno I., & die 3. Maji 1634. Pontificatus pariter ſui Anno XI., & die 2. Junii 1635. Pontificatus item ſui Anno XII., & die 9. Januar. 1639. Pontificatus etiam ſui an. XVI. ac d. Innocentii Prædeceſſorum die 2. Januarii 1645. Pontificatus ſui Anno I., & die 22. Maii 1651. Pontificatus etiam ſui An. VII., & noviſſime a Nobis die 18. Aprilis 1662. Pontificatus noſtri Anno VIII. per noſtras in ſimili forma Brevis expeditas literas Majeſtati tuæ ad quinquennium prorogatam, literaſque omnes deſuper confectas (quarum tenores præſentibus haberi volumus pro expreſſis) motu proprio, & ex certa ſcientia noſtra, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine ad aliud quinquennium a fine ultimodicti quinquennii, ut præfertur prorogati numerandum extendimus, & prorogamus Et nihilominus eidem Majeſtati tuæ illud ipſum annuum ſubſidium quadringentorum, & viginti millium ducatorum cum omnibus, & quibuſcumque indultis, facultatibus, conceſſionibus, clauſulis, & decretis in aliis tam Pii quam Greg. XIII., Sixti V., Gregorii XIV., Clementis VIII., Pauli V., ac Urbani VIII., & Innocentii X. Prædeceſſorum præfatorum, ac noſtris literis contentis ad præfatum quinquennium a fine quinq; annorum ultimo conceſſorum, ut præfertur, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium concedimus, & aſſignamus.

Ad aliud quinquennium ſub fidium prorogat Pontif.

Executores mandat. §.2. Ac propterea dilectis filiis moderno, & pro tempore exiſtenti noſtro, & Sedis Apoſtolicæ apud Majeſtatem tuam nuncio, necnon Joſepho Gonzalez jam ejuſd. ſubſidii Exactoribus, Commiſſariis generalibus, & eorum cuilibet plenam, & liberam in præmiſſis facultatem, & auctoritatem tribuimus per ſe, vel alium, ſeu alios quos ad id idoneos duxerint, ad exequutionem præmiſſorum, ac alias juxta facultates per dictos Prædeceſſores aliis Commiſſariis, & exactoribus, ac ipſis conceſſas, omni, & quacumque appellatione poſtpoſita procedendi, aliaque faciendi, & exequendi, quæ in præmiſſis, & circa ea neceſſaria fuerint ſeu quomodolibet opportuna.

Clauſulæ ſubſequ. §.3. Non obſtantibus premiſſis, necnon omnibus aliis, quæ dicti Prædeceſſores voluerunt in ſuis, & Nos quoque voluimus in noſtris literis præfatis reſpective non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Tranſumptorum fides. §.4. Ut autem præſentes literæ cum opus fuerit facilius ad omnium notitiam deduci poſſint, decernimus, ut earumdem tranſumptis, etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Dat. die 29. Julii 1664. An.X. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, die 29. Julii 1664. Pontificatus noſtri Anno X.

CDLXXXIX.

Ex Regeſt. in Secr. Brev. Confirmatio Alternativę inter Obſervantes, & Reformatos Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci, quod una vice eligatur Commiſſarius Generalis Familiæ Ciſmontanæ ex Reformatis, & altera ex Obſervantibus, hac tamen conditione, ut tres Definitores Generales eligantur ex

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ex Observantibus, & tres ex Reformatis in cunctis Congregationibus, & Capitulis Generalibus.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium. ILlius, qui charitas est, & Deus pacis vices, licet immeriti, gerentes in terris ea, quæ ad conservandam inter Religiosos viros individuæ fraternitatis concordiam provide statuta, & decreta esse noscuntur, ut firmius subsistant, & serventur exactius apostolici nuniminis præsidio libenter confabilimus.

Expositio. §. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Ildephonsus Salizanes Minister Generalis Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum, quod in Capitulo Generali dicti Ordinis novissime in hac Alma Urbe nostra celebrato quædam Alternativa inter Fratres de Observantia, & Reformatos nuncupatos Familiæ Cismontanæ ejusdem Ordinis determinata fuit per Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet.

Decretum Capituli Generalis pro alternativa ut in textu ca.

Cum ad concordiam, fraternamque pacem conservandam inter Observantes, & Reformatos propositum fuerit in pleno Capitulo Generali, ut inter eos fieret Alternativa, scilicet, quod una vice eligatur Commissarius Generalis Cismontanæ Familiæ ex Reformatis; Altera vero ex Observantibus: Decrevit idem Capit. Gen. unanimi consensu, utroque Definitorio, & Discretorio annuente, quod ad eamdem pacē stabiliendam, supradicta Alternativa fieret; hac tamen conditione, ut tres Definitores Provinciales eligantur ex Observantibus, & tres ex Reformatis in cunctis Congregationibus, & Capitulis Generalibus; necnon ad majorem rei firmitatem supplicetur Summo Pontifici pro confirmatione hujusmodi concordati.

Pontifex præfatum decretum confirmat. §. 2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dictus Ildephonsus Decretum hujusmodi pro firmiori illius subsistentia apostolicæ confirmationis nostræ robore communiri summopere desideret: Nos specialem eidem Ildephonso Ministro Generali gratiam facere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum in Capitulo Generali hujusmodi factum, ut præfertur, omniaque, & singula in eo contenta auctoritate apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus.

§. 3. Decernentes easdem præsentes literas, ac Decretum hujusmodi semper firma, valida, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Decretum irritans.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit Ordinis, & Familiæ Cismontanæ hujusmodi, etiam Juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus cæterisq; contrariis quibuscumque. Derogatio contrariorum

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum habeatur, quæ ipsismet præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Transumptorum fides.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 30. Augusti 1664. Pontificatus nostri Anno X. Dat. die 30. Aug. 1664. An. X.

CDXC.

Confirmatio Decreti Magistri Gen. Ordinis Prædicatorum, quod Collegium Sancti Ludovici Angelopolitan., ad Conventum S. Dominici Mexican., & Provinciam S. Jacobi Ord. hujusmodi pertineat, &c. Ex Regest. in Secret. Brev.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Procœmium. APostoralis dignitatis fastigium, nullo licet meritorum nostrorum suffragio, per ineffabilem divinæ bonitatis abundantiam evecti, circa ea, per quæ exorta inter Christifideles quoscumque, & præsertim Altissimi obsequiis sub suavi Religionis jugo mancipatos dissidia juxta æquitatis, & justitiæ præcepta dirimuntur, ac paci, fraternæque concordiæ opportune consulitur, propensis studiis intendimus, illisque, ut firmius subsistant, & serventur exactius, libenter cum a Nobis petitur, Apo-

Apostolici muniminis adjungimus firmitatem.

Supplicatio. §. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Fernandus de Moroi frater expresse professus, ac Procurator Provinciæ Sancti Jacobi de Mexico Ordinis Prædicatorum, in Sacra Theologia Magister, quod cum dilectus filius Joannes Baptista de Marinis Magister Generalis dicti Ordinis per quasdam suas patentes literas, die 29. Septembris 1656. emanatas, quæ subinde nempe, die 12. Octobris ejusdem anni a Nobis per nostras in simili forma Brevis literas specifice, totaque illarum inserto tenore confirmatæ fuerunt, Provinciam Sancti Jacobi de Mexico Ordinis præfati in duas, unam quidem Sancti Jacobi de Mexico, & alteram Angelopolitanam respective nuncupandas Provincias, assignatis utrique, seu alteri illarum suis terminis, ac Conventibus, Collegiis, & Vicariis diviserit, ac inter cætera Collegium Sancti Ludovici in Civitate Angelopolitan. positum dictæ Provinciæ Angelopolitan. assignaverit, non advertens dictum Collegium Sancti Ludovici non solum vi suæ fundationis, sed etiam vigore subsequuti contractus ad Conventum S. Dominici Mexican. dictæ Provinciæ S. Jacobi de Mexico velut membrum eidem Conventui indissolubiliter incorporatum pertinuisse, & pertinere; idem Joannes Baptista Magister Generalis postmodum hoc comperto, declaravit nunquam fuisse mentis, aut intentionis suę derogare juri quæsito præfati Conventus Mexican., quod in dictum S. Ludovici Collegium Angelopolitan. ei competere jam compertum est; Ac supradictas suas patentes literas, quibus Angelopolitanam a Mexicana Provincia distinguavit, quoad unicum hoc punctum translationis ejusdem Collegii (cæteris in suo robore permanentibus) revocavit, abolevit, & annullavit, & eatenus revocatas, abolitas, & nullas esse, & fore decrevit; Ipsum vero Collegium S. Ludovici cum omnibus suis pertinentiis, juribus, annexis, & connexis mobilibus, & immobilibus, curæ, regimini, jurisdictioni, ac proprietati memorati Conventus Mexicani, & gubernio solius Provinciæ S. Jacobi præfatæ privative ad alios quoscumque ipso Joanne Baptista Magistro Generali inferiores Prælatos adjudicavit, ac de hujus Conventus Mexicani mensa esse, fuisse, & manere pronunciavit, nec posse huic invito illud eripi, alienari, aut dismembrari declaravit, edixit, atque statuit, & alias prout uberius continetur in Decreto ipsius Joannis Baptistæ Magistri Generalis desuper edito tenoris, qui sequitur, videlicet.

Frater Joannes Baptista de Marinis Sacræ Theologiæ Professor Ordinis Prædicatorum humilis Magister Generalis, & Servus ad perennem rei memoriam.

Decretum Magistri Generalis. Pacem solius justitiæ fructum esse, neque illam sine hac seminari posse graviter admonuit Sanctus Jacobus in sua Catholica cap. 3. Quando igitur datis Anno 1656. die 29. Septembris literis patentibus novam Prov. Angelopolit. in occiduis Indiis a veteri S. Jacobi Mexicana solo quietis, pacisque seminandæ studio divisimus, utique justitiam (a qua totum semen mutuandum noveramus) nec scienter præterivimus, nec intendebamus quoquo modo preterire. Porro meminimus, in prædicta Provinciarum disjunctione novæ Provinciæ nostræ Angelopolitanæ, tunc inter alia loca, seu regularia domicilia ipsum quoque per Nos attributum fuisse Collegium nostrum S. Ludovici, utpote fundatum, ac situm in Civitate Angelopolitana, neque enim id Nobis poterat non videri justissimum, quandiu naturam, & speciales clausulas, pacta, circumstantias hujus fundationis neque per somnium exploratas habebamus.

Nunc autem, ex quo noster S. Dominici Convētus Mexicanus misso in Almam hanc Urbem Procuratore ad id specialiter, & rite instructo jus suum quæsitum super dicta fundatione, & Collegio coram officio nostro juridice, modesteque repræsentavit, ac sete in justa illius possessione manuteneri, & inspectis partium momentis, seu rationibus controversiam decidi, factamq; translationem aboleri petiit, æquum imo pernecessarium duximus juris experimento præbere locum, ut ex inviolata justitia tutiorem pacem seminemus.

Itaque nuperrime die 5. Julii in pleno collectorum Patrum consilio dicti Procuratoris exhibitum memoriale cum responsis Provinciæ Angelopolitanæ ad protestationes Mexicanæ, cum Epistola Patris Vicarii Generalis ejusdem Angelopolitanæ Provinciæ Nobis, totique confessui clare, & distincte perlegi fecimus, ac tandem variis ultro, citroque motis, & ponderatis, nostro, omniumque suffragio decretum fuit, in re gravissima [ne quid forte præcipitaremus] celebrium jurisconsultorum maturrima judicia fore exquirenda, ut inde tutius ad definitivam sententiam, auditis peritorum arbitriis procederemus. Delegimus vero ex omnibus Illmos Dominos Nicolaum Severolum, & prosperum Bottinium Sacræ Aulæ Consistorialis Advocatos viros in hoc genere versatilimos, qui demum, audito prolixe totius nostri Ordinis Procuratore Generali, perlectis, discussis, examinatis omnibus, ac singulis pro utraque parte adductis scripturis, expensisque rationum ponderibus ore, ac scripto singulorum manibus seorsim concepto, signatoque Nobis concorditer responderunt, ac deduxerunt, præmemoratum nostrum S. Ludovici Collegium, non solum vi suæ fundationis, & conditionum huic appositarum, verum etiam vigore subsequenti postea contractus onerosi, ac ultro citroque obligatorii liquido jure ad præfatum Sancti Dominini Conventum Mexicanum hactenus pertinuisse, ac pertinere velut membrum eidem indissolubiliter incorporatum, non obstantibus quæ in contrarium opponebantur, aut opponi posse videbantur, ne quidem ipsismet literis nostris patentibus

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

bus initio citatis, quantumcumque Apostolico Brevi insertis, & communitis, quæ tunc denuo coram Nobis Procuratore Generali Ordinis, & prænominatis Illustriss. Dominis Jureconsultis una cum reliquo scripturarum huc pertinentium instrumento productæ, visæ, & diligenter strutinatæ fuerunt.

His ergo (ut præfertur) sollicite præmissis tandem ad definitivam sententiam Procuratore instante citra comperendi nationem duximus procedendum.

Sententia revocatoria Magistri Ordinis.

Proinde nos, qui supra hac die 26. Julii 1664. in Camera solitæ nostræ residentiæ existentes Christi nomine invocato, solumque Deum, & Justitiam præ oculis habentes præsentium tenore, & nostri officii auctoritate in primis declaramus nunquam fuisse mentem, aut intentionem nostram derogari jure quæsito præfati nostri Conventus Mexican. quod in dictum S. Ludovici Collegium Angelopolitanum ei competere jam compertum est: deinde præmoratas nostras literas patentes, quibus Angelopolitanam a Mexicana Provin. disterminavimus, quoad unicum hoc punctum translationis ejusdem Collegii (cæteris in suo robore permanentibus) revocamus, abolimus, annullamus, & eatenus revocatas, abolitas, nullas esse, ac fore decernimus; ipsum vero Collegium S. Ludovici cum omnibus suis pertinentiis, juribus, annexis, mobilibus, & immobilibus curæ, regimini, jurisdictioni, ac proprietati Conventus nostri Mexicani, & gubernio solius Provinciæ S. Jacobi privative ad alios quoscumque Nobis inferiores Prælatos adjudicamus, ac de hujus Conventus Mexicani mensa esse, fuisse, manere pronunciamus, nec posse huic invito illud erigi, alienari, aut dismembrari declaramus, edicimus, atque statuimus: Denique in virtute Spiritus Sancti, sanctæ obedientiæ sub formali præcepto, nec non sub pœna majoris excommunicationis, & privatione utriusque vocis, graduum, & officiorum, perpetuaq; inhabilitate ad eadem recuperanda universim omnibus nostræ curæ subjectis districtissime prohibemus, ne quisquam clam, aut palam, communi, aut privato, suove, aut alieno nomine per se, vel per alium, directe, aut indirecte, vel quocumque imaginabili modo, pretextu, aut motivo audeat huic nostræ definitivæ sententiæ refragari, obniti, vel contraire, & quidquid versus eamdem in posterum quovis colore, & via gestum, vel tentatum fuerit ex nunc inane, cassum, irritumque esse volumus, & declaramus sub eodem formali præcepto censura, & pœnis præcipimus nostræ Provinciæ Angelopolitanæ Superioribus, quatenus sive dilatione Apostolica, aut exceptione præfatum nostrum S. Ludovici Collegium cum omnibus suis bonis, & attinentiis pacifice, quiete, & fideliter in manus Provinciæ nostræ S. Jacobi, & Conventus nostri Mexicani remittant, nec inde quidquam sibi, aut Provinciæ suæ Angelopolitanæ arrogent, reservent, aut prætendant; sicque reponimus, & reponere intendimus hunc nostrum Conventum regalem Mexicanum integre in eodem statu, dictiq; Collegii possessione, usu, & gubernio quoad omnia, prout erat antequam Provincia Angelopolitana divideretur a Mexicana. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. Amen. non obstantibus in contrarium quibuscumq;

Actum Romæ in Conventu nostro Sanctæ Mariæ super Minervam anno, mense, die quibus supra.

Fr. Joannes Baptista de Marinis Magister Ordinis.

Fr. Antonius Goruatis Magister, & Secretarius.

§.2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, supradictæ patentes Literæ a Nobis specifice, ut præfertur, confirmatæ fuerunt, cupiatque propterea dictus Fernandus Procurator opportune in præmissis a Nobis provideri, & ut infra indulgeri. Nos ipsum Fernandum specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, ac tam earumdem patentium dicti Joannis Baptistæ Magistri Generalis, quam præfatarum nostrarum super illarum confirmatione emanatarum literarum tenores, & datas etiam veriores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, supplicationibus ejusdem Fernandi nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, præinsertum memorati Joannis Baptistæ Magistri Generalis Decretum, cum omnibus, & singulis in eo quomodolibet contentis, Apostolica auctoritate tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adiicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Pontif. præd. sententiam confirmat.

§.3. Decernentes easdem præsentes literas, & decretum præinsertum semper firma, valida, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia pleniſſime suffragari, & ab illis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Decretum irritans.

§.4. Quocirca Venerabilibus Fratribus Archiepiscopo Mexican. & Episcopis Angelopolitan., & Jucatanen., seu dilectis filiis eorum Officialibus per præsentes committimus, & mandamus, quatenus ipsi, vel duo,

Executores deputat.

duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte dilectorum filiorum Superiorum, & Fratrum Provinciæ S. Jacobi, & Conventus Mexican. præfatorum, aliorumve in præmissis interesse habentium, seu alicujus eorum desuper fuerint requisiti, easdem præsentes literas, & in eis contenta quæcumque solemniter publicantes, illisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra illos, & eorum quemlibet præsentium literarum, & in eis contentorum hujusmodi commodo, & effectu pacifice frui, & gaudere, non permittentes illos desuper a quoquam quavis auctoritate quomodolibet indebite molestari, perturbari, vel inquietari; Contradictores quoslibet, & rebelles per censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita compescendo, legitimisq; super his habendis servatis processibus, censuras, & pœnas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit auxilio brachii secularis.

Contrariis derogat.

§.4. Non obstantibus præfatis nostris Literis super confirmatione supradictarum patentium Literarum expeditis, aliisque præmissis, ac felic. record. Bonifacii Papæ VIII. Prædecessoris nostri de una, & Concilii generalis de duabus dietis, dummodo aliquis auctoritate præsentium ultra tres dietas in judicium non trahatur, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit Ordinis, & Provinciarum, Conventus, & Collegii præfatorum, aliisve quibuslibet, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumq;

Transumpti dan la fides.

§.5. Volumus autem, ut earumdem præsentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum, tam in judicio, quam extra illud adhibeatur, quæ ipsismet præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 27. Sept. 1664. An.X.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die vigesimaseptima Septembris 1664. Pontificatus nostri Anno X.

CDXCI.

Unio Monasterii S. Mariæ de Sagittario Ordinis Cistercien. S. Bernardi Anglonen. Diœcesis. Congregationi Tusciæ Ordinis hujusmodi.

Ex Regest. in Secr. Brev.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

PAstoralis officii Nobis, nullo meritorum nostrorum suffragio, divinitus commissi ratio postulat, ut religiosos viros Altissimi obsequiis sub suavi Monasticæ vitæ jugo mancipatos peculiari paternæ charitatis benevolentia prosequentes, illorum commodis, & felici regimini, ac in via mandatorum Domini progressui, regularisque observantiæ conservationi, & incremento, quantum Nobis ex alto conceditur, consulere jugiter satagamus.

Motiva talis unionis.

§.1. Cum itaque, (sicut accepimus) Congregatio Sancti Bernardi Italiæ Monachorum Ordinis Cistercien., quæ ex duabus Provinciis Tusciæ scilicet, & Lombardiæ constat, eximia regularis observantiæ laude floreat, eaque de causa omnia dicti Ordinis Monasteria in statu nostro Ecclesiastico, & pleraque in Regno Neapolitano respective consistentia memoratæ Provinciæ Tusciæ auctoritate Apostolica etiam a Nobis unita fuerint, unde divini servitii augumentum, exactiorque disciplinæ regularis observantia, ac major quies, & tranquillitas Religiosorum ipsorum Monasteriorum consecuta sunt. Hinc est, quod Nos spirituali, temporalique Monasterii Sanctæ Mariæ de Sagittario nuncupat. Ordinis præfati Anglonen. Diœcesis, quod (ut pariter accepimus) unicum in Provincia Basilicatæ dicti Regni, & tum ob Monachorum multitudinem, tum ob regularis disciplinæ vigorem conspicuum exiſtit, ac dudum a felic. recordat. Urbano Papa VIII. Prædecessore nostro per quasdam suas desuper expeditas Literas Provinciæ Calabriæ dicti Ordinis unitum fuit, utilitati pariformiter prospectum esse cupientes, necnon dictarum Urbani Prædecessoris Literarum tenorem, & aliam etiam specialem, & individuam mentionem, & expressionem requirentia præsentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine præfatum Monasterium Sanctæ Mariæ de Sagittario a dicta Provincia Calabriæ tenore præsentium perpetuo separamus, & dismembramus, ipsumque Monasterium cum omnibus, & singulis ejus personis, ac bonis ejus mensæ Conventualis Congregationi Sancti Bernardi, & Provinciæ Tusciæ præfatis itidem perpetuo unimus, annectimus, & incorporamus: ea tamen lege, ut idem Monasterium debitam annuam taxam contributionum dilecto filio moderno, & pro tempore existenti Abbati Generali d. Ordinis

dinis solvere teneatur, electio vero Abbatis Clausträlis ipsius Monasterii, quæ a dilectis filiis Præsidente, & Definitoribus supradictæ Provinciæ Calabriæ fieri solebat de cætero a dilectis pariter filiis Præsidente, & Definitoribus memoratæ Congregationis Sancti Bernardi pro tempore existentibus de personis Monachorum Nationalium ejusdem Monasterii, si ibidem idonei fuerint, fieri debeat.

Decretum irritans.

§.2. Decernentes easdem præsentes Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore, spectabit inviolabiliter, & inconcusse observari, neque de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam substantiali defectu notari, impugnari, infringi, retractari, aut in controversiam revocari, seu ad terminos juris reduci, vel adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, seu impetrato, aut etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concesso quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare posse; sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de latere Legatos, & alios quoslibet, quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§.3. Non obstantibus præfatis Urbani Prædecessoris Literis, aliisque præmissis, ac quatenus opus sit de non tollendo jure quæsito, aliisque nostris, & Cancellariæ Apostolicæ Regulis, & aliis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, etiam Conciliaribus, necnon Ordinis, & Congregationis, ac Monasterii, & Provinciarum hujusmodi, aliisve quibuslibet, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis, etiam Ordini, & Congregationi, ac Monasterio, & Provinciis præfatis, eorumque Superioribus, & personis sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie, etiam motu pari, ac etiam consistorialiter, aut alias quomodolibet, etiam iteratis vicibus in contrarium præmissorum concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma, ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, ac forma in illis tradita observata exprimerentur, & insererentur, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 1. Oct. 1664. An.X.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die prima Octobris 1664. Pontificatus nostri Anno X.

CDXCII.

Constitutio determinans quomodo, & quando liceat Superioribus Regularibus Monialium, earumque Confessoribus ingredi septa Monasterii, & prope illud commorari.

Monialium Monasteria quibus casibus earum Prælati ingredi possint, sancivit Gregorius XIII. Const. Deo. *Tom.4. Par.3. fol.244. Monialium numerus in Monasteriis exemptis, cum interventu Superiorum, ab Ordinariis stabiliendus Gregor. XIII. Constit.* Ubi *ut supra fol.288. Monialium Confessores, etiam exempti, approbandi sunt ab Episcopo Greg. XV. Const.50. Tom.5. Par.5. fol.1.*

ALEXANDER EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Præmium.

FElici Sacrarum Virginum Statui, quæ contemptis illecebris sæculi, Divinis se obsequiis manciparunt, quantum Nobis ex alto conceditur, consulere volentes: Motu nostro proprio, non ad alicujus instantiam, sed ex nostra mera deliberatione, ac de apostolicæ potestatis plenitudine, de voto tamen nonnullorum Ven. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, ac dilectorum filiorum Romanæ Curiæ Prælatorum, quibus negotium sedulo, ac mature examinandum commisimus.

Superior semel tantum, in anno ingredi potest Monasterium in Visitatione.

§.1. Præsentibus perpetuo valituris sancimus, ut imposterum intra fines Italiæ, & Insularum adjacentium Generalibus, Provincialibus, Abbatibus, & quibuscumque aliis Superioribus Regularibus, quibus alioquin cura, & regimen Monasteriorum Sanctimonialium quovis modo incumbit, intra septa eorumdem Monasteriorum nullatenus ingredi liceat, nisi ex causa Visitationis localis, & hoc semel tantum in anno, ita ut in eo anno, in quo unus ex memoratis Superioribus visitaverit, alius Superior a Visitatione hujusmodi se omnino abstineat.

Extra Visitationem cum facultate Ordinarii.

§.2. Quod si ob Clausuram, quæ a Sancta Tridentina Synodo, etiam in Monasteriis exemptis curæ, & vigilantiæ Episcopi in primis committitur, aut ob aliam urgentem, ac necessariam causam opportuerit Superiorem Regularem eodem anno pluries ingredi septa Monasterii, tunc non aliter ingrediatur, quam cum præsentia Episcopi Diœcesani, vel alterius personæ ecclesiasticæ secularis boni exempli, ac maturæ ætatis ab ipso Episcopo ad hoc specialiter deputatæ.

Superior per seipsum visitet cum unico Socio.

§.3. Visitet autem Superior Regularis interiorem clausuram per seipsum, non autem per alium, etiamsi fuerit legitime impeditus, quo casu differatur visitatio in aliud tempus, quo cessaverit impedimentum, & visitationem celeriter, & unica die, debita tamen cum diligentia absolvat, nec ante ortum Solis eam incipiat, nec post occasum protrahat, neque ipse Visitator, neque ejus Socii ullam sumant in Monasterio refectionem. Porro si visitet Generalis, possit secum habere duos Socios sui Ordinis, si alius a Generali, unum tantum, exclusis omnibus aliis, etiam ratione officii. Qui quidem Socii assumantur exemplares, & maturæ ætatis, & in actu Visitationis a Visitatore nunquam separentur, sed eum aspicere, & ab ipso aspici semper possint.

Generalis Ordinis cum duobus Sociis.

Visitatori assistant quatuor Moniales.

§.4. Ac præterea Visitatori assistant quatuor Moniales ex Senioribus Monasterii, quæ similiter visitatione durante nunquam separentur a Visitatore, & Sociis. Reliquæ vero Moniales, & quæcumque aliæ Mulieres, & puellæ seculares in Monasterio degentes, nisi legitimo detineantur impedimento, conveniant omnes in Choro antequam Visitator ingrediatur interiorem Clausuram, & in eo permaneant durante Visitatione, & quousque idem Visitator cum Sociis e Monasterio exierit. Ideoque curet Visitator, ut tempestive admoneatur Abbatissa, seu Monasterii Præfecta de præstituta die, & hora Visitationis. Visitatio vero personalis fiat ad Crates, & omnino extra Clausuram Monasterii, & per ipsummet Superiorem dumtaxat, ut supra dictum est de Visitatione interioris Clausuræ.

Confessarius non ingrediatur absque necessitate.

§.5. Ad hæc Confessor Sanctimonialium, tam ordinarius, quam extraordinarius minime ingrediatur septa Monasterii, nisi ad Sacramenta Pœnitentiæ, Eucharistiæ, & Extremæ-Unctionis ministranda Monialibus, vel aliis personis infirmis ibi degentibus, necnon ad commendandam animam Agonizantium, nec unquam ingrediatur, nisi cum Socio, qui sit probatæ vitæ, & maturæ ætatis, semperque maneat in ea parte Monasterii, qua Confessorem videre, & ab ipso videri semper possit.

Confessarii pernoctare debent in proprio Conventu.

§.6. Insuper districte præcipimus memoratis Superioribus Regularibus, ut infra terminum duorum mensium a publicatione præsentis Constitutionis computandorum revocent ad Clausira Confessores, eorumque Socios, Concionatores, & alios quoscumque Regulares apud Monasteria Sanctimonialium, vel assidue, vel ad tempus quocumque titulo pernoctare solitos; Neve permittant eosdem, seu alios Regulares, intra, seu prope septa Monasteriorum hujusmodi habitare, vel commorari, quin etiam infra eumdem terminum quascumque Cellas, Mansiones, seu Cubicula prope Monasteria prædicta ad usum memoratorum Regularium existentia, si Clausuræ Monasteriorum earumd. Monialium contigua sint, eidem Clausuræ includi, vel dirui omnino faciant: si vero sint extra septa, vendi, pretiumque in Monasterii utilitatem converti; nec in posterum alia similia aptari, ædificari, aut emi permittant. Quod si infra dictum terminum Superiores Regulares præmissa cum effectu non adimpleverint, teneatur Ordinarius loci tanquam Sedis Apostolicæ Delegatus illa adimplere, & omnino exequi, etiam invocato, si opus fuerit, brachii secularis auxilio.

Quando autem non tenentur pernoctare in Conventu.

§.7. Veruntamen si Monasterium Sanctimonialium sit extra Mœnia Urbis, vel Oppidi, & Monasterium Regularium Virorum, quibus Moniales sunt subjectæ, sit intra dicta Mœnia, vel e converso, habeantur, vel conducantur, si commode fieri possit, mansiones ad usum Confessoris quæ non sint conjunctæ, seu contiguæ ipsi Monasterio Monialium, sed ab eo penitus disjunctæ, non tolum per parietes, sed etiam per tecta: sin autem utrumque Monasterium sit intra Mœnia, & unum ab altero Episcopi judicio multum distans, tunc habeantur, vel conducantur hujusmodi mansiones, ut supra distinctæ, & separatæ a Monasterio Monialium distantia ab ipso Episcopo recognoscenda, & approbanda; ita tamen ut in mansionibus Confessoris, sive intra, sive extra Mœnia constitutis, excepto ipso Confessore cum suo Socio alii Regulares, etiamsi Superiores sint, minime pernoctent.

Pœnæ contra inobedientes.

§.8. Si quis vero prædictorum Regularium aliquid contra præsentium tenorem facere, vel moliri præsumpserit, aut adimplere neglexerit, ipso facto pœnam excommunicationis, & privationis omnium officiorum, quæ obtinet, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa, vel alia in posterum obtinenda, vocisque activæ, & passivæ absque alia declaratione incurrat. Et nihilominus nullis privilegiis, & exemptionibus uteri se possit, quominus ab Episcopo loci, tamquam ad hoc Sedis Apostolicæ Delegato, quoties, & quando opus fuerit, corrigi, & puniri valeat.

Decretum irritans.

§.9. Decernentes easdem præsentes, etiam ex eo, quod Superiores Regulares, & cæteri quicumque in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes illis non consenserint, nec ad ea vocati, & auditi fuerint, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, nullitatis, aut invaliditatis vitio, seu in-

tentionis noſtræ, aut alio quovis defectu, etiam quantumvis magno, inexcogitato, ac ſubſtantiali, ſive etiam ex eo, quod in præmiſſis, ſeu eorum aliquo ſolemnitates, & quævis alia ſervanda, & adimplenda ſervata, & adimpleta non fuerint, aut ex aliquo alio capite quocumque a jure, vel facto, aut ſtatuto, vel conſuetudine aliqua reſultante, ſeu etiam enormis, enormiſſimæ, & totalis læſionis, aut quocumque alio colore, etiam in corpore juris clauſo, ſeu occaſione, vel cauſa quantumvis juſta, rationabili, & privilegiata, etiam tali, quæ ad effectum validitatis præmiſſorum neceſſario exprimenda foret, aut quod de voluntate noſtra hujuſmodi, nihil ullibi appareret, ſeu aliter probari poſſet, notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controverſiam revocari, aut ad terminos juris reduci, vel adverſus illas reſtitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam, & terminos juris, facti, gratiæ, vel juſtitiæ remedium impetrari, ſeu quomodolibet conceſſo, & impetrato quempiam uti, ſeu ſe juvare in judicio, vel extra poſſe, neque eaſdem præſentes ſub quibuſvis ſimilium, vel diſſimilium gratiarum revocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, aut aliis contrariis diſpoſitionibus pro tempore quomodolibet faciendis comprehendi, ſed ſemper ab illis exceptas, perpetuoque validas, firmas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac per omnes, & ſingulos, ad quos ſpectat, & quomodolibet ſpectabit in futurum, inviolabiliter obſervari; Sicque, & non aliter in præmiſſis omnibus, & ſingulis per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, necnon S.R.E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & Sedis Apoſtolicæ Nuncios, ac alios quavis auctoritate, & poteſtate fungentes nunc, & pro tempore exiſtentes in quavis cauſa, & inſtantia, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, & ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus.

Contrariis derogat.

§.10. Non obſtantibus, quatenus opus ſit, regula noſtra de non tollendo jure quæſito, aliiſque Cancellariæ Apoſtolicæ regulis, cæteriſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, etiam in Conciliis Generalibus editis, etiam ſpecialiter in favorem quarumcumque perſonarum, atque Ordinum, tam Mendicantium, quam non Mendicantium, Congregationum, Societatum, & cujuſvis alterius Inſtituti, & Monaſteriorum, Conventuum, Collegiorum, Domorum, & Locorum Regularium quorumcumque, necnon illorum roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus etiam immemorabilibus, exemptionibus quoque, indultis, & privilegiis etiam ex cauſa, & titulo oneroſo, vel in limine fundationis, & in Mari Magno, ſeu Bulla Aurea, aut aliter nuncupatis, ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, & cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus, & aliis decretis, etiam motu, ſcientia, deliberatione, & poteſtatis plenitudine, etiam ad Imperatoris, Regum, Reginarum, Rerumpublicarum, & quorumvis aliorum Principum, & perſonarum quarumcumque Eccleſiaſtica, vel ſeculari dignitate fulgentium inſtantiam, ſeu eorum intuitu, & contemplatione, ac etiam conſiſtorialiter, & alias quomodolibet, etiam per viam communicationis, ſeu extenſionis conceſſis, & iteratis vicibus approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, quoad ea, quæ præſentibus quomodolibet adverſantur, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, illorumque totis tenoribus, & formis ſpecialis, individua, & de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut quævis exquiſita forma ſervanda eſſet, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata inſerti forent, eiſdem præſentibus pro expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Tranſumptorum fides.

§.11. Volumus autem, ut præſentes literæ in valvis Eccleſiæ Lateranenſis, & Baſilicæ Principis Apoſtolorum, necnon Cancellariæ Apoſtolicæ, ac in Acie Campi Floræ de Urbe publicentur, & affigantur, quæ poſtquam affixæ, & publicatæ fuerint, omnes, & ſingulos, quos illæ concernunt, perinde arctent, & afficiant, ac ſi unicuique eorum nominatim, & perſonaliter intimatæ fuiſſent: Atque earumdem præſentium tranſumptis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides in judicio, & extra illud ubique adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ ſanctionis, præcepti, decreti, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum in Arce Gandulphi Diœceſis Albanenſis, Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimoquarto, tertio decimo Kalendas Novembris, Pontificatus noſtri anno X.

Dat. die 20. Oct. 1664. An.X.

CDXCIII.

Erectio Eccleſiæ Reginohradecen. in Regno Bohemiæ.

Ex Regeſt. in Secr. Brev.

ALE-

ALEXANDER EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

SUper univerſas Orbis Eccleſias eo diſponente, qui cunctis imperat, & cui omnia obediunt, quantum cumque ſine noſtris meritis conſtituti levantes in circuitu agri Dominici oculos noſtræ mentis more pervigilis Paſtoris inſpecturi, quid Provinciarum, & locorum quorumlibet ſtatui congruat, quidve deſuper hoc præſertim tempore, quo humani Generis hoſtis omni conatu ad ipſarum animarum perniciem, & fidei Catholicæ everſionem incumbit, diſponi debeat, divino fulti præſidio, dignum quin potius debitum arbitramur in irriguo militantis Eccleſiæ agro novas Epiſcopales Sedes, & Eccleſias plantare, præcipue dum Catholicam Religionem propagari exoptantium Regum, ac pia Prælatorum ſignanter Fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinalium, quos in partem ſollicitudinis apoſtolicæ evocavit Altiſſimus, vota id expoſcunt, ut per hujuſmodi novas plantationes popularis augeatur devotio, divinus cultus floreat, & animarum ſalus ſubſequatur, ac humiliora loca dignioribus Eccleſiis illuſtrentur, & condignis favoribus attollantur, illorumque Incolæ, & perſonæ Venerabilium Præſulum aſſiſtentia, regimine, & doctrina ſuffulti proficiant ſemper in fide, & quod in temporalibus ſunt adepti non careant in ſpiritualibus incremento.

Ferdinandus Imper. penſionem annuam ſuper vectigali Salis aſſignat pro erectione deſiarum in Regno Bohemiæ.

§.1. Sane alias glorioſæ mem. Ferdinandus Romanorum, & Bohemiæ Rex in Imperatorem electus, cum ad ſedandos Bellorum tumultus, qui Regnorum Bohemiæ tunc concutiebant, in quaſdam pacis conditiones conſenſiſſet, per quas multa illius Regni bona eccleſiaſtica ante, & inter bellicas tempeſtates per ſæculares occupata, ipſis Occupatoribus rata remanebant, nec reddebantur, quæ erant Dei Deo, mox hujus permiſſi, ſeu commiſſi pœnitens, ac ſuæ, & avitæ pietatis memor ad damna; quæ per eam pacificationem res Eccleſiarum illius Regni capiebant, utcumque reparanda, penſionem annuam perpetuam, quindecim millium aureorum ex Vectigali Salis ejuſdem Regni quotannis percipiendam conſtituit, & aſſignavit, ratam habente fel. rec. Urbano Papa VIII. Prædeceſſore noſtro ea quidem gratia, ut quandocumque ex dicta annua penſione ſub adminiſtratione Sacræ Congregationis S.R.E. Cardinalium rebus Propagandæ Fidei præpoſitorum tanta excreviſſet pecuniarum ſumma, quæ unius Eccleſiæ Epiſcopalis doti in eodem Regno erigendæ ſatis eſſe videretur tunc a Diœceſi Pragen. in immenſum diffuſa pars aliqua avelleretur, & in loco, ſeu Oppido partis avulſæ nova Sedes Epiſcopalis opportune erigeretur, idque dicta penſione annuatim redeunte, & poſt aliquot iterum annos ad notabilem ſummam aucta pluries fieret, donec quatuor omnino Sedes Epiſcopales novæ in illis partibus ſic dotatæ, & erectæ forent, qui caſus cum ſub initium Pontificatus noſtri accidiſſet, Nos modis, & rationibus, quibus ſupra in prædicto Regno Eccleſiam Litomericenſem apoſtolica auctoritate ereximus, & dotavimus, illique Epiſcopum præfecimus, & Paſtorem, prout in noſtris deſuper confectis literis plenius continetur.

Eccleſia Reginohradecen. erigitur.

§.2. Cum autem nuper Venerabiles Fratres noſtri S.R.E. Cardinales rebus Propagandæ Fidei hujuſmodi præpoſiti ad Nos retulerint tantam pecuniarum vim ex dicta penſione annua iterum eſſe conflatam, quæ doti alterius Eccleſiæ ibidem erigendæ fere ſufficiat, conſiderantes etiam Oppidum Reginohradecen. in dicta Diœceſi Pragen. prope confluenta Amnium Aquilæ, & Albis cum foro duplici ſitum ſatis eſſe amplum, & inſigne, quippe quod in longitudinem patet ad quadrigentos, in latitudine vero ad trecentos circiter paſſus, quodque valde commendant ipſa antiquitas, æris ſalubritas, fertilitas ſoli, Incolarumque numerus, & pietas, & quod caput eſt Fidei ibidem Propagandæ opportunitas, & porro in eodemmet Oppido etiam adeſt Eccleſia Parochialis, quæ Archidiaconalis dicitur Spiritui Sancto dicata ſtructuræ non invenuſtæ, fonte baptiſmali decorata, in qua Parochus, & aliquos Cappellani animarum curæ, & ſaluti, ſacriſque operari ſolent, ac proinde eadem Congregatio cenſuit dictum Oppidum cum toto ejus diſtrictu, & prædictam Parochialem a dicta Diœceſi Pragen. poſſe avelli, & diſmembrari, idemque Oppidum in Civitatem, & ejus diſtrictum in Diœceſim, ac prædictam Parochialem Eccleſiam in Cathedralem Reginohradecem nuncupandam ad majorem Dei gloriam, & Religionis Orthodoxæ propagationem erigi, & inſtitui, & præſertim, quod in ejuſdem Eccleſiæ dotem Dominum de Chraft nuncupat. octoginta octo Florenorum Bohemicorum millibus ex dicta penſione in ſummam collectis illis in partibus ſit emptum, & quod Chariſſimus in Chriſto filius noſter Leopoldus Ignatius in Imperatorem electus, cujus temporali dominio idem Oppidum, & diſtrictus paret, in ſupplementum dictæ dotis alia Florenorum ſimilium triginta millia de ſua liberalitate donata ad ſupradictam adjecerit, ex quibus pro Epiſcopi habitatione domus valde commoda, aliaque opportuna coempta ſunt. Nos qui Congregationis hujuſmodi ſententiam approbavimus, & ad ulteriora in dicta erectione procedi juſſimus, volentes tandem hoc bonum, & pium opus executioni demandare, eique manum imponere ſupremam, habita igitur ſuper his cum prædictis, & aliis S.R.E. Cardinalibus Venerabilibus Fratribus noſtris matura deliberatione, de illorum conſilio, & aſſenſu, ac apoſtolicæ poteſtatis plenitudine juxta Decretum eorumdem S.R.E. Cardinalium rebuſque de Propaganda Fide præpoſitorum factum accedentibus ad hæc omnia non

non modo expressis assensibus, sed etiam precibus sæpius interpositis cum Venerabilibus Fratribus nostris Ernesti tituli Sanctæ Praxedis S. R. E. Presbyteri Cardinalis Harrach nuncupati Ecclesiæ Pragen. ex dispensatione apostolica Præsulis, tum dicti Leopoldi Ignatii Regis tenore præsentium dictum Oppidum Reginohradecen., & ejus districtum, & dictam Parochialem Ecclesiam ab ipsa Diœcesi Pragen. perpetuo dismembramus, & separamus, idemque Oppidum in Civitatem, & ejus Districtum in Diœcesim, dictamque ejus Parochialem Ecclesiam in Cathedralem Reginohradecen. nuncupan. cum Capitulo sex Canonicorum, cum Clero, Populo, & Vasallis, cumque aliis privilegiis, & prærogativis aliis Cathedralibus Ecclesiis hujusmodi concedi solitis auctoritate, & tenore prædictis erigimus, & instituimus, atque in ejusdem Cathedralis dotem, ejusque Mensæ Episcopalis supradictum Dominium de Chrast sic, ut præfertur, emptum, & alia Florenorum Bohemicorum triginta millia a dicto Leopoldo Ignatio Rege in supplementum dictæ dotis liberaliter donata applicamus, adscribimus, & assignamus, futurisque deinceps dictæ Ecclesiæ Pragen. legitimis Præsulibus jus Metropoliticum in prædictam Ecclesiam Reginohradecen. futuram prædictæ Ecclesiæ Pragen. suffraganeam, ac prædicto Leopoldo Ignatio Regi, aliisque venturis Bohemiæ Regibus, ipso tamen, & ipsis in puritate fidei Orthodoxæ, & sincera erga Romanum Pontificem pro tempore existentem, & Sedem Apostolicam devotione obedientia, atque observantia persistentibus privilegium nominandi, & Rom. Pont. pro tempore existenti personam idoneam ad d. Ecclesiam Reginohradacen., quandocumque illam etiam ab hac prima ejus institutione vacare contigerit auctoritate, & tenore præmissis concedimus, & impertimur.

Suffraganeum tam in Ecclesiæ Litigan. & adnominatio nem Bohemiæ Regis.

Clausulæ sublatæ.

§.3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Decretum Irritans.

§.4. Nulli ergo omnino hominum liceat hac paginam nostræ approbationis, jussi, voluntatis, dismembrationis, separationis, erectionis, institutionis, approbationis, adscriptionis, assignationis, concessionis, & impartitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Dat. 4. Idus Nov. 1664. An.X.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo sexagesimo quarto, quarto Idus Novembris, Pont. nostri Anno X.

CDXCIV.

Decernit, & statuit quod deinceps in Indiarum partibus Priores Parochorum Ordinis Prædicatorum, non ab ipsismet Parochis, sed a singularum Provinciarum Provincialibus per vota secreta duodecim ad minus canonice eligantur.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Militantis Ecclesiæ regimini per ineffabilem Divinæ Bonitatis abundantiam nullo licet meritorum Nostrorum suffragio, præsidentes, in eam præcipue solicitudinem propensis studiis incumbimus, ut fidelibus Populis cura Pastoralis non desit. Sed ejusmodi cura per operarios idoneos salubri, assiduaque sedulitate exerceatur, quo horrea Domini uberiori messe, adspirante superni favoris auxilio, magis, magisque, in dies locupletentur.

Motiva.

§.1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Magister Generalis Ordinis Prædicatorum, quod in vastis Indiarum partibus variæ sparsim illarum gentium ad Fidem Catholicã conversarum Parochiæ, quas quidem illic usitatiori vocabulo Doctrinas, & Vicarias appellant, a Religiosis dicti Ordinis ex Indulto Sedis Apostolicæ administrantur. His autem Religiosis Parochis, seu Vicariis de more per singulos districtus [præfectura ad summum biennii, vel triennii] respective præest unus ex ipsorum numero Prior vocem in Capitulo Provinciali habens, quem statutis temporibus ipsi canonice eligunt, & ad ejusce modi capitularem electionem celebrandam procul a suis residentiis in certum aliquem locum solent evocari.

§.2. Porro cum juxta Constitutiones Ordinis prædicti Electoribus Priorum integer mensis debeatur a notitia vacantis officii, ut intra hunc terminum congregentur, deliberent, & eligant, nimis frequenter contingit hosce Parochos, seu Vicarios eo titulo, & longissime, & dju abesse a suis Doctrinis, seu Ecclesiis, dum plerique foris transigunt totum hunc mensem electionis, imo, & menses, si forte contingat primam electionem a Priore Provinciali ob justas causas non confirmari, quo casu alius denuo, aliusque mensis iisdem Vocalibus debetur.

§.3. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, hæc longa, & crebra Parochorum absentia, præcipue in illis Regionibus fideli plebi, & præsertim moribundis debito interea Sacramentorum Ecclesiæ ministerio destitutis plurimum noceat. Nobis propterea memoratus Magister Generalis humiliter supplicari fecit, ut de opportuno in præmissis remedio providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur piis ejusdem Magistri Generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere cupientes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quo-

quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati.

Confirmat prout in Rubrica.

§.4. Quod deinceps in prædictis Indiarum partibus tales Fratrum dicti Ordinis Parochorum Priores, seu Vicarii, non ab ipsismet Parochis, sed a singularum Provinciarum Provincialibus in graviori earumdem Conventu per vota secreta decisiva duodecim ad minus antiquorum Fratrum, si extra Capitulum Provinciale fuerit, rite, & canonice eligantur si vero durante Definitorio a Provinciali, & Definitoribus eodem modo eligantur. Quodque Priores Parochorum ad id muneris assumi nequeant, nisi revera sat calleant proprium idioma plebis, cui tanquam Priores, seu Vicarii præficientur, & quod iidem suo populo continue assistant, itaut neque Capitulum Provinciale adire, neque alias unquam a sua Parochiali residentia ultra spatium trium leucarum elongare se possint, nisi relicto ibidem idoneo substituto illius idiomatis bene guaro, auctoritate Apostolica tenore præsentium decernimus statuimus, & ordinamus.

Decretum Irritans.

§.5. Decernentes pariter easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari,

Derogatio contrariorum

§.6. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon dicti Ordinis, & aliis quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§.7. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 8. Nov. 1664. An.X.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die octava Novembris 1664. Pontificatus nostri Anno X.

CDXCV.

Confirmatio statuti super Commissariis Visitatoribus Provinciarum Bethicæ, & Legionen. Tertii Ordinis S. Francisci in Capitulo Generali editi.

Ex Regest. in Secr. Brev.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio.

§.1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Fratres Provinciarum Bethicæ, & Legionensis Tertii Ordinis Sancti Francisci quod alias videlicet die 30. Maii proxime præteriti in Capitulo Generali Ordinis Fratrum Minorum ejusdem Sancti Francisci de observantia nuncupatorum factum fuit pro præfatis Provinciis Bethica, & Legionensi statutum tenoris, qui sequitur videlicet.

Statuitur, & ordinatur, quod Commissarii Visitatores tertii Ordinis de cætero non possint assumi de Observantia, sed quod assumi debeant de ipso tertio Ordine, ita quod pro Visitatione in qualibet Provincia tertii Ordinis debito tempore peragenda designet Reverendissimus Virum aliquem, qui sit ejusdem professionis, & instituti, alterius tamen Provinciæ, talem quidem qualem statuta generalia decernunt. Casu tamen quo non inveniretur Visitator idoneus in tertio Ordine, poterit assumi & ex primo, & ex vicinioribus Provinciis.

Statutum Capituli Gener. Pontifex confirmat.

§.2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dicti Exponentes statutum hujusmodi, quo firmius subsistat, & serve. tur exactius Apostolicæ nostræ confirmationis patrocinio communiri summopere desideret: Nos specialem ipsis Exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, attentis narratis, præinsertum statutum auctoritate apostolica tenore præsentium benigne approbamus, & confirmamus, eique apostolicæ auctoritatis robur adiicimus, & illud in posterum servari mandamus, salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Decretum Irritans.

§.3. Decernentes easdem præsentes Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, plenissime suffragari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Pala-

tii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit Provinciarum., & Ordinis hujusmodi, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 22. Nov. 1664. An. X.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die vigesimasecunda Novembris 1664. Pontificatus nostri Anno X.

CDXCVI.

Ex Regest. in Secr. Brev.

Commissio Nuncio Neapolis contra Episcopum Policastren.

Ven. Fratri Julio Arebiepiscopo Laodiceæ nostro, & Apostolicæ Sedis in Regno Neapolis Nuncio.

ALEXANDER PAPA VII.

Ven. Frater salutem, & Apostolicam benedictionem.

Processus contra Episc. Policastren commissus Nuncio Neapolis.

§. 1. CUM sicut accepimus a quibusdam prætendatur nonnullos excessus in Terra de Orsaya Policastren. Diœcesis cum participatione Ven. Fratris Episcopi Pollicastren. commissos fuisse nos de excessibus hujusmodi informationem cepi volentes, Fraternitati tuæ causam, seu causas eorumdem excessuum contra memoratum Episcopum Policastren. cum illius, seu earum incidentibus, emergentibus, annexis, & connexis auctoritate Apostolica tenore præsentium usque ad sententiam exclusive committimus. Mandantes Tibi, ut omni diligentia processum desuper dicta auctoritate formes, seu formari, & confici facias. Nos enim quamcumque necessariam, & opportunam ad id facultatem Tibi harum serie eadem auctoritate tribuimus, & impertimur, Tibique ut nullam præmissorum occasione irregularitatem contra has concedimus, & indulgemus.

§. 2. Cæterum volumus, ut si quid contra præfatum Episcopum Policastren. resultaverit, Tu informationes, & Processum, vel processus, quos in exequutionem præsentium feceris, seu fieri curaveris sub tuo sigillo clausos ad Nos quamprimum transmittas, ut quod desuper statuendum fuerit, matura deliberatione habita decernamus.

Clausulæ derogatoriæ.

§. 3. Non obstantibus fel. record. Bonifacii Papæ VIII. Præd. nostri de una, & Concilii Generalis de duabus dietis, aliisq; Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis, generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon quatenus opus sit Ecclesiæ Policastren., & aliis quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 1. Dec. 1664. An. X.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 1. Dec. 1664. Pontificatus nostri Anno X.

CDXCVII.

Ex Regest. in Secr. Brev.

Amplissima facultas Legato Avenionen. absolvendi omnes, & singulos Reos, complices, & participes delictorum in Civitate Avenionen., ejusque districtu a die 24. Octobris proximi præteriti usque ad præsentem diem commissorum, exceptis tamen illis personis, quas placuerit eidem Legato nominare, seu quæ ab ejus Vicelegato magis culpabiles repertæ fuerint.

Dilecto Filio nostro Flavio tituli S. Mariæ de Populo S. R. E. Cardinali Chisio nuncupato nostro secundum carnem ex fratre germano Nepoti in Civitate Avenionen., & Comitatu nostris Venayssino in Spiritualibus, & Temporalibus Vicario Generali, ac in illis necnon in Viennen., Arelaten., Ebredunen., Aquen., & Narboren. Provinciis, ac illis adjacen. Civitatibus, Terris, & locis nostro, & Apostolicæ Sedis de latere Legato.

ALEXANDER PAPA VII.

Dilecte fili noster salutem, & Apostolicam benedictionem.

Exordium.

ILlius, qui visitat in virga iniquitates hominum, & in verberibus peccata, misericordiam autem suam non dispergit ab eis, vices licet immeriti gerentes in Terris, sicuti virgam disciplinæ illis, qui debitæ fidelitatis, & subjectionis limites transgressi, Nobis, & Apostolicæ Sedi rebellare contumaci protervia non verentur, inviti

viti adhibemus, ita reversos in viam paternæ nostræ charitatis, & Apostolicæ libenter complectimur misericordia lenitatis.

Motiva.

§. 1. Cum itaque (sicut non sine gravi animi nostri molestia accepimus) in Civitate nostra Avenionen., ejusque suburbiis, & dependentiis, ac districtu a die 24. Oct. proxime præteriti citra gravissima contra nostram, & Apostolicæ Sedis Majestatem, & auctoritatem, ac dignitatem, & Supremum Imperium, debitamque Nobis, & eidem Sedi fidelitatem, & subjectionem delicta, crimina, excessus, & facinora a multis facinorosis hominibus publicæ quietis perturbatoribus, & Reipublicæ quantum in ipsis fuit eversoribus qui nostros, & dictæ Sedis milites, quos præsidii causa in eadem Civitate collocari jusseramus, plebe concitata, violenter inde expulerunt, seu inde egredi coegerunt, ac dil. fil. Mag. Alex. de Columna Viceleg. tuum ad iniquas pactiones, & Capitulat. cum ipsis, sive cum Civit. hujusmodi ineundas contra jus fasque armis adegerunt, nostramque, & dictæ Sedis, ac nostrorum, & ejusdem Sedis Officialium, & Ministrorum potestatem, jurisdictionem, & auctoritatem sibi damnabiliter usurpaverunt, & multipliciter violarunt, & perturbarunt, commissa, & perpetrata, ac attentata fuerint.

Reos quoscumq; absolvi mandat Pontifex.

§. 2. Nos licet ejusmodi facinoroforum hominum improbitatem condignis pœnis, & animadversionibus puniri, & coerceri æquitati, & justitiæ consonum ac Reipublicæ salubre reputemus, Pontificiæ nihilominus mansuetudinis nostræ benignitatem illis, qui ad eos reversi, fidelem Nobis, & Sedi præfatæ subjectionem de cætero exhibere, & servare parati fuerint, impertiri volentes, ac de eximia, multisque, & gravissimis in nostris, & dictæ Sedis negotiis spectata, plurimisque experimentis comprobata circumspectionis tuæ in Nos, & Sedem eamdem fide, prudentia, sapientia, dexteritate, rerum usu, & boni publici zelo pleniffime in Domino confisi, omniumque, & singulorum criminum, excessuum, delictorum, & facinorum hujusmodi a dicta die 24. Octobris proxime præteriti usque in præsentem diem in Civitate Avenionen., ejusque suburbiis, ac de pendentiis, & districtu prædictis etiam contra nostram, & dictæ Sedis Majestatem, & supremam Potestatem, Imperium, & jurisdictionem, debitamque Nobis, & eidem Sedi fidelitatem, obedientiam, subjectionem, observantiam, & reverentiam, ac in spretum, vilipendium, injuriam, & contumeliam memorati Alexandri Vicelegati, aliorumve quorumlibet nostrorum & Sedis prædictæ Officialium, & Ministrorum per quoscumque etiam specifica, & individua mentione, & expressione dignos quovis modo commissorum, perpetratorum, & attentatorum seriem, qualitates, causas, occasiones, & circumstantias quascumque etiam factum ipsum quomodocumque, & qualitercumque aggravantes, mutantes, & alterantes, ac etiam lesæ Majestatis etiam in primo capite, seditionis, rebellionis, conspirationis, vis publicæ, & armatæ, aliave quæcumque crimina, & delicta quantumvis atrocia, & enormia, & atrocissima, ac enormissima importantes, seu inducentes, aliave quælibet etiam specialem, & individuam mentionem, & expressionem requirentia, etiamsi talia sint, ut nisi nominatim, & sigillatim exprimantur sub quacumque generali, & generalissima expressione etiam in favorabilibus, non veniant, nec comprehensa censeantur, præsentibus pro plenissime, & sufficientissime, ac sigillatim, & nominatim, accuratissimeque, & nihil penitus omisso expressis, specificatis, & enunciatis habentes, & semper haberi debere decernentes; motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione, meraque liberalitate nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, circumspectioni tuæ per Te ipsum, vel alium, seu alios, quos ad id duxeris deputandum, seu deputandos, omnes, & singulos præfatorum criminum delictorum, excessuum, facinorum a præfata die 24. Octobris proxime præteriti usque ad præsentem diem in Civitate Avenionen. ejusque suburbiis, districtu, & dependentiis prædictis quomodolibet commissorum, perpetratorum, & attentatorum, seu cujuslibet eorum respective Reos, criminosos, auctores, fautores, complices, & quovis modo participes, & culpabiles cujuscumque status, gradus, ordinis, conditionis, prærogativæ, præeminentiæ, & dignitatis, existant, & alios quoscumque qui eorumdem delictorum reis, & perpetratoribus in præmissis, auxilium, consilium, favorem, auctoritatem, opem., subsidium, vel adminiculum publice, vel occulte, directe, vel indirecte tam conjunctim, quam divisim, & alias quomodolibet præstiterunt, vel illis obtemperarunt, & obsequuti sunt (exceptis tamen illis personis, quas nominare tibi placuerit, seu quæ a memorato Alexandro Vicelegato tuo magis culpabiles reperta fuerint a præmissis omnibus, & singulis criminibus, reatibus, delictis, excessibus, & facinoribus, etiam lesæ Majestatis in quocumque capite, etiam primo, rebellionis, seditionis, conspirationis, ac vis publicæ & armatæ, injuriæque Principi, Magistratibus, Jurisdictioni, & personis publicis in nostra, & dictæ Sedis tutela, & Salvaguardia existentibus, quomodolibet illatæ, aliisve quibuslibet sceleribus quantumcumque gravibus, atrocibus, & enormibus, ac gravissimis, atrocissimis, & enormissimis ex præmissis, seu eorum aliquo qualitercumque, & quomodocumque resultantibus, & consurgentibus, quæ inde resultare, & consurgere prætendi, censeri, vel intelligi, seu induci quovis modo possent, etiam quantumlibet iteratis, necnon excommunicationis lasæ sententiæ, suspensionis, & interdicti, aliisq; sententiis, & censuris ac etiam capitis, & ultimi supplicii, læsæque Majestatis, rebellionis, seditionis, & aliorum criminum,

& delictorum hujusmodi, & amissionis, privationis, caducitatis, devolutionis, publicationis, & confiscationis quorumcumque titulorum, honorum, insignium, dignitatum, bonorum mobilium, & immobilium, etiam jurisdictionalium, feudalium, allodialium, emphyteuticorum, & fideicommissariorum, aliorumve jurium, & actionum quarumcumque, & cujusvis quantitatis, & qualitatis existentium, aliisq; tam corporis afflictivis quam bonorum restrictivis pœnis a jure, vel ab homine, ac etiam per quascumque Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum, & nostras Constitutiones, ordinationes, & sanctiones, necnon leges publicas, Edicta, Bannimenta, Statuta, stabilimenta, & decreta quælibet, etiam Cameralia, & Consistorialia etiam contra periuros, fidelitatisque debitæ, & juratæ, ac pacis publicæ violatores, & infractores, & alias quomodolibet inflictis, & impositis, quas propter omnia, & singula præmissa, illorumque, seu alicujus eorum causa, & occasione quovis modo incurrerunt, aut incurrisse dici, prætendi, censeri, vel intelligi possent, quasque pati, & luere deberent, etiamsi majores supra expressis, & quantumcumque graves forent, specialemque, & individuam notam, & expressionem requirerent, ac etiamsi ipsi, vel eorum aliqui alias similia, vel dissimilia etiam gravissima, & supradictis, graviora crimina, delicta, & excessus commiserint, & desuper absolutionem, & gratiam semel, iterum, & pluries etiam a Nobis, & dicta Sede obtinuerint, iismodo, & forma qui tibi placuerint & benevisi fuerint, auctoritate nostra Apostolica in utroque foro plenissime absolvendi, & totaliter liberandi, omnesque, & singulas culpas, reatus, excessus, delicta, crimina, circumstantias, & pœnas hujusmodi illis, & eorum cuilibet gratiose remittendi, & condonandi; Ac illos omnes, & singulos ad pristinam famam, statum, honores, titulos, gradus, dignitates, insignia, prærogativas, præeminentias, privilegia, gratias, & indulta Apostolica, ac Castra, Terras, Villas, Casalia, prædia, possessiones, Domos, Palatia, census, loca Montium, societates officiorum, mobilia, & immobilia, feudalia, allodialia, & alia bona quæcumque etiam jurisdictionalia, & emphyteutica, etiam Ecclesiastica, necnon jurisdictiones, dominia, Vassallos, & alia regalia, jura, officia, munera, credita, res, & actiones, fideicommissa tam purificata, quam purificanda, substitutiones, donationes, primogenituras, majoratus, proprietates, fructus tam hactenus, seu medio tempore decursos, quam decursuros, & quæcumque alia ad ipsos, & eorum quemlibet spectantia, eisque, & eorum cuilibet undecumque, & quomodocumque competentia, & debita, ad hoc, ut ipsi omnes, & singuli præmissa omnia, & singula, ut prius habere, possidere, retinere, administrare, & de illis disponere, illorumque fructus, jura, obventiones, & emolumenta quæcumque percipere, exigere, levare, & in suos usus, & utilitatem convertere, necnon privilegiis, indultis, prærogativis, præeminentiis, facultatibus, concessionibus, & aliis gratiis tam spiritualibus, quam temporalibus sibi respective quomodolibet concessis, & competentibus uti, frui, potiri, & gaudere libere, & licite valeant, ac denique in pristinum, & eum, in quo ante dictam diem 24. Octobris proxime præteriti quomodolibet erant, statum in omnibus, & per omnia, ac quoad omnia perinde acsi de præmissis nunquam cogitassent, prout tibi videbitur dicta auctoritate restituendi, reponendi, & plenarie reintegrandi, ac restitutos, repositos, & plenarie reintegratos esse, & fore decernendi, & declarandi, necnon omnem, & quamcumque, ac qualemcumque inhabilitatis, & infamiæ tam juris, quam facti, & aliam quamlibet maculam, sive notam ex præmissis quomodolibet insurgentem, vel contractam ab ipsis omnibus, & singulis respective penitus, & omnino tollendi, abstergendi, & abolendi, ac per præmissa eorum omnium, vel singulorum statui, honori, famæ, titulis, dignitatibus, & officiis, jurisdictionibus, dominiis, regalibus, feudis, allodialibus, investituris, majoratibus, primogenituris, fideicommissis, substitutionibus, rebus, fructibus, cæterisque bonis mobilibus, & stabilibus, privilegiis, gratiis, & indultis Apostolicis, ac juribus, & aliis præfatis nullum omnino præjudicium etiam minimum, illatum, exortum, vel inductum, nec aliquod jus Fisco nostro, vel Cameræ nostræ Apostolicæ, seu cuiquam alteri in illis, vel ad illa acquisitum, aut in alios translatum fuisse nec esse, nec unquam fore, eadem auctoritate decernendi similiter, & declarandi; Præterea omnes, & singulos præfatos, quibus absolutionem, & liberationem hujusmodi vigore præsentium concesseris, nullo unquam tempore super præmissis, seu eorum aliquo, vel aliquibus etiam hic minus plene, & sufficienter specificatis, & expressis, ac etiam penitus occultis, illorumque annexis, connexis, & dependentibus, ac inde secutis quibuscumque, eorumque causa, ratione, & occasione quovis prætextu, & quæsito colore, vel ingenio accusari, inquiri, denunciari, querelari, capi, carcerari, arrestari, interrogari, vel examinari, aut alias in eorum personis, feudis, allodialibus, jurisdictionibus, bonis mobilibus, & immobilibus, privilegiis, gratiis, & indultis, ac juribus, & rebus quibuslibet, aliisque supra expressis civiliter, criminaliter, vel mixtim, aut alias quomodolibet directe, vel indirecte, publice, vel occulte, conjunctim, vel divisim molestari, perturbari, vexari, inquietari, aut impediri a quibusvis judicibus, & personis quacumque auctoritate, & potestate fungentibus, & functuris, etiam S. R. E. Cardinalibus, etiam de latere Legatis posse, neque debere, dicta auctoritate statuendi, & mandandi;

di; Et nihilominus omnibus, & singulis Legatis, Vicelegatis, Gubernatoribus, Judicibus, Barigellis, Capitaneis, cæterisque Justitiæ Ministris præsentibus, & futuris tam Urbis, & Civitatis Avenioneu. hujusmodi, quam universi status Ecclesiastici mediate, vel immediate Nobis subjecti, ac etiam ejusdem S.R.E. Cardinalibus, & quibuscumque aliis personis interesse desuper quomodolibet habentibus, seu habere prætendentibus, ne aliquid in personas, feuda, allodialia, res, jurisdictiones, aliaque jura, res, bona mobilia, & immobilia, cæteraque supradicta omnium, & singulorum præfatorum, quibus absolutionem, & liberationem, ut præfertur, impartitus fueris, aut alias quicquam aliud in eorum, seu cujuslibet illorum præjudicium contra tenorem tuæ absolutionis, & liberationis hujusmodi facere, vel attentare quoquo modo audeant, seu præsumant, auctoritate præfata districtius inhibendi, & præcipiendi, illisque omnibus, & singulis, ac etiam Fisco nostro, ipsiusque Fisci Procuratori perpetuum desuper silentium, eadem auctoritate imponendi, osque occludendi, necnon quascumque informationes, inquisitiones, relationes, examina, & processus, aliaque acta, sive judicialia, sive extrajudicialia, si quæ contra præfatos omnes, & singulos, quos sicut præmittitur absolvendos, & liberandos duxeris, occasione, vel causa præmissorum, seu alicujus eorum ac inde secutorum, seu dependentium, quorumcumque per quoscumque Legatos, Vicelegatos, Præsidentes, Gubernatores, Auditores, Judices, & alios quoslibet nostros, & Sedis præfatæ Officiales, & Ministros quacumque auctoritate fungentes ubicumque, & quandocumque facta, formata, & fabricata fuerint, dicta auctoritate cassandi, irritandi, & annullandi, viribusque, & effectu penitus, & omnino vacuandi, & ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pertinet, seu spectabit quovis modo in futurum, de libris, notis, & scripturis, in quibus aliqua illorum mentio facta reperiatur, omni mora, & contradictione, seu tergiversatione remota confestim cassari, deleri, & aboliri, ac pro cassatis, deletis, abolitis, annullatis, irritis, viribusque, & effectu vacuis penitus, & omnino haberi, & censeri debere, eadem auctoritate mandandi, illisque nullam, prorsus fidem in judicio, vel extra illud ubicumque haberi, perinde acsi nunquam emanassent, aut extitissent, ac omnes, & singulos præfatos, quibus absolutionem, & liberationem, ut præfertur, concesseris, ad verificanda præmissa, aut ea, vel illorum aliqua, eorumque causas, loca, tempora, qualitates, & circumstantias in judicio, vel extra illud exprimenda, vel revelanda nullatenus teneri, neque ad id ullo unquam tempore invitos cogi, vel compelli posse, solasque literas tuarum absolutionis, & liberationis hujusmodi ad probationem, verificationem, & justificationem omnium, & singularum gratiarum præmissarum sufficere, nec alterius probationis adminiculum ad hoc requiri, dicta auctoritate decernendi pariter, & declarandi, aliaque omnia, & singula in præmissis quomodolibet necessaria, & opportuna, prout expedire judicaveris, & tibi magis placuerit dicendi, mandandi, decernendi, ordinandi, faciendi, gerendi, & exequendi, ac executioni mandari jubendi, & curandi plenissimam, latissimam, & amplissimam, ac liberrimam, & omnimodam facultatem, potestatem, & auctoritatem, tenore præsentium tribuimus, & impertimur. Ac tibi, ut de omnibus, & singulis, quæ præsentium vigore quomodolibet egeris, gesseris, feceris, mandaveris, decreveris, jusseris, executus fueris, ac executioni demandari curaveris, nullam omnino neque Nobis, neque Successoribus nostris Romanis Pontificibus, nec Sacro Ven. Fratrum nostrorum ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Collegio, aut cuivis alii præterquam Soli Deo illo unquam tempore rationem etiam minimam reddere tenearis, nec ad id quovis modo cogi, & compelli possis, motu, deliberatione, scientia, & potestatis plenitudine paribus concedimus, & indulgemus.

Decretum ictitans.

§. 3. Decernentes easdem præsentes literas, & in eis contenta, ac inde secutura quæcumque etiam ex eo, quod motu proprio emanaverint, nec Fisci nostri Procurator, & Cameræ nostræ Apostolicæ Commissarius Generalis, & alii nostri, & dictæ Sedis Officiales, & Ministri, cæterique in præmissis interesse quomodolibet habentes seu habere prætendentes ad illa vocati, citati, & auditi fuerint, neque cum eis concordatum extiterit, ipsique ad id non consenserint, seu quod non sic, sed aliter factum se habuerit, & præmissa cum eorum circumstantiis, & qualitatibus, etiam quantumcumque aggravantibus tam personarum, quam rerum, temporum, & locorum, aliove quovis respectu expressa, & specificata non sint, ac ex quibusvis aliis causis quantumvis legitimis, & juridicis, & ex quocumque prætextu, titulo, & capite etiam in corpore juris clauso de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, vel quovis alio quantumvis magno, substantiali, formali, incogitato, & inexcogitabili defectu notari, impugnari, redargui, infringi retractari, limitari, modificari, rescindi, annullari, ad terminos juris reduci, vel adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, seu etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concedi, aut ita concesso quempiam in judicio, vel extra illud uti nullatenus unquam posse, minusque ipsas præsentes literas sub quibusvis similium, vel dissimilium facultatum, & gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, vel aliis contrariis dispositionibus etiam per Nos, & Romanos Pontifices Successores nostros, Sedemque præfatam

sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibuslibet clausulis, & decretis quandocumque faciendis comprehendi, aut comprehensas censeri, sed semper ab illis exceptas, & quotiescumque illæ emanaverint, toties in pristinum, firmissimumque, & validissimum, ac eum, in quo antea quomodolibet erant statum restitutas, repositas, & plenarie reintegratas, ac de novo etiam sub quacumque posteriori data per te, & alios, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, eorumve quemlibet quandocumque eligenda concessas intelligi, perpetuoque validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac Tibi, omnibusque, & singulis præfatis, quos, ut præfertur, absolvendos, & liberandos duxeris in omnibus, & per omnia pleniſſime suffragari; Necnon in eventum, quo super præmissis, indeque secuturis, aut eorum aliqua parte, ambiguitatem, controversiam, dubium, litem, vel contentionem judicialiter, vel extrajudicialiter oriri, vel moveri contigerit, semper ad tui, aliorumque omnium, & singulorum præfatorum, quibus absolutionem, & liberationem hujusmodi concesseris commodum, utilitatem, & favorem resolvi, decidi, decerni, & interpretari; Sicque, & non aliter in omnibus, & singulis præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Camerarium, seu Pro-Camerarium, & alios Cardinales etiam de latere Legatos, ipsorumque Cardinalium Collegium, necnon Thesaurarium Generalem, Præsidentes, Clericos, & Commissarium Generalem, Vice-Legatos, Rectores, & Gubernatores; aliosve quoslibet Sedis, & Cameræ præfatarum Officiales, & Ministros quacumque præeminentia, auctoritate, & potestate præditos, suffultos, & fungentes, & quandocumque functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum

§.4. Non obstantibus omnibus, & singulis præmissis, ac fel. rec. Pii IV., & Pii V. Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum quibus cavetur hujusmodi gratias, seu absolutiones non valere, nec suffragari, nisi reis constitutis in carceribus, necnon ejusdem Pii IV. Prædecessoris de gratiis qualecumque interesse dictæ Cameræ quomodolibet concernentibus in eadem Camera intra certum tunc expressum tempus præsentandis, registrandis, seu insinuandis, ita ut præsentes literæ etiamsi in ipsa Camera, vel in quovis alio Tribunali, aut loco nunquam præsententur, registrentur, aut insinuentur, nihilominus valeant, firmissimeque subsistant, ac Tibi, omnibusque, & singulis præscriptis quos concernunt, & concernent plenissime, & amplissime suffragari debeant, aliisque dicti Pii IV. et rec. mem. Julii III. Gregorii XIII., et Sixti V. Romanorum Pontificum Prædecessorum pariter nostrorum, ac præsertim ejusdem Sixti Prædecessoris, quæ incipiunt: *Hoc nostri Pontificatus &c.* sub dat. Kalen. Julii 1585., & *Dum pro communi &c.* sub dat. 11. Kalen. Martii 1588. respective emanatis, necnon nostris, et Cancellariæ Apostolicæ Regulis præcipue illa de non tollendo jure quæsito, cæterisque quibuslibet Apostolicis, ac in Universalibus Provincialibusque, et Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, et Ordinationibus, legibus quoque etiam Imperialibus, et Municipalibus, Edictis, Bannimentis, stabilimentis, et Decretis, etiam Cameralibus, et Consistorialibus, ac dictarum Cameræ, et Civitatis Avenionen. aliisve quibuslibet etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, eorumque Reformationibus, et novis additionibus, stylis, usibus, et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, et Literis Apostolicis etiam Civitati Avenionen. ac Fisco, et Cameræ prædictis, eorumve Officialibus, et Ministris, et aliis quibuslibet personis, et locis sub quibuscumque verborum tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, et insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac alias in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, acsi de verbo ad verbum nihil penitus omisso insererentur, præsentibus pro expressis, ac sufficienter specificatis, & insertis, formamque in illis traditam pro servata habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, ac plenissime, & amplissime derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§.5. Volumus autem, ut earumdem præsentium transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus ubiq; fides tam in judicio, quā extra illud adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Transumptorum fides.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 7. Dec. 1664. Pontificatus nostri Anno X.

Dat. die 7. Dec. 1664 An. X.

In-

CDXCVIII.

Ex Regest. in Secr. Brev.

Indultum Regi Christianissimo nominandi personas idoneas ad Cathedrales Ecclesias Meten., Tullen., & Virdunen.

Charissimo in Christo filio nostro Ludovico Francorum Regi Christianissimo.

ALEXANDER PAPA VII.

Charissime in Christo fili noster salutem & apostolicam benedictionem.

Exordium.

§.1. ORthodoxæ fidei conservandæ, ac Christianæ Religionis tuendæ, & propagandæ zelus, quem etiam nuper missis in Hungariam adversus Turcas validis armatorum subsidiis egregie ostendisti, ac præclara, & Christianissimo Rege dignissima Majestatis Tuæ erga Nos, & Apostolicam Sedem filialis observantia, quam Nobis laudabiliter testatus es, dum auctoritatem, & potentiam tuam pro continendis in debita Nobis, & eidem Sedi fidelitate, & subjectione nostris, & dictæ Sedis subditis in Civitate Avenionen., & Comitatu Venaissino nostris commorantibus Nobis, & Ministris nostris præsto semper futuram, tum per literas tuas, tum per dilectum filium nobilem Virum Carolum Ducem Crequium Majestatis tuæ apud Nos & Sedem præfatam Oratorem spopondisti, aliaque eximia ejusdem Majestatis tuæ, ac progenitorum, & majorum tuorum Regum Christianissimorum Principum longe clarissimorum, invictissimorumque Christi Athletarum, & egregiorum dictæ Sedis Apostolicæ cultorum promerita, sicuti firmam Nobis in Domino spem, atque fiduciam præstant fore ut via eorumdem majorum tuorum vestigiis impressæ inhærens, populos Ditioni tuæ creditos in Catholica fide, & vetere erga Sedem præfatam obedientia, & observantia continere pari laude conaturus, Constitutionesque Apostolicas in universis dominiis tuis debitæ semper exequutioni mandari, ac Sedis ejusdem honorem, & auctoritatem illibatos conservari omni studio curaturus sis, ita paternam benevolentiam, & charitatem nostram facile adducunt ad ea Tibi favorabiliter concedenda, per quæ clare innotescat, Nos tui honoris, quem semper fecimus maximi, & Deo dante in posterum faciemus, condignam, & præcipuam habuisse rationem.

Regi Franciæ Pont. concedit indultum nominandi ad Ecclesias ut in rubrica.

§.2. Volentes itaque Tibi, qui (ut accepimus) Meten., Tullen., & Virdunen. Civitates de præsenti possides, quo Regiam beneficentiam tuam erga personas benemeritas, Tibique gratas, & acceptas exercere valeas gratiam facere specialem, ac sperantes Te in nominandis ad earumdem Civitatum Cathedrales Ecclesias personis, quæ vitæ integritate, religione, fide, & doctrina præstent, & Episcopalis muneris prærogativa dignæ sint summum studium, summamque diligentiam semper adhibiturum, nec conscientiam tuam hac in re ullo modo lædi passurum esse; motu proprio & ex certa scientia nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine Majestati tuæ quoad vixeris jus nominandi Nobis, & pro tempore existentibus Romanis Pontificibus Successoribus nostris, personas probatas, boni nominis & secundum sacrorum Canonum dispositionem idoneas, ad Cathedrales Ecclesias Meten., Tullen., & Virdunen. Civitatum a Te possessarum quoties illas quibusvis modis, & ex quorumcumque personis, non tamen per obitum apud Sedem Apostolicam prædictam, vacare contigerit per Nos & Successores nostros præfatos, ad nominationem hujusmodi eisdem Ecclesiis respective præficiendas tenore præsentium reservamus, concedimus, & assignamus.

Decretum irritans.

§.3. Decernentes jus nominandi hujusmodi ad Cathedrales Ecclesias præfatas tibi quoad vixeris competere debere, neque sub quacumque quantumvis speciali derogatione comprehendi, vel ei quovis modo, & ex quacumque causa derogari, & si ei derogari contingat, minime suffragari posse; & nihilominus quascumque earumdem Ecclesiarum provisiones, ac alias de eis dispositiones, etiam cum juris nominandi hujusmodi derogatione contra earumdem præsentium tenorem, etiam per Nos, & Successores præfatos, & Sedem eamdem, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus quoquo modo pro tempore faciendas, & desuper conficiendas literas, ac inde sequutura quæcumque nulla, & invalida, nulliusque roboris, & momenti fore, & esse, sicque, & non aliter per quoscumque Judices, & Commissarios quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§.4. Non obstantibus quibusvis generalibus, vel specialibus Ecclesiarum præfatarum reservationibus, seu affectionibus Apostolicis per quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores nostros, ac Nos, & Sedem præfatam quomodolibet factis, seu pro tempore faciendis, necnon Cancellariæ Apostolicæ Regulis editis, & edendis, & quibusvis aliis Apostolicis, ac in Universalibus, provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & ordinationibus ac dictarum Ecclesiarum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis etiam quavis clausulas & reservationes in se continentibus per eosdem Prædecessores, ac Nos, & Sedem eamdem Ecclesiis præfatis, illarumque Capitulis, & personis quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus,

bus, & singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio facienda, aut aliqua alia exquisita forma ad id servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris hac vice dumtaxat ad præmissorum effectum harum serie specialiter, & expresse motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus derogamus, & ad plenum derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides. §.5. Volumus autem, ut intra sex menses a die vacationis Ecclesiarum hujusmodi computandos personas idoneas Nobis, & pro tempore existenti Romano Pontifici pro provisione obtinenda nominare omnino teneatis, alioquin dictis sex mensibus elapsis de Ecclesiis præfatis, ut præfertur vacantibus per Nos, seu pro tempore existentem Romanum Pontificem libere disponi possit.

Dat. die 11. Dec. 1660. An.X. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 11. Dec. 1664. Pontificatus nostri Anno X.

CDXCIX.

Quod Fratres Capuccini Ordinis Minorum S. Francisci transeuntes ad aliam Religionem non possint permanere in eadem Provincia in qua emiserunt professionem.

Vide ad Const.273. Vrb. VIII. Tom.6. Par.1. fol.136. Injuncti Nobis *ubi prohibetur ne ad laxiorem transeant.*

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Proœmium. PAstoralis officii, quod auctore Deo gerimus, solicitudo Nos admonet, ut conservandæ Religiosorum Ordinum eximiæ pietatis, & arctioris disciplinæ meritis conspicuorum existimationi, quantum Nobis ex alto conceditur, consulere satagamus.

Expositio. §.1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Procurator Generalis Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Capuccinorum nuncupatorum, quod nonnulli e dicto Ordine ad alias Religiones transeunt, assumptoque in illis habitu regulari ad eas Provincias in quibus habitum prædicti Ordinis Fratrum Capuccinorum publice gestaverant, ac cogniti, & commorati fuerant, illico habitatum se conferunt, & ad tegendas, seu defendendas proprias imperfectiones, ejusdem Ordinis Fratrum Capuccinorum famam multis impostoris lacerare non verentur, cum gravi seculorium scandalo, bonique nominis dicti Ordinis detrimento.

Prohibet ut in rubrica. §.2. Quare idem Procurator Generalis Nobis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos ipsius Procuratoris Generalis votis favorabiliter quantum cum Domino possumus annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, ne de cætero quisquam qui memorato Ordine Fratrum Cappuccinorum post emissam in illo professionem regularem ad aliam quamcumque Religionem quomodolibet transierit, in ea Provincia in qua professionem hujusmodi emiserit, ac habitum eorumdem Fratrum Capuccinorum publice gestaverit, habitare, seu commorari audeat quovis modo, vel præsumat, auctoritate apostolica, tenore præsentium prohibemus, & interdicimus.

Decretum irritans. §.3. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat. §.4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quorumvis Ordinum, Congregationum, & Institutorum regularium, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides. §.5. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 17. Dec. 1664. An.X. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 17. Decemb. 1664. Pontificatus nostri Anno X.

Ut

D.

Ex Regest. in Secr. Brev. Ut Priores Abbatiarum Commendatarum Ordinis Præmonstraten. in Gallia eligantur inter Definitores in Capitulo Generali Ordinis hujusmodi.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio. §.1. EXponi Nobis nuper fecerunt dicti filii Priores Abbatiarum Commendatarum Ordinis Præmonstraten., quod in tota Gallia supersunt solum undecim Monasteria dicti Ordinis Abbatibus commissa, cætera vero, quæ numerum sexaginta quinque excedunt, possidentur a Commendatariis, quorum Monasteriis præficiuntur Priores scientia præditi, honestate morum conspicui, & disciplinæ regularis amantes, nullum, sicut Abbates, in suis Monasteriis Superiorem agnoscentes, ac plenam in spiritualibus, & temporalibus administrationem habentes: Et propterea sicut Abbates ejusdem Ordinis vocantur ad Capitulum Generale, ut cum ipsis Abbatibus concurrant ad ea, quæ reformationem Ordinis hujusmodi spectant.

§.2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, nihilominus dicti Abbates jam numero pauci nolint Priores prædictos longe numero plures, inter Definitores in Capitulo Generali Ordinis hujusmodi admittere, licet de jure, & ex particulari Decreto cujusdam Capituli Generalis ejusdem Ordinis debeant inter Definitores assumi, ut pote qui in omnibus supplentes vicem Abbatum, majorem notitiam, ac praxim disciplinæ regularis habeant, quam ipsi Abbates, qui ut plurimum in administratione rerum temporalium detenti totam disciplinæ regularis curam in suos Priores refundunt, quo fit, ut dilectus filius Abbas Generalis Ordinis prædicti Priorum potius opera utatur in Galliis, quam Abbatum. Nobis propterea dicti Exponentes de licentia, & consensu (ut asserunt) dicti Abbatis Generalis humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Statuit ut in Capitulis non admittantur Priores excedentes pro tertia parte numerum Abbatum. §.3. Nos igitur ipsos Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, facta Nobis relatione de præmissis auctoritate apostolica tenore præsentium statuimus, & mandamus, ut in posterum in Capitulis Generalibus Ordinis hujusmodi habita ratione paucitatis, vel pluralitatis Abbatum Capitulantium plures etiam, vel pauciores Priores Abbatiarum Commendatarum ejusdem Ordinis inter Definitores eligantur, qui tamen tertiam partem Definitorum non excedant.

Decretum irritans. §.4. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, plenissime suffragari, & ab illis respective inviolabiliter observari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. §.5. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit dicti Ordinis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 19. Dec. 1664. An.X. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 19. Decemb. 1664. Pontificatus nostri Anno X.

DI.

Quod in Cõtroversia inter Provincias Sancti Joannis Baptistæ, & Beati Petri de Alcantara Fratrum Discalceatorum Sancti Francisci circa possessionem Conventus Murciæ, præfata Provincia S. Joannis Baptistæ non sit amplius audienda.

Vide ad Constit.248. hujus Pontificis Tom.6. Par.5. fol.14. Sacrosancti, *& Const.409.* Aliàs pro parte. *ut supra fol.256.*

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio. NUper pro parte dilectorum filiorum Fratrum Provinciæ Beati Petri de Alcantara Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Reformatorum nuncupatorum, Congregationi Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ exposito, quod Provincia S. Joannis Baptistæ Fratrum Reformatorum ejusdem Ordinis in Regnis Valentiæ, Murciæ, & Granatæ consistens aucta jam ad excessivum numerum Conventuum, & Religiosorum, fuerat auctoritate apostolica ex unica in duas divisa, remanente prima sub titu-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

titulo, seu invocatione S. Joannis Baptistæ cum vigintiocto Conventibus, & secunda sub titulo, seu invocatione Beati Petri de Alcantara, cum solis novem Conventibus in Regnis Murciæ, & Granatæ sitis: sed exortis inter easdem diversis litibus, præsertim super pertinentia Conventus Civitatis Murciæ, specialiter, & expresse dictæ Provinciæ Beati Petri de Alcantara assignati, fuerat tandem a dicta Congregatione sub die 15. Septemb. 1662. declaratum, & decretum, spectare dictum Conventum Murciæ ad ipsam Provinciam B. Petri de Alcantara, & successive impositum partibus perpetuum silentium, & sub acerrimis pœnis injuncta obedientia, & exequutio, & prohibita contraventio, etiam sub prætextu novi recursus ad Sedem Apostolicam, prout in ipso decreto, quod nostris in simili forma Brevis literis die 11. Octob. ejusdem anni 1662. super illius confirmatione expeditis insertum existit, continetur.

§.1. Et in eadem expositione subjuncto quod nuper quemdam supplice m libellum nobis pro parte Fratrum dictæ Provinciæ S. Joannis Baptistæ porrectum, quo super pertinentia prædicti Conventus Murciæ iterum audiri, non obstante Decreto, & literis nostris prædictis petebant, ad memoratam Cardinalium Congregationem remiseramus; ideoque pro parte dictorum Fratrum Provinciæ Beati Petri de Alcantara eisdem Cardinalibus supplicato, ut considerantes hanc litem diutius, & ad saturitatem partis agitatam, & ventilatam, ac tandem mediante justitia ad favorem dictæ Provinciæ Beati Petri de Alcantara terminatam, & deinde ad sedanda scandala, tam in illis partibus, quam inter ipsos Religiosos orta, perpetuum silentium a dicta Congregatione impositum fuisse, ac postmodum ad instantiam Superiorum dicti Ordinis, dictas nostras literas confirmatorias, clausula sublata, &c. & decreto irritanti munitas emanasse, petitam novam audietiam hujusmodi dictis Fratribus Provinciæ S. Joannis Baptistæ denegarent, eosque amplius non esse audiendos decernerent: emanavit ab eadem Congregatione Decretum tenoris qui sequitur, videlicet.

Decr. Sacr. Congr. Episcoporum.

§.2. Sacra Congregatio Eminentissimorum S.R.E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium preposita denuo ex remissione Sanctiss. D N. in eadem Congregatione relata causa censuit standum esse in Decretis, & Provinciam S. Joannis Baptistæ super hoc negotio amplius non audiendam, quibuscumque non obstantibus. Romæ quinta Decembris 1664.

M. Card. Ginettus.

Decretum præd confirmat Pontif.

§.3. Cum autem, sicut prædicti Fratres Provinciæ Beati Petri de Alcantara Nobis subinde exponi fecerunt, ipsi Decretum hujusmodi pro firmiori illius subsistentia, & observatione apostolicæ confirmationis nostræ robore communiri summopere desiderent: Nos specialem ipsis Exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, &pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes; supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati: Decretum præinsertum auctoritate apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis dictorum Cardinalium.

Decretum irritans.

§.4. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac dictis Exponentibus plenissime suffragari, & ab illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum

§.5. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit Ordinis, ac Provinciarum, & Conventus hujusmodi, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 21. Januarii 1665. Pontificatus nostri Anno X.

Dat. die 21. Jan. 1665. An.X.

DII.

Pro translatione Professorii Monachorum Regularium S. Bernardi Ordinis Cisterciensis, a Monasterio Sanctæ Pudentianæ de Urbe, ad Monasterium S. Bernardi ejusdem Urbis.

Ex Regest. in Secr. Brev.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Motiva.

CUM sicut dilectus filius Superior Provincialis Provinciæ Romanæ Congregationis Monachorum Reformatorum S. Bernardi Ordinis Cistercienfis Nobis nuper exponi fecit, in Dieta generali dictæ Congregationis mense Apr. proxime præterito in hac Alma Urbe nostra celebrata, pro sublevando Monasterio S. Pudentianæ Urbis, & Congregationis hujusmodi, in quo Professorium cum Novitiatu conjunctum reperiebatur, decretum fuerit, idem Professorium inde ad Monasterium S. Bernardi earumdem Urbis, & Congregationis quod omnia requisita necessaria habet, & in quo ejusmodi Professorium alias collocatum fuit, accedente tamen ad id licentia Congregationis Venerabilium Fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium super statu Regularium deputatæ, transferri debere, cupiatque propterea dictus Superior Provincialis opportune in præmissis a Nobis provideri, & ut infra indulgeri.

Annuit Pontifex.

§.1. Nos ipsum Superiorem Provincialem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de memoratorum Cardinalium consilio attentis narratis, loco prædicti Monasterii S. Pudentianæ designati pro Professorio in Provincia Romana Congregationis Monachorum Reformatorum hujusmodi, auctoritate Apostolica tenore præsentium designamus, ac deputamus pro Professorio prænominatum Monasterium S. Bernardi ejusdem Provinciæ: salva tamen semper in præmissis auctoritate prædictæ Congregationis Cardinalium.

Decretum irritans.

§.2. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit inviolabiliter observari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§.3. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit, Congregationis, ac Provinciæ, & Monasteriorum hujusmodi etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisq; contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 26. Jan. 1665. Pontificatus nostri Anno X.

Dat. die 26. Jan. 1665. An.X.

DIII.

Constitutio prohibens accessum ad Monasteria Monialium Regnorum Hispaniarum, cum diversis Ordinationibus.

Ex Regest. in Secret. Brev.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Motiva.

PAstoralis officii, quo Ecclesiæ Catholicæ per universum Orbem diffusæ adstringimur, cura animum nostrum assidue sollicitat, ut decorem Sacrarum Virginum, quæ oblitæ populum suum, & domum patris sui, divinis sese obsequiis, & beneplacitis sub suavi Religionis jugo devoverunt, illibatum tueri, & conservare, quantum cum Domino possumus, connitamur; quo illæ bono semper sint Christi odore de bona conversatione fragantes. Nam (ut Martyr gloriosissimus Beatus Cyprianus ait) flos est ille Ecclesiastici germinis, decus atque ornamentum gratiæ spiritualis, læta indoles laudis, & honoris, opus integrum, atque incorruptum, Dei Imago respondens ad Sanctimoniam Domini, illustrior portio gregis Christi. Gaudet per ipsas, atque in illis largiter floret S. M. E. gloriosa fœcunditas: quantoque plus gloriosa virginitas numero suo addit, tanto plus gaudium Matris augescit. Quocirca si quando in earum Monasteriis aliquid per abusum irrepsisse novimus, quod in earum honestatis ponat gloria maculam, aut illas in occursum cœlestis Sponsi per viam mandatorum ejus ambulantes a recto tramite deflectere, vel remorari possit, id Apostolicæ Sanctionis Ministerio tollere satagimus, & in id ipsum quoque tendentia Catholicorum Regum vota propensa charitate exaudimus, sicut matura consultatione adhibita, ad Omnipotentis Dei gloriam, Christi Sponsarum Decorem, Religiosæ tranquillitatis incrementum, ac secularium ædificationem salubriter expedire in Domino arbitramur.

Postul'atio.

§.1. Cum itaque, sicut nomine charissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum Regis Catholici Nobis nuper expositum fuit, ipse Philippus Rex nonnullarum personarum honoris de zelo eximie præditarum relatu cognoverit, in plerisque Monasteriis Monialium calceatarum, & non reformatarum, quæ in ejus Regnis, & Dominiis Hispaniarum consistunt, gravem notari corruptelam ex immoderata ortam licentia libere tractandi ad rotas, & collocutoria dictorum Monasteriorum cum omnis generis personis tam secularibus, quam regularibus, quam eædem Moniales sibi sumunt; indeque non solum maxima nascatur observantiæ regularis, quam dictæ Moniales profitentur, relaxatio, sed etiam non modica bonorum omnium offensio, Divinæque Majestatis offensa, & alia gravia mala consequantur: Quia vero ejusmodi

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

di delicta, quæ a personis Deo dicatis committuntur eo graviora sunt, majusque scandalum inducunt, quo eædem personæ perfectioris vitæ studiis incumbere, bonumq; sui exemplum cæteris præbere arctiori suæ professionis vinculo obligantur; ideo dictus Philippus Rex opportunum in præmissis remedium a Nobis adhiberi plurimum desideret: Nos præclarum, & Catholico Rege dignissimum ejusdem Philippi Regis zelum magnopere in Domino commendantes, piisque ejus votis, & supplicationibus Nobis super hoc humiliter porrectis, quantum Nobis ex alto conceditur, favorabiliter annuere cupientes, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, pro conservatione, & incremento regularis disciplinæ, ac Divini Obsequii, in præfatis Monasteriis Monialium in universis Regnis, & Dominiis Hispaniarum, hujusmodi consistentibus hac nostra perpetuo valitura Constitutione, ne deinceps ullus Religiosus Clericus, vel Laicus, cujuscumque status, gradus, qualitatis, & conditionis existat, ad januas, rotas, crates, seu collocutoria dictorum Monasteriorum cum illorum Monialibus tam professis, quam novitiis, vel mulieribus, seu puellis secularibus ibidem educationis causa de Sedis Apostolicæ licentia degentibus, aut earum ancillis tractare, vel communicare, seu eas visitare, aut alloqui (præterquam ex causa necessaria, justa, seu legitima) audeat quovis modo, vel præsumat, auctoritate apostolica districte prohibemus, & interdicimus.

Annuit Pont. ut in Rubr.

Pœnæ contra inobedientes.

Et ad occurrendum inconvenientibus, quæ ex ejusmodi visitationibus, & allocutionibus Monialium oriri possent, omnibus, & quibuscumque Prælatis Monasteriorum Monialium in ejisdem Hispaniarum Regnis, & Dominiis existentium ipsorumq; Monasteriorum Superioribus quocumque nomine nuncupatis, Rotariis, Janitricibus, Sacristanis, ac Monialibus, & Ancillis earumdem præsentibus, & futuris, illorumque, & illarum singulis in solidum in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub excommunicationis majoris latæ sententiæ, necnon privationis vocis activæ, & passivæ, & officiorum per eos, & eas respective obtentorum pœnis ipso facto incurrendis, districte pariter præcipiendo injungimus, ut statim, atque præsens Const. eis intimata fuerit, seu ad illorum, & illarum notitiam pervenerit, caveant unusquisque, & unaquæque illorum, & illarum respective, prout ad se spectabit, ne ejusmodi visitationes sub quocumque prætextu, colore, vel causa ad januas, rotas, crates, vel collocutoria, seu in alia quacumque parte Monasteriorum hujusmodi a quibusvis regularibus Clericis, vel Secularibus recipiant, neve illos alloquantur, aut eos alloquendi, seu cum eis tractandi, eorumque visitationes excipiendi causa sese ad januas, rotas, crates, seu collocutoria, aliamve quamlibet partem Monasteriorum hujusmodi conferant, nec visitationes, seu allocutiones hujusmodi cuiquam tacite, vel expresse, aut alias quomodolibet permittant exceptis tamen genitoribus, fratribus, ac patruis, & avunculis ipsarum Monialium, quibus licebit suas respective natas, sorores, & neptes Moniales in collocutoriis, & non alibi, de licentia Superioriss visitare, & alloqui, non tamen in Adventu, & Quadragesima, quibus temporibus ne illis quidem hujusmodi visitatio, seu allocutio permittatur.

Alia decernit ut in rubrica.

Quia vero in aliquibus Monasteriorum prefatorum crates collocutoriorum ex mala introductione ita laxæ, & apertæ sunt, ut per earum foramina brachia porrigi, & manus utrimque conjungi possint; idcirco crates hujusmodi ita coarctari, & disponi jubemus, ut id amplius fieri nequeat. Mandantes, ac sub eisdem pœnis, & censuris injungentes Superioribus dictorum Monasteriorum, eorumque Vicariis, ubi nullus alius Superior fuerit, ut statim, atque præsens Constitutio eis intimata fuerit, hanc reformationem, & coarctationem cratium disponere, & executioni mandare non prætermittant. Quod si aliquæ Moniales professæ, vel Novitiæ, aut ancillæ, vel puellæ, seu mulieres seculares in Monasteriis hujusmodi educationis, vel famulitii causa, aut alio titulo de licentia dictæ Sedis degetes necesse habuerint cum aliqua persona pro dispositione, & exactione suorum reddituum, & jurium, aliisque justis de causis tractare, & communicare, unaquæque illarum ea super re licentiam petat a Superiorissa sui Monasterii, necnon ab illius Superiore si adfuerit, sin minus a Vicario ipsius Monasterii, qui de necessitate hujusmodi informati ejusmodi licentiam concedere possint, limitate tamen, vel pro unica vice tantum, idque in scriptis, ac ea lege, ut illic assistat aliqua Monialis ex senioribus, quæ audire, & videre possit quidquid ibidem agi, & dici contigerit. Omnes autem scripturæ, quæ Monialibus de cætero mittentur, ab illis nec legantur, nec aperiantur, nisi prius eas ad suas respective Superiorissas detulerint; quæ animadvertent an sint valde frequentes, & suspicioni causam præbere possint, quo casu eædem Superiorissæ illas aperiant, & registrent: exceptis tamen schedulis confessariorum, quæ aperiri non debebunt; hoc etiam animadverso, ut sub nomine Confessarii non sint aliorum. Porro habitus, & indumenta dictarum Monialium sint earum statui omnino decentia, ac earum Regulis respective congruentia; Moniales ipsæ nec fuco, nec vestibus, aut ornamentis secularibus, nec capillitio pomisiore utantur. Superiorissæ vero impediant, ne clausuram suorum Monasteriorum ingrediantur personæ seculares sub prætextu onera importandi, vel exportandi; si autem id necessarium fuerit, ingressuri sint ejus professionis, seu opificii, cujus exercendi gratia ingredientur, nec permittant,

mittant, ut tanquam bajuli intrent qui tales non sint. Volentes, & dicta auctoritate statuentes, & contra rebelles ad declarationem incursus in censuras, ac executionem pœnarum hujusmodi, & alias prout juris fuerit procedatur.

Alia quod Confessarius præd. Monasteriorum.

§.4. Præterea omnibus, & quibuscumque Prælatis quorumvis Ordinum tam Monachorum, quam Mendicantium, quibus superioritas, & jurisdictio in quæcumque Monasteria hujusmodi competit, & eorum singulis in solidum sub pœnis, & censuris præfatis injungimus, ut suis respective regularibus subditis præcepta, & censuras imponant, ne ad eadem Monasteria Monialium accedant; curent quoque ipsi Superiores, ut Confessarii ordinarii, & extraodinarii, ac Vicarii per eos nominandi, & illorum Socii sint maturæ ætatis, bonique nominis, & famæ, & ad satisfactionem Superiorissarum dictorum Monasteriorum Monialium, necnon eis licentiam, seu commissionem in scriptis per patentes literas concedant specifice ad Monialium confessiones audiendas, alioquin, si sine ejusmodi licentia, seu commissione ad Monasteria Monialium accesserint, præcepta violasse, ac censuras hujusmodi incurrisse censeantur. Socii autem quos hi Confessarii secum adducent, Moniales alloqui non possint. Ad hæc volumus, ut iidem Superiores intra bimestre a die quo præsentis Constitutionis notitiam habuerint, ipsius Constitutionis tenorem, illiusque executionem, quam fecerint, in libris ubi eorum electiones annotari solent, annotent pariter, & annotari curent, adjecta speciali nota, & obligatione, quod quotiescumque eligetur novus Prælatus, vel Superior, ille hujusmodi præcepta, & censuras renovet, & donec id fecerit, præter incursum in censuras, & pœnas supradictas, officio Prælati fungi, illudve exercere nequeat, nec ejus Subditi obedientiam illi præstare teneantur. Mandabunt quoque dicti Superiores, ut tenor Constitutionis, ac illius executio, & præcepta, seu Ordinationes hujusmodi in libris electionum dictorum Monasteriorum Monialium eis respective subjectorum similiter annotentur, & statim, atque electæ fuerint novæ Superiorissæ, Rotariæ, Janitrices, & Sacristanæ, eis intimetur ipsa præsens Constitutio, ad hoc, ut semper observetur, ac debitæ executioni mandetur, & adimpleatur, & contra rebelles procedatur sicut supra dictum est. Ac demum Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, & Episcopis eorumdem Regnorum, & Dominiorum Hispaniarum in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus pariter, & mandamus, ut eamdem præsentem Constitutionem in Monasteriis Monialium eorum jurisdictioni, & superioritati respective subjectis exequantur similiter, & debitæ executioni demandari curent, & faciant, Nos enim præmissa omnia, & singula in omnibus Monialium Monasteriis dictorum Regnorum, & Dominiorum Hispaniarum tam ordinariis, quam regularibus subjectis, & subordinatis inviolabiliter observari debere dicta auctoritate decernimus, & ordinamus.

Exequutioné Constit. committit.

§.5. Decernentes pariter ipsas præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod Prælati, & Superiores regulares, ac Superiorissæ, & Moniales, aliæque personæ præfatæ, & alii quicumque cujusvis status, gradus, ordinis, conditionis, præeminentiæ, & dignitatis, seu alias specifica, & individua mentione digni existant in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, neque causæ, propter quas præsentes literæ emanaverint sufficienter adductæ, verificatæ, & justificatæ fuerint, aut ex alia quacumque, quantumvis justa, legitima, pia, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore juris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium, vel prætendentium consensus, aliove etiam quantumvis magno, ac formali, & substantiali, individuamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, invalidari, infringi, retractari, rescindi, limitari, ad terminos juris reduci, aut in controversiam vocari, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumq; juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, vel intentari, aut impetrato, seu etiam motu proprio, & de apostolicæ potestatis plenitudine concesso quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare posse, sed easdem præsentes literas semper, & perpetuo firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis, ad quos, & quas spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia inviolabiliter, & inconcusse observari, & adimpleri; sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & Apostolicæ Sedis Nuncios, aliosque quoslibet quavis auctoritate, & potestate, ac præeminentia fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Decretum irritans.

Derogatio contrariæ a

§.6. Non obstantibus præmissis, & quatenus opus sit nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula de non tollendo jure quæsito, aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, & synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon quorumvis Monasteriorum, Conventuum, & Domorum Regularium, ac Ordinum tam Mendicantium, quam non Mendicantium, Congregationum, Societatum,

tatum, & Institutorum, aliisve quibuslibet, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, usibus, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, libertatibus, exemptionibus, & Literis Apostolicis, etiam Mari Magno, seu Bulla Aurea, aut aliter nuncupatis, eisdem Monasteriis, Conventibus, & Domibus Regularibus, ac Ordinibus, Congregationibus, Societatibus, & Institutis, eorumque Superioribus, & personis quibuslibet sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis Decretis, etiam motu proprio, & de apostolicæ potestatis plenitudine, ac consistorialiter, seu alias quomodolibet in genere, vel in specie, etiam in limine fundationis, aut per viam communicationis, seu extensionis, in contrarium præmissorum concessis, confirmatis, & pluries approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut quæcumque alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata exprimerentur, & insererentur, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides. §.4. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum, & gentium tam in judicio, quam extra illud adhibeatur, quæ ipsismet præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 30. Jan. 1665. An.X. Datum Romæ apud S.Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 30. Januar. 1665. Pontificatus nostri Anno X.

DIV.

Exhibet Formulam subscribendam ab omnibus Ecclesiasticis in Regnis Galliæ pro confutatione quinq; Propositionum Cornelii Jansenii, &c.

ALEXANDER EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. REgiminis Apostolici divina providentia Nobis, quamvis immeritis, commissi ratio postulat, ut ad ea potissimum, quæ Catholicæ Religionis integritati, & propagationi, animarumque saluti, & Fidelium tranquillitati consulere apta, & idonea esse iudicantur, animum, & curam omnem, quantum licet in Domino, applicemus.

§.1. Quamobrem Cornelii Jansenii hæresim in Galliis præsertim serpentem ab Innocentio X. fel. record. Prædecessore nostro fere oppressam, ad instar Colubri tortuosi, cujus caput attritum est, in varios gyros, & cavillationum deflexus euntem singulari Constitutione ad hunc finem edita altero assumptionis nostræ anno extinguere conati fuimus: sed ut multiplices hostis hominum generis artes adhibet, nondum plene consequi potuimus, ut omnes errantes in viam salutis redirent, qui tamen unicus erat votorum, & curarum nostrarum scopus, quibus operam, & industriam suam egregio sane studio Venerabiles Fratres nostri Archiepiscopi, & Episcopi Regni Galliæ, earumdem Constitutionum Apostolicarum exequutioni præcipue intenti contulerunt, & Charissimus in Christo filius noster Rex Christianissimus singulari pietate auxiliarem dexteram strenuo, ac constantissimo animo porrexit.

Postulatio formulæ subscribendæ pro confutatione Jansenii. §.2. Cum autem præfatus Rex Christianissimus eodem Religionis zelo ductus per suum in Urbe Oratorem Nobis significari, exponique curaverit, nullum aliud opportunius remedium pestiferæ hujus contagionis reliquiis extirpandis adhiberi posse, quam si omnes certam formulam subscriberent nostra auctoritate firmatam, in qua quinque propositiones ex Cornelii Jansenii libro, cui titulus, Augustinus, excerptas, sincere damnarent, ac proinde illam a Nobis quantocitius expediri ad quælibet effugia præcludenda, omnesque removendos obtentus, flagitaverit: Nos tam piis dicti Regis Christianissimi votis benigne annuendum esse ducentes, formulam infrascriptam ab omnibus Ecclesiasticis, etiam Venerabilibus Fratribus nostris Archiepiscopis, & Episcopis, necnon aliis quibuscumque Ecclesiastici Ordinis, tam Regularibus, quam Secularibus, etiam Monialibus, Doctoribus, & Licentiatis, aliisq; Collegiorum Rectoribus, atque Magistris subscribi districte mandamus; idque intra tres menses a die publicationis, seu notificationis præsentium. alias contra eos, qui intra terminum prædictum non paruerint, irremissibiliter procedi volumus juxta Canonicas Constitutiones, & Conciliorum Decreta.

Formula a supradictis subscribenda.

Pontifex dat formulam. EGO N. Constitutioni Apostolicæ Innocentii X. datæ die 31. Maji 1653. & Constitutioni Alexandri VII. datæ die decima sexta Octobris 1656. Summorum Pontificum me subiicio, & quinque propositiones ex Cornelii Jansenii libro, cui nomen Augustinus, excerptas, & in sensu ab eodem

eodem auctore intento, prout illas per dictas Constitutiones Sedes Apostolica damnavit, sincero animo reijcio, ac damno, & ita juro; sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei Evangelia.

Decretum firmans. §.3. Decernentes insuper præsentes literas semper, & perpetuo validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus fortiri, & obtinere; Sicque per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos ubique judicari, & definiri debere, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Pœnæ contra inobedientes. §. 4. Quocirca Venerabilibus fratribus Archiepiscopis, & Episcopis, aliisque locorum Ordinariis committimus, & mandamus, ut singuli in suis Diœcesibus, ac locis suæ jurisdictioni subjectis præsentes literas, & in eis contenta quæcumque exequantur, & exequutioni mandari, ac observari ab omnibus curent, & inobedientes quoscumque per sententias, censuras, & pœnas, aliaque juris, & facti remedia, appellatione postposita, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, brachii secularis auxilio, omnino compellant.

Transumptorum fides. §.5. Volumus autem, ut præsentium transumptis, etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem fides prorsus adhibeatur, quæ ipsis originalibus literis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

§.6. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostram Constitutionem, & ordinationem infringere, vel ei ausu temerario contraire, si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Dat. die 15. Kal. Martias An.X. Datum Romæ apud S.Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ 1665. quintodecimo Kal. Martii Pontificatus nostri Anno X.

DV.

Ex Regest. in Secr. Brev. Confirmatio Decreti Congregationis Rituum super patronatu principaliori S.Januarii in Regnum Neapolitanum.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium. §.1. CUM alias propositis de mandato nostro in Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Sacris Ritibus præpositorum controversiis inter dilectos filios Deputatos Thesauri Sancti Januarii, & Fratres Sancti Dominici, cuinam ipsorum debeatur patronatus principalis Regni Neapolis, Sancto ne Januario, vel potius Sancto Dominico, prætati Cardinales bene, & mature perpensis hinc inde deductis, censuerint deberi Divo Januario, ac proinde festum de præcepto tanquam de Principaliori Patrono Regni Neapolitani fieri debere per totum Regnum de dicto Sancto Januario Episcopo, & Martyre, non obstantibus Literis Apostolicis datis die 23. Augusti 1640. cæterisque decretis ejusdem Congregationis, si ita Nobis videretur, prout in ipsius Congregationis decreto desuper die 4. Augusti 1663. emanato continetur: Et sicut pro parte dilectorum filiorum Communitatis, & Hominum Civitatis Neapolitan., ac Deputatorum Thesauri hujusmodi Nobis nuper expositum fuit, ipsi hoc Decretum Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desiderent; Nos specialem eisdem Exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, supra expressum memoratæ Congregationis Decretum auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adiicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate præfatæ Congregationis Cardinalium. Pontifex confirmat decretum S. Congr.

§.2. Decernentes easdem præsentes Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Decretum firmans.

§.3. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Contraria tollit.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die vigesima Martii 1665. Pontificatus nostri Anno X. Dat. die 20 Mart. 1665 An.X.

Con-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

DVI.

Ex Regest. in Secret. Brev. Confirmatio Constitutionum pro felici regimine Congregationis, seu Confraternitatis Scholæ Christi Madriti Toletan. Diœcesis, idque pro Congregationibus, seu Confraternitatibus sub nomine dictæ Scholæ Christi, & sub earumdem Constitut. observantia tam erectis, quam erigendis in universis Regnis, & Dominiis Hispaniarum, ac etiam in Alma Urbe.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. AD Pastoralis dignitatis fastigium, nullo licet meritorum nostrorum suffragio per ineffabilem Salvatoris, & Domini Jesu Christi bonitatem evecti illa, quæ pro Sodalitatum quarumlibet ad exercenda pietatis opera pie prudenteroue institutarum prospero gubernio, salubrique Sodalium ad eternæ beatitudinis metam per viam mandatorum Dei, consiliorumque Evangelicorum usum currere satagentium directione, maturo, sapientique constituta, & decreta noscuntur esse consilio, quo firma semper, & inviolabilia permaneant, libenter cum a Nobis petitur, Apostolici muniminis præsidio constabilimus, ipsisq; Sodalitatibus spiritualium gratiarum dona elargimur, sicut ad Omnipotentis Dei gloriam, & animarum salutem cognoscimus in Domino salubriter expedire.

Supplicatio. §. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii Confratres Congregationis, seu Confraternitatis sub nomine *Scholæ Christi* in Oppido Madriti Toletan. Diœcesis canonice erectæ quod pro felici ipsius Congregationis, seu Confraternitatis regimine, piorumque exercitiorum in ea fieri solitorum, ac illius Confratrum salubri directione factæ, & Hispanico idiomate editæ fuerunt, cum approbatione Venerabilis Fratris Archiepisc. Toletan. diversæ Constitutiones, quæ de Hispanico in latinum idioma versæ sunt tenoris, qui sequitur, videlicet:

Constitutiones Congregationis, & Scholæ Christi Domini nostri fundatæ sub protectione Mariæ Virginis Sanctissimæ, & Domine nostre in Nosocomio Matritensi Nationis Italicæ.

CAPUT I.

De Fine, & Instituto hujus Scholæ.

INstitutum, & finis hujus Scholæ profectus spiritualis est, & quod aspiret unusquisque fratrum ad voluntatem Dei, ejusq; præcepta, & consilia in omnibus adimplenda, progrediendo ad perfectionem secundum suum cujusque statum, illiusque obligationem, cum correctione vitæ, pœnitentia, & peccatorum contrictione, cum mortificatione sensuum, puritate conscientiæ, oratione, Sacramentorum frequentia operibus charitatis, aliisque sanctis exercitiis, quæ in illa docentur, & exercentur, cum æstimatione magna eternorum, contemptuque temporalium: strictiorem, ac severiorem salutis viam, atque semitam, in quocumque statu quærendo: *Arcta via est, quæ ducit ad vitam intrate per angustam portam. Matth.* 7.

CAPUT II.

De Divino Magistro hujus Scholæ, ac de indignissimis ejus Discipulis.

PRæceptorum, & Consiliorum Christi Domini nostri, Scholæque iis discendis, & exequendis omnino intentæ *Christus Magister est, Magister vester unus est Christus. Matth.* 23. divinam suam Doctrinam, & sacras actiones jubet nos discere: *Discite a me Matth.* 11. Humiles Discipuli misericordia sic magna, & sic grandi titulo semper indigni, recognoscere continuo debent a quo Magistro in Discipulos sint vocati, & quas obligationes includat hic titulus.

Profiteri debent erga Mariam Sanctissimam Matrem, ac Dominam nostram devotionem tenerrimam, servitutem amoris plenissimam, atque humillimam filiationem. Quam loco Matres piæ, Dominæque clementissimæ Christus Discipulis suis exhibet. *Dicit Discipulo: Ecce Mater tua Jo:* 12. Ad ejus Religiosissimum cultum; sactamque venerationem, ad continuam ejus invocationem, protectionisq; demerendam gratiam attendere semper, promptique semper, ac vigilantes, uti filii subjecti, uti amantes servi esse debent, cum spe secura obtinendi unice per ejus manus gratias Dei, beneficia, & misericordias.

Et quia placuit Deo communicare spiritum hujusmodi Scholarum Christi Discipulorum interventu S. Philippi Nerii, reputabit hæc nostra, & reverebitur eum, tanquam Patrem heroicarum ipsius virtutum exemplar ante oculos sibi ponens ad imitationem, juxta suum, uniuscujusque statum.

Discipuli hujus Scholæ viri esse debent a vitiis remoti, seculique fallaciis, & vanitatibus, qui cum perfecta cognitione, ac firmo proposito placere Deo in omnibus, voluntatemque ejus adimplere desiderent qui oratione, ac meditatione se exerceant, devoti, pii, misericordes, modesti, patientes, bonoque cæteris exemplo.

Agere debent inter se cum amore, æqualitate, & charitate fraterna: Christi enim Scholæ Discipuli fratres sunt. *Omnes autem Vos Fratres estis. Matth.* 23.

Hæc unio, & charitas, formaque exercitiorum, & uniuscujusque profectus cura non permittit eos magno esse numero. Erunt ad plurimum Sacerdotes vigintiquatuor, laicique quadraginta, & octo, quem quidem nullatenus excedere possint. Sub Sacerdotibus cum Regulares, tum seculares

res veniunt comprehensi uti sub sæcularibus comprehenduntur, si quis oblatus alicujus Religiosi Ordinis hujus Scholæ sit Frater, omnesque alii Ordinem sactum non habentes.

CAPUT III.

De Obedientia.

ISqui huic Scholæ præesse *Obedientia* appellatur, ideo ut a nomine etiam ipso Superiores doceantur cæteri, quam ante te omnes curare debeant de promovenda in se hujus virtutis perfectione, qui in omnibus Christi operibus adeo resplenduit. *Factus obediens usque ad Mortem. Ad Philipp.* 2. In his omnibus, quæ operabitur, docebit, & ordinabit, divinæ legi, consiliis, & voluntati obediet. Hoc in munere ejus est, virtutem hanc colere, & docere sanctæque obedientiæ exemplum aliis præbere exercitiis omnibus, & Congregationibus præsit gubernationi, directioni, disciplinæ, ac profectui Scholæ invigilat. Exortari debet Fratres ad virtutem, & perfectionem doctrina, atque consiliis Evangelicis, inculpabilisque vitæ exemplo. *Qui fecerit, & docuerit. Matth.* 5. Idque ut consequatur ad orationem continuo recurrere, a Deoque petere lumen sibi primum quod deinde aliis communicare possit, gratiamque, & vires ad exequendum in se ipso, quæ alios postea docturus est. Ex consilio deputatorum operabitur, & in gravioribus consulet quoque antianos. Ejus, ac cæterorum Officialium munera per quatuor menses durant.

Si paucis diebus ille abfit, officio ejus in schola fungitur, & in Congregationibus deputatis primus Ecclesiasticus; eoque absente, secundus. At si absentia longior mense fuerit, Congregatio Antianorum aliquem, qui locum ejus subeat, nominabit: morienteque, aut alio sive redeundi proposito abeunte, Congregatio eadem deliget suffragiis secretis obedientiam, qui usque ad finem quadrimestris hoc munus gerat.

CAPUT IV.

De Deputatis.

DEputati quatuor erunt, duo Sacerdotes, duoque Laici. Sacerdotes quidem eo spiritu, fervore, doctrinaque, ut in defectum obedientiæ, munus hoc peragere possint: & generaliter tam hi, quam illi magnæ pietatis, & prudentiæ, ac de Constitutionibus, decretis, dictaminibus, regimine, atque exercitiis scholæ apprime docti: Hi omnibus in Congregationibus suffragium habent, ac veluti Consultores obedientiæ sunt. Fratrum profectus, atque defectuum inspectores, veræque eorumdem Fratrum, sanctæque fraternitatis promotores esse debent; opitularique eorum necessitatibus spiritualibus, & corporalibus, referendo eas obedientiæ, atque in rebus gravioribus Congregationi Antianorum, ad hoc ut decernatur, & ordinetur, rematu e perpensa, id quod gratius Deo, atque utilius Fratribus sit futurum. Qui admitti ad scholam cupient, ab his Deputatis ex mandato obedientiæ examinabuntur.

CAPUT V.

De Secretario.

SEcretarius habere debet optime notas Constitutiones, Decreta, atque exercitia, notosque item scholæ fratres; interesseque continuo, & diligenter exercitiis omnibus, & Congregationibus. Cui muneri deligetur is, qui fuerit magnæ capacitatis, modestiæ, & probitatis. Suffragium habet in omnibus Congregationibus, absenteque eo, coadjutor ejus: Librum pœnes se habet decretorum, & admissionis fratrum, qui recipiuntur, annotatque quis eorum, quaque hebdomade in scholam non venit, de quo monet Congregationem, quæ singulis mensibus fit, ne ignoretur uniuscujusque diligentia, aut negligentia, inquiraturque in causam ablentiæ, & quod expediat ordinetur. Cui rei curet fratrum nomina in quadam tabula descripta habere, itaut facile annotare possit venientes in scholam, atque ea finita eos, qui abfuerint, necnon eos, qui excusatum se miserint, annotabit: excusatio autem justa pro præsentia est; Epistolarum ad scholam aliunde remissarum, seu ab eadem scribendarum custodiam, & curam habet, necnon omnium instrumentorum, quorum tamen præcipua cum libris decretorum, & admissionum in Archivo esse debent duabus clavibus munito, atque ex his alteram Obedientia penes se habebit, alteram Secretarius. In diebus scholæ, & Congregationis anticipabit aliquantulum, ut si quo opus est mature id expediat. Coadjutor ei adsignatur, qui absentis vices gerat, ne aliquis non sit, atque ut fratres ad exercendum id munus habiles reddantur.

CAPUT VI.

De Nuntiis.

NUntii quatuor sunt, duo Ecclesiastici, & duo seculares; Ecclesiastici curam habent Altaris, & Oratorii, distribuunt flagella, et schedulas meditationis; seculares manent secus portam Oratorii, prohibentque ne alii præter fratres eo intrent, nisi cum licentia, comitantur eos, quibus introitus conceditur, usque ad locum, in quo sedere debent: Obedientiæ referunt, si quis ingredi volens, aut quidquam nomine alterius nuntiaturus ad portam accesserit, & si quid aliud referri oportet. Assistunt, & comitantur Novitios receptionis die, atque in omnibus, quæ illos facere oportet, dirigunt. Tam Ecclesiastici, quam seculares fratrum zelatores sunt, monereque Obedientiam debent, si quem defectum gravem, & publicum alicujus fratris noverint

verint, aut talem, ex quo, quantumvis gravis non sit, resultare possit aliquod inconveniens. Venient ad Oratorium ante horam præscriptam, ut omnia in tempore sint parata. Diligenter hi ex modestioribus, majoreque charitate, & diligentia præditis. Nominantur item quatuor alii Coadjutores duo ex Ecclesiasticis, ac duo Seculares, ut absentium Nuntiorum vice fungantur.

CAPUT VII.

De compositione Oratorii, & quinam in id admitti debeant.

IN Altari Oratorii ponentur Immagines Christi Domini Crucifixi, & Mariæ Dominæ nostræ cum ornatu decenti, mundo, & modesto, absque eo quod curiosus, aut dives sit: & supra sedem Obedientiæ alia Sancti Philippi Nerii Patris nostri. Ante Altare collocabuntur duæ calvariæ, totidemque mortuorum ossa, duoque flagellorum fascicula. In fine Oratorii contra Altare scabellum erit humile, quo sedet Obedientia, & ante eum mensa parva, & humilis, atque in ea erunt Calvaria, liber Constitutionum, carthulæ meditationis, vas aquæ benedictæ cum aspersorio, horologium, & campanula. In medio Cameræ tria scabella æque humilia, unum ad latus Evangelii, quo exercitans, duo e regione, quibus exercitati sedeant: in circuitu per totam Cameram Fratres sedebunt in scamnis humilibus, & planis. Fenestræ clausæ erunt, & lumen solum candelabrum, utpote ad colligendos sensus conducens, admovebitur. *Clauso ostio ora Patrem tuum in abscondito. Matth.* 6.

Quibus diebus Scholæ habentur Fratres tantum eo introibunt, excepta tamen si quæ persona eximiæ adeo virtutis, & meritorum, cujus præsentiam eo, quod videbitur, tempore, utilem scholæ, ac proinde gratam Deo futuram, Obedientia, & Deputati existimabunt, maxime si regularis sit. In quo tamen prudenti examine, & multo rigore utentur.

De Fratribus aliarum scholarum, quibus ingressus permittetur, cap. 21. tractabitur.

CAPUT VIII.

De exercitiis diei, quo Schola habetur.

OMnibus quintis feriis Hebdomadæ post meridiem, habetur Congregatio, seu Schola, excepto quod in Majori Hebdomada transfertur in feriam tertiam.

Incipere debet duobus ante solis occasum horis, secundum anni tempestatem. Fratres paulò ante venient, statimque sine mora nemini colloquentes ingredientur cum modestia, & summo silentio in Ecclesiam, ibique ante vivificum Eucharistiæ Sacramentum genibus flexis manebunt, corda colligere, atque ab omnibus curis temporalibus, & quacumque alia distractione avertere procurantes, disponendo se ad sancta ea, ad quæ veniunt, exercitia, Deumque precando, ut accepta illo sint, & quod præstet eis lumen, & gratiam suam, ut istis horis, vitæque residuo, sanctæ Dei voluntati obsequentes fructuose utantur.

Præscripta adveniente hora ad nutum Obedientiæ dato signo, cum eadem modestia, & silentio ingrediantur Oratorium; Obedientia occupabit suum scamnum. Deputati duo Ecclesiastici ad latera ei sedebunt, primoque eorum proximus Secretarius Nuntii Altaris juxta Altare, & Nuntii Portæ juxta eam, cæteri quo ingredientur ordine, sine differentia, & sine ulla urbanitatis exhibitione, utpote humilitati, & christianæ fraternitati, quam in Schola Fratres profitentur, vere contraria.

Ante Oratorii ingressum enses in certo aliquo loco deponunt. Pallium, & galerum post, aut sub scamno, quo sederit unusquisque, mittet, in gestu manens profundæ humiliationis, tanquam is, qui auctoritatem, cultum, curas, & negotia secularia deponit, parvitatem suam, & nihil suum recognoscit, Deique Majestatem reverentissima humilitate adorare desiderat. In quo etiam oculos habebunt ad imitandam humilitatem, atque exemplum Christi Domini nostri. *Et ponit Vestimenta sua. Joann.* 13. Cupientque simul pravis habitibus expoliari, quibus natura indui solet.

Posternunt sese omnes ad terram, & facto signo ab Obedientia sese in genua erigunt: tunc ille ait: *Laudetur Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum.* Aspergit fratres aqua benedicta, recitatque orationes alias quæ in postremo ponuntur capite. In recitanda confessione iterum fratres prosternunt se, quemadmodum hi, qui serius veniunt, facere debent statim, atque ingredientur, quousque signum dederit Obedientia.

Absolutis precibus, Obedientia legit considerationem aliquam devoram super id, quod meditationi feria quinta antecedenti fuit propositum. Mentalisque oratio per spatium dimidiæ horæ habetur. Interim jaculatorias preces unam, aut alteram de eadem materia dicit fervori fratrum intendendo. Et ad absolvendam Orationem cæteris humi provolutis, actus aliquos doloris, contritionisque peccatorum dictat, verbi gratia: *Peccavi Domine miserere mei*, aut similia: repetuntque eadem fratres. Miscet autem his ille affectus quosdam, sive exclamationes ad peccatorum pœnitentiam, atque Amorem Dei excitandum. Deinde Litanias, & Orationem, quæ in ultimo Capite est, recitat.

Signum dat, & sedentibus fratribus, signoque Crucis frontem munientibus introducit is breviter solidæ, ac fervidæ meditationis, super qua conferendum est, articulum. Deinde tres fratres vocat, quorum unus reliquos duos in examine, & interrogatione exerceat. Interim tamen omnes simul hi tres infra loca exercitandorum ingeniculantur, nemo eorum præsumens vocatum se esse, ut examinet, & exerceat reliquos duos. Obedientia tunc unum eorum jubet Exercitantis locum occupare, excitandorum reliquos, verbisque gravibus, atque ædificantibus monet, ac exortatur Exercitantem (qui ex fratribus ferventioris spiritus esse debet) ut ad Deum oculos, & cor erigat, eumque precetur det sibi lumen, ut cum fructu possit fratres illos examinare, consiliis salutaribus erigere, & perfectionis viam iis commonstrare, aliamve hujus propositi.

Exercitator muniens se signo Crucis, humiliter agnoscens indignum se eo munere, quod sibi imponitur, si aliquem in Scholæ exercitiis defectum commiserit, flexis genibus, refert. Obedientiaque aliquam ei pœnitentiam imponit, qua perfecta sedet, fratrumque singulos interrogat, an illa hebdomada impleverint officia, & exercitia Scholæ, an meditati sint super puncto designato, & quid specialiter de illo, aut in illo cogitaverint.

Respondent singuli eorum, facto Crucis signo cum humilitate, sinceritate, & modestia, de plano, ac breviter, sine discursibus, aut digressionibus, absque eo, quod interiora, resque Confessori reservatas inclucet, sed de iis se accuset tantum defectibus, quæ ad Constitutionum pertinent adimplementum; veluti quod quotidiano examini non excusserit conscientiã; quod Egrotos in Hospithali non visitaverit, quamvis culpa careant hi defectus. Et hæc dicet flexis genibus, atque Obedientia imponet unicuiq; pœnitentiam sibi placitam.

Exercitator monebit eos de iis, quę in Deo judicaverit secundum responsa eorum futura utiliora, quæ confirmare poterit aliquo sacræ Scripturæ, aut Patris testimonio pro documento, & exortatione.

Obedientia pro arbitrio suo resumat ea, quæ dicta sunt, aut eorum partem, expendatque ut fratres moveat, & accendat adductis sacræ Scripturæ, aut Sanctorum locis, subtilitatem, & multiplicationem locorum devitans, ut prosit, non ut gloriam sibi quærat; ad animarum utilitatem, defectuum emendationem, virtutumque exercitationem omnia dirigens. Sciatq; muneris sui esse mortificare omnes, laudare neminem.

Post hæc quasdam tribus illis pœnitentias, quibus cæteri ædificentur, imponit. Osculantur illi terram cum vocati ad exercitium ingeniculantur, & cum exercitium absolvunt.

Iterum, tertioque vocat (si expediens videbitur) tres alios fratres eodem modo, ac primos, & singulos tres idem, quod jam dictum manet, exequuntur.

Procuret in quadrimestri suo neminem cujuscumq; sit gradus inexercitatum remanere, & ipse exercitari se aliquando faciat; & hoc exercitandi munus idoneis imponat. Præterea quando sibi placuerit, etiamsi præsens sit, injungere poterit alicui ex fratribus Obedientiæ officium, ut formentur personæ illius capaces, atque item ab Schola, uti tales cognoscantur.

Ultimum exercitium absolvetur aliquo actu ferventi amoris Dei, & peccatorum contritionis, sicut de Oratione mentali dictum manet.

Post hæc Nuntii Altaris distribuunt flagella, & lumina extinguunt. Obedientia tunc cum tono gravi, tardo, ac devoto dicit Dominicæ Passionis Summarium, versusque illos, qui in capite finali positi sunt. Et cum perventum est ad versiculum: *Apprehendite disciplinam*, flagellatio incipit, recitantque tam Obedientia, quam cæteri Fratres alternatim per choros Psalmum: *Attiferere mei Deus.* Et Psalmum *De Profundis*, actumque contrictionis, ut in dicto Capitulo finali. Quibus ablolutis dat signum Obedientia: & dum Fratres se componunt, injungit eis, ut recitent *Pater Noster*, & *Ave Maria* tot vicibus, quoties, & pro intentione, quæ in dicto Capitulo referuntur. Tunc Hymnus *Nunc dimittis* alternatim, ut Psalmi recitatur, & cum versus ille: *Lumen ad revelationem* dicitur, introducit lumen alter ex Nuntiis Portæ, & candelæ accenduntur. Obedientia ait: *Fratres emmendamus in melius*, ut in dicto Capit. finali; datoque signo redit unusquisque ad locum Sedis suæ,

Legit Meditationem, & Jaculatoriam hebdomadæ sequentis, quę conformia erunt Evangeliis per annum, sequenturque omnino spiritum Ecclesiæ. At in Quadragesima erunt de Dominica Passione. Cernui tunc Fratres ter repetuntur Jaculatoriam, datoque ab Obedientia signo sedent. Obedientia dat Nuntiis Altaris schedulas dictæ Meditationis, ut eas distribuant, intereaque legit caput quoddam Constitutionum, ut memoria ei retineantur.

Duos Fratres assignat qui proxime sequenti hebdomada de Oratorio mundando, & purando curam habeant, id munus inter omnes distribuens.

Quando Fratrum aliquis ægrotaverit, duos alios designet, qui eum nomine scholæ visitent, atque ii observabunt, quæ illis imponuntur *in Cap.* 12.

Postea exortetur cum ferventi animi sensu Fratres ad Jesu Christi Domini adorationem. Pergat ipse, & nomine omnium ante Altare adoret: comitantibus ipsum corde Fratribus, cum magna humilitate, & reverentia super faciem cadentibus.

Adoratio tribus genuflexionibus facienda est, primum in parte inferiori Cameræ, iterum in ejus medio, tandem prope Altare, dicto per singulas genuflexiones, *adoramus te*, &c. Quod Fratres repetunt: & ad finem dicit Orationem *respice quesumus*, &c. ut in dicto *Cap. finali*. Cum revertitur tres alias genuflexiones faciat, Mariam Virginem Dominam nostram adorans, & salutans *Ave filia* &c., ut in d. Cap.

Quinta feria concurrente Dominicæ Nativitatis, aut eam subsequente, una cum Obedientia omnes Fratres vadùt Puerum Jesum adoraturi, & cum prostraverint se ante Præsepe, Obedientia prorumpet in aliquos amoris sensus super hoc Mysterio.

Die Epiphaniæ, si erit feria quinta, sive feria quinta proxime eam sequente, vadunt Fratres singuli terni ad Orationem peracturi, ter principio, & medio Oratorii, & juxta Præsepe humi præcumbentes. *Procidentes adoraverunt Matt.* 2. Nempe ante alios Obedientia cum duobus Deputatis Ecclesiasticis, deinde tres alii de uno ex choris, quos alii tres de altero sequuntur, & hoc Ordine cæteri, & in ultima prostatione tantillum durantes, redeunt ad Sedes suas ex illa parte, qua suus illis chorus est, sine ulla genuflexione, venientibus ne impedimento sint. Cæteri flexis genibus expectant.

Omnibus quintis feriis a Vesperis Nativitatis usque ad Epiphaniam, si hoc Festum inciderit in talem diem, sive usque ad quintam feriam Epiphaniam proxime sequentem, flagellatio cessat; quemadmodum, & in die Corporis Christi, & infra Octavas Paschæ, & Pentecostes, in hisque omnibus prolixiores aliquanto fiunt Oratio, & exercitia, itaut duas horas juste compleant.

Feria tertia Majores Hebdomadæ, & si festum Inventionis vivificæ Crucis Majo mense veniens in quintam Feriam inciderit, aut proxima post id, eodem modo, ac in Festo Regum, fit Crucis adoratio, alta voce alternantibus Fratribus versus Hymni: *Vexilla Regis prodeunt*, &c. qui est in *Capit. final.*

Omnia hæc exercitia sic ordinanda sunt, ut duas horas non excedant, scilicet Oratio Mentalis mediæ, tria exercitia unius, reliquumque alterius mediæ horæ spatio duret.

Finita adoratione Obedientia ait: *Procedamus in pace*: cui Fratres; *in nomine Domini*: terramque osculantes, & pallia resumentes cum modestia in Ecclesiam exeunt, atque Sacram Eucharistiam adorant, de eo quod tam sanctis exercitiis interfuerint gratias Deo agentes Deiparam Virginem Oratione Angelica salutant, & cum eodem silentio, & modestia in principio dicta proficiscuntur, interius aliquod affectum suorum silentium consequi procurantes.

CAPUT IX.

De diebus Communionis Generalis, & quid in his observetur.

Præter Communiones particulares, de quibus agetur *in Capit.* 14., fit Communio Generalis singulis Dominicis secundis uniuscujusque mensis, primo die Pentecostes, die nominis Mariæ, ac die S. Philippi Neris Patris nostri, & quando aliquis ex Fratribus diem suum obierit.

Congregantur Fratres in Oratorio diligenti conscientiæ examine prolixiore, quam alias Oratione, Sacramentaliq; confessione jam præparati. Silentium, modestia, & reverentia, tanto magis his, quam in scholæ diebus augeri debent, quanto excellentius est Deum in Sacramento adorare, & recipere, ineffabiliterque, atque intime ei uniri; consideratis inter motiva alia devotionis, & teneritudinis Christi Discipulorum nomine, & professione.

Tantisper in Oratione manent, quousque signum dat Obedientia, ut sedeant. Tunc ille breviter, atque aptis diei verbis accendit eos, & exhortatur, tandemque mutuam charitatem suadet, si forte inter eorum aliquos disconvenientiæ causa sit. *Vade prius reconciliari Fratri tuo. Matt.*5. In genua cadunt, singulique Ordine alterne dicunt: *Si in aliqua re Fratres meos offendi, precor mihi parcant, atque ego idem facio*, & cum dixerint, terram osculantur.

Vestit se Obedientia, cui Nuntii Altaris cum superpilliceis assistunt, Missamque celebrat privatam ea devotione, quam tanti Sacrificii Ministrum decet, eumque a quo discere debet tam sancta Schola. Pergunt fratres singuli bini ad sumendam Eucharistiam, par fratrum ex uno, & par aliud ex altero choro, atque eodem modo cæteri, ter humo procumbentes.

Gladios relinquunt Oratorium ingressuri, pallia vero non relinquunt memoria retinentes Christum Dominum nostrum, quantumvis paupertatem, & humilitatem semper amaverit, ornatum tamen, & apparatum eligisse instituturum hoc divinum Sacramentum: *Cœnaculum grande stratum, Marci* 14. ad idque vestes resumpsit: *Accepit vestimenta sua, Joan.*13.

Oratio habetur postea, qua Deo gratæ pro tam magno beneficio redduntur. Absolvitque Obedientia dicens. *O Sacrum Convivium, ut in Capit. final.*, factoque signo exeunt, cum toties dicto silentio, & modestia.

CAPUT X.

De die Corporis Christi.

HOC die post meridiem habetur Schola cum quinta feria sit, præscript isque horis manifestatur propter solemnitatem ejus diei in Oratorio Sacrosancta Eucharistia. Ornatur Altare cum munditia gravi, & decenti. Sedilia exercitiis deservientia, Obedientiæ mensula, Calvariæ, ossa, & flagella hoc die non videntur.

Congregantur Fratres in Oratorio; vestituque Obedientia cum cappa pluviali, comitatus duobus Nuntiis Altaris, aliisque duobus Fratribus Sacerdotibus cum superpelliciis, in Ecclesiam venit, procedentibus reliquis Fratribus cum cereis in manu accensis (quæ inter eos distribuunt Coadjutores Nuntiorum Altaris) ea cum modestia, attentione, & circumspectione, qua debent Christi Discipuli euntes quæsitum, transportatumque in Scholam Divinum suum

suum Magistrum. Extrahit Obedientia Sanctissimam Hostiam e Sacrario, ducitque in processione, alternantibus Fratribus versu Hymni: *Pange lingua, qui est in Capit. final.*, collocatque in Altari Oratorii. Spoliat se, ac tendit in locum suum; Fratresque postquam in genua procubuerunt, & humum osculati sunt, erigentes se penes scamna ingeniculantur. Ommissoque aspersorio, & cæteris orationibus, legit Obedientia devotas quasdam de Sanctissimo hoc Sacramento considerationes, super quibus meditantur per tres horæ quadrantes; interimque obedientia jaculatoriis aliquot orationibus devotis, teneris, ac ferventibus utitur; tandemque oratio absolvitur dicente obedientia Fratres, *Tantum ergo Sacramentum, veneremur cernui*. Procumbuntque humi omnes, durantque aliquantulum in hoc gestu corporis facientes interiores actus fidei, adorationis, & amoris.

Sedentibus omnibus (quod propter debilitatem aut infirmitatem aliquorum, ut absit inæqualitas, permittitur) corde tamen prostratis cum summa reverentia, & humilitate, ter vocat Obedientia, ut moris est, singulos ternos ex fratribus, ut exerceant, & exerceantur. Qui ingeniculantur eo in loco, ubi aliis diebus scamnula sunt, aut si Obedientiæ necessarium videatur, jussi in terra sedent. De Constitutionum adimplemento non interrogantur, nec defectus suos profitentur, vellet enim Schola in nullo defecisse filios suos, præsertim hac die, aut Magistro huic Divino inofficiosos fuisse. Quamvis enim secretiores defectus ei patent, atque oculis ejus manifesti sunt, decet tamen hos, cum realiter, & corporaliter Dominus adest, non audiri. Tum propter gaudium, & letitiam, qua debemus ei assistere, excusantur hoc die actus omnes manifestationis, & pœnitentiæ; *Numquid possunt filii sponsi lugere, quando cum illis est sponsus. Matt.* 9.

Exercitia reducuntur ad collationes, documenta, & exhortationes circa infinitum amoris excessum, quo voluit Christus Dominus in Sacramento inter Nos manere, Divinique hujus Sacramenti effectus, & circa modum, quoad eum excipiendum præparare Nos, excepto gratias habere, & pro tam ineffabili beneficio gratos reddere, nos debeamus. Respondeant exercitati ad interrogata modeste, ac breviter id, de quo singulos Deus docuerit. Qui deinde monebuntur ab exercitantibus, excitabunturque ad majorem venerationem, & servitutem hujus Sacramenti, & ad effectus misericordiæ ejus mirabiles, tempore, ac defectibus non impediendos.

Obedientia exercitantium dicta in summam redigit, sive quod monere magis, aut excitare majorem fervorem possit, adjungit. Exercitia hodie plus quam aliis diebus per horæ quadrantem protelari possunt. Imponit Obedientia, ut pro summo Pontifice, pro Rege &c. ut moris est, Deum Fratres precentur. Tunc vestibus resumptis cum eodem Assistentium cæterisque cum cereis accensis comitatu pergit ad Custodiæ reddendum Sanctissimum juxta cœremonialis regulas: & fratribus dicentibus: *Tantum ergo &c.* benedictionem illis dat cum Sanctissima Hostia, quam quidem illi recipere debent sic reverenter humiliter, & confidenter, quasi a Christo visibiliter apparente sibi elargitam, æque reverenter, ac devote procedentes, eamdem Sacram Eucharistiam usque ad Sacrarium comitantur, quo cum inclusa fuerit, osculantes humum redeunt cum Obedientia ad Sacristiam, indeque cum summo silentio, & modestia unusquisque abit.

Hoc die propter id quod in præcedenti capite dictum est, pallia non deponunt.

CAPUT XI.

De memoria, & exercitio mortis.

JUbet Nos Christus Dominus nostet paratos esse ad illam horam, qua ei placuerit, nos vocare. *Vos estote parati, Mat.*24. Quæ cum ita incerta sit, & ignorata: *Sero an media nocte, an Galli mane, Marc.* 13. continuo parare nos debemus, ne subitanea imparatis superveniat: *Ne cum venerit repente inveniat vos dormientes, ibid.*

Igitur Scholæ Christi Discipuli nunquam non parare sese debent, ne imparatos inveniat eorum Dominus, cum venerit, mortemque ob oculos ponere, strictumque judicium, quo Nos judicaturus est, cujus quidem memoria transformandæ in melius vitæ sufficiens est: Christus præsentem habuit obitum suum, loquebaturque de eo frequenter, etiam in Gloria Transfigurationis, permisitque, ut pati, atque mori jam tunc inciperet, mortem suam in timore sibi, atque agonia representari, quotannisque confessione m generalem, ac testamentum facere, a culpis, & imperfectionibus se avertentes, virtutibusque ferventer se exercitantes, itaut Deo vivere, culpisque, & passionibus mori procurent.

Quod ut commodiori ordine consequantur, disponent sese tertia pars Fratrum antiquiorum quatuor primis anni mensibus hac forma.

Facere debent intra hoc quadrimestre Generalem Confessionem ejus temporis, quod post aliam ultimo factam erit transcursum, sive quo alio modo eorum Patri Spirituali visum fuerit, ordinareque suum testamentum, res suas disponendo, eaque quorum sese agnoscunt debitores, quo modo poterint in præsenti rerum statu, persolvendo, quemadmodum facerent, si se vidissent morti propinquos.

Quotidie aliquod temporis spatium, præter consueta alia Scholæ exercitia, meditationi mortis, strictique, cui subjacebunt judicii se exercere debent, actusque aliquos contrictionis ferventes, tanquam jam morituri facient, de futura sibi forte cum mors advenerit, vel unius actus faciendi

ciendi tempus, aut dispositionem considerantes. In adimplendis etiam majori solicitudine, & exemplo exercitiis, & obligationibus Scholæ, omnibusque aliis devotionis, & charitatis operibus alacres erunt.

Diebus Scholæ imponet quibusdam eorum Obedientia mortificationis aliquos actus, & ad tertium exercitium ultimæ quintæ feriæ cujuslibet mensis, eorum aliquos vocabit, qui examinabuntur de modo meditationis mortis, de dispositione, & executione eorum, quæ jam dicta sunt.

Exeunte jam quadrimestre tempore, quo die Obedientiæ visum fuerit, [ante tamen quintam feriam electionis Officiorum] convenient simul omnes in Oratorio celebrabit Obedientia Missam privatam defunctorum pro animabus Fratrum, qui è seculo abjerunt, ac pro eadem intentione Eucharistiam accipient.

Post gratiarum actionem habebit brevem, ac ferventem sermonem de brevitate vitæ, incertitudine mortis, ejusque agone, anxietatibus, & periculis; de confusione, & tristitia, quam inducit culparum memoria de judicii, & examinis terroribus, quo meliori modo possit commovere nos, ut vivamus in continuo timore illius valde terribilis, valdeque periculosi momenti, a quo, vel æterna salus pendet, vel æterna damnatio.

Jubebit inde in genua se dimittere Fratres, qui eo quadrimestri exercitantur, breviterque rogabit ab eis, adimpleverint ne, & qualiter ea, quæ sibi in hoc capite imponuntur, exhortabiturque, ut perseverent, & adventum Domini semper spectent parati.

Secretarius recitabit nomina Fratrum qui pone* sequuntur, secundum admissionis antiquitatem, ut hac ipsa forma exerceantur quadrimestri sequenti; idque absentibus nuntiabit. Huicque numero adjunguntur ii, qui vel abfuerint, vel quod alias impediti fuerint; elapsis mensibus sibi assignatis exercitati non erunt.

* Sic.

Instanter rogabit Fratres Obedientia, uti erga Defunctorum, præcipuè Fratrum nostrorum, animas piissime, ac liberalissime se gerant, atque pro illis offerant Missas, Indulgentias, Eleemosynas, Jejunia, Mortificationes, aliaque pietatis opera, secundum uniuscujusque devotionem, deponentes omnia hæc in manibus Reginæ Angelorum, per manus S. Philippi Nerii Patris nostri, ut benedicto Filio suo eadem offerat, & pro arbitrio applicet; quod certe erit ad majorem Dei gloriam, majoraque animarum omnium defunctorum præcipue Fratrum nostrorum suffragia, obligationumque, quibus obstricti sumus, certius complementum.

Proxime sequentis Scholæ die portabit unusquisque in schedulis scriptum, absque eo quod suum nomen apponat, omne id, quod obtulit, consignabitque eam Secretario. Qui collatis omnibus, deductaque ratione, quæ oblata sunt, palam Scholæ recitat.

Beatus ille Servus quem cum venerit Dominus ejus, invenerit sic facientem Matthæi 20. fortunatissimum erit si Nos Dominus cum venerit, ita operantes, ac nosmetipsos exercentes invenerit.

Hæc ipsa exercitia, atque eadem forma peragunt Fratres moderniores in secundo, & tertio quadrimestri, in tres partes divisi, ut dictum manet. Quæque huc usque sunt dicta fient perpetuo per singulos annos; contendentque Fratres quotidie promoveri in his exercitiis, meliusq; disponi ad recipiendum Dominum, & Magistrum nostrum, cum illi nos vocare ad se placitum sit. *Similes hominibus expectantibus Dominum suum. Lucæ* 12.

CAPUT XII.

De Charitate, qua tractandi sunt Fratres infirmi.

STatim, ac Fratrum aliquis ægrotaverit, nuntiabit Obedientiæ, & si gravis fuerit infirmitas assistent ei frequenter ii, qui visitandis ægrotis sunt destinati, monebuntque Obedientiam de ejus statu, ut de spirituali, ac temporali consolatione ægroti convenientem curam habeat, & cum gravior fiet infirmitas, procuret ei opportune ministrare Sacramenta Ecclesiæ, & cum eo agere, ut disponat se omnino, ut Christianus, & Christi Discipulus. Nominabit aliquot Fratres ultra prædictos, qui ei assistant, maxime Sacerdotes; rogabitque omnes cum Deo commendare.

Si ad proximum venerit mortis discrimen designabit, & adhuc alios, præcipue Sacerdotes, eidem adimplendo pietatis officio, qui ægrotum semper comitabuntur, per horas alii aliorum loco subrogati: precabiturque instanter omnes pro illo Deum orare, & quemque, secundum vires suas, Missis eum, oratione, eleemosynis, & mortificationibus adjuvare.

Cum ad hunc statum deventum fuerit, Sacra Eucharistia manifestabitur in Ecclesias per duas horas, singulis diebus, quo magis decenter poterit; Fratresque quanto plures poterunt, ibi intererunt, anxie, ac dolenter ex intimo corde a Deo petentes animæ illius Fratris salutem, ea quidem devotione, ac teneritudine, quæ debetur ejus momenti causæ, amorique, atque erga Fratrem nostrum charitati, qui in agone mortis positus sic brevi tempore sistendus est ante Tribunal Dei, redditurus rationem etiam leviſſimarum totius vitæ cogitationum, auditurusque sententiam æternæ, sive salvationis, sive damnationis (quod ultimum Deus avertat) atque eo modo id facient, quomodo unusquisque adjuvari se in mortis hoc volet articulo.

CAPUT XIII.

De Charitate, qua utendum est erga Fratrum defunctorum animas.

STatim, atque placitum Deo fuerit vocare ad se aliquem ex Fratribus, Obedientia omnes alios certiores faciat, ad hoc ut quanto citius defuncto opem ferant Missis, Indulgentiis, Eleemosynis, Mortificationibus, &c., extendetque unusquisque quanto magis possit pietatem suam, sciens Deo futurum id gratum valde, & acceptum, debitoresque nos esse Fratribus defunctis suffragiorum hujusmodi, & charitatis. Offerat unusquisque, & applicet iis quidquid sibi a pietate sua dictatum venerit, per manus Virginis Deiparæ, consignabitque Secretario prima quaque die Scholæ chartam, in qua id notaverit, quomodo in Capit. 11. dictum fuit.

Cadaver omnes fratres comitabuntur, exequiisque ejus intererunt ea, cum devotione, & modestia, quæ inter Christi Discipulos alicui eorum Defuncto debetur.

Fiet inde Communio Generalis in Oratorio, celebrabitque pro ejus anima Missam Defunctorum Obedientia: Fratresque omnes diligenter procurabunt intendere animi devotionem, & pietatem quo magis misericordiam & beatitudinem animæ isti a Deo impetrare valeant.

Si Fratres extra hanc Curiam obierint, celebrabitur Missa, Generalis Communio, & supra narrata oblatio fiet.

CAPUT XIV.

De Exercitiis extra Scholam.

ACtus, & forma vitæ in fratribus omnino respondere debet Scholæ doctrinæ, & exercitiis: vere enim professio, & obligationes Discipulorum Christi, actionem omnem huic titulo minus convenientem, a se expellunt: quinimo hunc debent virtutis operibus comprobare.

Diligent se vera charitate, mutuoque sibi auxiliabuntur tam in spiritualib. quam in corporalibus. *In hoc cognoscent omnes, quod Discipuli mei estis si dilectionem habueritis ad invicem. Jo:* 13.

Præcipua eorum cura esse debet, vitæ justam, sibique omnino conformem rationem præfigere, Deoque plus quam Mundo vivere.

Juvat certe plurimum obligationes, & exercitia devotionis, ut recte adimpleantur, temporis distributio cum ordine, & mensura: sicut e contrario id facile deperditur, deestq; rebus magis necessariis cum non ordinatur. Perpensis unusquisque status sui obligationibus, negotiis occurrentibus, atque iis quæ pro inserviendo Deo facere cupiunt, proportionabiliter horas distribuent, tempusque interea omnia, quæ agenda sunt, commodum dividentur, cum consilio Patris sui Spiritualis, contendentque accurate id observare, quatenus negotiis insuper venientibus non impedientur, procurentque, ut tempus sibi iis de causis subtractum minoribus obligationibus, Deoque minus gratis, desit.

Mane uniuscujusque diei ordinabunt, dirigentque omnes suas actiones, cogitationes, verba, & opera ad majorem Dei gloriam, & quo magis ei serviant, imploruntes a Deo gratiam, ut quæcumque operantur, ea omnia Divinis ejus oculis placeant, orationemque mentalem quam prolixam poterunt, aut si hac hora non poterunt alia commodiore habebunt, Sacrum audient æque attente, ac devote ac in Schola, eademque devotione, quantum per status occupationes iis licebit, assistent, comitabunturque Sanctissimam Eucharistiam, ubi exponetur, aut si processionaliter, vel ad infirmos deferitur, memores id proprium esse officium Christi Discipulorum, si huic Domino serviant, & hunc Dominum comitentur.

Procurabunt pro viribus continuare exercitium præsentiæ Dei, punctumque meditationis illius hebdomadæ, Jaculatoriam, aut considerationem, quam sibi magis intime Deus in Oratione docuerit in mente versare. Lectioni vacabunt librorum piorum de Vitis Sanctorum, aliorumque spiritualium, ex quibus præcipuum unusquisque eum habebit, quo magis ad pietatem excitatur, & in cujus lectione majorem devotionis affectum, & doctrinæ fructum experietur; hunc que magis frequenter leget. Noctu examinabunt exacte conscientiam ante accubitum, multum dolentes de illius diei defectibus, emendationemque proponentes, cogitent tantisper de morte reducantque in memoriam, quot ea interceperit in somnii tenebras, cum nil minus ii, cum quieti se dederunt, extimuerint, absque eo quod corporales oculos videndo lumini, aut spiritualia lumina, implorandæ a Deo misericordiæ aperire ultra iis concessum sit.

Singulis Septimanis ad minus semel Eucharistiam sument, in quo Confessorum, & Spiritualium Patrum nutum sequentur. Visitabunt pauperes in Nosocomio die sibi præscripto, assistentque ad horam prandii, servientque eis cum humilitate, & in eis Domino, & Magistro nostro, corporaliterque, & spiritualiter secundum uniuscujusque captum, eos consolabuntur: advertentes se eo ad serviendum, & obediendum, non ad alteri negotio se ingerendum venisse. Sacerdotes vespertinis horis sibi expeditioribus accedent, ut confessiones ægrotorum audiant, & spiritualia eis solatia ministrent. Ad eaque officia dies hebdomadæ inter Fratres Sacerdotes, & Laicos distribuentur. Curet autem specialiter Obedientia ne hoc pietatis opus Deo gratissimum prætermittatur, omnesque exercitantes, & exercitati super hoc interrogentur, aut id exequuti sint.

Quotannis ter ibunt Fratres, quos Obedientia deliget, ad visitandos Carceratos, hoc est, in Quadragesima, in die Portiunculæ, & Natali Dominico: Sacerdotes scilicet ad confessiones excipiendas, seculares vero ad exercendum id opus pietatis, quod sibi magis placuerit, non sine prævia Obedientiæ notitia, & approbatione.

Vestes, & ornatus exterior ab interio-

ri

ri non discordabunt. Sit decens, & conditioni status conformet, ita ut nota omni liber sit, & adhuc intra uniuscujusque statum, communemque usum appropinquet magis modestiæ, quam splendori, ab omnique profanitate procul absit.

Longe aberunt a Fratrum modestia, temperantia, & humilitate contentiones, discordiæque, imo aliis erunt imitationi, & exemplo, ut composite se gerant. Semperque ante oculos habebunt Christi patientiam, & humilitatem, quantum pro Nobis toleravit, ac fuit perpessus, & quam Nobis suam ipsius in hoc imitationem voluit commendatam; hæc enim doctrina ejus, & consilium est Discipulis maxima in veneratione habenda, & pro viribus exequenda. *Ego autem dico vobis, quia omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit judicio. Ego autem dico vobis non resistere malo. Ego autem dico vobis diligite inimicos vestros. Matth.5.*

Scholæ exercitia, & particularia quæque iis, qui extranei sunt, non facile referent; palam enim id evenire, quod tepidius fit, edificatione caret; quod autem devote, ac fervide agitur, si publices, plausum emendicare videberis. At id facere poterunt, quoties speciale aliquod motivum obvenerit præstandi Deo servitii, aut procurandæ Scholæ utilitatis, aut si interrogati a Superioribus fuerint.

In his omnibus, quæ pro generali regula laicis fratribus impouuntur, Sacerdotes intelligent; haud quidem se excellentiæ, & obligationibus status sui paria facere, nisi in exequendis iis optimos quosque ex laicis longe superent, atque adeo Sacerdotis unius exemplum, & virtutem ad conversionem universæ cujusque Reipublicæ debere sufficere.

CAPUT XV.

Quod festa nulla publice, ac solemniter celebrentur, & quod nulla exercitia his exercitiis adjungantur.

FEsta publica, & solemnia cujuscumq; sit generis, nunquam celebrabuntur, & in hoc nulla ex causa, aut ratione superveniente innovabitur. Hæc enim Schola interior est, & occulta: ejusque præcipuum institutum pœnitentiæ, & mortificationis sunt exercitia. Pietas autem fratrum in tot aliis festis, quæ ubique fiunt proficere poterit.

Nulla autem exercitia adjungentur de novo, *Nihil aliud, quam constitutum est vobis faciatis. Luc.3.* Nisi ea forma servetur, & eæ qualitates concurrent, quas mutandis Constitutionibus præscribet Cap. 22.

Evitentur expensæ, quæ omnino evitari possunt: Cum enim hæc Schola ad imitationem Christi Domini nostri aspiret, sanctam ejus paupertatem continuo ante oculos habere debet.

Nulla unquam pecuniarum indictio fratribus fiet; si quando autem omnino id opus sit, Obedientia prius de ea re ad consessum Antianorum referet, qui si annuerint, proponet eam necessitatem Scholæ, itaut illo, vel illo modo fratres, qui velint, eleemosynam pro modo suæ devotionis elargiri possint.

CAPUT XVI.

De Regimine Scholæ.

OBedientia, & Deputati summe curare debent Constitutiones observari, & ad unguem adimpleri, nec ullo colore, aut titulo relaxationem ullam, aut novitatem admittere. Obedientia Deputatos de omnibus consulit: suffragiaque eorum, ac Secretarii, sive ejus Coadjutoris, æque ac suffragium Obedientiæ decisiva sunt, & quod horum omnium major pars judicabit exequutioni mandabitur.

De rebus gravioribus referetur ad Antianorum consessum, qui habebitur omnino secunda Dominica post meridiem uniuscujusque mensis, in quo assistent, & suffragia decisiva habebunt Obedientia, & Deputati, & reliqui Antiani, secundum ordinem antiquitatis, ad quindecim usque, septem Ecclesiastici, & septem seculares, cum Secretario, sive ejus Coadjutore, qui vel Ecclesiasticus esse poterit, vel Secularis. Inter Ecclesiasticos post Obedientiam, & Deputatos præsentis temporis, numerentur illi omnes, qui Obedientiæ munere functi sint, deindeque ii, qui Deputati Ecclesiastici aliquando fuerint, secundum antiquitatis gradum usque ad prædictum septennarium numerum. At si ex his aliquis absens sit, aut occupatus, vocabitur antiquior, qui subsequetur in uno quoque ordine, ut completus sit quindennarius numerus.

Quandocumque res momenti obtigerit, quam expediri oporteat ante diem consessus, vocabit extraordinarie alium, quo die sibi visum fuerit, Obedientia.

Quidquid determinabitur in dd. Consessibus inviolabiliter observabitur, nec nisi gravissima ex causa mutabitur. Specialem curam habebunt non variandi, nec multiplicandi decreta, ea propter in resolvenda quaque re multo consilio, regulisque æqualibus, tutis, ac solidis uti debent.

Pari accuratione servabunt modestiam, silentiumque in Consessibus. *Nihil per contentionem, nec per inanem gloriam sed in umilitate Superiores sibi invicem arbitrantes. Ad Philippb.2.* Super his, quæ Obedientia proponet, singuli ordine servato sententiam dicent (nisi alias ab obedientia interrogabuntur) quam brevius poterunt, sive eo tamen quod substantiale quidquam omittant; quod autem alius priore loco attigerit confirment tantum, non repetant. aut exornent. *Sit sermo vester est, est, non non Matth.5.* Si quis de aliqua re monere habebit, proponereve, quod utile futurum credat, poterit quidem id, postulata prius Obedientiæ licentia, eaque prævia, attenteque curabit, ne eum, qui loquitur, interrumpat, impediatve.

Obedientia occupabit præcipuum locum sibi designatum, & ex utroque latere immediate habebit duos Deputatos presentis temporis Sacerdotem, & secularem, Secretariumque, sive ejus Coadjutorem, cæteri promiscue sedebunt quo ordine venient sine ulla differentia, aut urbanæ invitationis officio.

Universa Schola habet suffragium decisivum in electione Obedientiæ, ac Deputatorum, ut in Cap.17. dicetur, in fratrum receptione, ut in Cap. 19., & in iis quæ adjungi Constitutionibus tollere qui ab eis, mutareve oportebit, ut in Cap.22., ac tandem in omnibus causis majoris momenti, de quibus Antianorum consessus referri debere ad universam Scholam censerit. Fratres tamen, qui nondum octo menses in ea compleverint, suffragio carebunt.

Electiones, & receptiones quæ absque ulla præcedente collatione fiunt in Schola, & quæque alia possunt hac ipsa forma per suffragia confici cum brevitate, & silentio quovis Scholæ die expediuntur, exercitia restringendo, aliquodve ex his omittendo. At si negotium contigerit, de quo opus sit informari fratres, & sententiam suam dicere, assignabitur huic rei, & suffragationi alia dies Scholæ vacua. Commendaturque in primis loquendi gravitas, & modestia, & ne aliquis extra ordinem, nisi rogatus ab Obedientia loquatur.

Receptio, excluso que fratrum tam in Schola, quam in Consessibus expedietur per suffragia secreta, quemadmodum, & Officialium electio, eaque omnia in quibus grave, aut molestum alicui esse possit sensum animi sui manifestare omnino, ut libertas rei conveniens servetur.

Consessus omnes in Oratorio fient, nisi aliqua causa impediat,

Secretarius scribet in Decretorum libro quidquid in eis consessibus decernetur, clare, ac distincte, adjunctis concurrentium nominibus, annotatisque præcipuis stabilitorum rationibus: semper ut habeantur præ oculis non res tantum decretæ, sed & earum rationes, & fundamenta: Subscribentq; iis nomina sua Obedientia, & Secretarius sive ejus Coadjutor.

In quocumque Consessu ante alia Secretarius leget antecedentis Decreta, ut in primis de adimplemento eorum consideret, aut si opus sit, super iis quidquam ordinare, de eo in consilium eant.

Si quid ex his, quæ decreta sunt non observabitur, monebit de eo Secretarius, at si in aliqua ex Constitutionibus id contigerit, quicumque ex fratribus in Concessum venientibus, qui hoc animadverterit, referre id tenebitur, ne relaxationi, aut novitati aliquis detur aditus.

Consessus Deputatorum, ut dicatur interesse debent Obedientia cum duobus Deputatis, & Secretario, sive ejus Coadjutore, Consessus autem Antianorum hic dicetur, in quo intervenerint ad minus Obedientia cum Secretario, aut Secretarii Coadjutore, & septem aliis. Consessus Antianorum plenus is, cui intererunt Obedientia cum Secretario, aut Coadjutore, & aliis undecim suffragatoribus. Et in quocumque horum Consessuum, si proprius Obedientia aberit, pro tali habebitur, qui loco ejus præerit, suffragiorum numero cæteroquin completo.

Ad principium, & finem dictorum Consessuum, orationes Capituli ultimi recitabuntur.

CAPUT XVII.

De Electione Obedientiæ, ac Deputatorum.

QUo die fieri debebit in Schola electio Obedientiæ, ac Deputatorum, habebitur mane Congregatio Antianorum in Oratorio, ad nominandū personas idoneas, quæ pro gerendis his Officiis proponantur, ex quibus Schola electura sit, quos æstimaverit magis idoneos.

Propoui debent tres pro officio Obedientiæ, singulique duo pro unicujusque Deputati. Qui pro munere Obedientiæ proponentur Sacerdotes esse debent, sive seculares, sive regulares iis meritis, eaque virtute, ac doctrina prediti, quę dicta jam sunt, & qui ante annum ad minus in eam admissi fuerint. Pro Deputatorum Ecclesiasticorum similiter Sacerdotes seculares, aut Regulares, & qui Obedientiæ locum supplere possint, & minusque octo mensium antiquitatem habentes. Pro Deputatorum quoque Secularium Fratres Seculares magna vitæ probitate, eaque prudentia.

De iis, qui pro Obedientiæ munere proponendi sunt, congregati in suffragia, ibunt, hoc est, primo loco de eo, qui primo loco proponi debet, calculatisque suffragiis, notoque quis proponendus est, suffragia ferentur simul de duobus reliquis, qui una cum priore illo proponendi sunt: suffragiumque hoc modo dabitur, ut unusquisque in schedula ibi propria, aut quam e domo sua portaverit, nomen ejus, quem elegerit scribat.

Suffragia numerabunt Obedientia, & Priores duo Deputati, alter Sacerdos, & alter Secularis una cum Secretario, & qui plura habebunt, hi nominati intelligentur. Si paria sint pro duobus suffragia, iterum fiet suffragatio; etsi adhuc paria erunt, sortes jacientur.

Si ipsi, qui pro Obedientiæ officio proponantur, remanent, & pro Deputatorum Officio propositi, excepto tamen eo, qui actu fuerit Deputatus. Quapropter, si tres illi manebunt propositi, suffragia ferentur pro duobus aliis, ad hoc ut levato per Secretarium ejus nomine qui Obedientia eligetur quatuor pro Deputatis remaneant propositis. Si vero duo manebunt propositi, suffragatio pro tribus aliis fiet: at si unus tantum pro aliis quatuor ad hoc ut in quocumque istorum casuum, quinque personæ scriptæ sint, si unus eorum Obedientia eligetur, Secretarius nomen illius auferat, at si nullus eorum eligatur, nomen auferat ulti-

ultimo loco propositi, atque omnino qui Scholæ pro Officio hoc Deputatorum proponentur, quatuor sint.

Pro Deputatis Secularibus, quatuor eligentur per suffragia, & in casu paritatis suffragiorum tam in his, quam in Sacerdotibus sortes jacientur.

Secretarius, & Coadiutor scribent in schedulis tria nomina propositorum pro Obedientiæ officio, juxta numerum Fratrum, qui suffragari debent.

Totidem fient ejusdem formæ schedulæ cum nominibus propositorum pro Deputatis, tantisper separatis Sacerdotibus (Priori quidem loco scribentis) a seculariibus. Afferetque secum eas Secretarius justæ magnitudinis, semirectas, hoc est, Priores Obedientiæ secundum nomina propositorum in tres partes, posterioresque Deputatorum in novem partes, ad hoc ut commodius dividere fratres possint a cæteris nominibus, ejus, quem elegerint nomen.

Post meridiem in Schola Orationis spatio completo, atque uno ex tribus exercitiis facto, proponit Obedientia debere tunc eligi aliquem, qui per quatuor menses sequentes errores suos, ac defectus corrigat, Fratresque exhortatur, ut in eum oculos conjiciant, qui munus id gesturus sit ad majorem Dei gloriam, Scholeque utilitatem, unum scilicet ex tribus a Congregatione Antianorum propositis nomina eorum referet, jubebitque exire ab Oratorio eos, qui ex his adfuerint: Secretariusque, & ejus Coadiutor distribuent schedulas Fratribus Scholæ, qui suffragium habebunt, quos omnes numerabunt, & eorum alternas quodam constituet ad pedes Christi Domini Crucifixi, in quem suffragia mittentur. Elegit unusquisque eum, quem magis idoneum existimat; cæterorumque nomina frustatim conscindit. Exigit tunc se Obedientia cum duobus primis Deputatis, quos consequuntur cæteri singuli terni ex quocumque choro alternatim, factaq; genuflexione, obtatisq; Christo Domino nostro, corde, & recta intentione, mittunt in vas schedulas, redeuntque in Sedes suas, venientes non impediendo.

Suffragatione completa, Secretarius vas ad mensam Obedientiæ adducit ubi numeratis schedulis, totidemque repertis; quot Fratres cum suffragandi vice in Oratorio sunt, calculantur omnes ab Obedientia, deputatis duobus prioribus Ecclesiastico, & Seculari, & Secretario. Qui ex tribus majorem habebit suffragiorum numerum in Obedientiam electus manet, & in paritate sortes mittuntur. Tunc Obedientia jubet intrare eos, qui exierant, cumque, ii loca sua occupaverint, è suo ipse exit, dicensque cum Fratribus Hymnum: *Vexilla Regis prodeunt*, imaginemque Christi è Cruce pendentis parvam in manibus portans, deponit eam in manibus noviter electi, qui tunc primum declaratur, significare volens committi ei, & confidi servitium, cultum, reverentiam, & imitationem superni hujus Domini, ut ea in se operetur, & alios doceat. Comitatur eum usque ad scamnum, Hymnum continuans, tuncque locum aliquem sedendi, ubi laxitas sit major, petit. Novus Obedientia brevi oratione fatetur incapacem se illius muneris esse, & ab omnibus postulat se, ut præcibus suis adjuvent, impetrare a Domino, ut vitam suam in melius transformet, gratiamque conferat, ut vel eorum aliquid, quæ ex munere debet, perficere possit. Si electus adfuerit, Obedientia electionem publicam facit, continuatque electionem Deputatorum, & reliqua exercitia.

Distribuuntur schedulæ pro Deputatis, suffragatioque fit, & calculatio eadem forma, manetque Deputatus Prior in suo Ordine is, qui plura suffragia sibi favorabilia meruerit, aut in paritate suffragiorum sortis jactum. Exit de loco suo primus Deputatus Ecclesiasticus, exportatque Calvariam, quæ in mensa est ad novæ electum; in quo admonetur, curæ ei debere esse tam propriam ipsius, quam Fratrum mortificationem. Reportatis eam ad Obedientiæ prædictam mensam, ac suo loco sedet. Eliguntur deinde tres alii Deputati, secundusque Ecclesiasticus locum suum occupat. Flagellatio demum, & cætera, quæ moris sunt, expediuntur.

At quia cunctis Officialibus de novo venientibus deesse in Consessibus Deputatorum aliquem bene instructum de causis, & rationibus rerum prius decretarum, præjudicium aliquod inferre poterit, Congregationi Antianorum permittitur reeligere posse eum, quem voluerit, ex quatuor Deputatis, qui primus erit in suo Ordine. Et quando ita placuerit, reelectio Scholæ referetur, proponenturque ei sex tantum pro tribus aliis Deputatis.

Obedientia iterum eligi ad hoc Officium, sive ad alterum nequit, nisi elapso quadrimestri; nec Deputati denuo eligi ad idem munus possunt, excepto uno, uti dictum est; at vero in Obedientiam quilibet eorum potest eligi.

Fiet electio Obedientiæ, ac Deputatorum modo jam dicto, post singulos quatuor menses, nempe in fine Decembris, Aprilis, & Augusti. Prior illa Decembris anteponetur, itaut nec in Natalis Dominici diebus, nec in vesperis fiat, ad hoc, ut exercitia horum dierum omnia sint contemplationis, & amoris erga hoc supernum & dulce misterium, omni alia cura posthabita.

CAPUT XVIII.

De Electione Secretarii, Nuntiorum, atque Coadiutorum.

QUo die novo Obedientiæ placuerit, ante tamen primam ab suo electione feriam quintam, congregabit Deputatos cum Secretario antiquo, ut novum alium Secretarium, & Nuntios pro quatuor suis mensibus eligant. Collationeque inter se facta,

facta, super iis, qui magis idonei ad hæc munera inter Fratres Scholæ videbuntur, sive ex consensu, sive per suffragia secreta nominabunt Secretarium, ejusque Coadiutorem, annum ad minus unum antiquitatis habentes, requisitisque illis ante in *Capit. 5.* annotatis gaudentes, duosque Nuntios Altaris, atque duos Coadiutores, qui Ecclesiastici sint: duos item Nuntios Portæ, atque duos Coadiutores seculares, ejus conditionis, quæ dicta fuit in *Cap. 6.*, saltemque octo menses antiquitatis habentes.

CAPUT XIX.

De qualitatibus admittendorum ad hanc Sanctam Scholam, ac de forma eos recipiendi.

ATtentissime considerandi sunt ii, qui ad hanc Sanctam Scholam admittendi erunt; siquidem inde conservatio ejus, augumentumq; aut relaxatio omnino pendet. In qua re id omnibus commendatur, præsertimque Obedientiæ, & Officialibus, ut exactissime inquirant in ejus indolem, & animi dotes, qui admitti desiderat, nil propter humanum aliquem respectum dissimulando, aut dispensando.

In *Cap. 2.* dictum fuit, quibus dotibus præditi esse debent Scholæ hujus Fratres, ut in sequentibus qualis eorum professio, exercitia, & obligationes. Juxtaque considerabitur, an is, qui se admitti postulat, iis qualitatibus gaudeat, quas Institutum hoc requirit: ea scilicet animadversione habita, necessarium non esse, quod completus sit Fratrum numerus, sicuti necessarium est, eorum neminem magnæ virtutis, & exempli non esse.

Habebunt saltem in ætate viginti quatuor annos, nisi cum aliquo in hoc dispensandi peculiaris aliqua fuerit ratio; in quo concurrere opus erit duas tertias partes suffragiorum in Congregatione Antianorum, naturali docilitate, & probitate ornati esse debent, & qui sese in oratione, mortificatione, frequentiaque Sacramentorum exercuerint; nec tamen Religiosi alicujus Ordinis, aut Professi, aut Novitii fuerint, exceptis tamen Ordinibus Militaribus.

Prima ejus, qui ad Scholam admitti desiderat, cura erit, Obedientiæ manifestum facere hoc suum propositum, qui de eo certiores facit Deputatos; quibus si haud idoneus fuerit visus, priusquam ulterius procedat, divertent eum, quo magis poterunt suaviter, ab hoc proposito. At si nullum ei obesse manifestum impedimentum censebunt, Obedientia probabit eum in aliquot experimentis prudentibus mortificationis, & humilitatis; injungetque Deputato cuidam Ecclesiastico, ut examinet eum, experiatur, & instruat; duobusque aliis Fratribus, ut vitæ ejus, atque operum notitiam sumant. *A fructibus eorum cognoscetis eos. Matt. 7.* Quorum singuli secreto nuntiabunt Obedientiæ, quæ compererint. Si quidquam inde erit deductum, quod impedimento sit ejus admissioni, divertet eum Obedientia ab hoc proposito; quod si nil tale adductum sit, proponet Scholæ intentionem ejus, intimato, si quidquam scierit aliquis Fratrum, quo minus ille admitti debeat, secreto, ut Obedientiam certiorem faciat, si forte res incerta nuntiabitur, de ea inquisitio agetur. Quod impedimentum nullum sit, imponetur, ut Confessionem Generalem faciat, & tanquam moriturus testamentum condat; cujus confessionis exhibebit schedulam a Confessore signatam, tuncque permittetur ei semel, aut bis, quando Obedientiæ, cum consilio Deputatorum, placuerit, in Scholam venire, pallium tamen non deponet. Post hæc omnia, si cum humilitate, & bono exemplo perseveraverit, de admissione ejus Antiani in Congregatione sua in suffragia ibunt secreta, præcedente informatione Obedientiæ, atque illius Deputati, qui eum examinaverit, & instruxerit. Qui si approbationem majoris partis meruerit veniet inde per suffragia secreta totius Scholæ, si major pars ipsum probaverit, admittendus.

Proxima quinta feria, aut si hac non possit, ea, quæ proximam consequetur, receptio hac forma fiet.

Introducet eum in Oratorium unus ex Nuntiis Portæ, statim post semihoram orationis decursam; ingressus se prosternet, dicentque ex genibus, alternis choris, Fratres Psalmum: *Miserere*; deinde ille ter dicet: *Sanctissimum Sacramentum laudetur, & purissima Conceptio, &c.*, respondentibus Fratribus. *Amen.* Tunc interrogabit eum Obedientia, ad quid veniat; respondetque: *Ad emendandam vitam meam, discendumque quo modo melius Deo serviam.* Monebit eum brevi sermone de iis, quæ facere debet, & quantum procurare opus habeat, ut affectibus suis moriatur, Deoque vivat. Tunc jurat is in manibus Obediehtiæ defensurum se Immaculatam Deiparæ Virginis absque labe originalis peccati Conceptionem, Deinde dum dicitur: *Te Deum laudamus*, alternis choris, ut in *Cap. finali*, amplexatur Obedientiam, & Fratres: Obedientiaque, ac Deputati una cum amplexu, salutare aliquod ei consilium auribus instillabunt. Omittitur unum ex tribus exercitiis, ne excedant præscriptum tempus. Duoque tantum fiunt, & cætera, quæ moris est facere. Eodem Scholæ die poterit fieri electio duorum, aut plurium, seorsim tamen: at receptio eorum simul fiet.

Regulares majoris vitæ probitatis, & melioris exempli, qui desideraverint in Scholæ Fratres recipi, uti hodie sunt cum generali ædificatione Prælati quidem, & Religiosi diversorum Ordinum, admittentur ad Fratrum numerum, insuper habitis propter notorietatem virtutis, mortificationis, & majoris perfectionis Religiosi status, iis, quæ diximus, examini, & probationi subijcienda. Proponet Obedientia in Antianorum Congregatione eum, qui admitti in votis habet, manebitque admissus,

si pro se majorem partem suffragiorum habuerit, idque notum Scholæ fiet.

Cum hic recipitur, statim atque introductus sit, se prostrernet, dictoque per fratres: *Miserere mei Deus*, & per eum ter *laudetur Sanctissimum Sacramentum, & purissima Conceptio* &c. ut supra Obedientia, & dicet sperare in Deum illi gratiam concessurum ad hoc ut cum animæ suæ magno profectu, exemplum fratribus in via sit perfectionis, respondebitque *Amen*; juratque Conceptionem, ut supra. Dicetur: *Te Deum*, &c. amplexabiturque Obedientia, & fratres.

Cum ultra numerum nullus, sed in locum alterius vacantem, recipiendus sit, contingere poterit Competitores unius loci, duos esse, aut plures, super quibus omnibus supradicta examina facta sint, in quo casu Congregatio Antianorum secretis suffragiis super approbatione eorum omnium resolvet, & quisnam ex iis tunc Scholæ proponendus sit; & quidem is proponetur, cui major suffragiorum pars, aut in pari numero sortes favebunt. Quandoque vero jam approbati duo, aut plures erunt, etiamsi eorum aliquis prior ceteris tempore approbationem meruerit, in suffragia ibunt fratres super eo, qui ad locum vacantem proponi debet. Tuncque si de aliquo examen factum erit, super approbatione ejus suffragatio habebitur, concurretque cum aliis olim approbatis, ut ex omnibus deligatur is, qui proponi debet.

Cum fratrum aliquis proficiscetur sine animo redeundi, locus ejus vacans implebitur, & si redierit denuo ad omnia admittetur, locusque primo vacaturus ei destinabitur, ne fratrum numerus ultra præscriptum sit.

CAPUT XX.

De causis, & forma exclusionis ab Schola.

SErO, & cum ingenti dolore ad hoc ultimum devenietur remedium excludendi ab Schola eos, qui suavioribus aliis corrigi non potuerint. Aliquando tamen contingit, quod Charitas bene ordinata, totum ut conservet, expellit partem. *Si oculus tuus scandalizat te, eiice eum. Matt. 9.*

Si quis delictum aliquod gravis scandali commiserit, expelletur ad Schola, & cancellabitur admissio ejus in libro Fratrum, quæ expulsio ita fiet. Congregatio Antianorum per suffragia secreta id expediet: necessariumque erit pro expulsione esse duas ex tribus partibus suffragiorum: Obedientia inde eam notam faciet Scholæ. At quia de re tam gravi consultatio est, cum magna deliberatione, & maturitate hoc negotium tractabitur, id quod factum fuerit examinando, itemque circumstantias, quæ culpam augere, vel minuere possint: siquidem ex iis licitum quandoque, aut non tam grave est, quod alias peccatum esset gravissimum. Et in re ambigua potius excusare, quam condemnare fratrem debebunt, Dum pendet examen rei, & resolutio, Obedientia faciet moneri eum, Schola ut abstineat usque dum facultas veniendi detur.

In aliis causis non sic gravibus, quæ tamen Discipulorum hujus Scholæ professioni male conveniunt, eamque dedecorant. Obedientia ex consilio deputatorum admonebit eum fratrem, qui vel debito suo non responderit, vel indebitum quidquam fecerit, semel, bis, tertioque: quo se non emendante, aut ex æquo satisfaciente, proponet id Congregationi Antianorum, quorum prudentiæ committitur, ut æstiment qualis sit defectus, sive excessus, qui ei imputatur, duritiesque etiam commonefacti in malo perseverandi: præscribentque ea, quæ cum eo ultra facienda erant. Quæ si nullo cum fructu emendationis exequutioni mandata erunt, exclusio, uti supra decernetur. Eaque duarum ex tribus partibus munita suffragiis, Congregatio ex circumstantiis negotii censebit, an publicanda sit in schedula, an evitandi scandali causa, quasi de re facta non ultra tractandum. Omninoque id fiet, quod ea censebit.

CAPUT XXI.

De Communicatione cum aliis Scholis.

HÆC Sancta Schola poterit fraternitatem cum aliis ejusdem Instituti, contrahere, communicareque cum iis fructus, & suffragia, de quo tamen attente admodum, & mature consultabitur.

Fratres Scholarum, cum quibus fraternitas contrahetur, si Obedientiæ, & Deputatis se tales esse documentis idoneis ostenderint, in hac admittentur cum vera charitate ad omnia ejus exercitia, deponent pallia, exercebuntque, & exercebuntur, ac cæteris mortificationibus subjicientur, profectusque earum ita uti nostræ Scholæ fratrum, cura habebitur. Nusquam tamen, sive activa, sive passiva, ut ajunt, voce gaudebunt. Quod si ob numerum, vel alias causas impedimentum, seu inconveniens nascetur Scholæ, quid tunc fieri debeat Congregatio Antianorum decernet. Ad quæ ipsum in aliis illis Scholis cum nostræ fratribus fiet.

Si casus aliquis gravis postulaverit; Literæ ad ipsas dabuntur, literisque earum respondebitur.

Fraternitas hæc per suffragia secreta conferetur, & resolvetur in plena Congregatione Antianorum, quæ si a duobus partibus suffragiorum approbabitur, tunc Scholæ proponetur secreto iterum ibi discutienda; cui si fuerint duæ ex tribus partibus suffragiorum admissa intelligetur.

CAPUT XXII.

De facultate augendi his Constitutionibus, easve moderandi, aut variandi.

QUoniam contingere possunt casus aliqui, de quibus in his Constitutionibus

bus non sit provisum, aut experientia docere potest oportere quidquam in provisis quoque variare, Scholæ reservatur facultas adjungendi, reformandi, corrigendi, & variandi ea, quæ his continentur; ita tamen, ut omnino tractari ante alia debeat in Congregatione Obedientiæ, ac Deputatorum, an expediat Congregationi Antianorum id proponere. Quod si expedire visum sit, proponetur eis, & in Congregatione plena tractabitur; nec tamen in ea resolvetur, sed ut deliberate magis, & attente id fiat, ad aliam similiter plenam remittetur. In qua hoc per suffragia exquiretur secreta, an scilicet variatio expediat: concurrentibusq; pro convenientia ex trinis duabus suffragiorum partibus, proponetur Scholæ, quæ non aliter mutationem decrevisse videbitur, quam duobus similiter ex tribus partibus id volentibus. Quod si quidquam sit ad substantiam Instituti pertineus, non sine Ordinarii licentia, & approbatione fiet. Requisitis vero his, aut eorum aliquo deficiente, nihil mutari poterit; si res enim valde perspicua erit, nemo non eam agnoscat, si ambigua, mutare aliquid ex Constitutionibus opus non erit. Dubia autem super sententia, seu observantia earum, solvere ad Congregationem Antianorum spectabit.

CAP. XXIII.

De Orationibus, quæ in Schola dicuntur.

Principio Scholæ.

Obedientia. *Laudetur Sanctissimum Sacramentum.*
Fratres. *Amen.*
Ob. *Et Purissima Conceptio Dominæ Nostræ sine labe peccati originalis.*
Fr. *Amen.*
Ob. *Adjutorium nostrum in nomine Domini.*
Fr. *Qui fecit Cœlum, & Terram.*

Ad Aspersorium.

Ob. *Asperges me.*
Fr. *Domine hyssopo, & mundabor, lavabis me, & super nivem dealbabor.*
Ob. *Miserearur mei Deus secundum magnam misericordiam tuam.*
Fr. *Et secundum multitudinem miserationum tuarum, dele iniquitatem meam.*
Ob. *Gloria Patri &c.*
Fr. *Sicut erat &c.*
Ob. *Asperges me.*
Fr. *Domine hyssopo &c.*
Ob. *Pater noster*, secreto. *Et ne nos inducas in tentationem.*
Fr. *Sed libera nos a malo.*
Ob. *Salvos fac servos tuos.*
Fr. *Deus meus sperantes in te.*
Ob. *Mitte nobis Domine auxilium de sancto.*
Fr. *Et de Sion tuere nos.*
Ob. *Esto nobis Domine turris fortitudinis.*
Fr. *A facie inimici.*
Ob. *Nihil proficiat inimicus in nobis.*
Fr. *Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.*
Ob. *Confiteor &c.*
Fr. *Misereatur tui &c.*
Ob. *Amen.*
Fr. *Confiteor Deo &c.*
Ob. *Misereatur vestri &c.*
Fr. *Amen.*
Ob. *Indulgentiam, absolutionem &c.*
Fr. *Amen.*
Ob. *Domine exaudi orationem meam.*
Fr. *Et clamor meus ad te veniat.*
Ob. *Dominus vobiscum.*
Fr. *Et cum spiritu tuo.*

Oremus.

Ob. *Deus, cui proprium est misereri semper, & parcere, suscipe deprecationem nostram, ut nos, & omnes famulos tuos, quos delictorum catena constringit, miseratio tuæ pietatis clementer absolvat. Per Christum Dominum nostrum.*
Fr. *Amen.*
Ob. *Veni Creator Spiritus*
Mentes tuorum visita, &c.
Ob. *Emitte Spiritum tuum, & creabuntur.*
Fr. *Et renovabis faciem terræ.*
Ob. *Memento Congregationis tuæ.*
Fr. *Quam possedisti ab initio.*

Oremus.

Ob. *Deus, cui omne cor patet, & omnis voluntas loquitur, & cui nullum latet secretum, purifica per infusionem Sancti Spiritus cogitationes cordis nostri, ut te perfecte diligere, & digne laudare mereamur. Actiones nostras, quæsumus Domine aspirando præveni, & adjuvando prosequere, ut cuncta nostra oratio, & operatio a te semper incipiat, & per te cepta finiatur.*
Deus, qui beatum Philippum Confessorem tuum Sanctorum tuorum gloria sublimasti: concede propitius, ut cujus solemnitate lætamur, ejus virtutum proficiamus exemplo. Per Dominum nostrum &c.
Fr. *Amen.*
Ob. *Divinum auxilium maneat semper nobiscum.*
Fr. *Amen.*

Post Orationem.

Ob. *Sub tuum præsidium.*
Fr. *Confugimus Sancta Dei Genitrix &c.*
Ob. *Domina nostra, auxiliatrix nostra, tuo Filio nos concilia, tuo Filio nos commenda, tuo Filio nos representa. Mater admirabilis, Consolatrix Afflictorum, Regina Sanctorum omnium, ora pro nobis.*
Fr. *Ut digni efficiamur &c.*

Oremus.

Ob. *Defende quæsumus Domine, Beata Maria semper Virgine intercedente, istam ab omni adversitate familiam, & toto corde tibi prostratam, ab hostium propitius tuere clementer insidiis. Per Christum Dominum nostrum. Amen.*

Litaniæ B. M. V.

Kyrie eleison. Christe eleison, &c.
Ob. *Ora pro nobis Sancta Dei Genetrix,*
Fr. *Ut digni efficiamur promissionibus Christi.*

Oremus.

Ob. *Gratiam tuam quæsumus Domine, mentibus nostris infunde, ut qui Angelo nunciante Christi Filii tui incarnationem cognovimus, per Passionem ejus, & Crucem*

ad Resurrectionis gloriam perducamur. Per eundem Christum &c.

Fr. *Amen.*

Ante Flagellationem.

Ob. *Passio Domini nostri Jesu Christi sit semper in cordibus nostris.*

Fr. *Amen.*

Ob. *Recordemini fratres charissimi, quod Dominus noster Jesus Christus fuit pro nobis venditus, osculo traditus, ad Annam primum, deinde ad Caiphan Pontificem ductus, & postremo in Prætorium ad Pilatum, ubi fuit ad Columnam ligatus, & flagellatus, spinea coronatus, ac veste purpurea circumdatus, alaphis percussus, atque conspitus, & Judeis traditus, ut crucifigeretur, ad Calvariæ locum deductus, & crucifixus, & cum eo crucifixi sunt Latrones duo, unus a dextris, & alter a sinistris, & cum dixisset, sitio, porrexerunt ei acetum, quod cum accepisset, dixit: consummatum est, & inclinato capite emisit spiritum. Deinde unus militum lancea latus ejus aperuit, & continuo exivit sanguis, & aqua, & de cruce depositus fuit in monumento novo sepultus, tertia autem die resurrexit a mortuis. Tu autem Domine miserere nobis.*

Fr. *Deo gratias.*

Ob. *Fratres servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Apprehendite disciplinam* (hic incipit flagellatio) *nec quando irascatur pereatis de via justa.*

Ob. *Miserere mei Deus. &c.*

Fr. *Et secundum multitudinem &c.* (dicitur integer Psalmus.

Ob. *Gloria Patri &c.*

Fr. *Sicut erat &c.*

Ob. *De profundis clamavi &c.*

Fr. *Fiant aures tuæ intendentes &c.* (dicitur integer Psalm.

Ob. *Requiem æternam dona eis Domine.*

Fr. *Et lux perpetua luceat eis.*

Ob. *A porta Inferi.*

Fr. *Erue Domine animas eorum.*

Ob. *Requiescant in pace.*

Fr. *Amen.*

Ob. *Dominus vobiscum.*

Fr. *Et cum spiritu tuo.*

Oremus.

Ob. *Deus qui culpa offenderis, pœnitentia placaris: preces populi tui supplicantis propitius respice, & flagella tuæ iracundiæ, quæ pro peccatis nostris meremur, averte.*

Fidelium omnium conditor, & redemptor animabus famulorum, famularumque tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum, ut indulgentiam, quam semper optaverunt piis supplicationibus consequantur. Qui vivis, &c.

Fr. *Amen.*

Ob. *Domine Jesu Christe &c.*

Ad finem signum facit, & dum se componunt, injungit eis, ut dicant semel *Pater noster*, & *Ave Maria* pro S. M. E., fidei exaltatione, pro Summo Pontifice. & Cardinalibus; Prælatisque ejusdem Ecclesiæ. Alterum *Pater noster, Ave Maria*, pro Rege, & Regia Domo. Alterum pro augumento Congregationis. Alterum pro Fratribus infirmis, & absentibus. Alterum pro iis, qui sunt in peccato mortali. Deinde dicit: *Nunc dimittis &c.* Cumque pervenit ad versum: *Lumen ad revelationem &c.* lux intromittitur. Dicto *Nunc dimittis.*

Ob. *Benedicamus Patrem, & Filium cum Sancto Spiritu.*

Fr. *Laudemus, & superexaltemus eum in secula.*

Oremus.

Ob. *Deus cujus misericordiæ non est numerus, & bonitatis infinitus est thesaurus, piissimæ majestati tuæ pro collatis donis gratias agimus, tuam semper clementiam exorantes: ut qui petentibus postulata concedis eosdem non deseras, sed ad præmia futura disponas. Per Christum Dominum &c.*

Fr. *Amen.*

Ob. *Fratres emendemus in melius, quæ ignoranter peccavimus, ne subito præoccupati die mortis quæramus spatium pœnitentiæ, & invenire non possimus.*

Ad adorationem Crucifixi in tribus genuflexionibus.

Ob. *Adoramus te Christe, & benedicimus tibi, quia per Sanctam Crucem, & Passionem tuam redemisti mundum, miserere nostri.*

Id Fratres ter repetunt.

Oremus.

Ob. *Respice quæsumus Domine super hanc familiam tuam, pro qua Dominus noster Jesus Christus non dubitavit manibus tradi nocentium, & Crucis subire tormentum. Qui tecum &c.*

Fr. *Amen.*

Ad Virginem Deiparam in tribus genuflexionibus.

Ob. *Ave filia Dei Patris.*
Ave Mater Dei Filii.
Ave Sponsa Spiritus Sancti.
Ave Templum Sanctissimæ Trinitatis.

Repetunt id Fratres.

Ob. *Dignare me, laudare te, Virgo sacrata.*

Fr. *Da mihi virtutem contra hostes tuos.*

Oremus.

Ob. *Famulis tuis quæsumus Domine, cœlestis gratiæ munus impertire: ut quibus Beatæ Virginis partus extitit salutis exordium, Conceptionis ejus votiva solemnitas, pacis tribuat incrementum. Per Dominum &c.*

Fr. *Amen.*

Obedientia legit meditationem Dominicę subsequentis, & Fratres ter dicunt Jaculatoriam, cadentes in faciem suam.

Duo Nuncii Altaris distribuunt meditationes, & in fine ait Obedientia.

Ob. *Procedamus in pace.*

Fr. *In nomine Domini.*

Ad adorationem Crucis in majori Hebdomada.

Vexilla Regis prodeunt,
Fulget Crucis mysterium,
Qua vita mortem pertulit,
Et vita mortem protulit.
Quæ vulnerata lanceæ
Mucrone diro criminum,
Ut nos lavaret sordibus
Manavit unda, & sanguine.

Imple-

Impleta sunt, quæ concinit
David fideli carmine,
Dicendo nationibus
Regnavit a ligno Deus.
Arbor decora, & fulgida,
Ornata Regis purpura,
Electa digno stipite
Tam sancta membra tangere.
Beata cujus brachiis,
Pretium pependit seculi,
Statera facta corporis,
Tulitque prædam Tartari.
O Crux ave spes unica
In hac triumphi gloria,
Piis adauge gratiam
Reisque dele crimina.
Te fons salutis Trinitas
Collaudet omnis spiritus:
Quibus Crucis victoriam
Largiris adde præmium.

Fr. *Amen.*

Ob. *Adoramus te Christe &c.*

Fr. *Quia per sanctam Crucem tuam &c.*

Oremus.

Ob. *Respice quæsumus Domine &c.*

Fr. *Amen.*

Ad Adorationem in Inventione Crucis.

Ob. *Vexilla Regis prodeunt,*
Fulget Crucis mysterium. ut supr.

Ob. *Hoc signum Crucis erit in Cœlo, alleluja.*

Fr. *Cum Dominus ad judicandum venerit, alleluja.*

Oremus.

Ob. *Deus, qui in præclara salutiferæ Crucis Inventione, Passionis tuæ miracula suscitasti, concede, ut vitalis ligni pretio æternæ vitæ suffragia consequamur. Qui vivis, & regnas &c.*

Fr. *Amen.*

Ad finem adorationis in Præsepio.

Ob. *Hodie Christus natus est.*

Fr. *Hodie Salvator apparuit; hodie in terra canunt Angeli, lætantur Archangeli: hodie exultant justi, dicentes: Gloria in excelsis Deo, alleluja.*

Ob. *Verbum caro factum est, alleluja.*

Fr. *Et habitavit in nobis, alleluja.*

Oremus.

Ob. *Concede quæsumus omnipotens Deus, ut nos Unigeniti tui nova per carnem Nativitas liberet, quos sub peccati jugo vetusta servitus tenet. Per Christum Dominum nostrum.*

Fr. *Amen.*

Ad finem adorationis Regum.

Ob. *Videntes stellam Magi,*

Fr. *Gavisi sunt gaudio magno, & intrantes domum obtulerunt Domino aurum, thus, & mirram, alleluja.*

Ob. *Reges Tharsis, & Insulæ munera offerent.*

Fr. *Reges Arabum, & Saba dona adducent.*

Oremus.

Ob. *Deus, qui hodierna die Unigenitum tuum gentibus stella duce revelasti: concede propitius, ut qui jam te ex fide cognovimus usque ad contemplandam speciem tuæ celsitudinis perducamur. Per eundem Dominum nostrum &c.*

In receptione Fratrum.

Dicitur Miserere alternis Choris. *Miserere mei Deus: &c.*

Gloria Patri &c.

Novitius ter dicet.

Nov. *Laudetur Sanctissimum Sacramentum, & Purissima Conceptio &c.*

Fr. *Amen.*

Ob. *Frater ad quid venisti ad hanc Scholam.*

Nov. *Ad emendandam vitam meam, & discendum melius Deo servire.*

Obedientia dicet ei unum, aut alterum, verbum, juratque ille in ejus manibus se Conceptionem defensurum Deiparæ Virginis.

Alternis Choris dicitur *Te Deum*, & interim amplexatur Obedientiam, & Deputatos, qui eum sancto aliquo consilio instruent.

Te Deum laudamus: &c.

Ob. *Benedicamus Patrem, & Filium cum Sancto Spiritu.*

Fr. *Laudemus, & superexaltemus eum in secula.*

Ob. *Dominus vobiscum.*

Fr. *Et cum spiritu tuo.*

Oremus.

Exaudi quæsumus Domine supplicum preces, & devoto tibi pectore famulantes perpetua defensione custodi: ut nullis perturbationibus impediti, liberam servitutem tuis semper exhibeamus officiis. Per Christum &c.

In diebus Communionis.

Principio.

Ob. *Veni Sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium.*

Fr. *Et tui amoris in eis ignem accende.*

Ob. *Dominus vobiscum.*

Fr. *Et cum spiritu tuo.*

Oremus.

Actiones nostras quæsumus Domine &c.

Fr. *Amen.*

Ad finem.

Ob. *O sacrum convivium.*

Fr. *In quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis ejus.*

Ob. *Cibavit illos ex adipe frumenti.*

Fr. *Et de petra melle saturavit eos.*

Ob. *Dominus vobiscum.*

Fr. *Et cum spiritu tuo.*

Oremus.

Ob. *Exaudi preces familiæ tuæ Omnipotens Deus, & præsta, ut Sancta hæc, quæ assumpsimus, incorrupta in nobis te donante serventur. Per Christum Dominum nostrum.*

Fr. *Amen.*

Die Corporis Christi.

Principio.

Ob. *Veni Sancte Spiritus.* Uti supra.

In expositione Sanctissimi Sacramenti.

Ob. *Pange lingua gloriosi,*
Corporis mysterium
Sanguinisque pretiosi,
Quem in mundi pretium:
Fructus ventris generosi
Rex effudit gentium.
Nobis datus, nobis natus
Ex intacta Virgine,
Et in mundo conversatus

Sparso

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Sparso verbi semine ;
Sui moras incolatus
Miro clausit ordine .
In suprema nocte cœnæ
Recumbens cum Fratribus
Observata lege plene
Cibis in legalibus .
Cibum turbæ duodenæ
Se dat suis manibus .
Verbum caro , panem verum
Verbo carnem efficit :
Fitque Sanguis Christi merum ,
Et si sensus deficit :
Ad firmandum cor sincerum
Sola fides sufficit .
Tantum ergo Sacramentum
Veneremur cernui :
Et antiquum documentum
Novo cedat ritui :
Præstet fides supplementum
Sensuum defectui .
Genitori , Genitoque
Laus , & jubilatio ;
Salus , honor , virtus quoque
Sit , & benedictio :
Procedenti ab utroque
Compar sit laudatio . Amen .
Ob. *Panem de cœlo præstitisti eis , Alleluja .*
Fr. *Omne delectamentum in se habentem , Alleluja .*

Oremus .

Ob. *Deus qui nobis sub Sacramento mirabili passionis tuæ memoriam reliquisti : tribue quæsumus , ita nos Corporis , & Sanguinis tui sacra mysteria venerari ; ut Redemptionis tuæ fructum in nobis jugiter sentiamus. Qui vivis , &c.*
Fr. *Amen .*

In Missa pro Defuncto .

Principio .

Ob. *Veni Sancte Spiritus , &c.* Uti supra .

In fine Missæ .

Ob. *Oremus pro fidelibus , &c.*
Fr. *Requiem æternam , &c.*
Ob. *Requiescant in pace .*
Fr. *Amen .*
Ob. *Absolve quæsumus Domine animam famuli tui . N. ut defunctus sæculo , tibi vivat , & quæ per fragilitatem carnis humanæ conversatione commisit , tu venia misericordissimæ pietatis absterge .*
Deus veniæ largitor , & humanæ salutis amator , quæsumus clementiam tuam , ut nostræ Congregationis fratres , propinquos , & benefactores , qui ex hoc sæculo transferunt , Beata Maria semper Virgine intercedente , cum omnibus Sanctis tuis ad perpetuæ beatitudinis consortium pervenire concedas . Qui vivis , &c.

In diebus exercitiorum mortis .

Principio .

Ob. *Veni Sancte Spiritus , reple tuorum corda fidelium .*
Fr. *Et tui amoris in eis ignem accende .*
Ob. *Dominus vobiscum .*
Fr. *Et cum Spiritu tuo .*

Oremus .

Ob. *Actiones nostras , &c.*
Fr. *Amen . ut supra .*

Ad finem .

Ob. *Benedicamus Patrem , &c.*
Fr. *Laudemus , &c.*
Ob. *Dominus vobiscum .*
Fr. *Et cum spiritu tuo .*

Oremus .

Ob. *Deus cujus misericordiæ non est numerus , &c.*

In principio Congregationum .

Ob. *Veni Sancte Spiritus , &c.* ut supra .

Oremus .

Ob. *Mentes nostras quæsumus Domine , lumine tuæ claritatis illustra , ut videre possimus , quæ agenda sunt , & quæ recta sunt , agere valeamus . Per Christum , &c.*
Fr. *Amen .*

In fine .

Ob. *Confirma hoc Deus ,*
Fr. *Quod operatus es in nobis .*
Ob. *Dominus vobiscum .*
Fr. *Et cum spiritu tuo .*

Oremus .

Ob. *Præsta quæsumus Domine auxilium gratiæ tuæ , ut quæ te auctore facienda cognovimus , te adjuvante eadem impleamus . Per Christum Dominum nostrum .*
Fr. *Amen .*
Ob. *Fidelium Animæ , &c.*
Fr. *Amen .* Finis .

Pontifex confirmat ut in Rubrica .

§.2. Cum autem , sicut eadem expositio subjungebat , dicti Exponentes Constitutiones prædictas , quo firmius subsistant , & serventur exactius apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri , aliisque Confraternitatis sub eodem Instituto , & nomine Scholæ Christi erectis , seu erigendis appellatione , ut infra , a Nobis indulgeri summopere desiderent : Nos piis eorumdem Exponentium votis quantum Nobis ex alto conceditur favorabiliter annuere volentes , & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis , suspensionis , & interdicti , aliisque ecclesiasticis sententiis , censuris , & pœnis a jure , vel ab homine quavis occasione , vel causa latis , si quibus quomodolibet innodatæ existunt , ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes , & absolutas fore censentes , supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati , præinsertas Constitutiones in Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis , & consultationibus Episcoporum , & Regularium præposita de mandato nostro examinatas , & approbatione , ac confirmatione apostolica dignas judicatas , auctoritate apostolica tenore præsentium approbamus , & confirmamus pro Congregationibus , seu Confraternitatibus sub nomine Scholæ Christi , & sub earumdem Constitutionum observantia tam huc usque erectis , quam in posterum erigendis in universis Regnis , & Dominiis Hispaniarum , ac etiam in Alma Urbe nostra ; & hujusmodi Congregationes , seu Confraternitates de Indulgentiis concessis prædictæ Congregationi , seu Confraternitati Madritensi ejusdem nominis participare indulgemus .

Decer-

Decretum irritans .

§.3. Decernentes omnes , & singulas Constitutiones præinsertas , ac præsentes literas semper firmas , validas , & efficaces existere , & fore , suosque plenarios , & integros effectus sortiri , & obtinere , ac illis , ad quos spectat , & pro tempore spectabit , plenissime suffragari , & ab illis respective inviolabiliter observari ; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios , & delegatos , etiam causarum Palatii Apostolici Auditores , judicari , & definiri debere , ac irritum , & inane , si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter , vel ignoranter contigerit attentari .

Derogatio contrariorum

§.4. Non obstantibus nostra , & Cancellariæ Apostolicæ regula de non concedendis Indulgentiis ad instar , aliisque Constitutionibus , & Ordinationibus Apostolicis , cæterisque contrariis quibuscumque .

Transumptorum fides .

§.5. Volumus autem , ut earumdem præsentium literarum transumptis , seu exemplis , etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis , & sigillo alicujus personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis , eadem prorsus fides ubique locorum , & gentium adhibeatur , quæ ipsismet præsentibus adhiberetur , si forent exhibitæ , vel ostensæ .

Dat. die 10. Apr. 1665. An.X.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 10. Aprilis 1665. Pontificatus nostri Anno X.

DVII.

Ex Regest. in Secr. Brev.

Commissio Nuncio Poloniæ super convocatione novi Capituli Monachorum Ruthenorum Ordinis S. Basilii Magni cum opportunis facultatibus .

Dilecto filio nostro , & Apostolicæ Sedis apud charissimum in Christo filium nostrum Joannem Casimirum Poloniæ , & Sveciæ Regem Illustrem Nuncio .

ALEXANDER PAPA VII.

Dilecte fili salutem , & apostolicam benedictionem .

Exordium.

SOllicitudo pastoralis officii , quo Catholicæ Ecclesiæ regimini divina dispositione præsidemus , nos admonet , ut exortas inter quoscumque Christifideles , & præsertim illos , qui a fluctibus sæculi in Religiosæ vitæ portum confugerunt , dissentiones opportunis remediis tollere , & pacem sine qua non bene colitur pacis auctor , reducere , & stabilire satagamus , sicut matura consultatione adhibita , conspicimus in Domino salubriter expedire .

Motiva.

§.1. Cum itaque , sicut accepimus , Christifideles Rutheni cum Sancta Romana Ecclesia uniti , variis dissidiis agitentur , & ejusmodi dissentionibus præcipue causam dederit celebratio duorum Capitulorum , in quorum uno Ven. frater Archiepiscopus Polocen. cum adhærentia quorumdam paucorum suorum sequacium se in Abbatem , sive Superiorem Generalem Monachorum Ruthenorum Ordinis S. Basilii Magni ad sui vitam elegi curaverat ; in altero vero reliqui Monachi Rutheni Ven. etiam fratrem Episcopum Chelmen. in eorum Abbatem , sive Superiorem Generalem elegerant : memoratus autem Episcopus Chelmen. , apud Congregationem Ven. Fratrum nostrorum ejusdem S. R. E. Cardinalium negotiis propagandæ Fidei præpositorum plures insteterit , ut primodictum Capitulum nullum declararetur , quippe quod legitimum esse non poterat , propter defectum auctoritatis , qua dictus Archiepiscopus caruisse reperiebatur ,

Committit Nuncio ut novum Capitulū convocet .

Hinc est , quod Nos ejusmodi dissidiis , & dissentionibus remedium quantum Nobis ex alto conceditur adhibere , utque Monachi præfati solliciti servent unionem spiritus in vinculo pacis providere cupientes , ac de tua fide , prudentia , charitate , integritate , & religionis zelo plurimum in Domino confisi , de præfatorum Cardinalium consilio , discretioni tuæ per præsentes committimus , & mandamus , ut minime attentis dictis duobus Capitulis , novum Capitulum dictorum Monachorum Ruthenorum , auctoritate nostra Apostolica convoces , & canonice congregari cures , illiq; eadem auctoritate præfideas , ac sedulo procures , ut in eodem novo Capitulo electio Abbatis , seu Superioris Generalis Monachorum præfatorum de persona alicujus Monachi expresse professi dicti Ordinis , qui utrique partium quantum fieri poterit minus suspectus , iisque moribus , discretione , prudentia , charitate , ac pacis , & religionis zelo præditus sit , ut ad reconciliandos animos , concordiamque quantum divina bonitas dederit restituendam , & constabiliendam aptus habeatur , fiat ; Nos enim Te novi Capituli hujusmodi nostro , & Apostolicæ Sedis nomine Præsidentem cum auctoritate , facultatibus , jurisdictione , honoribus , & oneribus similibus Præsidentibus , & aliis solitis , & consuetis dicta auctoritate harum serie facimus , constituimus , & deputamus , tibique quascumque necessarias , & opportunas ad præmissa facultates tribuimus , & impertimur ; salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis præfatorum Cardinalium .

Cæterum Te in Domino hortamur , & monemus , ut novum Capitulum hujusmodi fideliter regere , ac in illo omnia , quæ ad prosperum dictorum Monachorum Ruthenorum regimen , & gubernium pertinent decerni , statui , & ordinari cures , & facias .

Cum omnimoda facultate etiam panien. ingrediendi .

Mandantes propterea in virtute Sanctæ obedientiæ dilectis filiis eorumdem Monachorum Superioribus quocumq; nomine nuncupatis , cæterisque Monachis , & specialiter Vocalibus in præfato novo Capitulo congregandis , aliisque ad quos pertinet , ut Te ejusdem Capituli nostro , & dictæ Sedis nomine Præsidentem reverenter suscipiant , Tibique in præmissis pareant , obediant , & assistant , ac tua salubria monita , & mandata humiliter suscipiant , & assi-

assistant, ac tua salubria monita, & mandata humiliter suscipiant, & efficaciter adimplere procurent, alioquin sententiam, sive pœnam, quam rite tuleris, seu statueris in rebelles ratam habebimus, & faciemus authore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Contrariis derogat.

§.2. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit dicti Ordinis, & aliis quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisq; contrariis quibuscumq;

Dat. die 13. Maii 1665. An.XI.

Datum in Arce Gandulphi Albanen. Diœc. sub Annulo Pisc. die 30. Maji 1665. Pontificatus nostri Anno XI.

DVIII.

Ex Regest. in Secr. Brev.

Ut Breve super confirmatione quorumdam Decretorum Provinciæ S. Ivonis Tertii Ordinis S. Francisci Congregationis Gallicanæ servetur in Provincia S. Ludovici Ordinis hujusmodi.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Supplicatio.

§.1. EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Claudius Salivensis Frater expresse professus, ac in Romana Curia Procurator Provinciæ S. Ludovici Congregationis Galliæ Fratrum Tertii Ord. Sancti Francisci, quod ad evertenda gravia inconvenientia, quibus in casibus occurrentibus per Statuta Generalia Ordinis hujusmodi a Sede Apostolica approbata, præsertim adveniente morte Ministri Provincialis, ac morte pariter, seu vacatione Definitoris cujuslibet, sufficienter provisum non est, in ultimo Capitulo Provinciali Provinciæ præfatæ unanimi consensu omnium Vocalium decretum fuit sub nostro, & dictæ Sedis beneplacito in Provincia S. Ludovici hujusmodi in posterum observanda fore nonnulla Decreta ante hac pro Provincia S. Ivonis dicti Tertii Ordinis facta, & a Nobis per quasdam nostras in simili forma Brevis die 26. Februarii 1660. expeditas literas confirmata, tenoris, qui sequitur, videlicet.

§.2. Quod si Provincialem Ministrum in Officio mori contigerit Guardianus loci, ubi obierit, & Secretarius defuncti scripturas quascumque ad Provinciam, & negotia quovis modo spectantes, nihil omnino legendo, minoribus Provinciæ, & loci sigillis bene munitas ad Provincialem novissime absolutum, vel eo deficiente ad antiquiorem in Religione Patrem, qui Prælatus, vel Provinciæ Vicariatus, vel utriusque defectu, qui Definitoriatus officio functus fuerit, una cum sigillis Provinciæ deferant, & assignent; prædicta vero ubi Provincialis absolutus, aut unus ex supradictis juxta præscriptum ordinem acceperit, is absque mora, convocato Definitorio faciet Vicarii Provincialis electionem, in qua votum activum ipse cum aliis, qui munus Provincialatus, & Vicariatus Provincialis munus egerint, Definitoribus tam actualibus, quam qui olim fuere habebit. Passivum vero omnes, quos ad Provincialatum habere Statuta decernunt, quod si Minister Generalis intra tres dies consistat, consulendus est, & ejus responsio expectanda; si tamen longius absit eo inconsulto fiat electio. In Capitulo autem Provinciali proxime sequenti, si biennio integro, seu in duobus Definitoriis consecutivis Provinciæ Vicariatu functus fuerit ad Provincialatum minime assumi valeat, sed toto triennio consequenti Exprovincialatus jure gaudeat. Si quis Definitor actualis moriatur, sive alia ratione vacaverit, ejus loco subrogetur, & pro subrogato habeatur ipso facto qui antiquior in Religione Provincialatus, vel Vicariatus Provincialis, & iis deficientibus Definitoriatus munere alias functus est; si vero tales defuerint, subrogentur Guardiani actuales in Religione antiquiores; subrogatus autem ultimum locum in consessu habeat inter reliquos Definitores, & in Capitulo Provinciali proxime sequenti ad hujusmodi Definitoriatus munus assumi minime valeat, si biennio integro in eo munere extiterit, seu duobus Definitoriis adfuerit.

Ut Breve expeditum pro Prov. S. Ivonis serveretur in Provincia Sancti Ludovici mandat Pont.

§.3. Quare dictus Claudius Nobis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ipsum Claudium specialis favore gratiæ prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, necnon dictarum literarum nostrarum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso, & inserto habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio attentis narratis, ac audito per eosdem Cardinales Venerabili etiam Fratre nostro Francisco Episcopo Portuen. ejusdem S.R.E. Cardinale Barberino nuncupato Ordinis hujusmodi apud Nos, & Sedem præfatam Protectore, ut præfatæ nostræ in forma Brevis literæ pro S. Ivonis Provincia expeditæ juxta tenorem supra ex-

pressum in posterum, etiam in dicta Provincia Sancti Ludovici, prout resolutum fuit in Capitulo Provinciali, inviolabiliter observentur, auctoritate apostolica tenore præsentium mandamus.

Decretum ley tans.

§.4. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit plenissime suffragari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum

§.5. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit Ordinis, & Provinciæ S. Ludovici hujusmodi, aliisve quibusvis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 5. Junii 1665. An.XI.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 5. Junii 1665. Pontificatus nostri Anno XI.

DIX.

Ex Regest. in Secr. Brev.

Constitutio contra quasdam censuras facultatis Theologicæ Parisien.

ALEXANDER EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Pont. damnat censuras quasdam latas a facultate Parisiensi inconsulto Papa.

CUM ad aures nostras pervenerit duos prodisse libros, quorum alteri titulus est: *Censura Sacræ facultatis Theologiæ Parisien in librum*, cui titulus est: *la defense de l'authorité de N. S. P. le Pape de Nosseigneurs le Cardinaux les Archevesques, & Equesques, & de l'Employ de Religion Mendians, contre les erreurs de ce temps par Jacques de Vernat a Metz* 1658. Alteri vero titulus est: Censura Sacræ facultatis Theologicæ Parisiensis in librum, cui titulus est: *Amadei Grimensis Lomarensis* olim primarii Sacræ Theologiæ Professoris opusculum singularia universæ fere Theologiæ moralis complectens adversus quorumdam expostulationes contra nonnullas Jesuitarum opiniones morales ad tractatus de peccatis de opinione probabili edito novissime, &c. Lugduni sumptibus Philippi Borde, Laurentii Arnand, Petri Bordè, & Guillelmi Barbier 1664. cum appositione, & Superiorum permissu Parisiis 1665. in quibus libris censura presumptuosa notantur aliquæ propositiones, eæque præsertim, quæ ad Romani Pontificis, & Sanctæ Sedis Apostolicæ auctoritatem, Episcoporum jurisdictionem, Parochorum munus, privilegia a Sancta Sede concessa, dispensationes Apostolicas, actionumque moralium regulam pertinent, & aliæ quæ & gravissimorum scriptorum auctoritate, & perpetuo Catholicorum usu nituntur, & cum fieri non possit sine publico Cathol. Religionis detrimento ut prædictæ censuræ in commemoratis libris sine debita Ecclesiæ animadversione, & damnatione remaneant; Nos pro Apostolico munere, quo licet immeriti fungimur, ut gravissimo scandalo, quod inde Catholicis accidere posset occurramus, habitis prius doctissimorum, ac insignium in Sacra Theologia Magistrorum, ac Professorum, ac Sacrarum Sedis Apostolicæ Congregationum qualificatorum, quos ad hæc specialiter deputavimus consultationibus, ut rei gravitas videbatur postulare, necnon auditis suffragiis Ven. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium in tota Republica Christiana generalium inquisitorum, Motu proprio, & ex certa scientia nostra, deque Apostolicæ potestatis plenitudine prædictas censuras uti præsumptuosas, temerarias, atque scandalosas, auctoritate Apostolica damnamus, & pro damnatis haberi volumus, easque nullius valoris, & roboris fuisse, sed cassas, & irritas esse declaramus.

Addit censuras contra inobedientes.

§.1. Mandamus insuper ne quisquam ex Christifidelibus cujuscumque gradus, ac dignitatis existat, etiam Episcopali, Archiepiscopali, Patriarchali, aut alia majori dignitate, etiam speciali, & specialissima nota digna suffulti prædictas censuras approbet, sequatur, atque defendat, neve in publicis, aut privatis lectionibus, disputationibus, sessionibus, aut aliis actibus publicis illas sequatur, tueatur, aut doceat, neve in libris, aut etiam scripturis publicis, vel privatis aut alio quocumque modo illas alleget sub pœna excommunicationis latæ sententiæ ipso facto incurrendæ cujus absolutionem Nobis, & Sedi Apostolicæ reservamus.

Ad Typographos, & Bibliopolas illa extendit ut in rubrica.

§.2. Præterea Typographis, ac Bibliopolis expresse prohibemus, ne prædictos libros, & censuras imprimere, ac typis mandare, minusque impressas vendere audeant ac præsumant sub eadem pœna excommunicationis latæ sententiæ ipso facto incurrenda.

Libros, & scripturas quascumque ad materiam pro habet.

§.3. Insuper libros, scripturas, & alia opera, in quibus prædictæ censuræ quomodolibet continentur, laudantur, & defenduntur Apostolica auctoritate prohibemus, ac pro vetitis haberi volumus, mandamusque ne amplius illos, ac illa legere, aut penes se retinere præsumat; sed locorum Ordinariis, aut hæreticæ pravitatis Inquisitoribus in locis, in quibus Sanctissimæ In-

quisitionis officium exercetur consignent sub pœna excommunicationis, ut supra ipso facto incurrendæ, dictisque Ordinariis, ut etiam tanquam Apostolicæ Sedis delegatis, necnon prædictis hæreticæ pravitatis Inquisitoribus districte præcipimus, ut contra transgressores, inobedientes, ac rebelles diligenter inquirant, ac procedant, & ad declarationem dictæ excommunicationis,& ad alias pœnas pro gravitate ipsorum inobedientiæ, & transgressionis pro eorum arbitrio procedat.

Decretum irritans.

§.4. Cæterum ulterius de prædictis censuris judicium, deque opinionibus in dictis libris Jacobi Vernat, & Amadei Grimensis contentis, necnon de aliis in eisdem censuris expressis,sive in eis prememoratæ opiniones notentur,sive non,Nobis,ac Sanctæ Sedi Apostolicæ reservamus.

§.5. Decernentes insuper præsentes literas semper, & perpetuo validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri, & obtinere;sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos ubique judicari, & definiri debere, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, ac irritum, & inane esse quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Transumptorum fides.

§.6. Volumus autem, ut præsentium transumptis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis,& sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiast. constitutæ munitis eadem fides prorsus adhibeatur, quæ ipsis originalibus literis adhiberetur, si essent exhibitæ,vel ostensæ.

§.7. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc nostram Constitutionem, & ordinationem infringere,vel ei ausu temerario contraire; Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Dat. 7. Kal. Julii 1665. An.XI.

Datum Romæ apud S.Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo sexagesimoquinto, septimo Kal. Julii Pontificatus nostri Anno XI.

DX.

Concedit facultatem Congregationi Cassinensi Ordinis S. Benedicti alienandi bona stabilia usque ad summam centum sexaginta duorum millium nongentorum novem scutorum, pro liberatione Monasteriorum ab ære alieno.

Venerabili fratri nostro Francisco Episcopo Portuensi S. R. E. Cardinali Barberino nuncupato, Congregationis Cassinensis Ordinis S. Benedicti apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectori.

ALEXANDER PAPA VII.

Ven.Fr. salutem,& Apost. benedictionem.

Expositio.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Procurator Generalis Congregationis Cassinensis Ordinis S. Benedicti, quod dicta Congregatio propter bellorum, pestis, inundationum, & tempestatum, aliaque infortunia, quæ ejus Monasteria cum extrema fere eorum ruina respective passa sunt, a multis annis miserabilem in statum redacta reperitur, ac ex causa tot malorum cum singula Monasteria Procurariæ Generali de taxis debitis juxta repartitionem pro solvendis oneribus Cameralibus satisfacere nequirent, Congregatio ipsa æs alienum centum sexaginta duorum millium nongentorum novem scutorum, & viginti trium bajocchorum monetæ in sorte principali diversorum annuorum perpetuorum, & redimibilium censuum ad favorem diversarum personarum, ac etiam Locorum Piorum respective impositorum, contrahere coacta fuerit, nempe pro rata centum quinque millium quingentorum septuaginta octo scutorum nomine Monasteriorum particularium, pro quibus pecunias reperire eidem Congregationi facile fuit, ac pro rata reliquorum quinquaginta septem millium trecentorum triginta unius scutorum, & viginti trium bajocchorum nomine proprio ipsius Congregationis pro illis Monasteriis, pro quibus eorum nomine tantæ pecuniæ reperiri nequiverunt, quæque proinde in debito hujus summæ erga Procuratam Generalem peculiari ratione remanserunt, prout distinctius exprimitur in notis vulgari Idiomate factis tenoris qui sequitur, videlicet.

§.1. *Nota de Censi, che in sorti principali si sono imposti dalla Congregazione Cassinense in nome proprio per causa dell' infrascritti Monasterj, che non hanno corrisposto al pagamento delle Tasse, che ciascuno di essi doveva per la sua rata, per li quali a nome loro il danaro non si è potuto trovare, e perciò ciascuno di quelli è restato debitore alla Procureria Generale nella somma, che gli si assegna, come segue. Monasterio di Gangi scudi 545., baj. 78. Di Monte Scaglioso scudi 10250., baj. 48. Di Castrovillari scudi 3596., baj.78. Di Gaeta scudi 1215., baj. 20. D. Perugia scudi 1504., baj. 30, Di Cesena scudi 1051., baj. 50. Di Modena scudi 2837., baj. 77. Di Bobio scudi 2128., baj. 23. Di Pavia scudi 2455., baj. 16. Di San Simpliciano scudi 8740., baj. 80. Di San Pietro Gessa scudi 1149., baj.1. Di Asti scudi 16935.,baj.32. Di Ragusa scudi 2623., baj. 2., e ½. Di Levino scudi 3297., baj. 67., e ½. Nota de capitali de Censi, che dalla Congregazione Cassinense sono stati imposti a nome particolare di ciascun dell' infrascritti Monasterj, li quali ne restano debitori nella somma, che a ciascuno viene assegnata secondo il ripartimento, che segue per non aver soddisfatto le Tasse, che ognuno di loro doveva per la sua rata alla Procureria Generale, per pagare li pesi Camerali: Monasterio di Monreale scudi 1000. Monte Scaglioso scudi 29267., baj. 50. Cava scudi 6000., e 100. Napoli scudi 800. Aversa scudi 500. Monte Cosino scudi 5769. Perugia scudi 34550. Cesena scudi 1548., baj.50. Ravenna scudi 900. Mantova scudi 700. Modena*

dena scudi 3600. Regio scudi 1000. Parma scudi 7550. Bobio scudi 2392. San Spirito di Pavia scudi 1400. San Simpliciano sc. 3500. Fiorenza scudi 1000. Cassa Veneta sc. 4000.

Postulatio.

§.2. Quia vero æs alienum hujusmodi in dies augetur, nec possibile est illud ex redditibus Monasteriorum prædictorum extenuare, nedum extinguere, quinimo ipsum æs alienum impedimento est, quominus eadem Monasteria oneribus Cameralibus, quæ quotidie maturantur, satisfacere valeant. Idcirco his omnibus in Capitulo Generali dictæ Congregationis hoc anno Perusii celebrato mature consideratis, cognitoque nullum aliud superesse remedium, quo eadem Congregatio ab ære alieno hujusmodi, illiusque interusuriis liberetur, atq; ita afflictus illius status aliquantum sublevetur, quam si ad alienationem tot bonorum stabilium ad Monasteria suprascripta spectantium pro rata debiti unumquodque illorum respective juxta Notas præinsertas contingentis deveniatur, dilecti pariter filii Præsidens, & Definitores ipsius Congregationis memorato Procuratori Generali commiserunt, ut a Nobis, & hac Sancta Sede facultatem obtinere contenderet eidem Congregationi, ejusque Monasteriis ex eorum bonis stabilibus alienandi usque ad summam dicti æris alieni, pro rata tamen, & quantitate bonorum singulis quibuscumque Monasteriis per ipsum Procuratorem Generalem cum consensu, & decreto tunc servanda, & distribuenda juxta respective debitum, quod unumquodque ex Monasteriis præfatis cum dicta Procuraria Generali habet, ad effectum pecunias retrahendas ex bonis per singula Monasteria alienandis persolvendi in manibus ejusdem Procuratoris Generalis in satisfactionem debiti cum dicta Procuraria singula Monasteria tangentis, quas pecunias dictus Procurator Generalis teneatur unico contextu deponere penes Montem Pietatis de Urbe ad creditum Congregationis, & sui liberam dispositionem, ad hoc ut erogentur non in alium usum, quam in extinctionem tot Censuum arbitrio suo specificandorum ex causa prædicti debiti a Monasteriis non satisfacti, respective, sicut præmittitur, impositorum cum pactis solitis, & consuetis, ac in contractibus conveniendis, & alias prout in eorumdem Præsidentis, & Definitorum decreto in Capitulo Generali hujusmodi die 11. Maii proxime præteriti emanato uberius dicitur contineri.

§.3. Quare dictus Procurator Generalis Nobis humiliter supplicari fecit, ut licentiam alienandi bona Monasteriorum supra expressorum pro summa,& quantitate centum sexaginta duorum millium nongentorum novem scutor., & vigintitrium bajocchorum hujusmodi, ac pro rata debiti unumquodque ex eisdem Monasteriis, sicut in notis præinsertis expressum est, respective tangentis concedere, & ut infra, indulgere,de benignitate apostolica dignaremur.

Annuit Pont

§.4. Nos igitur ipsum Procuratorem Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti,aliisque Ecclesiasticis sententiis,censuris, & pœnis a jure,vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati,de Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum consilio, circumspectioni tuæ per præsentes committimus, & mandamus, ut veris existentibus narratis, peritam facultatem singulis suprascriptis Monasteriis pro rata bonorum in notis præinsertis expressa, auctoritate nostra Apostolica, pro tuo arbitrio, & conscientia gratis concedas. Dummodo tamen ante tibi constiterit ipsam facultatem in evidentem eorumdem Monasteriorum utilitatem esse cessuram, nec alia commodiori ratione prænarratum æs alienum posse dissolvi, ipsumque æs alienum fuisse legitime contractum, & non alias.& dummodo bona ipsa vendenda nulli vinculo, aut oneri, præsertim vero Missarum, obnoxia sint; Et in ipsa licentia ut supra concedenda, singulorum bonorum vendendorum, quantitas, & speciales, & individuæ eorum qualitates singillatim explicentur, ac describantur, exquisitis etiam, atque habitis circa prædicta omnia, si ita tibi videbitur, informationibus Ordinarii locorum ubi Monasteriorum bona vendenda existant: Ita tamen,ut pretium ex hujusmodi venditionibus retrahendum integre, atque unico contextu in extinctionem dicti æris alieni convertatur. Quod si hujusmodi conversio uno, & eodem temporis articulo fieri non possit, pecunia apud sacram ædem integre deponatur, inde ad alium quemcumque effectum quam prænarrati æris alieni dissolvendi gratia, nullatenus amovenda. Salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis præfatorum Cardinalium.

Contrariis derogat.

§.5. Non obstantibus felic. record. Pauli II., & aliorum Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum de rebus Ecclesiæ non alienandis,& aliis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolic.,necnon Congregationis, ejusque Monasteriorum præfatorum, aliisve quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus,& singulis illorum tenores pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris,ad præmissorum effectum,hac

vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 23. Julii 1665. An.XI.

Datum Romæ apud S.Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 23. Julii 1665. Pontificatus nostri Anno XI.

DXI.

Confirmatio Statuti perpetui a Capitulo Ecclesiæ Paderbonen. conditi, & jurati, ne ulli Episcoporum Paderbonen. ex eorum mense applicatis, & in futurum applicandis redditibus, &c. quidquam per Capitulum derogetur, aut alio destinetur, & si quid contra fiat id pro nihilo habeatur.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium. SOllicitudo omnium Ecclesiarum inscrutabili Divinæ providentiæ arcano Nobis commissa Nos admonet, ut ea, quæ pro tuendis, atque conservandis Ecclesiarum ipsarum juribus provido, sapientique statuta noscuntur esse consilio, quo perenni firmitate consistantur, Apostolici muniminis præsidio roboremus.

Expositio. §.1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit Venerabilis Frater Ferdinandus Episcopus, & Princeps Paderbonen., quod dilecti filii Capitulum Ecclesiæ Paderboden. ipsius Ferdinandi Episcopi opera, & adhortatione statutum perpetuis temporibus valiturum condiderunt, ne ulli Episcopornm Paderbonen. ex eorum mensæ Episcopali nunc applicatis, aut in futurum applicandis, acquisitis, aut acquirendis redditibus, obventionibus, juribus, ac jurisdictionalibus quicquam per Capitulum ipsius Ecclesiæ derogetur, vel detrahatur, aut alio destinetur, & si quid contra fiat, id pro omnino inefficaci, nullo, irrito, ac nihilo habeatur; ipsumque Statutum juramento firmarunt, & alias, prout uberius continetur in eorum literis desuper emanatis tenoris, qui sequitur videlicet.

Statutum Capituli Paderbonen. Nos Joannes Wilhelmus Baro de Sintzingh Præpositus, Gasparus Philipphus a Ketteler Decanus, Joannes Achardus ab Imbsen Camerarius, Arnoldus a Vittinghoff Condictus Schell Senior, Wilhelmus a Winhelhauren Thesaurarius, Wilhelmus Franciscus a Vittinghoff Condictus Schell Cantor, Adolphus Henricus Droste, Hermannus Wermerus Baro Wolff Metternich, Matthias a Reck Scholasticus, Joannes Henricus Baro de Sintring, Joannes Adolphus Baro de Frens, Joannes Willelmus Baro Wolff Metternich, Franciscus Baro de Frens, Wilhelmus Goscoinus a Ketteler, Wilhelmus Baro de Furstenberg, Joannes Wernerus Baro de Leeradt, Joannes Rutgerus Torch, Simon Mauritius de Lippia, Joannes Georgius de Brugenei Condictus Hasenkamp, Joannes Rutgerus a Hetteler, Canonici Capitulares Cathedralis Ecclesiæ Paderbonen. per presentes notum facimus pro Nobis, & Successoribus nostris, qualiter Nos Wilhelmus a Winhelhausen, Barones de Metternich, & Furstenberg quidem absentes per Constitutos Procuratores; Reliqui vero in persona in Capitulo Generali Corporis Christi capitulariter congregati, matura deliberatione perpenderimus, quod ex augumento fulgoris, auctoritatis Episcopalis non leve simul accedat respectu Cathedralis Capituli incrementum. Cum itaque Episcopis, Germaniæ Sacri Romani Imperii Principibus pro congruo illi statui, ac dignitati servando splendore de amplioribus redditibus, ac juribus provisum esse deceat, quemadmodum pro tempore Episcopo, & Principi Paderbonensi de ejusmodi redditibus, & juribus isti dignitati convenientibus provisum est. Nos de conservatione eorum, & ne in futurum exinde quicquam detrahatur, sed ut tam Princeps statui, ac dignitati suæ congruenter vivere, Subditisque præesse queat, quam ut Nos ejus gratiam, & animi clementissimam propensionem in Capitulum, & Capitulares suos pro Ecclesiæ, ac Patriæ bono tanto certius conservare possimus, solliciti, unanimi voto Capitulari hodierna Congregatione consensimus, ac perpetuo valitura lege decrevimus, prout tenore præsentium sancimus, quod nullo unquam tempore, modo, statuto, decreto, aut capitulari concluso ulli Episcoporum ex Mensa Episcopali nunc applicatis, aut in futurum applicandis, acquisitis, aut acquirendis redditibus, obventionibus, juribus, ac jurisdictionalibus per Nos, aut Successores nostros quicquam debeat derogari, vel detrahi, aut alio deinceps destinari, & si quid contra fiat, id pro omnino inefficaci, nullo, irrito, ac nihilo haberi. Utque tanto certius Nos, & Successores nostri ad hujus Statuti inviolabilem observantiam obligemur, volumus illud ipsum expresse sub iis, & inter ea contineri, de quibus accuratissime servandis Nos jurejurando astrinximus, & quilibet Capitularis juxta inveteratam consuetudinem hujus Ecclesiæ jurejurando nudis pedibus ad Altare præstito sese astringere tenetur, prout, & Nos virtute harum literarum jurato astringimus, & Successores nostri similiter se astringere tenebuntur. In quorum fidem, & permanentem notitiam præsens Statutum Sigilli nostri majoris appensione duximus communiendum. Datum, & Actum Paderbonæ in loco nostro Capitulari Anno Domini millesimo sexcentesimo sexagesimo tertio die vigesima nona mensis Maii.

Locus ✠ Sigilli.

Confirmat Pontif. ut in Rubr. §.2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, memor. Ferdinandus Episc. statutum hujusmodi, quo firmius subsistat, stabiliorique vigore perennet, Apost. confirmationis nostræ patrocinio communiri

ri summopere desideret; Nos laudabile ipsius Ferdinandi Episcopi in tuendis Ecclesiæ suæ juribus studium, plurimum in Domino commendantes, eumque specialis favore gratiæ prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, statutum præfatum, emanatasque desuper literas præinsertas cum omnibus, & singulis contentis in illis, auctoritate apostolica, tenore præsentium perpetuo confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis, apostolicæ firmitatis robur adiicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti, ac solemnitatum quarumcumque in similibus forsan etiam de necessitate observandarum defectus, si qui in præmissis, vel eorum aliquo principaliter, vel accessorie, aut alias quomodolibet intervenerint, seu intervenisse dici, censeri, vel prætendi possent, supplemus, & sanamus, ac penitus, & omnia tollimus, & abolemus.

Decretum irritans. §.3. Decernentes easdem præsentes, ac præinsertas literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab illis respective inviolabiliter observari; Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de latere Legatos, & Apostolicæ Sedis Nuncios, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogat contrariis. §.4. Non obstantibus Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon quatenus opus sit, dictæ Ecclesiæ Paderbonen., etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis eidem Ecclesiæ, ejusque Capitulo, & personis quibuslibet sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie, ac etiam consistorialiter, aut alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata exprimerentur, & insererentur, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterilque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 24. Julii 1665. Pontificatus nostri Anno XI. Dat. die 24. Julii 1665. An.XI.

DXII.

Confirmatio Decreti Congregationis Episcoporum, & Regularium circa præcedentiam inter Procuratores Generales, & Commissarios Curiæ, Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia. Ex Regest. in Secret. Brev.

ALEXANDER PAPA VII

Ad futuram rei memoriam.

Expositio. §.1. ALias pro parte dilecti filii Andreæ de Arteaga Procuratoris Generalis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum Congregationi Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ expositio, quod in Capitulo Generali dicti Ordinis novissime in alma Urbe nostra celebrato dilectorum pariter filiorum Bartholomæi de Villalva, & aliorum Exprocuratorum Generalium Ordinis hujusmodi interesse habentium nomine porrectus fuerat Venerabili Fratri nostro Francisco Episcopo Portuen. ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali Barberino nuncupato dicti Ordinis apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectori supplex libellus pro obtinenda cassatione cujusdam Decreti die 2. Aprilis 1659. emanati circa præcedentiam inter Procuratores Generales, & Commissarios Curiæ Ordinis præfati, quod dilectus etiam filius Rochus de Villarejo, tunc Commissarius Curiæ hujusmodi ab eodem Francisco Cardinale Protectore subreptitie extorserat, eoque libello per dictum Franciscum Cardinalem Protectorem ad dilectos filios modernos Ministrum Generalem, & Definitores Generales ejusdem Ordinis remisso pro informatione, & voto, ipse Franciscus Cardinalis Protector

ctor voto hujusmodi inhærens, præfatum decretum revocaverat, & penitus cassaverat per aliud suum speciale decretum die 30. Augusti 1664. expeditum, quod etiam die 17. Novembris subsequentis a Nobis per nostras in simili forma brevis literas cum opportunis clausulis confirmatum fuerat: Quia vero non videbatur in hoc decreto totaliter expressa, nec declarata hæc particula, *cæteris paribus*, contenta in statuto dicti Ordinis Anno 1651. edito, cujus inviolabilis observatio per decretum hujusmodi specialiter præcipiebatur, nonnulli sub frivolis prætextibus executionem tam statuti, quam decreti, & literarum hujusmodi eludere procurabant, tametsi iam dictum decretum innitteretur informationi, & voto memoratorum Ministri Generalis, & Definitorum Generalium, qui expresse dixerunt, & declararunt præcedentiam competere Procuratoribus Generalibus habitualibus super Commissarios Curiæ, etiamsi hi ante illos electi fuerint, idque ratione dignitatis majoris, & inequalis juxta præfatum statutum Anno 1651. editum, cui tanquam ultimo decisivo stari debet. Ac propterea per eundem Andream Procuratorem Generalem memoratæ Cardinalium Congregat. supplicato, ut votum Definitorii Generalis hujusmodi approbaret, & confirmaret, vel ad tollendum omnem dubietatis scrupulum, & litem de novo declararet, præfatam particulam, *cæteris paribus*, quæ dubitandi ansam præbuit, intelligi debere conformiter voto prefati Definitorii generalis, quippe quæ secundum jus commune relationem dicat ad gradus, & dignitates Superiores, itaut Commissarii Curiæ, si aliquâ aliam dignitatem, vel gradum majorem non habuerint, ejus respectu eis competit præcedentia super Procuratores Generales Ordinis prædicti, semper, & utrobique juxta præfatum statutum debeant, sive actuales, sive habituales Commissarii fuerint, cedere præcedentiam Procuratoribus Generalibus Ordinis hujusmodi tam habitualibus, quam actualibus, non obstante prioritate, vel posteritate electionis, injungendo pariter sub pœnis, & censuris tam dilectis filiis Ministro Provinciali, & Definitorio Provinciæ Castellæ, quam quibusvis aliis, ad quos spectat, & spectare possit, cujuscumque Provinciæ dicti Ordinis sint, ut Decretum memorati Francisci Cardinalis Protectoris, nostrasque literas hujusmodi, ac ipsius Congregationis Ordinationes prompte, & exacte exequantur: emanavit ab eadem Congregatione Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet.

Decr. Sacræ Congr. Episcoporum.

Sacra Congregatio Eminentissimorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, partibus auditis & Eminentissimo Braccio referente, censuit, & declaravit verba illa *cæteris paribus* apposita in Decreto Capituli Romani Anni 1651. circa præcedentiam servandam inter Procuratorem Generalem, & Commissarium Romanæ Curiæ, prout in actis dicti Capituli, esse intelligenda, quod sicuti sine ulla controversia Procurator Generalis actualis præcedet Commissarium Curiæ actualem, ita Procurator Generalis habitualis omnino debeat præcedere Commissarium Curiæ habitualem, non attenta etiam antiquitate electionis, aut alio simili prætextu, secus vero si Commissarius Curiæ fuisset Minister Generalis, vel Vicarius Generalis, vel Commissarius Generalis familiæ, aut obtinuisset aliquam aliam dignitatem altioris Ordinis, per quam non censeretur esse paris conditionis, nam tunc præcederet Procuratori, salvis in reliquis dispositis in dicto statuto, Mandat igitur Sacra Congregatio omnibus, & singulis hujusmodi Ordinis Superioribus, ad quos spectat, ut præfatum Breve Sanctissimi Domini Nostri, & præsentem declarationem exequi, & observari faciant, quibuscumque non obstantibus. Romæ 12. Junii 1665.

M. Cardinalis Ginettus.
E. Episcopus Camerinen.

Confirmat Pontifex.

§.2. Cum autem, sicut dictus Andreas Procurator Generalis Nobis nuper exponi fecit, ipse Decretum hujusmodi pro firmiori illius subsistentia Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desideret: Nos ipsum Andream Procuratorem Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adiicimus: salva tamen semper in præmissis auctoritate præfatæ Congregationis Cardinalium.

Decretum irritant.

§.3. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit plenissime suffragari, & ab illis respective inviolabiliter observari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§.4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit dicti Ordinis, & aliis quibuslvis, etiam juramento,

to, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 18. Julii 1665. An.XI.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die vigesimaoctava Julii 1665. Pontificatus nostri Anno XI.

DXIII.

Ex Regest. in Secr. Brev.

Ut in Ditionibus, & Dominiis Duci Sabaudiæ subjectis de præcepto recitetur Officium, & Missa Conceptionis B. M. V. Immaculatæ cum Octava.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Motiva.

PRæclara dilecti filii nobilis viri Caroli Emanuelis Sabaudiæ Ducis, & Pedemontii Principis erga glorioſissimam Virginem Dei Genetricem Mariam devotio facile nos adducit, ut pia ejus vota quibus ejusdem Augustissimæ Cœli Reginæ Advocatæ nostræ veneratio promovetur Apostolici favoris benignitate prosequamur.

Supplicatio.

§.1. Supplicationibus itaque memorati Caroli Emanuelis Ducis nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ut in omnibus Ditionibus, & Dominiis eidem Carolo Emanueli Duci subjectis tum a Secularibus, tum a Regularibus utriusq; sexus, qui horas canonicas recitare tenentur, Officium, & Missa Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis Immaculatæ cum Octava in posterum de præcepto recitetur cum lectionibus in Octavario Romano a Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus præpositorum approbato contentis, & a die octava ad decimam quintam Decembris rite dispositis, auctoritate Apostolica tenore præsentium mandamus, & decernimus: idemque Officium ad usum Cleri Ditionum, & Dominiorum præfatorum leorsim ab Octavario Romano imprimi posse concedimus.

Annuit Pontifex.

Derogatio contrariorum

§.2. Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, cæterisq; contrariis quibuscumque.

Tránsumptis fides præstanda.

§.3. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Eccl. dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum, & gentium tam in judicio, quam extra illud adhibeatur, quæ ipsismet præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 17. Aug. 1665. Pontificatus nostri Anno XI.

Dat. die 17. Aug. 1665. An.XI.

DXIV.

Committit Archiepiscopo Bisuntin., ac ejus Vicario in Spiritualibus generali, usque ad sententiam exclusive causam assertorum delictorum, quæ Inquisitori Bisuntin. imputantur, eisq; tam conjunctim, quam divisim mandat, ut processum desuper conficiant, & ad S.S. transmittant.

Ex Regest. in Secr. Brev.

Ven. Fratri Archiepiscopo Bisuntin., ac dilecto filio ejus Vicario in spiritualibus generali.

ALEXANDER PAPA VII.

Ven. Frater, ac dilecte fili salutem, & apostolicam benedictionem.

Motiva.

CUM sicut accepimus, nonnulla asserta delicta dilecto filio Dominico Verneirii fratri expresse professo Ordinis Prædicatorum, Inquisitori hæreticæ pravitatis in Civitate Bisuntin. auctoritate Apostolica deputato imputentur: Nos de illis informationem capi volentes, Vobis tam conjunctim, quam divisim causam, seu causas delictorum hujusmodi contra præfatum Dominicum cum illius, seu illarum incidentibus, emergentibus, annexis, & connexis auctoritate Apostolica tenore presentium usque ad sententiam exclusive committimus.

Processum confici mandat.

§.1. Mandantes vobis tam conjunctim quam divisim, ut omni diligentia processum desuper dicta auctoritate conficiatis; Nos enim Vobis, & vestrum cuilibet quascumque necessarias, & opportunas ad id facultates harum serie eadem auctoritate tribuimus, & impertimur; Vobisque ut nullam præmissorum occasione irregularitatem contrahatis concedimus, & indulgemus.

Et clausum ad Urbem mitti.

§.2. Cæterum volumus, ut si quid contra memoratum Dominicum resultaverit, Vos informationes, & processum, seu processus, quos in exequutionem præsentium feceritis, seu alter vestrum fecerit, sub vestris sigillis, seu alterius vestrum sigillo clausos, ad Nos quamprimum transmittatis, ut quod desuper statuendum fuerit, matura deliberatione adhibita, decernamus.

Derogatio contrariorum

§.3. Non obstantibus fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. Prædecessoris nostri de una, & Concilii generalis de duabus dictis, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, etiam Conciliaribus, nec non quatenus opus sit, dicti Ordinis, & aliis

aliis quibuſvis etiam juramento, confirmatione apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores, præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Dat. die 4. Sept. 1665. An.XI. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, ſub Annulo Piſcatoris, die quarta Septembris 1665. Pontificatus noſtri Anno XI.

DXV.

Ex Regeſt. in Secret. Brev. Declarat, & concedit Monialibus Carmelitanis Diſcalceatis Belgii Indultum fruendi privilegiis Carmelitarum Excalceatarum Franciæ, & Germaniæ.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. EX injuncti Nobis divinitus Paſtoralis officii debito, fælici Sacrarum Virginum, & devotarum Mulierum, quæ oblitæ populum ſuum, & Domum Patris ſui, divinis obſequiis, & beneplacitis ſeſe ſub ſuavi Religionis jugo devoverunt, ſtatui, & progreſſui quantum cum Domino poſſumus libenter providemus, eaſque favoribus, & gratiis proſequimur opportunis.

Expoſitio. §.1. Exponi ſiquidem Nobis nuper fecerunt dilectæ in Chriſto filiæ Moniales Ordinis B. Mariæ de Monte Carmelo diſcalceatæ nuncupatæ ſub cura, gubernio, & juriſdictione Epiſcoporum in Belgio exiſtentes, quod ipſæ primitivam Regulam ejuſdem Ordinis, & Conſtitutiones a primis Inſtitutricibus ex Hiſpania, & Gallia in Belgium vocatis ſibi exhibitas, & optima fide a ſe acceptas hactenus ſub ſtricta clauſura viventes religioſe obſervarunt.

Indulget Pontifex ut in tubica. §.2. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, præfatæ exponentes, ut deinceps pacatiori, & abundantiori ſpiritu in Sancta Religione, quam profeſſæ ſunt cœleſti earum Sponſo Jeſu Chriſto Domino noſtro ſervire valeant, opportune ſibi in præmiſſis a Nobis provideri, & ut infra indulgeri ſummopere deſiderent: Nos ſpecialem ipſis Exponentibus gratiam facere volentes, & earum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus eorum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, quod omnia, & ſingula Monaſteria Monialium Carmelitarum Diſcalceatarum tam hactenus in Civitate Antuerpien., ac Oppidi Lovanienſi Lyrano, Alorſtano, & Vilvordienſi Mechlivien; & Antuerpien. Diœceſum erecta, quæ juriſdictioni, & ſuperioritati Venerabilium Fratrum Archiepiſcopi Mechlivien., & Epiſcopi Antuerpien. reſpective ſubſunt, quam deinceps perpetuis futuris temporibus in Belgio ſub cura, gubernio, & juriſdictione, & ſuperioritate Ordinariorum locorum canonicæerigenda eorumque Superioriſſæ, ac Moniales, & perſonæ quæcumque omnibus, & ſingulis privilegiis, facultatibus, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, (non tamen a juriſdictione, & Superioritate Ordinariorum locorum præfatorum) prærogativis præeminentiis, indulgentiis, indultis, favoribus, aliiſque gratiis univerſis tam ſpiritualibus, quam temporalibus, quibus Monaſteria Monialium Carmelitanarum Excalceatarum in Regno Franciæ, ac Coloniæ, Monaſterii Neoburgi, Aquiſgrani, & alibi in Germania exiſtentia de jure, uſu, & conſuetudine, ſeu ex quavis conceſſione apoſtolica, aut alias quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, frui, potiri, & gaudere poſſunt, & poterunt quovis modo in futurum, non ſolum ad eorum inſtar, ſed etiam æque principaliter, ac pariformiter, & abſque ulla prorſus differentia uti, frui, potiri, & gaudere libere, & licite poſſint, & valeant, auctoritate apoſtolica, tenore præſentium declaramus, eiſque concedimus, & indulgemus.

Aliaque præ inſertis Monialibus concedit. §. 3. Præterea ſupradictorum Monaſteriorum in Belgio erectorum, & erigendorum Monialibus, ut ipſæ nomen Vicarii Generalis, & Superioris Ordinis Fratrum ejuſdem Beatæ Mariæ de Monte Carmelo ex earum Conſtitutionibus delere, illiuſque loco nomen Epiſcopi, ſeu Archiepiſcopi Ordinarii loci, ejuſq; Commiſſariorum, uti illis ſubjectæ, reponere libere, & licite valeant, auctoritate, & tenore prædictis concedimus ſimiliter, & indulgemus: ſublata cæteroqui cuivis eaſdem Conſtitutiones alterandi, mutandi, vel innovandi facultate.

Decretum irritans. §.4. Decernentes eaſdem præſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis ad quas, ſeu quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit, pleniſſime ſuffragari, & ab illis reſpective inviolabiliter obſervari; Sicque, & non aliter in præmiſſis per quoſcumque Judices ordinarios & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, etiam de latere Legatos, & Apoſtolicæ Sedis Nuncios, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi,

di, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat. §.4. Non obſtantibus quatenus opus ſit noſtra, & Cancellariæ Apoſtolicæ Regula de non concedendis indulgentiis ad inſtar, aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon dicti Ordinis, & aliis quibuſvis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apoſtolicis eidem Ordini, ejuſque Superioribus, Fratribus, & perſonis, aliiſve quibuslibet ſub quibuſcumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis Decretis in genere, vel in ſpecie, ac etiam conſiſtorialiter, aut alias quomodolibet, etiam iteratis vicibus, in contrarium præmiſſorum conceſſis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro ſufficienti illorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales, idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut quæcumque alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi acſi de verbo ad verbum nihil penitus omiſſo, ac forma in illis tradita exprimerentur, & inſererentur, præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Tranſumptorum fides. §.5. Volumus autem, ut earumdem præſentium Literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis eadem prorſus fides ubique locorum, & gentium, tam in judicio, quam extra illud adhibeatur, quæ ipſiſmet præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Dat. die 5. Sep. 1665. An.XI. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, ſub Annulo Piſcatoris, die quinta Septembris 1665. Pontificatus noſtri Anno XI.

DXVI.

Ex Regeſt. in Secr. Brev. Mandatum, ut ſervetur Breve Urb. VIII. circa ſubjectionem Monialium Monaſterii Lugdunen. primæ Regulæ S. Claræ Juriſdictioni Provincialis, & Fratrum Provinciæ S. Franciſci in Gallia Ordinis Minorum Recollectorum.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Expoſitio. §.1. EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Pacificus a Sancto Valerio Agens Generalis Fratrum Galliæ Ordinis Minorum S. Franciſci de Obſervantia Recollectorum nuncupatorum, ac Procurator ſpecialis dilectorum filiorum Miniſtri Provincialis, & Fratrum Recollectorum Provinciæ ejuſdem Sancti Franciſci in Gallia dicti Ordinis, necnon dilectarum in Chriſto filiarum Abbatiſſæ, & Monialium Monaſterii Lugdunen. primæ Regulæ Sanctæ Claræ, quod licet per varias Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum Literas Apoſtolicas omnium primæ Regulæ Sanctæ Claræ Monialium intra Monaſterii Clauſtra Deo jugiter famulantium, omniumque Converſarum, ſive Servitricum Mulierum extra Monaſterii ſepta, pro Sororum incluſarum ſervitio, & quæſtuationum exercitio viventium cura, directio, & gubernium Superioribus dicti Ordinis Sancti Franciſci commiſſa fuerint, & præſertim præfatum Monaſterium Lugdunen. primæ Regulæ Sanctæ Claræ, ac tam omnes illius Moniales, intra quas omnes Converſæ, ſeu Servitrices Mulieres extra Monaſterium hujuſmodi reſpective degentes, per quaſdam fel. rec. Urbani PP. VIII. Prædeceſſoris noſtri in ſimili forma Brevis die 8. Novembris 1626., ut aſſeritur, emanatas, ſuperioritati, juriſdictioni, viſitationi, correctioni, curæ, & gubernio in ſpiritualibus, & temporalibus Miniſtri Provincialis, & Fratrum Recollectorum præfatæ Provinciæ conceſſum, ſubjectum, & ſuppoſitum, ſeu conceſſe, ſubjectæ, & ſuppoſitæ fuerint, & ab eo tempore dictum Monaſterium, ejuſque Moniales, & Converſæ, ſeu Servitrices Mulieres prædictæ magna cum ſecularium ædificatione, ipſarumque Monialium, & Converſarum ſpirituali profectu, & conſolatione memoratorum Miniſtri Provincialis, & Fratrum juriſdictioni, ſuperioritati, correctioni, curæ, & gubernio in ſpiritualibus, & temporalibus ſubjectum, & ſubjectæ extiterint; nihilominus quædam Eccleſiæ, & ſeculares perſonæ ſine jure, & auctoritate, ac contra præfatas Literas Apoſtolicas, nec non Congregationis Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſitæ Decreta ſuper hoc, & has quandam juriſdictionis, & ſuperioritatis, ſeu curæ, & gubernii formam, ſive modum uſurpare præſumpſerunt. Nobis propterea præfatus Pacificus, tam dictorum Miniſtri Provincialis, & Fratrum, quam memoratarum Abbatiſſæ, & Monialium nominibus humiliter ſupplicari fecit, ut omnibus litibus, & prætenſionibus viam præcludere, utque prædictæ Moniales, & aliæ Altiſſimo jugiter famulantes nullis in futurum obicibus, aut diſſidiis a divinis obſequiis abſtrahantur, ſed ſub hujuſmodi ſuperioritate, juriſdictione, correctione, cura, & gubernio Miniſtri Provincialis, & Fratrum Recollectorum dictæ Provinciæ S. Franciſci pacifice permaneant, opportune providere de benignitate apoſtolica dignaremur.

§.2. Nos igitur eoſdem Pacificum, ac

Confirmat Pont. Const. Urb VIII. ut in Rubric.

Miniſtrum Provincialem, & Fratres, necnon Abbatiſſam, & Moniales ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, de memoratorum Cardinalium Conſilio, attentis narratis, ac audito per eoſdem Cardinales dilecto pariter filio Procuratore Generali Ordinis hujuſmodi, memoratas Urbani Prædeceſſoris in forma Brevis Literas juxta illarum tenorem inviolabiliter exequi, & obſervari auctoritate apoſtolica tenore præſentium mandamus.

Decretum irritans.

§.3. Decernentes eaſdem præſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit pleniſſime ſuffragari; ſicque in præmiſſis per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum

§.4. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon omnibus, & ſingulis illis, quæ in præfatis Urb. Prædeceſſoris literis coccſſa ſunt, non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Dat. die 11. Sept. 1665. An.XI.

Datum Romæ apud S.Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, die 11. Sept. 1665. Pontificatus noſtri Anno XI.

DXVII.

Ex Regeſt. in Secret. Brev.

Confirmatio quorumdam Decretorum circa profeſſiones, & electiones in Capitulo Provinciali factas Provinciæ S. Elzearii, ſeu Aquitaniæ Congregationis Galliæ Tertii Ordinis S. Franciſci.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Expoſitio.

§.1. EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Stephanus a Moiſſaco Frater expreſſe profeſſus, ac in Romana Curia Procurator Provinciæ S. Elzearii, ſeu Aquitaniæ Congregat. Galliæ tertii Ordinis S. Franciſci, quod alias a Congregatione Venerabilium Fratrum noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita circa quaſdam profeſſiones a Superioribus præfatæ Provinciæ Aquitaniæ poteſtatem legitimam non habentibus acceptatas, ac etiam circa electiones in Capitulo Provinciali Provinciæ hujuſmodi anno proxime elapſo in Conventu Toloſan. auctoritate Apoſtolica celebrato, cui Venerabilis Frater Epiſcopus Lumbarien. præſedit, factas emanarunt duo Decreta, quorum primo quidem ſub die 14. Decembris 1663. decretum fuit, hujuſmodi nulliter profeſſos ad novam profeſſionem debere admitti eos, qui juxta late expoſita in ſupplici libello tunc memoratę Cardinalium Congregationi porrecto profeſſi erant & profiteri intendebant, dummodo ante primam profeſſionem annum probationis expleviſſent, & omnibus requiſitis prædicti inventi fuiſſent, prævia tamen acceptatione Capituli Conventualis reſpective, & ſervata in reliquis forma ſtatutorum, cujus decreti virtute quidam ex illis nulliter profeſſis ad novam profeſſionem admiſſi ſunt, cæteri autem a Religione voluntarie egreſſi, vel dimiſſi fuerunt: altero vero die 12. Decembris proxime præteriti emanato eadem Congregatio Cardinalium præfatas electiones in dicto Capitulo factas approbavit, & confirmavit, ſupplendo omnes defectus tam juris, quam facti, ſi qui forſan in eis interveniſſent.

Confirmatio Pontificis, & Exequtoris deputatio.

§.2. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, præfatus Stephanus præmiſſa, quo firmius ſubſiſtant, Apoſtolicæ confirmationis noſtræ robore communiri, & alias opportune deſuper a Nobis provideri ſummopere deſideret: Nos ipſum Stephanum ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, de prefatorum Cardinalium conſilio, attentis narratis, ac inhærendo præfatis ejuſdem Congregationis Cardinalium Decretis, eadem juxta illorum tenorem, ac diſpoſitionem, necnon quæcumque geſta in vim dictorum Decretorum auctoritate Ap. tenore præſentium approbamus, & confirmamus, ac memorato Epiſcopo Lumbarien. harum ſerie committimus, ut conformiter exequi, & obſervari faciat; Nos enim facultates neceſſarias, & opportunas illi earumdem tenore preſentium dicta auctoritate tribuimus.

Decretum irritans.

§.3. Decernentes eaſdem præſentes Literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos ſpectat, & ſpectabit in futurum inviolabiliter obſervari, & illis reſpective pleniſſime ſuffragari; Sicque in præmiſſis per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non

Derogatio contrariorum

§.4. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon quatenus opus ſit primodictæ Congregationis, & Provinciæ hujuſmodi, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Dat. die 11. Sept. 1665. An.XI.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, ſub Annulo Piſcatoris, die undecima Septembris 1665. Pontificatus noſtri Anno XI.

DXVIII.

Ex Regeſt. in Secr. Brev.

Ut in ditionibus Ferdinando Magno Duci Etruriæ ſubjectis de præcepto recitetur Officium, & Miſſa Conceptionis B.M.V. Immaculatæ, cum octava &c.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

EGregia dilecti filii nobilis viri Ferdinandi Etruriæ ſibi ſubjectæ Magni Ducis erga glorioſiſſimam Virginem Dei Genetricem Mariam devotio facile Nos adducit, ut pia ejus vota ad augendam ejuſdem auguſtiſſimæ Cœli Reginæ cultum tendentia Apoſtolico favore benigne proſequamur.

Supplicationi annuit Pont.

§.1. Supplicationibus itaque ipſius Ferdinandi Magni Ducis nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, ut in omnibus ditionibus eidem Ferdinando Magno Duci ſubjectis tum a ſecularibus, tum a regularibus utriuſque ſexus, qui horas Canonicas recitare tenentur, Officium, & Miſſa Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis Immaculatæ cum octava in poſterum de præcepto recitetur cum Lectionibus in octavario Romano a Congregatione Venerabilium Fratrum noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium Sacris Ritibus præpoſitorum approbato contentis, & a die octavæ ad decimamquintam Decembris rite diſpoſitis auctoritate Apoſtolica tenore præſentium mandamus, & decernimus; Idemque Officium ad uſum Cleri dictarum Ditionum ſeorſim ab octavario Romano imprimi poſſe concedimus.

Contraria tollit.

§.2. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Tranſumptorum fides.

§.3. Volumus autem, ut earumdem præſentium Literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides ubique locorum & gentium tam in judicio, quam extra illud adhibeatur, quæ ipſiſmet præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Dat. die 14. Sept. 1665. An.XI.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, ſub Annulo Piſcatoris, die decimaquarta Septembris 1665. Pontificatus noſtri Anno XI.

DXIX.

Confirmat Decretum Dietæ Generalis Fratrum Congregationis S. Hieronymi Jeſuatorum nuncupatorum pro ſuſtentatione Procuratoris Generalis pro tempore.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Poſtulatio.

§.1. EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Superior Generalis Congregationis Fratrum S. Hieronymi Jeſuatorum nuncupatorum, quod cum alias Nobis pro parte ipſius Superioris Generalis inter alia expoſito, æquum eſſe, ut Procurator Generalis d. Congregationis qui pro univerſa Congregatione laborat, ab eadem Congregatione per debitam repartitionem manuteneretur: Nos unionem officiorum Procuratoris Generalis Congregationis hujuſmodi, & Prioris Conventus Sanctorum Jo: & Pauli de Urbe ejuſdem Congregationis pridem factam, & Apoſtolica auctoritate confirmatam diſſolverimus, itaut eadem duo officia de cætero per duas diſtinctas perſonas quemadmodum ante unionem hujuſmodi fieri ſolebat, obtineri, geri, & exerceri deberent, & alias prout in noſtris deſuper in ſimili forma Brevis die 30. Auguſti 1664. expeditis lit. uberius continetur.

§.2. Dilecti pariter filii Fratres memoratæ Congregationis in eorum Dieta proxime celebrata congregati Taxam ducentorum ſcutorum monetæ ſuper Conventibus ipſius Congregationis pro ſuſtentatione, & manutentione dicti Procuratoris Generalis impoſuerunt in hunc modum, videlicet: ut S. Euſtachii Bononienſis viginti, de Maſcarella itidem Bononienſi quatuor, S. Hieronymi Ferrarienſis quindecim, S. Mariæ Magdalenæ Faventinæ tria, Sanctiſſ. Trinitatis Urbinatenſis tria, S. Mariæ della Palomba Viterbienſis tria, S. Joannis Florentini quinque, S. Hieronymi Senenſis quinq; S. Hieronymi Piſtorenſis ſeptem, S. Hieronymi Lucanenſis viginti, S. Hieronymi Piſani ſex, S. Mariæ de Montenero ſuper Liburum quindecim, S. Mariæ de Sambuca quinque, S. Mariæ Gratiarum Aretinenſis tria, S. Hieronymi Mediolanenſis viginti, S. Antonii Papienſis quatuor, S. Petri Laudenſis quatuor, S. Hieronymi Alexandrini quatuor, S. Bartholomæi Placentini quatuor, S. Benedicti Parmenſis quatuor, S. Hilarii Cremonenſis ſex, S. Mariæ in Portu Mantuanenſi quatuor, S. Eliſabethæ

Venetiarum decem, Corporis Domini Brixiensis quinque, S. Hieronymi Tarvisinensis septem, S. Spiritus Paduani quatuor, S. Bartholomæi in Monte Veronensi quatuor, & S. Hieronymi Vicentini Conventus prædictæ Congregationis sex scuta monetæ quotannis respective præstare teneantur. Imposita Superioribus Conventuum hujusmodi, qui ratas dictæ Taxæ sese contingentes respective annis singulis per totum mensem Majum ad memoratum Conventum SS. Joannis, & Pauli de Urbe non transmiserint, pœna suspensionis ab officio, ac a voce activa, & passiva in Diœtis, & Capitulis Generalibus dictæ Congregationis ipso facto incurrenda.

Absolvit Oratorem a censuris.

§.2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, prædictus Superior Generalis præmissa pro firmiori illorum subsistentia Apostolicæ confirmationis nostræ robore communiri summopere desideret: Nos ipsum Superiorem Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati.

Confirmat Taxam prout in Rubrica.

§.3. Impositionem Taxæ prædictæ super Conventibus dictæ Congregationis pro sustentatione memorati Procuratoris Gen., ac pœnæ hujusmodi a præd. Dieta factam, ut præfertur, auctoritate apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illiq; inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Decretum latitant.

§.4. Decernentes eadem præsentes literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumq; spectabit, inviolabiliter observari, & illis respective plenissime suffragari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§.5. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit, dictæ Congregationis, ejusq; Conventuum hujusmodi etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§.6. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 14. Sept. 1665. An.XI.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris die 14. Septembris 1665. Pontificatus nostri An.XI.

DXX.

Damnat plurimas propositiones partim jam antiquatas, partim noviter prodeuntes in animarum perniciem, prohibetque omnibus Christifidelibus sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda, eas, vel earum aliquam privatim, vel publice defendere, vel edere, vel ad praxim reducere.

Feria quinta die 24. Sept. 1665.

IN Congregat. Generali S. Romanæ, & Universalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico Montis Quirinalis coram Sanctissimo D. N. D. Alexandro Divina Providentia Papa VII., ac Eminentissimis, & Reverendissimis DD. S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Christiana adversus hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus a Sancta Sede Apostolica specialiter Deputatis.

§.1. Sanctissimus Dominus Noster audivit non sine magno animi sui mœrore, complures opiniones Christianæ Disciplinę relaxativas, & Animarum perniciem inferentes, partim antiquatas iterum suscitari, partim noviter prodire: Et summam illam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies magis excrescere, per quam in rebus ad conscientiam pertinentibus modus opinandi irrepsit alienus omnino ab Evangelica simplicitate, Sanctorumque Patrum doctrina; & quem si pro recta regula fideles in praxi sequerentur, ingens eruptura esset Christianæ vitæ corruptela. Quare, ne ullo unquam tempore viam salutis, quam suprema veritas Deus, cujus verba in æternum permanent, arctam esse definivit, in animarum perniciem dilatari, seu verius perverti contingeret, idem Sanctissimus D.N. ut oves sibi creditas ab ejusmodi spatiosa, lataque, per quam itur ad perditionem, via, pro pastorali solicitudine in rectam semitam revocaret, earumdem opinionum examen pluribus in Sacra Theologia Magistris, & deinde Eminentissimis, & Reverendissimis DD. Cardinalibus contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus serio commisit: Qui tantum negotium strenue aggressi, eique sedulo incumbentes, & mature discussis usque ad hanc

hanc diem infrascriptis propositionibus, super unaquaque ipsarum sua suffragia Sanctitati Suæ singillatim exposuerunt.

Recensentur Propositiones damnatæ.

Propositio prima. Homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum fidei, spei, & charitatis ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.

2. Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.

3. Sententia asserens, Bullam Cœnæ solum prohibere absolutionem hæresis, & aliorum criminum, quando publica sunt, & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est, anno 1626. 18. Julii in Consistorio Sacræ Congregationis Eminentiss. Cardinalium visa, & tolerata est.

4. Prælati Regulares possunt in foro conscientiæ absolvere quoscumque seculares ab hæresi occulta, & ab excommunicatione propter eam incursa.

5. Quamvis evidenter tibi constet, Petrum esse hæreticum, non teneris denunciare, si probare non possis.

6. Confessarius, qui in Sacramentali Confessione tribuit Pœnitenti chartam postea legendam, in qua ad venerem incitat, non censetur solicitasse in Confessione, ac proinde non est denunciandus.

7. Modus evadendi obligationem denunciandæ solicitationis est, si solecitatus confiteatur cum solicitante, hic potest ipsum absolvere absque onere denunciandi.

8. Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licite accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet Celebranti correspondentem, idque post Decret. Urb. VIII.

9. Post Decretum Urbani potest Sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta.

10. Non est contra justitiam pro pluribus sacrificiis stipendium accipere, & sacrificium unum offerre: Neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam promissione etiam juramento firmata, danti stipendium, quod pro nullo alio offeram.

11. Peccata in Confessione omissa, seu oblita ob instans periculum vitæ, aut ob aliam causam, non tenemur in sequenti confessione exprimere.

12. Mendicantes possunt absolvere a casibus Episcopis reservatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate.

13. Satisfacit præcepto annuæ Confessionis, qui confitetur Regulari Episcopo præsentato, sed ab eo injuste reprobato.

14. Qui facit Confessionem voluntarie nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ.

15. Pœnitens propria auctoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius pœnitentiam adimpleat.

16. Qui Beneficium curatum habent, possunt sibi eligere in Confessarium simplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario.

17. Est licitum Religioso, vel Clerico calumniatorem gravia crimina de se, vel de sua Religione spargere minantem occidere, quando alius modus defendendi non suppetit, uti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus vel ipsi Religioso, vel ejus Religioni publice, & coram gravissimis Viris prædicta impingere, nisi occidatur.

18. Licet interficere falsum Accusatorem, falsos Testes, ac etiam Judicem, a quo iniqua certo imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare.

19. Non peccat Maritus occidens propria auctoritate Uxorem in adulterio deprehensam.

20. Restitutio a Pio V. imposita Beneficiatis non recitantibus, non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam Judicis, eo quod sit pœna.

21. Habens Capellaniam collativam, aut quodvis aliud Beneficium Ecclesiasticum, si studio literarum vacet, satisfacit suæ obligationi, si Officium per alium recitet.

22. Non est contra justitiam Beneficia Ecclesiastica non conferre gratis, quia collator conferens illa beneficia Ecclesiastica interveniente pecunia, non exigit illam pro collatione Beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.

23. Frangens jejunium Ecclesiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, puta quia non vult se subiicere præcepto.

24. Mollities, sodomia, & bestialitas sunt peccata ejusdem speciei infimæ, ideoque sufficit dicere in Confessione, se procurasse pollutionem.

25. Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit Confessionis præcepto, dicens: Commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam.

26. Quando litigantes habent pro se opiniones æque probabiles, potest Judex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius præ alio.

27. Si liber sit alicujus junioris, & moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet, rejectam esse a Sede Apostolica tanquam improbabilem.

28. Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem a Principe promulgatam.

§.2. Quibus peractis, dum similium Propositionum examini cura, & studium impenditur, interea idem Sanctissimus re maturè considerata statuit, & decrevit, prædictas Propositiones, & unamquamque ipsarum, utpotè minimum tanquam scandalosas, esse damnandas, & prohibendas, sicut eas damnat, ac prohibet: ita ut quicumque illas, aut conjunctim, aut divisim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam disputative, publice, aut privatim tractaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem, a qua non possit (præterquam in articulo mor-

mortis) ab alio quacumque etiam dignitate fulgente, nisi a pro tempore existente Romano Pontifice absolvi.

§.3. Insuper districte in virtute sanctæ obedientiæ, & sub interminatione Divini Judicii prohibet omnibus Christifidelibus cujuscumque conditionis, dignitatis, ac status, etiam speciali, & specialissima nota dignis, ne prædictas opiniones, aut ali, quam ipsarum ad praxim deducant.

Joannes Lupus Sanctæ Romanæ, & Univers. Inquisit. Not. &c.
Loco ✠ Sigilli.

DXXI.

Ex Regest. in Secret. Brev. Renovatio facultatis admittendi in Collegium S. Petri Universitatis Studii Generalis Colymbrien. unum Collegialem, Canonistam Supranumerarium, qui sit unus ex oppositoribus ad Cathedras facultatis Sacrorum Canonum prope diem vacaturas, & data prima vacatione alicujus ex quatuor locis ordinariis Collegialium Canonistarum in locum sic vacantem subintrare debeat.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Postulatio. §.1. ALias pro parte dilectorum filiorum Rectoris, & Collegialium Collegii S. Petri Universitatis Studii Generalis Colymbrien., Sedi Apostolicæ, ut asserebatur immediate subjecti Nobis exposito, quod cum in dicto Collegio quatuor loca ordinaria pro totidem Collegialibus facultatis Sacrorum Canonum, ultra alia loca Collegialium aliarum facultatum reperirentur, ipsi Exponentes provide considerantes, propterea tunc imminentem vacationem Cathedrarum ejusdem facultatis Sacrorum Canonum, expedire, ut alius Collegialis Canonista supra numerum quatuor ordinariorum Collegialium Canonistarum præfatorum in idem Collegium admitteretur, unum Collegialem Canonistam supranumerarium in Collegium hujusmodi admittendum fore, reservato tamen nostro, & dictæ Sedis beneplacito, decreverant, ea lege, ut Collegialis Canonista supranumerarius sic admittendus prima data vacatione alicujus ex dictis quatuor locis ordinariis Collegialium Canonistarum, in locum hujusmodi subintrare deberet. Nos supplicationibus dictorum Exponentium nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, eisdem Rectori, & Collegialibus, ut ipsi unum Collegialem Canonistam supranumerarium, qui data prima vacatione alicujus ex supradictis quatuor locis ordinariis Collegialium Canonistarum, in locum hujusmodi sic vacantem subintrare deberet, in Collegium prædictum recipere libere, & licite possent licentiam, & facultatem auctoritate apostolica concessimus, & alias prout in nostris desuper in simili forma Brevis, die 30. Julii 1664. expeditis Literis, quarum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso, & inserto haberi volumus, plenius continetur.

Annuit Pontifex. §.2. Cum autem, sicut præfati Rector, & Collegiales Nobis denuo nuper exponi fecerunt, literæ nostræ præfatæ effectum non habuerint, eo quod tempore illarum adventus ad illas partes jam vacaverat unus ex dictis quatuor locis numerariis, sive ordinariis Collegialium Canonistarum hujusmodi, cui tunc de Collegiali provisum fuit; nunc vero dicti Exponentes plurimum expedire arbitrentur ejusmodi gratiam sibi a Nobis renovari, quo uni ex oppositoribus ad Cathedras præfatæ facultatis Sacrorum Canonum propediem vacaturas gratificari possint: Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

§.3. Nos igitur ipsos Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, memoratis Rectori, & Collegialibus unum Collegialem Canonistam supranumerarium, qui sit unus ex oppositoribus, ad Cathedras, ut præfertur vacaturas, & prima data vacatione alicujus ex dictis quatuor locis ordinariis Collegialium Canonistarum, in locum hujusmodi sic vacantem subintrare debeat, in Collegium supradictum recipiendi, & admittendi facultatem pariter, & licentiam dictæ auctoritate tenore præsentium concedimus, & impertimur.

Contrariis derogat. §.4. Non obstantibus præmissis, necnon omnibus, & singulis illis, quæ in literis præfatis concessimus non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 12. Oct. 1665. An.XI. Datum in Arce Gandulphi Albanen. Diœcesis sub Annulo Piscatoris, die 22. Octobris 1665. Pont. nostri Anno XI.

DXXII.

Ex Regest. in Secr. Brev. Suppressio Collegii Maronitarum in Civitate Ravennæ erectum &c.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium. ROmanus Pontifex ex injuncti sibi cœlitus pastoralis officii debito ea, quæ a Prædecessoribus suis pio quidem salubrique consilio disposita fuerunt, si progressu temporis non eum qui ab initio sperabatur, effectum inde consequi cognoscit, in melius commutat, aliterque disponit, sicut omnibus

bus mature considerationis trutina perpensis, ad Omnipotentis Dei gloriam, Fideique Catholicæ conservationem, & propagationem salubriter expedire in Domino arbitramur.

Coll. pro Maronitio erecto in Civitate Ravennaten. §.1. Dudum siquidem per fel. rec. Innoc. PP. X. Prædecessorem nostrum accepto, quod quondam Victorius Scialac Acorensis Maronita, pro Catholicæ Fidei, & erga nationem zelo ductus, nonnulla certorum Montium Romanę Curiæ non vacabilium loca pro instituendo in Civitate nostra, tunc Innocentii Prædecessoris Ravennaten. uno Maronitarum Collegio reliquerat, aliaque bona postmodum per Congregationem Venerabilium Fratrum nostrorum tunc suorum S. R. E. Cardinalium negotio Propagandæ Fidei præpositorum ad eumdem effectum adjuncta fuerant; Idem Innocentius Prædecessor de præfatæ Congregationis consilio, ad Dei Omnipotentis laudem, Sanctæque ipsius Ecclesiæ incrementum, præcipuamque nationis Maronitarum salutem, & commodum in dicta Civitate Ravennaten. unum Collegium pro adolescentibus nationis præfatæ sub invocatione S. Ephrem Syri perpetuo erexit, & instituit, illique sic erecto, & instituto pro congrua ejus dote, ac alumnorum ex prædicta natione in illo pro tempore educandorum, & illis inservientium personarum sustentatione, onerumque illis incumbentium supportatione unam domum tunc recens fabricatam in Platea Metropolitanę Ecclesiæ Ravennaten., ac unam circiter quadraginta novem in Villa de Gambellaria, & alteram possessiones circiter septuagintaseptem tornaturarum mensuræ illarum partium in Villa de Sancterna Territorii Ravennaten. juxta suos notos fines respective sitas, quarum possessionum una tunc in sex, & altera in duo petia divisæ erant, cum domibus, & aliis illarum pertinentiis, necnon novem fabricæ secundæ, & duo primæ erectionum, ac duo Usini secundæ erectionis, & quatuordecim novennalis, & quadraginta salis tertiæ erectionis Montium non vacabilium Romanæ Curiæ loca etiam perpetuo attribuit, applicavit, & appropriavit; ipsumque Collegium, & illius pro tempore Alumnos, Collegiales, & personas omnimodæ jurisdictioni, regimini, & gubernio ejusdem Congregationis, cum facultatibus eidem Congregationi alias auctoritate apostolica concessis super Collegiis Avenionen. itidem perpetuo subjecit, supposuit, & submisit; & quoniam fundatio, & dotatio Collegii hujusmodi majori ex parte a præfata Congregatione provenerat, idcirco illud declaravit Collegium Pontificium, membrumque ejusdem Congregationis, cum diversis privilegiis, indultis, concessionibus, declarationibus, gratiis, decretis, & derogationibus, & alias prout in ipsius Innocentii Prædecessoris literis desuper in simili forma Brevis die 6. Julii 1648. expeditis, quarum tenorem præsentibus pro plene & sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur.

Suppressio ejusdem Collegii. §.2. Cum autem (sicut accepimus) Congregatio præfata multorum annorum experientia comperto, quod ex memorato Collegio in Civitate Ravennaten., ut præfertur, erecta modicus, seu nullus fructus provenerit, Collegium ipsum Nobis annuentibus supprimendum esse censuerit, ita scilicet ut ipsa Congregatio illius defectum uberius, atque utilius, majorique cum præfatæ nationis Maronitarum commodo supplere, ac desuper providere, dictique Victorii intentioni fructuosius obsecundare debeat; retractis Romæ ejusdem Collegii bonis, & rebus, venditisque illius bonis stabilibus, & illorum pretio in res majoris fructus quam bona stabilia in illis partibus reddant, ubi domus valde modica pensione elocari, & redditus terrenorum vili pretio æstimari solent, converso, & erogato: Unde eadem Congregatio majorem numerum Alumnorum dictæ Nationis in Collegio Urbano de Propaganda Fide, vel alibi, prout Nobis, & ipsi Congregationi opportunius videbitur, sustentare poterit; Et propterea dicta Congregatio post factas mediante Venerabili Fratre Archiepiscopo Ravennaten. multas publicas, privatasque diligentias pro eisdem bonis stabilibus quanta majori fieri posset utilitate vendendis, tandem commiserit dilecto filio nostro Cœlio ejusdem S.R.E. Presbytero Cardinali Piccolomineo nuncupato nostro, & Apostolicæ Sedis in Provincia Romandiolæ, & Exarchatu nostris Ravennæ de latere Legato, ut negotio hujusmodi extremam manum apponeret, concessa ei facultate vendendi Domum dicti Collegii cum ejus Ecclesia, seu Cappella sub invocatione Sancti Ephrem, necnon duas possessiones supradictas, eaque super re Instrumentum celebrandi ad favorem dilecti filii Pandulphi Fantutii majoris oblatoris, mediante summa sex millium, & ducentorum Scutorum monetæ Romanæ per eum ad Almam Urbem nostram sua impensa transmittenda, & cum aliis pactis ipsi Cœlio Cardinali benevisis; ipse vero Cœlius Cardinalis contractum hujusmodi concluserit, & Domum cum Ecclesia, ac duas possessiones præfatas cum omnibus illarum respective membris, juribus, & pertinentiis per dilectum filium Locumtenentem suum in Civilibus Generalem eidem Pandulpho pretio sex millium, & ducentorum Scutorum monetæ hujusmodi vendi curaverit, reservato tamen desuper quatenus opus foret nostro, & dictæ Sedis beneplacito, concessaque Emptori facultate apprehendendi possessionem bonorum venditorum, ac impetrandi a Nobis indultum retinendi Ecclesiam, seu Capellam prædictam ad usum Oratorii privati, seu illam profanari faciendi, eaque profanata utendi, necnon reservatis ad favorem ejusdem Congregationis nonnullis juribus, regaliis, & aliis rebus per præfatum Cœlium Cardinalem, seu ejus deputatos æstimandis, ex quibus ali-

aliquot centenaria scutorum parium dictæ Congregationi proventura sperantur, ac cum pacto expresso, quod ipsa Congregatio in actu receptionis dicti pretii venditionem hujusmodi ratificare deberet, & alias prout uberius in publico desuper celebrato Instrumento, tenoris qui sequitur videlicet.

Sequitur tenor Instrumenti venditionis hujusmodi rogatum per Benedictum Notarium publicum Ravennaten. die 8. Aprilis 1665.

Confirmat Pontif. ut in sub.

§.3. Cumque memorata Congregatio Instrumentum præinsertum, servato pariter nostro, & Sedis præfatæ beneplacito ratificaverit, dictamq; summam sex millium, & ducentorum scutorum monetæ per bancum dilecti filii Thomæ Baccelli receperit: Hinc est, quod Nos opportune in præmissis providere, illorumque validitati, robori, & efficaciæ quantum cum Domino possumus consulere, ac Congregationem, & Pandulphum præfatos specialis favore, gratiæ prosequi volentes, dictumque Pandulphum a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, necnon testamenti, seu alterius etiam ultimæ dispositionis præfati Victorii tenorem, & alia quæcumque etiam specificam, & individuam mentionem, & expressionem requirentia præsentibus itidem pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine præfatum Collegium Nationis Maronitarum sub invocatione S. Ephrem in Civitate Ravvenaten. a memorato Innocentio Prædecessore erectum, & institutum, ut præfertur, ac ejus Ecclesiam, seu Cappellam supradictam, omnemque in illius Collegii, & Ecclesiæ, seu Cappellæ titulum, essentiam, naturam, & denominationem tenore præsentium perpetuo supprimimus, & extinguimus, necnon tam pretium dictorum bonorum venditorum, quam cætera omnia, & singula ejusdem Collegii sic suppressi, & extincti bona mobilia, & immobilia, loca Montium, actiones, & jura quæcumque memoratæ Cardinalium Congregationi, itaut liceat ipsi Congregationi per se, seu suos Procuratores, & Ministros illorum omnium, & singulorum veram, realem, & actualem possessionem propria auctoritate apprehendere, & apprehensam perpetuo retinere, illaque administrare, locare, & arrendare, ac illorum fructus, redditus, proventus, obventiones, & emolumenta quæcumq; percipere, exigere, levare, ac in sustentationem Alumnorum dictæ Nationis Maronitarum in supradicto Collegio Urbano, seu alibi, prout Nobis, & dictæ Congregationi opportunius videbitur manutenendorum, aliosque ipsius Congregationis usus, necessitates, & utilitatem convertere, & erogare cujusvis licentia desuper minime requisita, itidemque perpetuo applicamus, attribuimus, & appropriamus.

§.4. Præterea venditionem domus, & Ecclesiæ, seu Cappellæ, ac duarum possessionum supradictarum Congregationis præfatæ nomine dicto Pandulpho factam, & ab eadem Congregatione ratificatam, ut præferur, ac confectum desuper Instrumentum præinsertum, cum omnibus, & singulis pactis, conditionibus, conventionibus, declarat., reservationibus, obligat., & aliis in eo contentis, necnon apprehensionem, & adeptionem possessionis dictorum bonorum venditorum ab eodem Pandulpo forsan factam, cæteraque inde alias legitime sequuta, & secutura, motu, scientia, deliberatione, potestatis plenitudine, & tenore prædictis confirmamus, & approbamus, ac convalidamus, illisque inviolabilis, & irrefragabilis Apostolicæ firmitatis robur, vim, & efficaciam adiicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti, necnon solemnitatum quarumcumque, tam ex juris communis, & Constitutionum Apostolicarum, quam ex Congregationis, & Collegii præfatorum, aliorumve quorumlibet etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratorum statutorum, decretorum, ordinationum, & consuetudinum, etiam immemorabilium præscripto, usu, & stylo in similibus etiam de necessitate observandarum, aliosve quoscumque quantumvis formales, & substantiales, ac inexcogitatos, & inexcogitabiles defectus, si qui in præmissis principaliter, vel accessorie, aut alias quovis modo intervenerint, seu interveniisse dici, censeri, intelligi, vel prætendi possent, plenissime supplemus, & sanamus, ac penitus, & omnino tollimus, & abolemus.

§.5. Volumus autem, ut Ecclesia, seu Cappella præfata servatis alias servandis profanetur, & ad profanos, non tamen sordidos usus memorati Pandulphi emptoris reducatur, qua super re quamcumque necessariam, & opportunam facultatem, præfato Archiepiscopo Ravennaten. auctoritate Apostolica harum serie tribuimus, & impertimur. Ecclesiam Collegii suppressi profanari mandant.

§.6. Decernentes easdem præsentes literas, & in eis contenta quæcumque etiam ex eo, quod quicumque in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes illis non consenserint, & ad ea vocati, citati, & auditi, seu causæ propter quas ipsæ præsentes emanarunt, adductæ, verificatæ, & justificatæ non fuerint, aut ex alia quacumque quantumvis justa, pia, legitima, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut Decretum irritant.

aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet, etiam formali, & substantiali, ac incogitato, & inexcogitabili defectu notari, impugnari, infringi, invalidari, rescindi, retractari, in controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concesso, vel emanato quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare posse; neque ipsas præsentes literas sub quibusvis similium, vel dissimilium suppressionum, & extinctionum, applicationum, & appropriationum, ac confirmationum, aliarumque gratiarum revocationibus, limitationibus, derogationibus, aliisque contrariis dispositionibus, etiam per Nos, & quoscumque Romanos Pontifices Successores nostros, Sedemque præfatam, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, ac consistorialiter, & alias quomodolibet pro tempore faciendis unquam comprehendi, aut comprehensas intelligi, sed semper ab illis exceptas, & quoties illæ emanaverint, toties in pristinum, & validissimum statum restitutas, repositas, & plenarie reintegratas, ac etiam de novo sub quacumque posteriori data per eos, ad quos spectat, & pro tempore spectabit eligenda, concessas censeri, firmasque, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac Congregationi, & Pandulpho prædictis, aliisque ad quos in futurum quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Camerarium, seu Procamerarium, & alios Cardinales etiam de latere Legatos, necnon Cameræ nostræ Apostolicæ Præsidentes, Clericos, cæterosque Officiales, & Ministros, & alios quoslibet quavis auctoritate, præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§.6. Non obstantibus præfatis Innocentii Prædecessoris literis, ac memorati Victorii etiam ultima voluntate, quam quoad præmissa sufficienter, & expresse commutamus, aliisque præmissis, necnon re: me: Pauli II., & aliorum Romanorum Pontificum Prædecessorum pariter nostrorum de rebus Ecclesiæ non alienandis, & piæ me: Pii Papæ IV. etiam Prædecessoris nostri de gratiis qualecumque interesse dictæ Cameræ concernentibus in eadem Camera intra certum tunc expressum tempus præsentandis, & registrandis, itaut præsentes litera ibidem præsentari, insinuari, & registrar nunquam necesse sit, ac de non tollendo jure quæsito, & unionibus, & applicationibus perpetuis committendis ad partes, vocatis quorum interest, exprimendoque in illis vero valore, cæterisque nostris, & Cancellariæ Apostolicæ Regulis, necnon Lateranen. Concilii novissime celebrati uniones perpetuas, nisi in casibus a jure expressis fieri prohibentis, aliisque Apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, & synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, ac Congregationis, & Collegii præfatorum, aliisve quibusvis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegii, quoque, Indultis, & Literis Apostolicis, etiam Congregationi, & Collegio hujusmodi, aliisve quibuslibet sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, ac consistorialiter, & alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, confirmatis, approbatis, & pluries innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut quævis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, atque forma in illis tradita observata exprimerentur, & insererentur, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§.7. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo dictæ Congregationis, seu alicujus personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum, & gentium, tam in judicio, quam extra illud adhibeatur, quæ ipsismet præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Transumptorum fides.

Datum in Arce Gandulphi Albanen. Diœc. sub Annulo Piscatoris die 22. Octobris 1665. Pontificatus nostri Anno XI. Dat. die 22. Oct. 1665 An.XI.

DXXIII.

Ut in Statu Mediolanen., & Marchionatu Finarien. recitetur Officium, & Missa Conceptionis B. M. V. Immaculatæ, cum octava. Ex Regest. in Secr. Brev.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

EX injuncti Nobis divinitus Sacrosancti Apostolatus Officii debito piis Catho- Exordium.

tholicorum Regum votis, quibus Gloriosissimæ Virginis Deiparæ Mariæ Veneratio promovetur, & augetur, Apostolici favoris libentissime adjungimus.

Postulatio. §. 1. Itaque enixis, piisque precibus Clarissimi in Christo filii nostri Caroli Hispaniarum Regis Catholici nomine Nobis per dilectum filium nobilem virumPetrum de Aragonia ipsius Caroli Regis apud Nos, & Sedem Apostolicam Oratorem humiliter porrectis benigne inclinati, ut in toto Statu Mediolanen., & in Marchionatu Finarien. tum a Sæcularibus, tum a Regularibus utriusque sexus, qui horas Canonicas recitare tenentur, Officium, & Missa Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis Immaculatæ cum octava in posterum de præcepto recitetur cum Lectionibus in octavario Romano a Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Sacris Ritibus præpositorum approbato contentis, & a die octava ad decimam quintam Decembris rite dispositis, auctoritate Apostolica tenore præsentium mandamus, & decernimus; Idemque Officium ad usum Cleri Status, & Marchionatus præfatorum seorsim ab octavario Romano inprimi posse concedimus.

Annuit Pontifex.

Concedit Pontif. ut in Rubr.

'Derogatio contrariorum §. 2. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides. §. 3. Volumus autem, ut earumdem præsentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra illud ubique locorum adhibeatur, quæ ipsismet præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum in Arce Gandulphi Albanen. Diœcesis, sub Annulo Piscatoris, die vigesimaquarta Octobris 1665. Pontificatus nostri Anno XI.

Dat. die 24. Oct. 1665. An. XI.

DXXIV.

Ex Regest. in Secr. Brev. Ut in omnibus Dominiis, & Ditionibus Regnorum Siciliæ, & Sardiniæ recitetur Officium, & Missa Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis Immaculatæ, cum octava.

ALEXANDER PAPA VII

Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium. SAcrosancti Apostolatus officii humilitati nostræ per ineffabilem divinæ bonitatis abundantiam impositi ratio postulat ut pia Catholicorum Regum vota, ad augendam latiusque propagandam augustissimæ Virginis Dei Genetricis Mariæ venerationem tendentia Apostolicæ charitatis favore libentissime prosequamur.

Expositio. §. 1. Itaque enixis, piisque precibus Charissimi in Christo filii nostri Caroli Hispaniarum Regis Catholici, qui etiam Siciliæ, & Sardiniæ Rex existit nomine Nobis per dilectum filium nobilem virum Petrum de Aragonia ipsius Caroli Regis apud Nos, & Sedem Apostolicam Oratorem humiliter porrectis benigne inclinati, ut in omnibus Provinciis, & Ditionibus Regnorum Siciliæ, & Sardiniæ tum a secularibus, tum a regularibus utriusque sexus, qui horas Canonicas recitare tenentur, Officium, & Missa Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis Immaculatæ cum octava in posterum de præcepto recitetur, cum Lectionibus in octavario Romano a Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Sacris Ritibus præpositorum approbato contentis, & a die octava ad decimamquintam Decembris rite dispositis, auctoritate Apostolica tenore præsentium mandamus, & decernimus: Idemque Officium ad usum Cleri dictorum Regnorum Siciliæ, & Sardiniæ seorsim ab octavario Romano inprimi posse concedimus.

Concedit Pontif. ut in Rubr.

Derogatio contrariorum §. 2. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides. §. 3. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in judicio, quam extra illud adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum in Arce Gandulphi Albanen. Diœcesis, sub Annulo Piscatoris, die vigesimaquarta Octobris 1665. Pontificatus nostri Anno XI.

Dat. die 24. Oct. 1665. An. XI.

DXXV.

Ex Regest. in Secret. Brev. Confirmatio determinationis D. Cardinalis Protectoris super restitutione Custodiæ Sanctissimæ Trinitatis Fratrum Minorum Sancti Francisci Recollectorum nuncupatorum in Gallia in pristinum statum.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Motiva hujus constitutionis §. 1. ALias pro parte dilectorum filiorum Theophili Charier Custodis, ac omnium Fratrum tam Superiorum quam inferiorum Custodiæ Sanctissimæ Trinitatis Fratrum Minorum Ordinis Sancti Francisci Recollectorum nuncupatorum, & præsertim Joannis Baptistæ Baudin eorum specialis hac in parte Procuratoris Nobis exposito, quod pro Reformatione Provinciæ Majoris Turoniæ Fratrum Minorum dicti Ordinis vigore quarumdam felic. record. Urbani Papæ VIII. Prædecessoris nostri in simili forma brevis Literarum die 30. Augusti 1642. & die 22. Januarii, & die 22. Aprilis 1643., necnon die 11. Martii 1644. respective expeditarum dicta Custodia juxta quasdam rec. me: Clementis Papæ VIII. Prædecessoris pariter nostri Literas in Capitulo Provinciali ejusdem Provinciæ die 29. Augusti 1643. Rhedonis celebrato per Venerabilem Fratrem Henricum tunc Episcopum Rhedonen. Apostolicum hac in re Commissarium erecta, & confirmata fuerat, illique sex Conventus, videlicet Rhedonensis, Venitensis, Corisopitensis, Vastinensis, Inycastrensis, & Castri Reginaldensis assignati extiterant; Verum nihilominus Fratres dictæ Provinciæ majoris Turoniæ sic erectam, & confirmatam auctoritate ApostolicaCustodiam hujusmodi, imo & ab ipsis receptam, laudatam, & approbatam sub propriis chirographis, propter quasdam difficultates tribus Conventibus principalioribus privaverant, eique tres supradictos Conventus, Rhedonensem scilicet, Venetensem, & Corisopitensem dare noluerant: Et in eadem expositione subjuncto, quod tunc nulla supereret spes Fratribus Reformatis intentam ab ipsis reformationem in dictos tres Conventus, imo in totam Provinciam introducendi, propter rationes alibi allatas, & tantas difficultates de die in diem magis crescentes; quinimo nec pacifice in tribus Conventibus, qui eis supererant vivendi, nisi a dicta Provincia Majoris Turoniæ omnino separarentur tum propter exiguitatem ipsorum, tum propter penuriam locorum, & injuriam temporum: ideoque Nobis eorumdem Exponentium nomine humiliter supplicato, ut eis de medio opportuno Regulam ad literam observandi juxta præscriptum præfatarum Clementis Prædecessoris Literarum, quibus omnes, & singuli subscripserunt, providere, & ad hunc finem, cum soli Fratres Recollecti in Gallia sub dictis Clementis Prædecessoris Literis Regulam servarent, ipsis ut una cum præfatis suis tribus Conventibus viciniori, aut commodiori Provinciæ Fratrum Recollectorum seu Reformatorum in Gallia, nempe Provinciæ Sanctæ Mariæ Magdalenæ, quæ annuente tunc existente Ministro Generali dicti Ordinis, eos recipere parata erat, servato tamen jure uniuscujusque, uniri, & incorporari valerent, permittere, ac ad hanc unionem, & incorporationem perficiendamCommissario per eundem Ministrum Generalem deputando plenam potestatem concedere de benignitate Apostolica dignaremur: Nos hujusmodi supplicationibus inclinati de Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, attentis narratis, ac audito per eosdem Cardinales, & consentiente præfato Ministro Generali Ordinis hujusmodi, ut memorati tres Conventus nimirum Vastinensis, Inycastrensis, & Castrireginaldensis uniri, & incorporari possent Provinciæ viciniori, aut commodiori Reformatorum, seu Recollectorum

auctoritate Apostolica concessimus, & indulsimus, ac hujus unionis, & incorporationis faciendæ facultatem Commissario ab eodem Ministro Generali deputando eadem auctoritate tribuimus, & alias prout in nostris desuper in simili forma Brevis die 17. Septembris 1663. expeditis Literis, quarum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso, & inserto haberi volumus, uberius continetur.

Expositio, §. 2. Cum autem sicut dilectus pariter filius Pacificus a SanctoValerio Agens Generalis omnium Fratrum Recollectorum Galliæ dicti Ordinis, & Procurator specialis præfatæ Custodiæ Sanctissimæ Trinitatis Nobis nuper exponi fecit, unio quidem hujusmodi vigore præfatarum nostrarum Literarum facta fuerit, sed non omnem suum effectum habuerit, quia Fratres non Reformati executioni earumdem Literarum sese opposuerunt, variosque desuper recursus ad Judices Laicos habuerunt, dicti tamen Fratres non Reformati Fratribus Reformatis, seu Recollectis dictæ Custodiæ promiserint, se benevolum reformationi favorem deinceps esse præstituros, si eadem Custodia in eum, in quo ante dictam unionem erat, statum restitueretur, speseque proinde effulgeat, majorem hac via futuram reformationis extensionem juxta protestationem eisdem Fratribus Reformatis, a non Reformatis factam: Cumque his, & aliis Congregationi præfatorum Cardinalium expositis, ac petito, ut eorumdem Fratrum Reformatorum, seu Recollectorum Custodia hujusmodi necessitatis, & progressus reformationis habita ratione, ordinaretur; Primo, ut dicta Custodia Sanctissimæ Trinitatis in pristinum statum, in quo erat ante unionem, restitueretur, cum omnibus juribus, & privilegiis ipsi per Literas præfatorum Clementis, & Urbani Prædecessorum, quarum vigore fuit erecta, & confirmata, concessis, iterumque approbaretur, & confirmaretur, scilicet cum Custode in Capitulo Generali suffragante, & Novitios ad ordinem recipiendi potestatem habente, ac aliis quibus usque ad tempus dictæ unionis posita fuit dicta Custodia; Secundo, quod cum tempus celebrandi proximum Capitulum Custodiale urgeret, Custodisque, & Superiorum Custodiæ officia propter hos processus, & negotia ultra biennium duravissent, & propter dilecti filii moderni Ministri Generalis Ordinis prædicti absentiam, & distantiam (ad quem recurrendum est, ut Commissarius Visitator super dictam Custodiam deputetur) ulterius duratura essent, dicti Custodis, omniumque Custodiæ Superiorum jurisdictio, & auctoritas ad sex menses prorogaretur, & confirmaretur: dicta Congregatio attentis narratis, Venerabili Fratri nostro Francisco Episcopo Portuen. ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali Barberino nuncupato dicti Ordinis apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectori commiserit ut constito sibi de veritate expositorum, &

Congregatio Episcoporum & Regularium ad Card. Protectorem exponentes remittit.

quatenus expedire judicaret, juxta petita pro ſuo arbitrio, & prudentia indulgeret, & decerneret: Ipſe vero Franciſcus Cardinalis Protector accepto Decreto Congregationis hujuſmodi ſuper præmiſſis manato, conſtitoque ſibi de veritate expoſitorum Decretum, ſeu determinationem fecerit tenoris, qui ſequitur, videlicet.

Franciſcus Miſeratione Divina Epiſcopus Portuen. Cardinalis Barberinus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Vice-Cancellarius, ac totius Ordinis Sancti Franciſci Protector, Corrector, & Gubernator.

Cardinalis Protector in priſtinum ſtatum Cuſtodiam præd. reponit.

Cum ex præinſerto Decreto Sacræ Congregationis negotiis, Epiſcoporum, & Regularium præpoſitæ, & a Sanctiſſimo Domino Noſtro ſuper hoc ſpecialiter deputatæ commiſſum Nobis fuerit, ut attentis narratis circa præſcripti memorialis tenorem pro noſtro arbitrio, & prudentia quidquid in Domino expediens judicaverimus indulgere, & decernere poſſimus, & valeamus. Nos quibus de veritate expoſitorum conſtat, viſoque ſuper hoc approbatione Procuratoris Generalis Ordinis, & aſſenſu, præfatam Sanctiſſimæ Trinitatis Fratrum Minorum Recollectorum Cuſtodiam in priſtinum ſtatum quo erat ante Breve Sanctiſſimi Domini Noſtri Alexandri Papæ VII. auctoritate Apoſtolica, & noſtra reintegramus, & reſtituimus, & eadem jura, & privilegia, quibus antea per Bullas ſuæ erectionis, & confirmationis potiebatur concedimus, & confirmamus, ſcilicet cum Cuſtode in Capitulo Generali ſuffragante, Novitios ad Ordinem recipiendum poteſtatem habente, cæteriſque, quibus uſque ad tempus dictæ unionis juribus, & privilegiis in communi, & in ſpeciali petita fuit dicta Cuſtodia, attentoque quod tempus proximum Capitulum cuſtodiale celebrandi urgeat, Cuſtodiſque, & Superiorum Cuſtodiæ Officia ultra triennium propter proceſſus, & negotia duraverint, & ad obtinendum a Reverendiſſimo Patre Generali Ordinis Commiſſarium ulterius duratura ſint, Cuſtodis electi, & omnium Cuſtodiæ Superiorum Officia juriſdictionem, & auctoritatem ad ſex menſes prorogamus, & auctoritate Apoſtolica confirmamus. Datum Romæ in Cancellaria Apoſtolica hac die tertia Auguſti 1665.

F. Card. Barberinus Protector.

Locus ✝ ſigilli.

Agapitus Colortius Secret.

Sententiam Card. Protectoris confirmat Pontifex.

§.3. Nobis Ipropterea præfatus Pacificus humiliter ſupplicari fecit, ut Decretum, ſeu determinationem hujuſmodi apoſtolicæ confirmationis noſtræ patrocinio communire de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§.4. Nos igitur ipſum Pacificum ſpecialis favore gratiæ proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, de memoratorum Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſitorum conſilio, attentis narratis, præinſertam determinationem dicti Franciſci Cardinalis Protectoris in vim Decr. Congregationis eorumdem Cardinalium emanatam auctoritate Apoſtolica tenore præſentium benigne approbamus, & confirmamus, ſuumque effectum ſortiri mandamus.

Decretum ittitans.

§.5. Decernentes eaſdem præſentes Literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit pleniſſime ſuffragari, & ab illis reſpective inviolabiliter obſervari; Sicque in præmiſſis per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum

§.6. Non obſtantibus præfatis noſtris Literis, aliiſque præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon quatenus opus ſit Ordinis, Provinciæ, Cuſtodiæ, & Conventuum præfatorum, aliiſve quibuſvis etiam juramento confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum in Arce Gandulphi Albanen. Diœceſis, ſub Annulo Piſcatoris, die tertia Novembris 1665. Pontificatus noſtri Anno XI.

Dat. die 3. Nov. 1665. An.XI.

DXXVI.

Extenſio, & communicatio Privilegiorum Fratrum diſcalceatorum in Hiſpania Ordinis Sancti Franciſci ad omnes Provincias Diſcalceatorum Indiarum.

Vide ad Conſt.146. Tom.6. Par.3.fol.151. Urbani VIII. Cum ſicut, *& ad Conſt.147.ibid.*

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Supplicatio.

EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Fratres Provinciarum in Hiſpania, & Indiis conſiſtentium Ordinis Fratrum Mino-

Minorum S. Franciſci ſtrictioris Obſervantiæ Reformatorum, ſeu Diſcalceatorum nuncupatorum, quod dudum fel. rec. Gregorius Papa XIII. Prædeceſſor noſter diverſa privilegia Fratribus Reformatis Provinciarum S. Joſephi, & S. Joannis Baptiſtæ in Hiſpania conſiſtentibus, ſtrictioris Obſervantiæ hujuſmodi conceſſit, quæ præſertim reſpectu Fratrum de Obſervantia a rec. mem. Clemente VIII., & Urb. VIII. Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus pariter noſtris confirmata fuerunt.

§.1. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, Provinciæ Fratrum Reformatorum ſtrictioris Obſervantiæ hujuſmodi ad numerum duodenarium cum divini cultus augumento creviſſe de præſenti reperiantur d. vero Expon. privilegia præd. omnibus Prov. Reform. ſupradictis ſuffragari debere a Nobis declarari ſummopere deſiderent: Nobis propterea humiliter ſupplicari fecerunt, ut ſibi in præmiſſis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate apoſtolica dignaremur.

Confirmat prout in ſubr.

§.2. Nos igitur ipſos Exponentes ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſitorum, qui dilectum filium Procuratorem Generalem Ordinis hujuſmodi audierunt, & præcitata privilegia, eorumque confirmationes viderunt conſilio, attentis narratis, privilegia, memoratis Provinciis S. Joſephi, & S. Joannis Baptiſtæ, ut præfertur, conceſſa, & confirmata reliquas omnes Provincias Fratrum Reformatorum, ſeu Diſcalceatorum ſtrictioris Obſervantiæ hujuſmodi in Hiſpania, & Indiis conſiſtentes comprehendere, eiſque in omnibus, & per omnia ſuffragari debere, auctoritate apoſtolica tenore præſentium declaramus, ſalva tamen ſemper in præmiſſis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Decretum irritans.

§.3. Decernentes eaſdem præſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit, inviolabiliter obſervari; Sicque in præmiſſis per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane ſi quid ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§.4. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon quatenus opus ſit, dicti Ordinis etiam juramento, confirmatione apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores præſentibus pro pleno, & ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Tranſumptis credi mandat.

§.5. Volumus autem, ut earumdem præſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis eadem prorſus fides adhibeatur in judicio, & extra, quæ præſentibus ipſis adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Dat. die 5. Nov. 1665. An.XI.

Datum in Arce Gandulphi Albanen. Diœc. ſub Annulo Piſcatoris die 5. Novembris 1665. Pontificatus noſtri Anno XI.

DXXVII.

Confirmatio Decreti in Capitulo Generali Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia, & Reformatorum S. Franciſci editi, quod Provinciæ Angliæ Ordinis hujuſmodi Recollectorum nuncup. competat locus præcedentiæ juxta tempus ſuæ erectionis.

Ex Regeſt. in Secr. Brev.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

PAſtoralis Officii quod authore Deo gerimus, ſollicitudo Nos admonet, ut paternam Chriſtifidelium, qui e fluctibus ſeculi in religioſæ vitæ portum confugerunt, curam gerentes, ea, quæ ad eorum favorem provide decreta fuiſſe noſcuntur, Apoſt. muniminis præſidio roboremus.

Expoſitio.

§.1. Exponi ſiquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Nicolaus a Sancta Cruce Miniſter Provincialis Provinciæ Angliæ Ordinis fratrum Minorum S. Franciſci Recollectorum nuncupatorum, quod in Capitulo generali Fratrum Minorum de Obſervantia, & Reformatorum dicti Ordinis noviſſime celebrato editum fuit ad favorem dictæ Provinciæ Decretum tenoris, qui ſequitur, videlicet.

§.2. Anglicana Provincia expoſtulavit, ut reponeretur inter alias juxta tempus ſuæ erectionis, & Capitulum Generale decrevit ipſi competere locum præcedentiæ juxta tempus ſuæ erectionis prout in Capitulo Interamnenſi 1500. collocanda decernitur ſalvis tamen juribus, quæ a Provinciis produci poſſent.

§.3. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, firmiora, & ſtabiliora ſint, exactiuſque ſerventur illa, quæ Apoſtolicæ con-

Supplicatio.

confirmationis patrocinio muniuntur. Nobis propterea dictus Nicolaus Minister Provincialis, tam suo, quam dilectorum pariter filiorum cæterorum Patrum Provinciæ præfatę nomine humiliter supplicari fecit, ut ad tollendas occasiones novitatum, quas nonnulli Religiosi suscitare conantur, opportune in præmissis providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur eosdem Nicolaum Ministrum Provincialem, & cæteros Patres Provinciæ hujusmodi specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Decretum præinsertum in ultimo Capitulo Generali dicti Ordinis editum, ut præfertur, auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illiq; inviolabilis Apostol. firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Annuit Pont. ut in rubrica.

Decretum, Irritans.

§. 4. Decernentes eaidem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, plenissime suffragari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 5. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 16. Nov. 1665. An. XI.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 16. Nov. 1665. Pontificatus nostri Anno XI.

DXXVIII.

Transactio inter Vicarium Generalem Bergomensem, & Fratres Minimos S. Francisci de Paula pro receptione Conventus Beatæ Mariæ, omniumque Sanctorum de Galgario nuncupat.

Ex Regest. in Secret. Brev.

ALEXANDER EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Dilecto filio Vicario Venerabilis Fratris nostri Episcopi Bergomensis in spiritualibus Generali salutem, & apostolicam benedictionem.

Exordium.

IN supremo apostolicæ dignitatis culmine, meritis licet imparibus constituti, ad ea, per quæ domorum regularium, necnon Religiosorum in eis degentium piis exercitiis vacantium spirituali consolationi opportune consulatur, libenter intendimus, & ut illa, quæ propterea provide facta fuisse dicuntur, firma, & illibata persistant, libenter, cum a Nobis petitur, apostolico munimine roborari, & alias desuper disponi mandamus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire

Supplicatio.

§. 1. Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Francisci Tallis, moderni Præpositi Præposituræ Sanctorum Simonis, & Judę Bergomensis, & Fratrum Ordinis S. Francisci de Paula Minimorum nuncupat. Bergomensium, & pro eis Correctoris Provincialis Prov. Venetæ Ordinis prædicti petitio continebat, quod alias, seu nuper dictus Franciscus provide considerans Fratres prædictos in Civitate Bergomensi propria habitatione carere, cupiensque interim, ut per ea, quæ ipsi Fratres in prædicta Civit. jam a viginti circiter annis, quibus ibidem commorantur, feliciter jecerunt salutarium operum fundamenta, Religionis zelus peramplius propagetur, cultusque divinus majora in dies suscipiat incrementa, pro singulari ipsius in dictum Ordinem devotionis affectu, præfatis Fratribus, & pro eis dicto Correctori usum Ecclesiæ, & Conventus Beatæ Mariæ, omniumque Sanctorum Galgario nuncupat. prope, & extra muros Civitatis Bergomensis, cum duabus terræ petiolis arativis dicto Conventui contiguis versus dictam Civitatem ad flumen Murla similiter nuncupatum, juxta sua notissima latera sitis, quæ cum sint intra septa d. Conven. locari non possunt, una cum Ponte, & pinnaculo, vulgo Logetta, super dicto flumine respective positis, capacitatis quoad terræ petiolas hujusmodi ad mensuram Romanam unius petii circiter, olim Ordinis Fratrum humiliatorum etiam nuncupatorum, nunc vero secundodicto Ordine, omnique statu, & essentia regularibus in eo apostolica auctoritate perpetuo suppressis, & extinctis, Præpositurę prædictæ, quam dictus Franciscus ad præsens obtinet, eadem auctoritate etiam perpetuo unitis.

In

§. 2. In reliquis tamen Præpositurę prædictæ juribus in omnibus, & per omnia, & præsertim quoad officinam, pulverariam, ac domos, & prætellum illis adjacentia, quę Præpositurę prædictę, & Præposito pro tempore existenti libera sint, & esse semper debeant, salvis, & illesis remanentibus cum infrascriptis, videlicet, quod ipsi Fratres prædicto Francisco, & dicto Præposito pro tempore existenti quolibet anno in die festo Purificationis Beatæ Mariæ Virginis in recognitionem unam candelam cerę albę ponderis trium librarum cum ipsius, & Præpositi pro tempore existentium, necnon eorumdem Fratr. Religionis armis, seu insignis dare, armaque sua insignia ejusdem Præpositi pro tempore existentis super porta majori dictæ Ecclesiæ exponere, ac duas quotidie quoad assistentiam tantum necnon cum una cantata, ac officio similiter cantato, vigintiquatuor Missas, submissa voce recitandas, & pro suffragio animabus Præpositorum prædefunctorum applicandas prima die non impedita a die Commemorationis omnium fidelium defunctorum, præmonito tamen prius super his eodem Præposito, sive ejus deputato, cui nota in scriptis per singulos Sacerdotes, qui prædictas Missas celebraverint, ac per Superiorem, & Sacristanum Conventus dictæ Ecclesiæ respective subscripta, & subsignata tradi, & consignari debeat, in eadem Ecclesia quolibet anno celebrare, seu celebrari facere.

§. 3. Ac demum onera Missarum, & Officii celebrationis hujusmodi in tabella obligationum in Sacristia asservari, & teneri consueta, describere, & annotare teneantur, & obligati existant, reservato interea cuilibet Præposito pro tempore existenti jure proprietatis, & directi dominii, tam quoad dictam Ecclesiam, quam Conventum, & terræ petiola suprædicta, retentisque sibi, & de illius familia tantum futuris primodictæ Ecclesiæ Præpositis pro sua, & illorum, ac cujuslibet illorum propria, & libera habitatione atrio minori inferius ad portam, & prope portam dicti Conventus, ac una eidem atrio contigua cum scalis, necnon duabus aliis superius per eundem Præpositum, seu illius sumptibus, & expensis in dicto Conventu fabricatis, & extructis cameris cum libero ingressu, & regressu Portæ ejusdem Conventus, necnon accessu, & recessu superius, & inferius ad hortum, & dormitorium, ac alias cum aliis pactis, & conditionibus, licitis tamen, & honestis, sub nostro, & Sedis Apostolicæ beneplacito infra certum, tunc expressum, & jam forsan elapsum tempus impetrando, in perpetuum concessit, prout in publico Instrumento, aliisque desuper forsan confectis scripturis plenius dicitur contineri.

§. 4. Cum autem, sicut eadem petitio subjungebat, ea, quæ a Sede præfata approbantur, & confirmantur, firmius, & validius subsistant, ac melius ab omnibus observentur; ideo pro parte Francisci, & Fratrum, ac pro eis Correctoris prædictorum Nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus concessionem hujusmodi pro perpetua, & inviolabili observatione approbare, & confirmare, aliasque in præmissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Approbat Pontif. ut in rubrica.

§. 5. Nos igitur, qui divinum cultum, & fidelium devotionem ubique augeri sinceris desideramus affectibus, Franciscum, & Correctorem prædictos, & eorum quemlibet, necnon domus, & Conventus hujusmodi singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, necnon Instrumenti, scripturarumque hujusmodi totos tenores, præmissis tamen minime contrarios, ac Ecclesiæ, Conventus, & terræ petiolarum hujusmodi situationes, confines, vocabula, denominationes, qualitates, & quantitates præsentibus pro expressis habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus concessionem prædictam, ac prout eam concernunt, desuper confectas scripturas, ac Instrumentum prædicta cum omnibus, & singulis inde legitime sequutis, & sequendis perpetuo sine alicujus præjudicio dicta auctoritate approbes, & confirmes, ac eis perpetuæ, & inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiicias, eamque validam, & efficacem perpetuo fore, & esse, ac ab omnibus uti legitime factam observari, & adimpleri debere; sicque, & non alias, per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de late-Legatos, Vice-Legatos, & Sedis Apostolicæ Nuncios, & quosvis alios judicari, & definiri debere, ac quicquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, dicta auctoritate decernas.

Irritat quę quidquid secus factum fuerit.

§. 6. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit, primodicti Ordinis juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumq;

Contrariis derogat.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ 1665. Nonis Decembris, Pont. nostri Anno XI.

Dat. die 9. Dec. 1665. An. XI.

DXXIX.

Declaratio circa solutionem Decimæ 800. mil. ducatorum monetæ Hispaniarum clar. mem. Philippo IV. concessæ.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Venerabili Fratri Vitaliano Archiepiscopo Ephesin. nostro, & Apostolicæ Sedis in Regnis Hispaniarum Nuncio.

ALE-

ALEXANDER PAPA VII.

Ven. Frater salutem, & apostolicam benedictionem.

Proœmium. ALias Nos in subventionem clarę mem. Philippi IV. dum vixit Hispaniarum Regis Catholici indiximus, & imposuimus unam semel in duobus annis tunc proximis, illorum nempe singulo pro medietate persolvendam Decimam, quæ in totum ad summam octingentorum millium ducatorum monetæ Hispaniæ ascenderet, juxta Taxam a tunc existente Nostro, & Apostolicæ Sedis in Regnis Hispaniarum Nuncio, taxandam omnium fructuum, reddituum, proventuum, jurium, obventionum, emolumentorum, & distributionum quotidianarum omnium Ecclesiarum Archiepiscopalium, Episcopalium, Collegiatarum, & Parochialium, necnon Monasteriorum, & Conventuum, ac etiam Mensarum Abbatialium, Capitularium, tam Cathedralium, etiam Metropolitanarum, quam quarumcumque Collegiatarum Ecclesiarum, & Conventualium, Prioratuum quoque, ac cæterorum Beneficiorum Ecclesiasticorum cum cura, & sine cura secularium, ac quorumvis Ordinum utriusque sexus, etiam mendicantium annuos redditus habentium tam virorum, quam mulierum, necnon Congregationum, Institutorum, & Societatum regularium, etiam Societatis Jesu, & præterea Hospitalium, & Militiarum quarumcumque (exceptis tamen S.R.E. Cardinalibus, ac Fratribus Militibus Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani, qui pro sui tutela contra Turcas, & alios Infideles, alienis auxiliis quotidie indigent, & quoad curata iis, quorum centum, quo vero ad simplicia Beneficia Ecclesiastica iis, quorum annui redditus summam viginti quatuor ducatorum auri de Camera non excedunt) in Regnis Castellæ, & Legionis, & Aragoniæ, & Valentiæ, necnon Principatu Cathaloniæ, atque Insulis Balearibus, & Sardinia, omnibusque Provinciis, & Ditionibus in eisdem Regnis, & Insulis comprehensis existentium, & similiter omnium pensionum super præmissis assignatarum, & assignandarum, & alias sub certis modo, & forma tunc expressis; Ac præfatum tunc, & pro tempore existentem nostrum, & dictæ Sedis in prædictis Hispaniarum Regnis Nuncium decimæ hujusmodi Collectorem cum facultatibus opportunis constituimus, & deputavimus, ipsique Nuncio Taxam, & Repartimentum hujusmodi pro dicta summa octingentorum millium ducatorum conficiendi amplam potestatem concessimus, prout in nostris desuper in simili forma Brevis die 20. Octobris 1662. expeditis literis, quarum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso haberi volumus uberius continetur.

Supplicatio. §.1. Cum autem, sicut pro parte Charissimi in Christo filii nostri Caroli earumdem Hispaniarum Regis Catholici Nobis per dilectum filium Nobilem Virum Petrum de Aragonia ipsius Caroli Regis apud Nos, & Sedem præfatam Oratorem nuper expositum fuit, habita necessitatis Ecclesiarum dictorum Regnorum Castellæ, & Legionis ratione, portio Decimæ præfatæ easdem Ecclesias contingens ex Regię Majestatis benignitate ad minorem, nempe quingentorum viginti quinque millium ducatorum dictæ monetæ Hispaniæ summam reducta fuerit, residuo ipsis Ecclesiis, & personis Ecclesiasticis remisso, & condonato, ac etiam biennium solutioni ejusd; Decimæ per literas nostras præfatas præfinitum, eisdem Ecclesiis, ac personis Ecclesiasticis Regnorum, Castellæ, & Legionis ad quadriennium ex pari benignitate ampliatum extiterit: Idcirco Nos, ut summa quingentorum viginti quinque millium ducatorum monetæ hujusmodi intra quadriennium præfatum facilius exigi, taxaque & repartimentum opportunum desuper expeditius confici valeant, providere, necnon difficultatibus, quæ circa præmissa oriri possent, obviare, ac exemptionem, seu exceptionem præfatam, ut infra moderari volentes; motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine - Quod Parochiales Ecclesias, quarum centum & beneficia simplicia prædicta, quorum redditus annui viginti quatuor ducatorum auri de Camera summam respective non excedunt, obtinentibus ad contributionem & solutionem portionis Decimæ hujusmodi, sicut præmittitur reductæ omnes, & singuli ii teneantur, & obligati sint qui ad solutionem, & contributionem subsidii, & primæ Decimæ Excusati nuncupat. in illis Regnis tenentur, & illa solvunt, præsentium tenore decernimus, & declaramus; Tibique ad omnimodam literarum nostrarum super præmissis emanatarum cum omnibus, & singulis facultatibus, & Indultis ibi expressis exequutionem, juxta tamen Decreti, & declarationis in præsentibus literis expressorum tenorem, & servata alias in iis, quæ præsentibus non contrariantur priorum literarum nostrarum forma procedendi Apostolica auctoritate earumdem tenore præsentium plenam, liberam, & amplam facultatem, & auctoritatem concedimus, & impertimur.

Annuit Pont. prout in rub.

§.3. Non obstantibus literis nostris præfatis, ac omnibus illis, quæ in eisdem literis voluimus non obstare, cæterisq; contrariis quibuscumque.

Derogat contrariis.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 9. Dec. 1665. Pontificatus nostri Anno XI.

Dat. die 9. Dec. 1665. An. XI.

DXXX.

Decernit Fratres Laicos Provinciæ Turoniæ Majoris in Gallia Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia, professione antiquiores præcedere debere Fratres Clericos ejusdem Provinciæ

ciæ nondum in Sacris Ordinibus constitutos.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Supplicatio. §.1. EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Franciscus Pringaulr, & Petrus Gaudee Fratres Laici Provinciæ Turoniæ majoris in Gallia Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum expresse professi, tam suo, quam aliorum Fratrum Laicorum ejusdem Provinciæ, quorum procurationes secum attulerunt, nomine, quod dilecti filii Guardianus, & Fratres Discreti Conventus S. Francisci Rhedonen. contra Generalia Ordinis, ac particularia Provinciæ hujusmodi statuta, necnon contra antiquam, hactenusque inviolabiliter observatam consuetudinem Provinciarum Galliæ dicti Ordinis, ipsis Exponentibus nec ætatis, nec auditis, adeoque in spretum juris, nuper in eorum Discretorio ordinarunt, quod Fratres Clerici Sacris Ordinibus nondum initiati, omnibus in locis Fratres Laicos, etiam ætate graves, & in religione, ac professione antiquiores præcederent, cui ordinationi postmodum assensum præbuit Definitorium Provinciæ prædictæ, Decreto etiam super hoc edito in Conventu Blesensi die 22. Septembr. 1664. Et quod gravius est, ac contra jus antiquum dictæ Provinciæ, dicti Exponentes privati etiam fuerunt voce activa, & passiva: Unde ipsi a dictis gravaminibus ad Sedem Apostolicam debito tempore appellarunt, & denegatis a Superioribus suis Apostolicis, ad hanc Almam Urbem nostram pro suis appellationibus prosequendis personaliter accesserunt. Quare iidem Exponentes Nobis humiliter supplicari fecerunt ut ipsos Exponentes in suis juribus circa præcedentiam, necnon vocem activam, & passivam, votumque consultivum completo quinto suæ professionis anno juxta statuta, & consuetudinem hujusmodi præservare, & alias apportune sibi in præmissis providere de benignitate Apostolica dignaremur.

Concedit Pontifex.

§.2. Nos igitur ipsos Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, attentis narratis, ac audito per eosdem Cardinales dilecto filio Procuratore Generali Ordinis hujusmodi, reque matura considerata, Fratres Laicos Provinciæ hujusmodi professione antiquiores præcedere debere Fratres Clericos ejusdem Provinciæ non dum in sacris ordinibus constitutos juxta Constitutiones, & antiquam consuetudinem dictæ Provinciæ, auctoritate Apostolica tenore præsentium decernimus, & declaramus; Eosdemque Fratres Laicos restituimus ad usum vocis activæ, & passivæ, & ad alia, quibus hac de causa privati extiterunt, & propter recursum ad Congregationem præfatorum Cardinalium, & accessum ad Urbem nullatenus molestari mandamus, & præcipimus.

Decretum Irritans.

§.3. Decernentes pariter easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit plenissime suffragari, & ab illis respective inviolabiliter observari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigeri attentari.

Derogatio contrariorum

§.3. Non obstantibus in contrarium prætensis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 11. Dec. 1665. An. XI.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die undecima Decembris 1665. Pontificatus nostri Anno XI.

DXXXI.

Quod nulli ex Fratribus Reformatis S. Francisci Provinciæ Romanæ competit jus præcedendi, sive honoratioris loci, nisi Superioribus actualibus, & Exgeneralibus.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. PAstoralis officii, quod superni dispositione consilii gerimus, cura animum nostrum solicitat, ut religiosorum virorum, qui adnegantes semetipsos Altissimi obsequis in spiritu humilitatis sese devoverunt, quieti salubriter consulere, ipsosque in laudabili eorum proposito, quantum Nobis ex alto conceditur, confovere studeamus.

Motivum. §.1. Cum itaque, sicut dilecti filii Minister Provincialis, & Definitorium, ac Exprovinciales, & Fratres graduati Provinciæ Romanæ Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia Reformatorum nuncupatorum, Nobis nuper exponi fecerunt, licet reformatio in Provinciam prædictam magno cum humilitatis, & religiosæ quietis, vitæque simplicitatis studio in ducta multorum annorum spatio utiliter.

& laudabiliter, ac cum bono erga seculares exemplo viguerit: nihilominus experientia compertum sit post introductum in eamdem Provinciam certum præcedendi modum, illam a pristinæ humilitatis statu non parum recessisse, dicti vero Exponentes, ut antiqua observantia in sua puritate semper floreat, omnisque ambitionis, & relaxationis occasio mature præcidatur, quasdam fel. rec. Urb. PP. VIII. Prædecessoris nostri literas die 22. Decembris 1642. in forma Brevis expeditas, incipientes: *Aliàs* pro *Congregatione Generali*, &c. in quibus circa præcedentiam inter Fratres strictioris Observantiæ familiæ Cismontanæ dicti Ordinis nonnulla inter alia disponuntur, quoad prædictam Provinciam Romanam ad terminos aliarum ejusdem Urbani Prædecessoris literarum die 23. Augusti 1634. in simili forma Brevis emanatarum, quarum initium est: *Inter gravissimas*, &c. a Nobis reduci, & circa subrogationes, quæ deficientibus in eadem Provincia Ministro Provinciali, ac Patribus Ordinis, & Definitoribus interdum fieri debent, opportune provideri, ita scilicet, ut digniores juxta dispositionem Constitutionum Generalium subrogentur, circa incorporationes autem, ut aliarum Provinciarum Fratres, qui memoratæ Provinciæ Romanæ obtento desuper beneplacito Definitorii incorporati fuerint, a die incorporationis hujusmodi tantum præcedere debeant, quemadmodum Statuta Reformationis disponunt, statui, & ordinari summopere desiderent.

Absolutio a censuris.

§.2. Nos piis eorumdem Exponentium votis in præmissis favorabiliter annuere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes:

Confirmat prout in rubr.

§.3. Supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, ac dilectorum filiorum Romanæ Curiæ Prælatorum super negotiis Visitationis Apostolicæ Ecclesiarum, & Locorum Piorum Almæ Urbis nostræ a Nobis institutæ deputatorum, qui præmissa mandato nostro accurate discusserunt, & mature perpenderunt, consilio, primodictas Urbani Prædecessoris literas die 22. Decembris 1642. ad supplicationem tunc existentis Commissarii Gener. emanatas quoad caput præcedentiæ inter Fratres strictioris Observantiæ S. Francisci Cismontanæ familiæ hujusmodi, respectu Fratrum dictæ Provinciæ Romanæ ad terminos aliarum secundodictarum ejusdem Urbani Prædecessoris literarum motu proprio die 23. Augusti 1634. editarum, auctoritate apostolica tenore præsentium reducimus, itaut in posterum etiam vigore cujusvis indulti, ex quavis causa, vel occasione a Sede Apostolica, vel alias quomodolibet impetrati, in eadem Provincia Romana nulli Fratrum jus præcedendi, sive honorationis loci competat nisi Ministro, Commissario, Vicario, & Procuratori Generalibus, Ministro, Commissario, & Vicario Provincialibus, Custodi, Commissario, Visitatori, Guardianis, Præsidenti, seu Commissario, & Vicariis locabus: qui tamen expletis eorum officiis ad locum, & præcedentiam Ordinis redibunt, tam ii, qui jam habitum per Fratres gestari solitum susceperunt, ac de cætero susciepient, quam ii qui se a Fratribus de Observantia ad Fratres Reformatos dictæ Provinciæ canonice transtulerunt, & transferent, exceptis tamen iis qui Ministri Generalis, seu Commissarii Generalis Cismontanæ familiæ officio functi sunt, vel fungentur, qui post Superiores actuales immediate locum habeant.

Quo vero ad prænarratas subrogationes dignorum, & incorporationes Religiosorum alienæ Provinciæ, Constitutiones Ordinis, & Statuta Reformationis hujusmodi servari, auctoritate, & tenore prædictis mandamus, ac statuimus, & ordinamus.

Decretum irritans.

§.4. Decernentes privilegia, & indulta super paternitate, & præcedentia, si quæ per Fratres antedictæ Provinciæ Romanæ a Sede Apostolica deinceps impetrari contigerit, subreptitia censeri, nisi in literis desuper expediendis de verbo ad verbum insertus fuerit totus tenor præsentium literarum: ipsas vero præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia inviolabiliter, & inconcusse observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§.5. Non obstantibus primodictis Urbani Prædecessoris literis, quas quoad caput præcedentiæ respectu Fratrum memoratæ Provinciæ Romanæ volumus non obstare, perinde ac si non emanassent, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit Ordinis, & Provinciæ hujusmodi, ac aliis quibusvis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 23. Dec. 1665. An.XI.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 23. Decemb. 1665. Pontificatus nostri Anno XI.

AD evitandas controversias, quæ oriri possent ex intelligentia Constitutionis Sanctissimi Domini Nostri nuper editæ super præcedentia, sive honorationi loco Superiorum in Provincia Romana Ord. Fratrum Minorum strictioris Observantiæ Sancti Francisci, & ad pacem, charitatemque inter Fratres conservandam, Sacra Congregatio Visitationis Apostolicæ Sanctitate sua approbante, censuit super hujusmodi præcedentia in memorata Provincia deinceps servandum esse, prout servari mandavit, ordinem infrascriptum, videlicet.

Minister, & Vicarius Ordinis, Commissarius Generalis, Minister Provincialis, quem tamen Commissarius Visitator, durante ejus commissione præcedet: Qui fuerunt Ministri, vel Vicarii Ordinis, aut Commissarii Generales, unum tantum Superiorem actualem supra se habebunt. Guardianus Conventus, Procurator Generalis Curiæ, Definitores Generales, Custos, Definitores Provinciales, quos Sanctitas Sua declaravit in memorata Constitutione comprehendi, Vicarius Conventus, qui tamen in Refectorio sedebit immediate post Guardianum, sed eo absente præcedet omnes supradictos: Sacerdotes, & postea Clerici, & tandem Laici juxta antiquitatem habitus, Datum die 3. Martii 1666.

Prosper Fagnanus Sacræ Visitationis Apostolicæ Sec.

Loco ✠ Sigilli.

DXXXII.

Ex Regest. in Secret. Brev. Confirmatio Congregationis, & Instituti Monialium Hospitalarium Monasterii, Hospitii, seu Domus Dei nuncupat. Oppidi de la Heche Congregationis S. Josephi Andegaven. Diœc.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Præmium.

SAcrosancti Apostolatus officii humilitati nostræ divinitus commissi ratio postulat, ut Sacrarum Virginum, & devotarum Mulierum Congregationes, quæ uberes pietatis, & christianæ charitatis operum fructus, adspirante superni favoris auxilio, proferre jugiter satagunt, paterna benignitate prosequentes, felici illarum statui, & progressui quantum cum Domino possumus providere studeamus.

Expositio.

§.1. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilectæ in Christo filiæ Moniales Hospitalariæ Monasterii Hospitii, seu Domus Dei nuncupat. Oppidi della Heche Congregationis S. Josephi Andegaven. Diœcesis quod alias postquam dictum Monasterium de expressa licentia, & approbatione tunc existentis Ordinarii Andegaven. juxta dispositionem Decretorum Concilii Tridentini erectum, & fundatum fuerat, ipsæ Exponentes subinde de simili licentia alia Monasteria earum Instituti in Civitate Nemausen., ac locis de Bauge Andegaven. de Laval Cenomanen., de Moulins Eduen respective Diœcesum, & de Moureal in nova Francia fundarunt, in quibus habitum Novitiis exhibuerunt, easque ad professionem regularem trium votorum substantialium, paupertatis, castitatis, & obedientiæ cum quarto voto de hospitalitate erga Pauperes infirmos exercenda admiserunt, ac a multis annis alias functiones verarum Religiosarum obiverunt, & de præsenti obeunt, clausuram, & Communitatem regulares sub Regula S. Augustini, ac propriis Constitutionibus ab Ordinario approbatis servando, cum maxima Episcoporum locorum appobatione, nec minori populorum ædificatione, ipsarumque Exponentium spirituali utilitate.

Absolutio a censuris.

§.2. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, præfatæ Exponentes, ut spiritualibus earum incrementis consulatur, & quies qua in præsenti statu fruuntur, firmius stabiliatur, plurimum cupiant opportune sibi in præmissis a Nobis provideri, & ut infra indulgeri. Nos ipsas Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & earum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus earum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Ven. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, attentis narratis, reque per eosdem Cardinales mature examinata, earumdem Exponentium Congregationem, & Institutum auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, ipsasque Exponentes veras esse Religiosas declaramus.

Congregationem prædict. Monialium approbat. & confirm.

Decretum irritans.

§.3. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac dictis Exponentibus in omnibus, & per omnia plenissime suffragari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§.4. Non obstantibus Apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 8. Jan. 1666. Pontificatus nostri Anno XI.

Dat. die 8. Jan. 1665. An. XI.

DXXXIII.

Ex Regest. in Secr. Archiv.

Confirmatio Binarum Literarum patentium Magistri Generalis Ordinis Prædicatorum pro felici statu, & progressu Congregationis B. Jacobi Veneti in Provincia Veneta d. Ordinis a dicto Magistro Generali institutæ, studiisque in ea pro promovendis emanatarum, cum prohibitione ne de cætero Fratres professi ejusdem Congregationis ad Conventus præfatæ, vel alterius cujusvis Provinciæ dicti Ordinis transire possint absque expressa licentia d. Magistri Generalis pro tempore existentis.

ALEXANDER PAPA VII

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

IN sublimi Sedis Apostolicæ specula, omnium Christifidelium commodis, & utilitatibus jugiter invigilantes, ea, quæ pro felici Congregationum virorum Religiosorum vota tua Altissimo in sanctitate, & justitia reddere satagentium statu, & progressu salubriter constituta, atque disposita esse noscuntur, ut firma semper, illibataque permaneant, Apostolici muninis patrocinio libenter constabilimus, & alias opportune desuper providemus, prout ad Omnipotentis Dei Gloriam, ac Religionis incrementum expedire in Domino arbitramur.

Supplicatio.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii Fratres Congregationis Beati Jacobi Veneti Ordinis Prædicatorum a dilecto filio Magistro Generali ejusdem Ordinis in Provincia Sancti Dominici Venetiarum erectæ, & institutæ, quod alias idem Magister Generalis Regularem Observantiam in dicta Congregatione stabilire, ejusque felici progressui providere, & Literarum studia promovere cupiens, binas edidit Patentes Literas tenorum, qui sequuntur, videlicet.

In Dei Filio sibi dilecto admodum Reverendo Patri Fratri Petro Martyri Pegna Provinciæ nostræ Sancti Dominici Ordinis Prædicatorum, Frater Joannes Baptista de Marinis Sacræ Theologiæ Professor, ejusdem Ordinis Magister Generalis, & Servus.

Ingeniose observavit Gilbertus Abbas quod tametsi Lucæ XI. unicus tantum commemoratur fortis armatus, qui custodiat atrium suum, omniaque illic in alia pace contineat; attamen Cantic. 3. circa regium Salamonis lectulum multiplicentur armati. Custodes, & quidem numerentur sexaginta viri, iique delecti ex fortissimis Israel, quibus illæ committantur excubiæ, nempe (inquit citatus Gilbertus) uberior hic commemoratur Custodia, quia uberior est gratia lectuli, quam atrii, quasi dicat in atrio, ubi minor est a seculo quies, sufficit una simplex Custodia, & interiori Cubiculi Salamonis, ubi sine strepitu arctior contemplantium filet recessus multiplicandi sunt Custodes, ne quid facile turbari, aut secretioris observantiæ quies possit interrumpi; Inde est, quod & Nos quorumdam nostrorum in Provincia Sancti Dominici Conventuum arctioris observantiæ tanquam Superiori Salamonis interiori cubili suam quoque pervigilem custodiam duximus multiplicandam, videlicet ultra communes sui Provincia alias excubias peculiarem ipsis addendo Custodem, & Vicarium ex fortissimis Israel, qui dict. Conventuum securiori quieti immineat profectui semper invigilet, ne quid palam, aut furtim irrepat quod vel exactissimæ illic disciplinæ sacrarium contaminet, vel studiosioris contemplationis pacata exercitia relaxato aditu interrumpat. Quod quidem consilium eo fidentius, lubentiusque amplectimur, quo instantius, ac opportunius hujusmodi salubrima provisio (nostro ordini, tam intra, quam extra Italiam, haud peregrina, vel inusitata) tum ab ipsimet Conventuum illorum, sanctioriisque observantiæ asseclis, tum ab aliis viris conspicuis, atque gravissimis unanimi suffragio exoptatur. Quorum pio, ac rationabili voto sicquidem annuere decrevimus, ut nihilominus supradictæ Provinciæ sua perstet inviolata membrorum omnium integritas, subordinatio, ac primæva compages, ita quod ex hoc paucorum Conventuum sub uno Vicario nova conjunctione, nulla eorumdem fiat a communi Provinciæ corpore disjunctio, nec proprii Vicarii, seu novi Custodis adjectio veteris Provincialis Custodiam statione dimoveat, sed adjuvet potius, fidoque sublevamine concorditer sustulciat. Itaque harum serie Te Admodum Reverendum Patrem Magistrum Fratrem Petrum Martyrem Pegna præfatum, absolventes prius, absolutumque fore censentes ab omni vinculo excommunicationis, & quovis alio Ecclesiastico impedimento (si quo esses innodatus) ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, auctoritate nostri officii, & ad solum effectum regularis observantiæ tuendæ, ac promovendæ in nostris Conventibus Sancti Secundi, Civitatensi, Earensi, Rosacensi, ac Justinopolitano, & si qui alii Conventus hujus Provinciæ successivo tempore eundem strictioris observantiæ rigorem fuerint amplexati, aut pro eadem noviter fundati, instituimus, damus præficimus, instituimque, datum, ac præfectum declaramus Vicarium Generalem præmemoratorum Conventuum, seu locorum, salva auctoritate Patris Provincialis pro tempore quoad annuam eorumdem personalem visitationem, & Priorum ibidem canonicam confirmationem, ita tamen, quod ipse nullum inde Religiosum amovere; aut alium illuc assignare, vel usum illius dispensationis introducere, aut ali-

quid eorum, quæ ad accuratissimam, & literalem Constitutionum Observantiam illuc introducta sunt, vel a te, susque Successoribus introducentur relaxare, moderari, revocare, aut quoquomodo mutare possit; Cætera ad te, tuumque officium, integro semper biennio a die captæ possessionis in posterum duraturum pertinebit supradictis Conventibus, & locis tum habitis, tum habendis speciali cura superintendere, inferiores Officiales præmisso maturo Patruum consilio instituere, ac destituere, Fratres assignando, vel deponendo ab uno ad alium Conventum, seu locum transferre, cultum divinum, Novitiorum educationem, ac Scholarum exercitia ordinare, in ambiguis patulum ad te refugium unicuique tum superiori, tum subdito ad hunc Vicariatum spectanti præbere, Priorum sibi subjectorum œconomiæ invigilare, ejusdemque sanctæ observantiæ non solum firmitatem, sed & incrementa, atque ulteriorem sub divino auxilio dilationem ardentissime promovere. Porrò, ut in hujus excubitoriæ Custodiæ, ac vigiliarum labore meritorum tuorum opulenta stipendia ex obedientiæ thesauris feliciter multiplicentur, præcipimus tibi, in virtute Spiritus Sancti, sanctæ obedientiæ, sub formali præcepto, quatenus hoc onus, novumque Vicarii Officium, ad effectum, uti supra, commemoravimus incunctanter, ac sine replica in te suscipias, atque ex vi hujus muneris tibi injuncti viis omnibus regularis observantiæ incolumitatem, progressum, quietem, velut ad bella doctissimus, fideliter propugnes, ensemque hunc, quem eo fine tibi porrigimus jugiter super femur tuum circumportes, ut te Custode semper in tuto sit is, quem diximus lectulus Salamonis; sub eodem præcepto formali mandamus omnibus, & singulis nostræ curæ subjectis, ut te tanquam verum, & legitimum Vicarium supradictorum Conventuum suscipiant, & revereantur. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. Quibuscumque in contrarium non obstantibus. In quorum &c. Datum Romæ die 4. Augusti 1662.

Fr. Joannes Baptista de Marinis Magister Ordinis.

Fr. Bernardinus de Venetiis Magister, & Socius.

Frater Joannes Baptista de Marinis Sacræ Theologiæ Professor Ordinis Prædicatorum Humilis Magister Generalis, & Servus ad perennem rei memoriam, & firmitatem.

Quam utiliter, ac decore literarum studia congruant statui Religioso, & præsertim nostro, qui ad prædicandum, & docendum, confundendasque hæreses peculiariter institutus est, nemo expressit luculentius, deduxit clarius, confirmavit validius ipso Angelico Doctore nostro, qui 2. 2. *quæst.* 88. huic veritati quintum articulum insumpsit integrum, nec de sola utilitate, aut ornamento, sed plane de necessitate resolutoriam pronunciat sententiam, qua directe affirmat (necessarium est studium literarum Religiosis ad prædicandum institutis.) Ne igitur novella Congregatio nostra Beati Jacobi Veneti intra Provinciam nostram Sancti Dominici Venetiarum ad exactum regularis observantiæ rigorem specialiter coalita, magno, ac pernecessario isto literariorum exercitiorum præsidio domi suæ destituatur, injecta est Nobis salubris cogitatio (ipsis quoque primariis dictæ Congregationis Patribus una cum suo capite concorditer idem sollicitantibus) concedendi eidem juxta Ordinis usum, & universalem in Provinciis praxim domesticam, aliquod propriarum Scholarum Atheneum, non quidem sub forma, titulove studii Generalis (ne veteri hujus Provinciæ Generali studio Patavino videamur aut derogare quidquam velle, aut certe minus favere) attamen sub nomine, & jure Collegii pro solis, tum moderatoribus, tum Fratribus studiosis in dicta Congregatione arctioris observantiæ tenorem sive amplexis, sive in posterum amplexuris; ita tamen ut ejusmodi Collegii functiones, & exercitia neminem ab exacta ibidem rigidioris disciplinæ lege, aut eximant, aut impediant, sanctæque in omnibus uniformitati nullum subnascatur ex scholastica occupatione detrimentum. Porrò ad hunc effectum comodius, pleniusque consequendum, de opportuno prudentum consilio, delegimus Conventum nostrum Sancti Secundi prope inclitam Urbem Venetiarum; siquidem, & insula minus exposita est occasionibus distractionum, & tanti Emporii vicinitas facilius admittit Virorum doctorum in publicis actibus literariis necessaria commercia. Proinde harum serie, nostrique officii auctoritate in prænominato Conventu nostro Sancti Secundi (salva semper tum unione Provinciæ, tum uniformi observantiæ rigore in Congregatione) instituimus, damus, erigimus, institutumque, datum, & erectum declaramus studium tam Theologicæ, quam Philosophicæ facultatis, sub forma, nomine, privilegiis, & juribus Collegii Scholastici, ad modum Collegii nostri Montis Dei Neapoli in Congregatione Observantiæ Sanctæ Mariæ Sanitatis, sic tamen, ut in hoc novo Collegio nulli pateat aditus, sive docendi, sive discendi, nisi qui in præmemoratam Congregationem Beati Jacobi Veneti rite prius fuerit admissus, & incorporatus; idque sub nullitate omnimoda, si aliter subintrarit. Denique Admodum Reverendo Patri Vicario Generali ejusdem Congregationis præcipimus in virtute Spiritus Sancti, sanctæ obedientiæ, sub formali præcepto, quatenus ad formandum, populandumque supradictum novum Collegium discipulos ex suis quamprimum assignet, Professores, ac Moderatores, quos seorsim deputavimus, suis ibidem functionibus admoveat, nihilque omittat, quod ad illius Collegii felix auspicium, incrementum, & florem viderit

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

rit pertinere. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. Quibuscumque in contrarium non obstantibus. In quorum fidem his Officii nostri sigillo munitis manu propria subscripsimus. Datum Romæ in Conventu nostro Sanctæ Mariæ supra Minervam die 25. Aprilis Anno 1665.

Fr. Joannes Baptista de Marinis Magister Ordinis.

Fr. Bernardinus de Venetiis Magister, & Socius.

Confirmatio Pontificis.

§.2. Cum autem, sicut eadem Expositio subjungebat, præfati Exponentes præmissa quo firmius subsistant, & serventur exactius Apostolicæ confirmationis nostræ præsidio roborari, & alias opportune sibi, ut infra, a Nobis indulgeri summopere desiderent: Nos specialem ipsis Exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, præinsertas binas memorati Magistri Generalis patentes Literas, cum omnibus, & singulis contentis in illis auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adiicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus.

Prohibitio ut in rubr.

§.3. Præterea ne de cætero Fratres professi Congregationis præfatæ ad Conventus supradictæ, vel alterius cujusvis Provinciæ dicti Ordinis absque expressa Magistri Generalis ejusdem Ordinis pro tempore existentis licentia transire possint, auctoritate, & tenore prædictis prohibemus, & interdicimus.

Decretum irritans.

§.4. Decernentes easdem præsentes ac præinsertas patentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis inviolabiliter observ-; sicque in præmissis per quoscumq; Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogat contrariis.

§.5. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit, Ordinis, ac Provinciæ, & Congregationis hujusmodi etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris die 16. Januarii 1666. Pontificatus nostri An. XI.

Dat. die 16. Jan. 1666. An.XI.

DXXXIV.

Decernit servandum, & executioni mandandum esse Breve S.S. anno 1661. emanatum quo statutum fuit in Provincia S. Guillelmi Franciæ Ordinis Eremitarum S. Augustini perpetuo admittendos esse decem Magistros cum privilegiis loci, & vocis juxta Constitutiones, &c.

Ex Regest. in Sect. Brev.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Proœmium.

SAcrosancti Apostolatus Officii, quo Ecclesiæ Catholicæ regimini divina dispositione præsidemus, ratio postulat, ut paternam Christifi.telium Altissimi obsequiis sub suavi Religionis jugo mancipatorum curam peculiari studio gerentes, controversias, & contentiones inter eos subortas, ne fraternæ charitatis, religiosque tranquillitatis serenitatem diutius obnubilent, & conturbent, resecare, atque omnino e medio tollere connitamur, sicut æquitati, & justitiæ consentaneum esse in Domino arbitramur.

Motiva.

§.1. Alias siquidem emanarunt a Nobis literæ in simili forma Brevis tenoris, qui sequitur videlicet. Alexander PP.VII. ad futuram rei memoriam. *In supremo justitiæ throno*, &c. *vide Tom. 6. Par. 5. fol.* 178. & 361.

§.2. Cum autem, sicut præfatus Procurator Generalis dicti Ordinis Eremitarum S. Augustini Nobis nuper exponi fecit, licet causa privilegiorum, & acceptationis decem Magistrorum, seu Doctorum Theologorum cum eisdem privilegiis in præfata Provincia S. Guillelmi, seu Communitate Bituricen. ejusdem Ordinis jam multoties auditis in contradictorio partibus agitata inter præfatos Magistros ex una, & Exprovinciales, ipsisque adhærentes sub nomine dictæ Provinciæ ex altera partibus, atque Definitores intervenientes in eadem Causa cum quibusdam aliis ejusdem Provinciæ per literas nostras præinsertas in favorem dictorum Magistrorum terminata, ipsæque literæ in Capitulo Provinciali dictæ Prov., die nona Maii 1662. publicatæ fuerint, Executores tamen in eisdem literis deputati, propter oppositionem, contumaciam, & rebellionem Exprovincialium ipsisque adherentium contra literas præinsertas, interdicta voce dictis Expro-

Exprovincialibus, qui illam cum suis adherentibus denegant Magistris, partes ad Nos, & hanc Sanctam Sedem remiserint, & quamvis illis iterum citatis, & auditis literas præinsertas executioni omnino demandandas esse decretum fuerit; nihilominus partes dictis Magistris adversæ in sua rebellione, inobedientia, & contumacia permanentes porrecto supplici libello sub nomine Provincialis, Definitorum, Priorum localium, Discretorum Conventuum, & aliorum dictæ Provinciæ easdem literas oppugnare tentaverint. Nobis propterea memoratus Procurator Generalis humiliter supplicari fecit, ut causæ, & controversiis hujusmodi finem imponere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ipsum Procuratorem Generalem, specialis favore gratiæ prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque eccles. sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de præfatorum Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, inhærentes præfatis literis, auctoritate apostolica tenore præsentium decernimus servandas, & executioni demandandas esse easdem literas præinsertas sub pœna nullitatis futuri Capituli Provincialis dictæ Provinciæ pro tempore, quatenus non obediendo præfatis literis, & non servata illarum forma celebretur, & sub pœna privationis vocis activæ, & passivæ, ac in subsidium excommunicationis omnibus vocalibus, & præsertim eis, ad quos executio dd. literarum præcipue spectat, & pertinet, aut spectare, & pertinere poterit in futurum.

Pontifex confirmat Literas Apost. prout in rubrica.

Et nonnulla decreta peculiaria revocat.

§ 3. Præterea decernimus asserta rescripta, seu Decreta Fugentii Petrelli olim Prioris Generalis dicti Ordinis data 14. Junii, & 6. Augusti 1645., sicut, & Salvatoris Severini olim Vicarii Apostolici ejusdem Ordinis data 17. Augusti, & 5. Octobris 1648., una cum Statuto Capituli Provincialis Castellionensis dictæ Provinciæ edito Mense Aprili 1646., & rescriptum, sive Decretum Congregationis memoratorum Cardinalium datum, ut asseritur 23. Julii 1649., cæteraque alia contra præfatos Magistros non citatos, nec auditos acta, jam per præinsertas nostras literas emanatas auditis partibus fuisse revocata, & annullata, prout iterum illa omnia, & singula harum serie dicta auctoritate expresse revocamus, & annullamus. Ideoque ubi, & quoties contigerit a dicta Provincia non admitti Magistros, seu Doctores Theologos, vel ipsos impediri accedere ad Capitulum Provinciale, aut denegari ipsis privilegia vocis, & præcedentiæ, aliaque quibus gaudere prætendunt dicti Exprovinciales excludendo ab ipsis præfatos Magistros, ipso facto eisdem privilegiis privamus, & privatos declaramus Exprovinciales ejusdem Provinciæ extra corpus Definitorii existentes, cum ipsi sint per Constitutiones dicti Ordinis Magistris posteriores. Insuper defectu nominationis Magistrorum ad formam dictarum literarum nostrarum faciendæ a Definitorio præfatæ Provinciæ pro complendo eorumdem numero post sex menses expletos a die notificationis dictarum literarum Provinciali ejusdem Provinciæ faciendæ, injungimus, & præcipimus Priori Generali dicti Ord. pro tempore, ut nominet, & constituat futuros Magistros, qui repleant dictum numerum denarium Magistrorum, seu Doctorum Theologorum in dicta Provincia, non solum tres modo requisitos, & vacantes ad præfatum numerum denarium complendum, qui pro hac prima vice non requisita dictæ Provinciæ acceptatione gaudeant dictis privilegiis, verum etiam perpetuis futuris temporibus quandocumque ultra sex Menses a die vacationis alicujus ex præfatis Magistris dicti numeri denarii distulerint, seu omiserint nominationem ad formam earumdem literarum præinsertarum. Quod autem in dictis nostris literis ister alia requisita disponitur circa eos, qui per decennium concionati fuerint in principalioribus Ecclesiis, declaramus, & disponimus intelligi de principalioribus Ecclesiis non solum Cathedralibus, verum etiam Parochialibus, Collegiatis, & Conventualibus, & conciones habitæ sint per decennium computando tam cursus quadragesimales, quam Adventus quolibet die juxta morem Galliæ, & cursus Dominicales per annum; itaut quilibet ex dictis tribus cursibus computetur in numero decem annorum concionis explendæ.

Aliaque ad opportunitatem injungit.

§.4. Præterea injungimus, & præcipimus præfato Priori Generali pro tempore Ordinis hujusmodi, ut in literis præsidentiæ Capitulorum Provincialium dictæ Provinciæ pro tempore mittendis specificam, & expressam mentionem faciat præfatarum nostrarum literarum, easque servari jubeat, & faciat sub pœnis in eis contentis, quibus effective subiiciat contradictores rebelles, & contumaces quoscumque.

§.5. Denique mandamus, ut nulla alia commissio expediatur super hujusmodi negotio in præjudicium earumdem literarum præinsertarum; ac proinde circa præmissa omnia, & singula ita fieri, & observari mandamus, & præcipimus sub præd. pœnis.

Decretum irritans.

§.6. Decernentes ipsas præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Quia

Exequutores deputat.

§.7. Quia vero ex tribus Prælatis Executoribus literarum noſtrarum præinſertarum in eis nominatis primus viam univerſæ carnis ingreſſus eſt, ſecundus autem ob nimiam ſuæ Diœceſis diſtantiam vix adeſſe poteſt, & ſolus ſupereſt tertius, nempe Ven. Frater Harduinus nunc Archiepiſcopus Pariſien., Idcirco eidem Harduino Archiepiſcopo, ac Venerabilibus etiam Fratribus Henrico Ebroicen., & Joanni olim Condomien. Epiſcopis per præſentes committimus pariter, & mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum per ſe, vel alium, ſeu alios eaſdem præſentes, ac præinſertas literas, & in eis contenta quæcumque ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte Magiſtrorum præfatorum, aliorumque in præmiſſis intereſſe habentium, ſeu alicujus eorum deſuper fuerint requiſiti ſolemniter publicantes, illiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra ipſas præſentes, ac præinſertas literas, & in eis contenta hujuſmodi ab omnibus, & ſingulis, ad quos ſpectat, & ſpectabit in futurum inviolabiliter, & inconcuſſe obſervari, dictoſque Magiſtros, aliosque intereſſe habentes, & eorum quemlibet illorum omnium, & ſingulorum commodo, & effectu pacifice frui, & gaudere, non permittentes eos deſuper a quoquam quavis auctoritate quomodolibet indebite moleſtari, vexari, vel perturbari; Contradictores quoslibet, & rebelles per præfatas, & alias pœnas, & cenſuras eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione poſtpoſita, ſimiliter compeſcendo, legitimiſque ſuper his haben. ſervatis proceſſibus cenſuras, & pœnas ipſas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis.

Contrariis derogat.

§.8. Non obſtantibus ſupradictis reſcriptis, ſeu decretis, aliiſque præmiſſis, nec non omnibus, & ſingulis illis, quæ in præinſertis literis conceſſimus non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Dat. die 26. Jan. 1666. An. XI.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 26. Januar. 1666. Pontificatus noſtri Anno XI.

DXXXV.

Decernit, quod deinceps Capitulum Generale Congregationis Eremitarum Camaldulenſium de biennio in biennium: & Dieta anno poſt celebrationem Capituli hujuſmodi reſpective celebrari debeant.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Recenſet alias literas.

ALias emanarunt a Nobis ad ſupplicationem tunc exiſtentium Definitorum Dietæ Generalis Congregationis Eremitarum Camaldulenſium literæ in ſimili forma Brevis, tenoris, qui ſequitur, videlicet: Alexander Papa VII. ad perpetuam rei memoriam.

§.1. Debitum Paſtoralis Officii, quod auctore Deo gerimus, poſtulat, ut felici, proſperoque Congregationum Virorum, Altiſſimi obſequiis ſub ſuavi arctioris Religionis jugo mancipatorum regimini, & gubernio, quantum cum Domino poſſumus, providere jugiter ſatagamus.

§.2. Exponi ſiquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii Definitores Dietæ Generalis Congregationis Eremitarum Camaldulenſium, quod multorum annorum experimento compertum eſt magno incommodo, & detrimento eſſe eidem Congregationi, quod ſingulis bienniis Capitulum quidem Generale uno anno, Dieta vero generalis ipſius Congregationis altero reſpective celebrentur, nam cum dicti Eremitæ ſolitudini ſint addicti, maxime dedecet eos videri totum annum per diverſoria vagantes ex cauſa ſimilium Dietarum, & Capitulorum, in quibus plurimæ fieri ſolent mutationes Religioſorum, & Priorum: Qui quod ſe in eodem gubernio diu non permanſuros vident, utilitati Eremorum ſegnius dant operam, ſæpeq; contingit, ut quod unus inceperit, ſucceſſor diſſolvat, aut non proſequatur, quia ſit opus ab aliis inchoatum.

Accedit, quod tam frequens Dietarum, & Capitulorum hujuſmodi celebratio totam Congregationem prædictam, & præſertim Eremum Camaldulenſem gravibus ſumptibus onerat; quodque Superiores majores tam modici temporis ſpatio notitiam Eremitarum, ac negotiorum, tam ſpiritualium, quam temporalium dictæ Congreg. capere nequeunt. Quinimo cum eadem Congregatio, non ſolum in Italia, ſed etiam in Polonia Regione valde remota (benedicente Domino) propagata reperiatur, nec poſſunt Eremi Poloniæ ſingulis bienniis viſitari, nec illarum Priores ad Capitulum Generale venire, quod tamen fieri poſſet ſi illud de quadriennio in quadriennium haberetur; quare dicti Exponentes Nobis humiliter ſupplicari fecerunt, ut in præmiſſis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§.3. Nos igitur eoſdem Exponentes ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ut de cætero Capitulum quidem Generale de quadriennio in quadriennium, Dieta vero Congregationis Camaldul. prædictæ demum biennio poſt celebrationem Capituli Generalis hujuſmodi reſpective haberi, & celebrari debeant

beant itaut primum quadriennium a Dominica tertia poſt Paſcha Reſurrectionis Dominicæ proxime præteritum computetur, & tertia Dominica poſt Paſcha ejuſd; Reſurrectionis Dominicæ anni 1665. exſpiret; ac tam moderni, quam futuri ejuſdem Congregationis Superiores, qui in Capitulo Generali eligi ſolent, in ſuis reſpective muneribus quadriennio durent, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium, concedimus, ac perpetuo ſtatuimus, & ordinamus.

Decernentes eaſdem preſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit, pleniſſime ſuffragari, & ab illis reſpective inviolabiliter obſervari: Sicque in præmiſſis per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon dictæ Congregationis, & aliis quibuſvis etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Volumus autem, ut earumdem præſentium literarum tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, die 3. Januar. 1662. Pontificatus noſtri Anno VII.

Motiva abrogationis præfatarum literarum.

§.3. Cum autem, ſicut dilectus filius Procurator Generalis dictæ Congregationis Eremitarum Camaldulenſium Nobis nuper exponi fecit, quæ in præinſertis literis Nobis expoſita fuiſſe narrantur, veritati minime nitantur, quandoquidem celebrationi Capituli Generalis ejuſdem Congregationis non interſint, niſi Major, Viſitatores, & Procurator Generalis, ac Priores Eremorum ipſius Congregationis, ex quibus Major, & Viſitatores in loco Capituli hujuſmodi commorantur, qui vero ejus rei cauſa iter agere debent, pauci ſunt quorum aliqui ſenectute, vel infirmitate præpediti ad Capitulum non accedunt, & multi in locis ab Eremo Camaldulenſi, ubi Capitulum habetur, parum diſtantibus degunt: Quinimo obſervatum fuerit, quod frequens Priorum mutatio minorem adferat familiarum mutationem, quod quidem præterito quadriennio uſu venit, quo in aliqua Eremo, cum Prior mutari non poſſet, bonam partem illius Religioſorum mutari oportuit: Nec Eremus prædicta Camaldulenſis onere conſiderabili ex cauſa paucorum Eremitarum, qui paucis diebus ibidem quolibet biennio morantur, gravetur; quippe quæ duodecies mille, & aliquando pluribus perſonis illuc confluentibus annuatim alimenta præbeat. Eremitæ autem Poloniæ non teneantur ex præſcripto Conſtitutionum Congregationis prædictæ ad Capitulum accedere, niſi ſingulis quadrienniis, eiſque datus fuerit Vicarius Generalis, & conceſſa nominatio ad Prælaturas, ut minorem habeant iter agendi occaſionem.

Cumque frequentia Capitulorum eid; Congregationi in ſpiritualibus, & temporalibus notabiliter profit Prælatis ibidem exactiſſimam actionum, & adminiſtrationum ſuarum rationem reddentibus, quod & illis intra debiti officii limites continendis non mediocriter conducit, & peropportunum eſt conſervandæ regulari obſervantiæ, quæ novis ſubinde decretis, ſicuti deficere videtur, firmius ſtabilitur in Capitulo Generali, cui etiam reſervata ſunt multa magni momenti negotia, quorum reſolutionem ad quadriennium differri quandoque non expedit. Quin etiam ex quadriennali Capitulorum hujuſmodi celebratione hoc ſequatur incommodi, quod Viſitatores, qui viſitationes ſuas intra biennium abſolvunt, altero biennio ceſſarent a viſitando, nec Eremi interea viſitarentur, attento, quod Conſt. d. Congregationis non permittant Viſitationes ab eiſdem iterari; unde ſi novæ Viſitationis gratia poſt biennium officio renunciare deberent, prout re ipſa factum eſt in quadriennio proxime præterito, inde conſequeretur, ut finito officio non poſſent Capitulo Generali cum voce intervenire, qui tamen interventus maxime neceſſarius eſt, ut ab ipſis Capitulares de ſtatu Congregationis doceantur; ac demum conſiderandum ſit, quod per Conſtitutiones Congregationis hujuſmodi cavetur expreſſe, ne quis ultra ſexennium in Prælaturis continuari poſſit, atque ita ſi Capitula de quadriennio in quadriennium celebrarentur, neceſſe foret in eorum quolibet omnes Prælatos mutari, quippe qui uſque ad aliud ſubſequens Capitulum, ſcilicet per octennium in Prælaturis hujuſmodi contra earumdem Conſtitutionum diſpoſitionem continuare non valerent.

Abſolutio a cenſuris.

§.4. Nobis propterea prædictus Procurator Generalis, tam ſuo, quam dilectorum pariter filiorum Majoris, & Definitorum dictæ Congregationis nominibus humiliter ſupplicari fecit, ut in præmiſſis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur incommodis prædictis quantum Nobis ex alto conceditur, occurrere, ac ejuſdem Congregationis ſalubri directioni, & uti-

utilitati consulere cupientes, dictosque Majorem, & Definitores, ac Procuratorem Generalem specialis favore gratiæ prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommuunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, ut deinceps perpetuis futuris temporibus Capitulum Generale de biennio in biennium, & Dieta anno post celebrationem Capituli hujusmodi respective haberi, & celebrari debeant; nec Prælaturæ dictæ Congregationis ultra biennium durent, quemadmodum per Constitutiones ejusdem Congregationis cautum reperitur, & antequam præinsertæ nostræ literæ emanarent, fieri solebat, auctoritate prædicta tenore præsentium concedimus, & indulgemus, ac statuimus, & ordinamus.

Confirmat prout in subs.

Ac proinde easdem lit. nostras præinsertas, omniaque, & singula in eis contenta auctoritate, & tenore prædictis ex nunc revocamus, cassamus, irritamus, & annullamus, viribusque, & effectu penitus, & omnino vacuamus, & ex nunc revocata, cassata, irrita, & nulla, viribusque, & effectu penitus, & omnino vacua esse; præsentes vero literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosq; plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumq: Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Non obstantibus literis præinsertis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Cæterum volumus pariter, ut præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die vigesimaoctava Januarii 1666., Pontificatus nostri Anno XI.

Dat. die 28. Jan. 1666. An.XI.

DXXXVI.

Quod Fratres Trinitarii Provinciæ Castellæ, Aragoniæ, & Beticæ, aliarumque Provinciarum Redemptionis Captivorum, non possint uti Cappa nigra.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

EX injuncto Nobis cœlitus apostolicæ servitutis officio controversias inter Viros Religiosos exortas, ne pacis, fraternæque charitatis serenitatem obnubilent, opportunis rationibus dirimere satagimus, quemadmodum omnibus mature consideratis, arbitramur in Domino rationi esse consentaneum.

Supplicatio.

§.1. Expon siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Magister Generalis Ordinis Fratrum Prædicatorum, quod licet dictus Ordo a Sancto Dominico fundatus proprio, & peculiari habitu decoretur, nempe tunica, & scapulari albis cum caputio pariter albo, & cappa nigra cum caputio item nigro, eumque habitum sub præscriptis forma, colore, modo, & dispositione publice, & privatim Fratres Prædicatores deferre consueverint, illoque ab aliis religionibus distinguantur, & ex speciali privilegio decem Romani Pontifices fel. rec. Prædecessores nostri severissime præceperint, ne aliquis, sive sit in Ordine, sive extra Ordinem constitutus, deferat habitum Fratrum Prædicatorum, aut ita consimilem, quod propter eum Frater Prædicator credi possit, absque speciali Apostolicæ Sedis mandato, addito decreto irritanti, si quid in contrarium factum fuerit, & committendo Diœcesanis locorum, ut per censuras ecclesiasticas, omni appellatione postposita, cum requisiti fuerint, compellant quemcumque ad eum deponendum, prout ex eorumdem Prædecessorum nostrorum Literis Apostolicis desuper expeditis constare dicitur.

§.2. Nihilominus Provinciæ Castellæ, Aragoniæ, & Bœticæ Ordinis Fratrum Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum contra tenorem tot Constitutionum Apostolicarum, imo, & contra usum majoris partis Provinciarum suæ Religionis, cum suo Capite Ministro Generali mutavere habitum album primitivum suæ Religionis, & deferunt cappas, & caputia nigri coloris in nullo dissimilia ab illis, quibus utuntur Fratres Prædicatores, præterquam in signo Crucis, quod minime, aut parum discernit eos a Fratribus Prædicatoribus, nec facit quin habeantur pro Fratribus Prædicatoribus: contendentes usum cappæ, & caputii nigri coloris sibi esse licitum per modificationem Regulæ factam a rec. mem. Clemente Papa IV. Prædecessore pariter nostro sub dat. Viterbii 7. Idus Decembris Anni 1267., & per concessionem factam per literas Pœnitentiariæ Apostolicæ sub piæ mem. Pio Papa IV. etiam

Præ-

Prædecessore nostro, sub dat. Romæ 5. Nonas Julii, Pontificatus ejus Anno primo, in quibus (ut asserunt) conceditur color brunus in cappis. Et quoniam hoc est libere dictum, quia talis permissio non solùm non reperitur in prædicta modificatione, imo in eadem præcipitur contrarium, quia in illa solummodo leguntur hæc verba: Vestimenta sint lanea, & albæ: ut constat ex Regesto originali in Archivio Apostolico Vaticano existente, & hoc alias a similis recordationis Innocentio Papa III. in primitiva Regula dispositum erat per ejus literas quarum initium, *operante divinæ dispositionis clementia*, datas Laterani 6. Kalend. Januarii 1198. Pontificatus sui Anno primo. Et in præcitatis literis Pœnitentiariæ Apostolicæ permittitur Provinciæ tantum Castellæ usus bruni coloris determinati, illius nimirum qui in illis partibus vulgo dicitur, Buriel, in vim cujus assertæ permissionis, sive proprio arbitratu, sive alias prædicti Fratres Ordinis Sanctissimæ Trinitatis addiderunt Regulæ, & Constitutionibus in locis ubi tractatur de vestimentis Fratrum, aliquas clausulas in grave dictorum Fratrum Prædicatorum præjudicium, & contra dispositionem tot Summorum Pontificum, & signanter in Reg. num. 6. §. Vestimenta, ad illa verba, exeepta cappa: & in eodem Textu relato cap. 14. titulo de vestitu, & honestate habitus: & in declaratione ejusdem Text. cap. citato, §. 2. ad illa verba, sed in modificatione, usque ad finem §., & in cap. 16. titulo de signis in habitu ponendis, Text. 8.§.1., ad illa verba: Sed neque cappa.

§.3. Nobis propterea memoratus Magister Generalis, tam suo, quam totius sui Ordinis Prædicatorum nomine humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ipsum Magistrum Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum, qui rem de mandato nostro pluries partibus auditis, mature discusserunt, & examinarunt, consilio, visisque per eosdem Cardinales Brevibus Apostolicis, & signanter Regesto originali literarum prædicti Clementis IV. Prædecessoris, quarum initium, *in Ordine vestro*, sub dat. Viterbii 7. Idus Decembris 1267. Pontificatus sui anno tertio, necnon privilegiis, scripturis, & instrumentis hinc inde exhibitis, aliisque videndis, auctoritate apostolica tenore præsentium decernimus, & declaramus, non licere Fratribus Trinitariis, tam dictarum, quam aliarum quarumcumque Provinciarum, uti cappa nisi albi coloris, excepta tamen Provincia Castellæ, in qua ad præscriptum literarum Pœnitentiariæ Apostolici memorati Pii IV. Prædecessoris, sub dat. Romæ 5. Nonas Julii, Pontificatus ejus anno primo, licere uti cappa coloris bruni, ejus nimirum qui in illis partibus vulgo dicitur Buriel, non autem nigri coloris: & ad tenorem præsentium literarum corrigendas esse Regulam, & Constitutiones dicti Ordinis Sanctissimæ Trinitatis respective in locis, textibus, capitulis, & declarationibus, in quibus tractatur de vestimentis Fratrum.

Exe jusores deputat.

§.4. Ut autem earumdem literarum executioni firmius consulatur, auctoritate prædicta committimus, & injungimus Ordinariis locorum, ut quoties pro parte dictæ Religionis Prædicatorum fuerint respective requisiti, seu quilibet eorum fuerit requisitus, Fratres dicti Ordinis Sanctissimæ Trinitatis, qui cappam nigri coloris, seu alias contra præsentium literarum formam deferre præsumpserint, ad ipsam deponendam per censuras ecclesiasticas, aliaque juris, & facti remedia, omni appellatione postposita (invocato etiam, quatenus opus sit, brachii secularis auxilio) per se, vel per alios dicta auctoritate cogant, & compellant, salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis prædictorum Cardinalium.

Decretum irritans.

§.5. Decernentes ipsas præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari; & dicto Ordini Prædicatorum in omnibus, & per omnia plenissime suffragari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum

§.6. Non obstantibus in contrarium deductis, etiam speciali expressione dignis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon dicti Ordinis Sanctissimæ Trinitatis, ejusque Provinciarum, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derog., cæterisq; contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§.7. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in ecclesia

cleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præſentibus ipſis adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Dat. die 8. Feb. 1666. An. XI.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, die 8. Febr. 1666. Pontificatus noſtri Anno XI.

DXXXVII.

Ex Regeſt. in Secr. Brev.

Confirmatio diverſorum Capitulorum inter Fratres Conventus S. Franciſcæ Romanæ Ord. Sanctiſſ. Trinitatis Redemptionis Captivorum, & Auguſtinianos Reformatos Hoſpitii Sanctorum Ildefonſi, & Guillelmi de Urbe ſuper ſtatu dicti Hoſpitii, ejuſque Oratorii, ac numeroFratrum Auguſtinianorum inibi commoraturorum, aliiſque articulis.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Proœmium.

Militantis Eccleſiæ regimini ſuperni diſpoſitione conſilii præſidentes, illis, quæ inter Chriſtifideles quoſcumque, & præſertim illos, qui e fluctibus ſeculi in religioſæ vitæ portum confugerunt, pacis, atque amabilis concordiæ ſtudio provide conventa, & concordata eſſe noſcuntur, ut ſtabilia ſemper, & illibata perſiſtant, libenter, dum id a Nobis petitur, Apoſtolici muminis adjungimus firmitatem.

Poſtulatio.

§. 2. Exponi ſiquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii Fratres Conventus Sanctæ Franciſcæ Romanæ in via felici nuncupata de Urbe Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum, ac Fratres Reformati Ordinis S. Auguſtini degentes in Hoſpitio SS. Ildephonſi, & Guillelmi in eadem via, quod pro terminandis controverſiis alias exortis circa ſtatum prædicti Hoſpitii, & pro bono pacis perpetuo conſervandæ, ſicut Religioſos viros decet, ipſi fratres tam Conventus, quam Hoſpitii hujuſmodi die 8. Februarii proxime præteriti ad ſonum campanulæ capitulariter congregati coram dilecto filio Michaele Angelo Curiæ Capitolinæ Notario per viam concordiæ, & ſtipulationis omni meliori modo, & forma, tam ſuo, quam futurorum Conventus, & Hoſpitii hujuſmodi Religioſorum nomine convenerunt, ut inter ipſos in perpetuum obſerventur infraſcriptæ conditiones, & pacta, ac juxta illas, & illa licitum ſit Religioſis dicti Hoſpitii ea facere, quæ continentur in articulis, ſeu Capitulis tenoris, qui ſequitur, videlicet:

Primo. Quod debeant, & obligati ſint Patres dicti Hoſpitii S. Ildephonſi demolire, & admovere Campanile in præſentiarum exiſtens ſupra tectum ejuſdem Hoſpitii, & ponere campanam intra angulum ejuſdem Hoſpitii ſub tecto altitudinis cornicionis e conſpectu maſcheronis exiſtentis in eodem cornicione, nec in poſterum poſſint Patres erigere Campanile, nec retinere Campanas ſupra dictos tectos nec in majori altitudine ſupradicti cornicionis, & poſſint pulſare eamdem Campanam in poſterum uti uſque in præſentem pulſata extitit, quia ſic &c.

Secundo. Quod dicti Patres ejuſdem Hoſpitii non poſſint ullo unquam tempore per Urbem mendicare oſtiatim elemoſynam ex pacto, quia ſic &c.

Tertio. Quod domus in præſentiarum habitata a Domino Alonſo de Ibarra connexa Oratorio ejuſdem Hoſpitii ex parte verſus Eccleſiam S. Franciſcæ, quæ domus ſpectat ad dictos Patres prædicti Hoſpitii S. Ildephonſi, & quælibet alia domus, quæ ipſis Patribus relicta fuerit, vel ab ipſis empta verſus Conventum S. Franciſcæ, non poſſint ullo unquam tempore incorporare, aut dilatare eorum Hoſpitium, ſed illas retinere ſolum pro uſu affictus pro eorum ſubſtentatione ex pacto, quia ſic &c.

Quarto quod in feſtivitatibus Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis, & tituli S. Franciſcæ, & in die feſto S. Catharinæ Virginis, & Martyris, & S. Agnetis ſecundo, & feria quarta Cinerum non poſſint dicti Patres prædicti Hoſpitii adminiſtrare Sacramenta ulli perſonæ, neque ſolemnizare feſtivitatem aliquam ſub expreſſa prohibitione ex pacto, quia ſic &c.

Quinto. Quod ſtatus dicti Hoſpitii ſemper, & perpetuo ſtare debeat in ſtatu Hoſpitii, ut in præſentiarum reperitur, nec ullo unquam tempore in illo poſſint habitare, nec debeant habitare plures perſonæ regulares inter Sacerdotes, laicos, & Tertiarios, quam decem Religioſi, & ſemper dici debeat habitatio Hoſpitii ex pacto, quia ſic &c.

Sexto. Quod reſpectu formæ dicti Hoſpitii, & ſtatus in præſentiarum exiſtentis nullo unquam futuro tempore mutari poſſit in forma Conventus, nec verſus Eccleſiam S. Franciſcæ, nec verſus Plateam Barberinam, ſed ſemper remanere debeat in ſtatu præſentaneo Hoſpitii ſub perpetua prohibitione non ampliandi ex pacto, quia ſic &c.

Septimo. Quod Oratorium dicti Hoſpitii ſub invocatione in præſentiarum Sanctorum Ildephonſi, & Guillelmi, ſemper dici debeat Oratorium, nec ullo unquam tempore alia denominatio acquiri poſſit, præterquam Oratorii ſub modo infraſcripto, ideſt, in toto anno in diebus feſtivis Dominicarum, Feſtivitatum ex præcepto, & devotione, & ferialium dierum retinere dictum Oratorium de mane cum janua aperta, & ibi in dicto Oratorio Miſſas privatas celebrare (non tamen Miſſas cantatas ſolemnes, nec Veſperas ſolemnes, & proceſſiones) & adminiſtrare in dicto Oratorio omnibus Chriſtifidelibus utriuſq; ſexus Sanctiſſ. Sacramenta Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ uſque ad ſonum campanæ, ut dicitur, a mezzo giorno, & poſt mediam diem claudere debeant oſtium dicti Oratorii uſque ad aliud mane, nec unquã retinere oſtium

oſtium apertum de die ſub expreſſa prohibitione, & ita perpetuo obſervare ex pacto quia ſic &c.

Octavo. Quod in ſolemnitatibus Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, & tituli d. Oratorii, & ſolemnitatibus S. R. E. liceat, & poſſint dd. Patres ſolemnizare in dicto Oratorio infraſcriptas ſolemnitates, ideſt in feſto S. Ildephonſi Epiſc., & Confeſſoris, S. Guillelmi Conf., S. Auguſtini, S. Monicæ, S. Nicolai de Tolentino, S. Thomæ de Villanova, & in omnibus feſtivitatibus ſolemnibus glorioſæ Virg. Mariæ, Nativitatis D.N. Jeſu Chriſti, Circumciſionis, Epiphaniæ, Paſchatis Reſurrectionis, Aſcenſionis, Pentecoſtes, cum duobus ſequentibus diebus, in feſtivitate Corporis Chriſti, cum ſua Octava, & in feria quinta majoris Hebdomadæ uſque ad Sabathum Sanctum, in quibus feſtivitatibus ſupradictis ſolummodo ut ſupra poſſint Patres d. Hoſpitii retinere portam Orat. de ſero etiam apertam, & in aliis temporibus anni prohibitum ſit ex pacto, quia ſic &c.

Nono. Quod dd. Patres d. Hoſpitii nullo unquam tempore futuro poſſint jure ſepulturæ habere, nec cadavera mortuorum cujuſcumque ſexus ſeppellire, ſed ſolum licitum ſit poſſe ſepellire perſonas ſeculares cujuſcumque ſexus laicos, & Eccleſiaſticos Hiſpanæ Nationis tantum, & familiares Hoſpitii, ideſt actuarios famulos, Barbitonſorem, Chirurgum, Medicum, Fabrum cimentarium, Procuratorem, Advocatum, & Notarium, ſub prohibitione aliarum perſonarum ex pacto, quia ſic &c.

Decimo. Quod nullo unquam tempore Patres dicti Hoſpitii poſſint exercere proceſſiones cujuſvis generis, nec privatas, nec publicas, nec functiones conventuales, ſed ſemper retinere Oratorium ſub uſu Oratorii, nec ullo unquam tempore reſpective licentiarum, ut ſupra, conceſſarum poſſint acquirere jus ullum, ullius ſtatus Eccleſiæ, ſed ſemper dici debeat ſtatus Oratorii ex pacto, quia ſic &c.

Undecimo. Quod poſſint dicti Patres emere ſitum verſus Plateam Barberinam, ſeu Sfortiæ uſque ad terminum primæ Domus Michaelis de Marchis, ubi in præſentiarum inhabitant Dominus Laurentius Mongiamoroti, & Eliſabeth Joannis Baptiſtæ Fontana, & in illo ſitu fabricare novum Oratorium latitudinis palmorum murariorum paſſetti ad uſum fabri cementarii in palmis 55. & longitudinis palmorum murariorum paſſetti fabri cementarii in palmis 84., & hujuſmodi magnitudo, & longitudo inſervire debeat pro conſtructione dictæ fabricæ totius dicti Oratorii, ideſt pro muris, vano Oratorii, & Cappellis ipſius, & Cappella majore, & non plus, nec alias, nec dictum Oratorium de novo fabricandum in futuro tempore poſſint asportare verſus Eccleſiam Sanctæ Franciſcæ nec aliam longitudinem, nec latitudinem habere poſſint, neque uti in ampliatione, dicti Patres, & conſtructione dicti Oratorii ex pacto expreſſo, quia ſic &c.

Duodecimo. Quod ex cauſa dictæ ampliationis, dilatationis, & translationis Oratorii Patres Conventus Sanctæ Franciſcæ præſtant omnem aſſenſum, & conſenſum licere Patribus dicti Hoſpitii Sancti Ildephonſi retrahere ſitum verſus Plateam Barberinam connexum eorum Hoſpitio uſque ad Domum Michaelis de Marchis, ut ſupra, & omni alio meliori modo, quia ſic &c.

§. 2. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, inter præfatos Exponentes primario conventum fuerit, quod ſuper præmiſſis obtineri deberet aſſenſus, & beneplacitum Congregationis Venerabilium Fratrum noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſitæ, quæ die 25. Januarii 1658. decreviſſe reperitur, non licere Fratribus Auguſtinianis Diſcalceatis Hiſpaniarum in via felici dilatare Oratorium Hoſpitii: Ipſique Exponentes conventionem hujuſmodi quo firmius ſubſiſtat, & ſervetur exactius, Apoſtolicæ confirmationis noſtræ patrocinio cõmuniri ſummopere deſiderent: Nos ſpecialem eiſdem Exponentibus gratiam facere volentes, & eorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus eorum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, de præfatorum Cardinalium conſilio, attentis narratis, conventionem, & Capitula præinſerta auctoritate Apoſtolica tenore præſentium approbamus, & confirmamus, & exequutioni demandari decernimus; Salva tamen ſemper in præmiſſis auctoritate præfatæ Congregationis Cardinalium.

Abſolutio a cenſuris.

Confirmat prout in rubr.

Decretum irritans.

§. 3. Decernentes pariter eaſdem præſentes Literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit pleniſſime ſuffragari; Sicque in præmiſſis per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogat contrariis.

§. 3. Non obſtantibus memorato dictæ Congregationis Decreto, ac quatenus opus ſit felic. recordat: Pauli Papæ II. & aliorum Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum de rebus Eccleſiæ non alienandis, aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon præfatorum Conventus, & Hoſpitii, ac Ordinum, aliiſve quibuſvis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privileg iis

vilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 15. Mar. 1666. An.XI. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die decimaquinta Martii 1666. Pontificatus nostri Anno XI.

DXXXVIII.

Damnantur iterum plurimæ aliæ propositiones tanquam scandalosæ, prout supra in Constitutione 520.

Feria quinta die 18. Martii 1665.

IN Congregat. Generali S. Romanæ, & Universalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico Montis Quirinalis coram Sanctissimo D. N. D. Alexandro Divina Providentia Papa VII., ac Eminentissimis, & Reverendissimis DD. S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Christiana adversus hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus a Sancta Sede Apostolica specialiter Deputatis.

§.1. Sanctissimus Dominus Noster post latum Decretum die 24. Septembris proxime elapsi, quo viginti octo Propositiones damnatæ fuerunt, examinatis sedulo, & accurate usque ad hanc diem infrascriptis aliis quadragesimumquintum numerum implentibus, per plures in Sacra Theologia Magistros, ac per Eminentissimos, & Reverendissimos DD. Cardinales adversus hæreticam pravitatem Generales Inquisitores, eorum suffragia singillatim super unaquaque ipsarum audivit.

Propositio 29. In die Jejunii, qui sæpius modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit Jejunium.

30. Omnes officiales, qui in Republica corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione jejunii, nec debent se certificare, an labor sit compatibilis cum jejunio.

31. Excusantur absolute a præcepto jejunii omnes illi, qui iter agunt equitando, utcumque iter agant, etiamsi iter necessarium non sit, & etiamsi iter unius diei conficiant.

32. Non est evidens, quod consuetudo non comedendi ova, & lacticinia in Quadragesima obliget.

33. Restitutio fructuum ob omissionem horarum suppleri potest per quascumque eleemosynas, quas antea Beneficiarius de fructibus sui beneficii fecerit.

34. In die Palmarum recitans officium Paschale, satisfacit præcepto.

35. Unico officio potest quis satisfacere dupliei præcepto pro die præsenti, & crastino.

36. Regulares possunt in foro conscientiæ uti privilegiis suis, quæ sunt expresse revocata per Concilium Tridentinum.

37. Indulgentiæ concessæ Regularibus, & revocatæ a Paulo V. hodie sunt revalidatæ.

38. Mandatum Tridentin factum Sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali confitendi quamprimum, est consilium, non præceptum.

39. Illa particula *quamprimum*, intelligitur, cum Sacerdos suo tempore confitebitur.

40. Est probabilis opinio, quæ dicit, esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem, & sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris, & pollutionis.

41. Non est obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, si hæc nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarii vulgo *regalo*, dum deficiente illo, nimis ægre ageret vitam, & alex epulæ tædio magno concubinarium afficerent, & alia famula nimis difficile inveniretur.

42. Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.

43. Annuum legatum pro Anima relictum, non durat plus quam per decem annos.

44. Quoad forum conscientiæ, Reo correcto, ejusque contumacia cessante, cessant censuræ.

45. Libri prohibiti donec expurgentur, possunt retineri, usquedum adhibita diligentia corrigantur.

§.2. Quibus mature pensatis, idem Sanctissimus statuit, ac decrevit, prædictas Propositiones, & unamquamque ipsarum, utminimum, tanquam scandalosas esse damnandas, & prohibendas, sicut eas damnat, ac prohibet: Itaut quicumque illas, aut conjunctim, aut divisim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam disputative, publice, aut privatim tractaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem, a qua non possit (præterquam in articulo mortis) ab alio quacumque etiam dignitate fulgente, nisi a pro tempore existente Romano Pontifice, absolvi.

§.3. Insuper districte in virtute sanctæ obedientiæ, & sub interminatione Divini Judicii prohibet omnibus Christifidelibus cujuscumque conditionis, dignitatis, ac status, etiam speciali, & specialissima nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipsarum ad praxim deducant.

Joannes Lupus Sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisit. Not. &c.

Loco ✠ Sigilli.

Ut

DXXXIX.

Ex Regest. in Secret. Brev. Ut Nuncius Sabaudiæ audeat Recursus Subditorum Principatus Messerani, & Marchionatus Crevacorii.

Ven. Fratri Petro Archiepiscopo Theodosiensi nostro, & Apostolicæ Sedis apud dilectum filium nobilem virum Carolum Emanuelem Sabaudiæ Ducem Nuncio.

ALEXANDER PAPA VII.

Ven. Frater salutem, & apostolicam benedictionem.

Motiva. §.1. CUM dilecti filii Consules, Consiliarii, & Homines Principatus Messerani, & Marchionatus Crevacorii aliorumque locorum annexorum ob magnam eorum ab Urbe distantiam non facile, nec sine notabili incommodo, & impensa valeant accedere ad Apostolicam Sedem, eique suos recursus, & querelarum causas proponere, si quando a Dominis, quibus ab eadem Sede commissi sunt, vel eorum Judicibus sentiant se in aliquo prægravari, indeque sæpius contigerit illos præsto neminem habentes, qui eos audiat, & præsidio sit, animis concitatis profiluisse in varios excessus maximo etiam cum detrimento prædictorum Dominorum loca ipsa obtinentium in feudum. Nos ex munere Nobis injuncto volentes omnium tranquillitati, ac etiam commoditati, & indemnitati prospicere; Motu proprio, ac ex certa nostra scientia, deque apostolicæ potestatis plenitudine te, de cujus probitate, prudentia, ac in rebus agendis dexteritate, & experientia plurimum in Domino confidimus, constituimus, & deputamus, ut recursus, si quos a quibusvis gravaminibus per dilectum filium nobilem virum Principem Messerani, & Marchionem Crevacorii, sive ejus Judices prædictis Consulibus, Consiliariis, & hominibus tam uti universis, quam uti singulis illatis, seu inferendis per eosdem Consules, Consiliarios, & Homines, ad Nos, & Sedem prædictam haberi contigerit, auctoritate nostra, ac uti a Nobis deputatus, audias, & quid circa illos, & illa sit agendum, eidem Principi, ejusque Judicibus rescribendo præscribas, & quomodo ab illis procedendum sit dirigas, in arduis vero negotiis, quæ bonum regimen, & statum dictorum locorum concernunt, informationes suscipias, & ad Nos transmittas, ut quid magis expedire censuerimus, decernere, & mandare valeamus, plenamque tibi in præmissis, & cæteris, quæ circa illa, & eorum occasione duxeris necessaria, & opportuna providendi, atque statuendi, & ordinandi auctoritatem concedimus, & delegamus.

Deputat Nuncium Apost. prout in rub.

Mandatque ut omnes præd. Nuncio assistant, & pareant. §.2. Mandantes propterea moderno, & pro tempore existenti Principi Messerani, & Marchioni Crevacorii, necnon universis, & singulis aliis sub nostræ indignationis, aliisque nostro arbitrio pœnis, ut tibi in præmissis pareant, & quidquid mandaveris exequantur, nec sub quovis prætextu aut quæsito colore, vel causa te in prædictis audeant, vel præsumant directe, vel indirecte impedire, seu molestare, sed imo Tibi in omnibus assistant, suoque adjuvent auxilio.

Decretum irritans. §.3. Decernentes irritum, & inane quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis] derogat. §.4. Non obstantibus præmissis, ac fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. Prædecessoris nostri de una, & Concilii Generalis de duabus dietis, ac quibusvis aliis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit Principatus, Marchionatus, & locorum prædictorum, & aliis quibuslibet etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in specie, aut alias in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata inserti forent, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 3. Apr. 1666. An.XI. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 5. Aprilis 1666. Pontificatus nostri Anno XI.

DXL.

Declaratio super reservatione beneficiorum.

ALEXANDER EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuum rei memoriam.

CUM noviter in quadam lite, & causa pendente in Tribunali Auditoris Cameræ super executione Literarum Apostolicarum in forma Brevis expeditarum inter Provisum Apostolicum de quibusdam beneficiis Diœcesis Bononiensis actorem

ex

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ex una, & Provisum a Carsiinali Indultario reum conventum partibus ex altera, in controversiam positum fuerit, an Constitutio fel. rec. Benedicti Papæ XII., quæ incipit, *ad regimen*, edita tertio Idus Januarii anni millesimi trecentesimi trigesimiquinti per summos Pontifices Prædecessores nostros innovari solita, & per Nos quoque innovata in Regula prima Cancellariæ, induxerit reservationem Beneficiorum a Notariis Sedis Apostolicæ, Protonotariis nuncupatis, & a Scriptoribus literarum Apostolicarum, & ab aliis Officialibus dictæ Sedis ibidem expressis obtentorum, ratione solius familiaritatis Pontificiæ eisdem Officialibus concessæ a piæ me: Paulo Papa III. in ejus Constitutione, quæ incipit, *Sanctissimus*, lecta, & publicata in Cancellaria Apostolica die vigesimasecunda Decembris, Pontificatus anno primo, aut forsan etiam ab aliis Pontificibus antecessoribus, aut successoribus; vel potius ratione officii. Item an ad effectum reservationis requiratur obitus eorumdem Officialium in Romana Curia, vel intra duas dietas: vel potius reservatio intret ubicumque eos mori contigerit. Et insuper, an Protonotariatus adeptus, ex Militia Militū Piorum, & Scriptoratus Literarum Apostolicarum separatim acquisitus constituant duas reservationes personales exclusivas Indultorum Cardinalium ad præscriptum Constitutionis editæ a rec. mem. Urbano Papa VIII. incipientis, *Quamvis*. sub dat. die decimaquinta Julii, Pontificatus anno decimonono: vel potius constituant unam tantummodo localem ex ficto obitu Officialium in Curia.

§.1. Ut materia hæc adeo exemplaris maturius discuteretur, mandavimus in causa, & causis prædictis per dictum Auditorem Cameræ procedi de voto Rotæ nostræ & sub die vigesimaquarta Januarii millesimi sexcentesimi sexagesimiprimi coram dilecto filio Magistro Priolo ejusdem Rotæ Auditore, proposito dubio super executione Brevis prædicti, fuit negative resolutum; & subinde iterum, atque iterum reproposita causa sub diebus prima Junii anni millesimi sexcentesimi sexagesimi tertii, & vigesimaoctava Aprilis anni millesimi sexcentesimi sexagesimiquarti, eaque ex speciali nostro mandato discussa per omnes ejusdem Rotæ Auditores resolutio capi non potuit propter discrepantia Auditorum suffragia.

§.2. Interim vero emanatis aliis provisionibus Apostolicis de aliis diversis beneficiis ad retardandam earumdem provisionum executionem, allegata fuit decisio predicta, quamvis per dictam iteratam repropositionem sine ullius resolutionis conclusione in suspenso remanserit.

§.3. Unde causarum, & litium celeri expeditioni pro posse, sicut debemus, providere volentes, cognitionem, discussionem, & resolutionem dubiorum prædictorum demandavimus quinque Romanæ Curiæ Prælatorum Congregationi, a qua Collitigantibus prædictis plene informantibus, eorumque, ac Datariæ nostræ juribus iterum, atque iterum sub diebus vigesimo primo, & vigesimo octavo Martii labentis anni 1666. accurate discussis, declaratum, ac resolutum fuit beneficia Protonotariorum, Scriptorum, & aliorum Officialium enumeratorum in d. Const. *Ad regimen* esse reservata ubicumque decedant etiam extra Romanam Curiam, & extra duas dietas: Itemque reservationem beneficiorum obtentorum per dd. Officiales intrate etiam ratione solius officii: Et insuper Protonotariatum ex dicta Militia pia, sive Militum piorum, & Scriptoratum separatim acquisitum constituere duas reservationes personales coequales exclusivas Indulti.

§.4. Ne autem materia hæc plene discussa, & resoluta amplius in dubium revocetur in prædicta, vel aliis causis, inhærentes vestigiis diversorum Prædecessorum nostrorum, qui ut litium anfractus præscinderent dubia juris, tam pro causis pendentibus, quam etiam pro futuris proprio oraculo declararunt, sicut in materia reservationis beneficiorum inter cæteros fecerunt similis mem. Paulus Papa II. in Constitutione, quæ incipit *Ad Romani*, & d. Urbanus in Constitutione sua præfata: Motu nostro proprio, non ad alicujus nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa scientia, et de Apost. potestatis plenitudine singularum Constitutionum & declarationum hactenus per dictos Prædecessores nostros respective factarum, & ordinatarum tenores, etiam veriores, ac datas præsentibus pro expressis habentes, omnes, & singulas resolutiones, & declarationes prædictas emanatas a d. Congregatione quinque Prælatorum confirmamus approbamus, & eis inviolabile firmitatis Apostolicæ robur adiicimus, sicque iterum, & pariformiter nos quoque auctorit. Apost. declaramus, talemque esse mentem, & intentionem nostras denunciamus, & ita pro lege declaratoria ubiq; inviolabiliter observari volumus, & mandamus tam in prædicta, quam etiam in omnibus aliis litibus & causis pendentibus, atq; in aliis omnibus de cætero movendis: & præmissa ut supra declarata in controversiam deinceps revocari non posse, neque licere, præcipimus, & jubemus; Sicque, & non aliter per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de latere Legatos, & Apostolicæ Sedis Nuncios, & quoscumque alios etiam speciali expressione indigentes judicari, & definiri, & interpretari debere, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, seu interpretandi facultate, & auctoritate, ac irritum, & inane decernimus, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.5. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis, approbationis, adjectionis, declarationis, denunciationis, voluntatis, mandati, præcepti, jussionis, & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Dat. sexto Idus Ap. 1666 Pont. An. XI.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Anno incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo sexagesimosexto, sexto Idus Aprilis Pontificatus nostri Anno XI.

DXLI.

Bulla, seu Literæ Decretales Canonizationis S. Francisci de Sales Episcopi Genevensis.

Vide ad Const. 405. Tom. 6. Par. 6. fol. 74. hujus Pontificis in qua habetur Canonizatio S. Thomæ de Villanova Archiepiscopi Valentini.

ALEXANDER EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. ECclesia Catholica, etsi cumpluribus munita præsidiis, firmata propugnaculis, & armata militibus, inferorum insultantium portas non reformidat; eo tamen post Christi merita potissimum sustentatur auxilio, quod Servorum Dei sanctitas assiduo subministrat; nam cum hoc veluti ingenitum mortalibus sit, ut exempla magis, quam documenta sequantur, mirum est, quantum alterum ex his in Ecclesia Domini proficiat. Idcirco Christus Jesus verus Deus, verusque hominis filius, unum, atque alterum pro duplicis suæ naturæ hypostasi ineffabiliter adimplevit. Hinc illius verba, si quando doctrinam loqueretur: Doctrina mea non est mea, sed ejus, qui misit me Patris, & hæc alia, si quando agenda proponeret: Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum feci vobis, ita, & vos faciatis.

Sancti habentur veluti lumen mundi. §.1. Quæ cum ita se habeant, antecessores nostri Spiritu Sancto instructi laudabilem in Ecclesia morem induxere, nempe in excelso loco sanctitatem constituendi, ut veluti lumen illius lucis Vicarium, quæ de se dixit: Ego sum lux mundi, & qui sequitur me, non ambulat in tenebris; non sub modio absconditum, sed in candelabro elatum luceat coram hominibus, eosdemque a veneratione ad imitationem, viastrata ad Cœlestis, & triumphantis Hierosolymæ nunquam interituras delicias dirigat, inferatque. Et sane viros de Christiana Republica, morum sanctimonia, & fidei prædicatione benemeritos debitis, hoc est divinis honoribus non prosequi, quicquid sibi velit impietas, indecorum, ac justitiæ absonum haberetur.

§.2. Nos igitur his de causis veterem

Romanorum Pontificum consuetudinem secuti, post fusas ad Deum preces, auditaque Venerabilium Fratrum nostrorum sententias inter nomina Catholicæ Ecclesiæ veneranda Francisci de Sales Episcopum Genevensem doctrina celebrem, sanctitate admirabilem, ætatique huic nostræ contra hæreses medicamen, præsidiumque referre Numine inspirante decrevimus. Franciscus de Sales inter sanctos refertur.

§.3. Natus est Franciscus duodecimo Kalend. Septembr. anno reparatæ salutis sexagesimo septimo supra millesimum, ac quingentesimum, ablutusque sacro Baptismatis fonte in Oppido Salesiano Ducatus Sabaudiæ, Genevensis Diœcesis. Suæ domus hæreditaria ab ipsis incunabulis nobilitate conspicua m pietatem hausit, infantiamque non more solito inter crepundia, sed agente pietatis spiritu inter Altariola, quæ sibi ipse adornaverat, suæ præludens sanctitati angelicæ exegit; tantumque charitatis erga pauperes concepit, ut nisi aliquid illis erogaret, in lachrimas se effunderet. Ab infantia ad puritiam per pietatis simul, ac sapientiæ gradus evasit, orationi vacabat inter studia literarum; nonfora, sed templa solitus invisere, & effugiens commercia improbitatis, non nisi semina probitatis, vel excipiebat, vel serebat. Inde sacro Chrismate roboratus ad altiora, tum virtutis, tum doctrinæ ornamenta complectenda se contulit, ut opportunius, atque utilius divinæ gratiæ instrumentum fieret. Sortitus enim animam bonam, eandem optimam reddidit accuratiore studio tum literarum, tum morum. Humanioribus literis in Collegio Annesiensi perceptis, Philosophiæ, Theologiæque arcana in Academia Parisiensi didicit, non sine ingenti virtutum, ac sanctimoniæ profectu; nam simul frequentabat Sodalitatem Deiparæ addictam in Gymnasio Societatis Jesu, ibique non solum octavo quoque die Sacra Mensa animam reficiebat, sed omnia pietatis exercitamenta exhibebat, præsertim ea, quæ ad cultum ejusdem Deiparæ pertinebant, adeo ut ante ejus simulachrum, quod in æde Sanctæ Mariæ Græcorum colitur, supplex votum perenne virginitatis nuncupaverit. Hoc voto veluti pharmaco salutari roboratus, ad Jurisprudentiam capessendam accessit Patavium ubi non unam sensit voti opem elusis artibus nonnullorum condiscipulorum, qui per impudentiam illi obtulerant impudicarum mulierum illecebras, quas, & saliva in illarum faciem conjecta, & mente constanter repugnante dejecit. Absoluto studiorum curriculo Romam se contulit, ut antiquæ ibi vigentis pietatis vestigia recognosceret, atque novis moribus exprimeret, & nactus par suæ Religioni, ac fidei theatrum, traxit e Cœlo incredibilem spiritum ad perficiendam omni ex parte molem sanctitatis ab infantia inchoatam, & in juventutis æstu non modo conservatam, sed auctam. Hinc infantia describitur. Pueritia insignis. Votum virginitatis emittit.

§.4. Igitur sui, & mundi victor in patriam remigravit, ut fructus legeret literarii

rarii laboris: nec ſpem fefellit, aut ſuam, aut Civium: certe Granerius id temporis Epiſcopus Genevenſis, eo conſpecto, illic præſenſit meſſem, quam ejus adventus afferebat. Exclamavitque divinans non ſine gaudio, habere ſe jam Succeſſorem ſuum. Statim ei patuit liber campus, ampliſſimuſque ad animas excolendas, quo ſponte ferebatur: quamvis enim ut Parenti obſequeretur, Advocatorum ſupremorum partes ſuſceperat, mox ubi ſenſit ſe ad nuptias per votum abdicatas vocari, abjecit Senatoriam togam, & Sacerdotio per omnes Sacri Ordinis gradus initiatus, majoris Eccleſiæ Præpoſitus Anneſſii renunciatus eſt, illud ſemper in ore, & mente repetens: Quicquid pro æternitate non eſt, vanitas eſt: omne ſtudium convertit ad æternitatem ubique ferendam inſtituta Societate Sanctiſſimæ Crucis de pœnitentibus, adductis ad Eccleſiæ Catholicæ gremium magni nominis hæreticis: & præterea ſumpto divini verbi gladio, quo armatus, ac potens, Epiſcopo jubente, adorſus eſt hæreſim Calvinianam in Caballicenſibus, aliiſque finitimis populis graſſantem. Incredibile dictu eſt, quo animi ardore, qua pectoris conſtantia, qua mentis alacritate, quàm firma in Deum fiducia, quàm robuſta in proximum charitate pugnaverit, ac vicerit: Ferunt eum ex vertice Arcis Allingianæ aliquando conſpexiſſe enormem Catholicæ Religionis ſtragem, quam ſubjectis circum terris hæreſis ediderat, ac tanto fuiſſe pietatis ſtudio agitatum, ut emiſſo cordis altiſſimo ſuſpirio non potuerit ſibi temperare, quin mox Tononum ejus Provinciæ caput ſe contulerit, ibique erecto veritatis vexillo per patientiam, & doctrinam omnibus omnia factus jacentem Religionem ſuſtinuit, & dominantem impietatem fregit, ac dejecit, quaſi alter David. Sed illud in primis egregie geſſit, quod nuſquam, nec unquam negotium fidei deſperaverit, ſed major laboribus, impedimenta omnia ſi non poterat tollere, vel effugiebat, vel eludebat. Prohibitus Tononi ſacrum conficere, in Arcem Allingianam memoratam quatuor milliaribus diſtantem quotidie ibat, ut ibi ſacrificaret, atque eadem de cauſa flumen Druentiæ trajiciebat ſingulis diebus, per trabem glacie concretam manibus, ac pedibus repens. Vexatus calumniis, & ubique tanquam publice quietis perturbator, ſeductor populorum, & plane veneficus conclamatus, nullo infamiæ metu, nullo inſidiarum ſtrepitu nullo vitæ diſcrimine adduci potuit, ut tentatam fidei Catholicæ reſtitutionem aliqua ratione omitteret, neque uſquam adhibuit in conſilium eam, quam prudentiam humanam, ſeu nominis æſtimationem vocant: ſed Evangelici dicti memor, cum haud liceret palam, aperteque vivere, ac fidem conteſtari, in obvias ubique latebras ſeſe abdebat, ut poſt modicum ſilentium, inſurgeret adverſus hæreſim vehementius, nunc in furnis, nunc in maceriis, nunc in horroribus ſylvarum, nunc in profundo, altiſſimoque gelu continebat impetum zeli, abſconditus velut in Domini tabernaculo, quo inſidiantibus hæreticis incompertus validius inſultaret.

Sacerdotio inſignitur.

Contra hæreticos adoritur.

§.5. Inde animo excelſo, ſublimique manifeſta mortis ſibi intentatæ argumenta irridens abnuebat præſidia, & cuſtodiam militum, adeo ut rogatus a Barone Ernanciano Arcis Allingianæ Præfecto, ut nonniſi militari manu ſtipatus ex Arce prodiret, reſponderit, non alio militum ſatellitio eſſe opus, quam eo, quod divina providentia deſtinaverat: imo cum idem aſſereret hæreticos vi coercendos, oſtentaretque tormenta bellica, & militare ſubſidium, quo poſſet Franciſcus uti ad eoſdem hæreticos, vel comprimendos, vel ad meliorem frugem revocandos, ingenue profeſſus fuit, quam alte de divini verbi potentia ſentiret, affirmans, opus non eſſe machinis, ubi Deus ejus verbum audiri permitteret, neque Deus tantam ejus fiduciam fraudavit: nam cum Sicarii complures immiſſi ad eum de medio tollendum, tandem Franciſcum nacti ſtrictis gladiis eædem facturi in eum irruiſſent, ejus præſentia, & lenitate permoti, dejecti, ac exarmati fuere: nunquam enim Deus eos ſinit cadere, qui ſpe divinæ providentiæ fidem ſuſtinent. Propterea de cœleſti patrocinio jam ob innumera experimenta certus, maluit agere Dei cauſam, quam exequi imperium parentis, a quo jubebatur vitæ tot inſidiis appetitæ conſulere, ſuamq; domum repetere, ubi per quietem, ac ſecuritatem fas erat Deo, ſuperiſque liberius vacare.

Sicarii immiſſi ad eum occidendum ejus conſtantia permoti exarmati fuere.

§.6. Quin ſtudioſius, accuratiuſque in Eccleſiæ defenſionem incubuit, & cum voce prohiberetur adjuvare populorum fidem, cœpit ex ſcripto, pluribus confectis libellis, evulgatiſque theſibus, intime hæreſim percellere, tantumque effecit, ut Tononi Parochiam erexerit, & paulo poſt cum inſigni Religionis Catholicæ incremento plures ad veritatis lumen viros doctrina celebres, quorum præcipue auctoritate mendacium nitebatur, adduxerit. In hoc tamen fide augmento prudentiæ modum retinuit, ne liberius agens aucta perderet: itaque Curionis partes agens, & Euchariſtiæ Sacramentum ad Catholicos invitæ diſcrimine poſitos deferens, ne quid injuriæ Sacroſanctæ Euchariſtiæ ſectarii inferrent, eam geſtabat argentea theca incluſam e collo pendulam: ipſe interim pileo tectus, pallio circumvolutus, gravi paſſu neminem de via ſalutans, venerandus incedebat.

Parochia Tononi erexit.

Euchariſtiam infirmis in theca incluſam deferebat.

Hiſce artibus præſtans, juſſus fuit a Clemente VIII. felic. record. Prædeceſſore noſtro adire Theodorum Bezam Calvinianæ hæreſis acerrimum miniſtrum, ac propugnatorem, & cum ſolo ſolus agere, ut ea ove ad Chriſti ovile reducta, complures alias revocaret: quod ſane eximie Franciſcus præſtitit, Genovæ non ſine vitæ periculo cum Beza congreſſus, qui tamen ut ex merito confutatus veritatem faſſus eſt, ita ex ſcelere, arcano Dei judicio

Hæreſim Bezæ confutavit

cio indignus fuit, qui ad Eccleſiam rediret.

Præficitur Epiſcopo

§.7. Interea Tononum, & circumjectam regionē dira lues invaſit cum enormi Civium clade, in qua Franciſcus tam amanter, tam conſtanter, tam induſtrie corpora, animoſque, tum ſubſidiis, tum documentis procuravit, ut omnibus, & ſtupori, & amori fuerit, præſertim cum omnia pecuniæ adjumenta, præcipue ab Epiſcopo Granerio impartita recuſaſſet. Quapropter Epiſcopus his certiſſimis ſanctimoniæ indiciis compulſus, eum ſibi Coadjutorem Epiſcopalis curæ deſtinavit, rogavitque memoratum Prædeceſſorem noſtrum Clementem, ut Franciſcum, quem Romam ob Catholicæ fidei negotia mittebat, hujuſmodi dignitate ornaret: quod idem Clemens libentiſſime præſtitit, cognitaque ejus doctrina per examen de more interrogata, eundem ad pedes devolutum amplexans his verbis dimiſit: Vade fili, & bibe aquam de ciſterna tua, & fluenta putei tui, deriventur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas divide.

Contra Calviniſtas decertavit.

§.8. Igitur hoc ornamento tanquam novo, & potentiſſimo præſidio inſtructus in omne ſtudium amplificandæ Religionis Catholicæ, & hæreſis imminuendæ ſeſe effudit: Anneſſium regreſſus, omnia ſolus obire loco Epiſcopi abſentis, inſtituere Seminarium, ac Sanctam Domum Tononi erigere, artium officinam, & mercium emporium, ut Cives, & finitimos a Genevenſium commercio averteret, gnarus populos maxime corrumpi per commercia cum impiis habita: neque illi nova exercendæ conſtantiæ argumenta defuere. Inimicus zizaniarum ſator excitaverat inter Gallos, & Sabaudos bellum, cujus occaſione uſi Genevenſes hæretici, ſpecie auxilii, quod Gallis afferebant, Chablaſio, & Torniaco occupatis, inde Curiones Catholicos expellunt; ac præterea miſſis in Pagos, & finitima Oppida Calviniane hæreſis Prædicantibus, venenata ſemina ubique jaciunt, & Catholica ſata exſcidunt. Quod ubi Franciſcus advertit, non immemor illius divinæ ſententiæ: Si conſiſtant adverſum me caſtra, non timebit cor meum: inſurgat adverſum me prælium, in hoc ego ſperabo: Fortiter, ac religioſe irrupit in Caſtra, ductuſque a militibus more bellico ad Vitriacum Regiarum excubiarum Præfectum, ab eo exceptus perquam honorifice fuit, ac dimiſſus cum Regiis literis, quibus præcipiebatur, ne quicquam in religionis negotio innovaretur; quicquid vero novi inductum foret, in priſtinum revocaretur.

Plurimos hæreticos Eccleſiæ ſubjecit.

§.9. Neque contentus hac victoria, per quam amiſſa revocaverat, aliam retulit, per quam damna intulit hæreſi, religioni vero incrementum attulit. Cum enim ager Gexenſis ſub Gallorum dominio eſſet, ad Regem Lutetiam ſe contulit, ab eoque literas obtinuit, quibus liceret ipſi eo in agro habere de Catholica veritate conciones, quarum gratia, & efficacitate plurimos Eccleſiæ ſubjecit. Valebat enim ſumma, & efficaciſſima dicendi potentia, quam illi è Cœlo conciliaverat ſumma cordis innocentiſſimi ſanctitas, adeo ut Chriſtianiſſimus Rex neminem ad Jacobi Regis Angliæ animum conciliandum, atque ad veritatem flectendum aptiorem Franciſco exiſtimaverit: & Paulus V. Prædeceſſor noſter felic. recordationis aliquot poſt annos eumdem delegaverit ad componendas diſcordias, quæ ſubortæ fuerant inter Albertum, & Claram Eugeniam Archiduces, & Clerum Comitatus Burgundiæ.

Defuncto Epiſcopo Granerio imagoris Epiſcopi partes ſuſcepit.

§.10. Quamvis autem ardentiſſimum fuerit ejus in procuranda re Catholica ſtudium, dum Coadjutor fuit, laxavit nihilominus univerſas habenas caritati, cum audita hinc parentis, hinc Epiſcopi Granerii morte, quorum primi poteſtas quotidie ad domeſtica revocabat, & alterius reverentia, ne quid nimium ſibi arrogare videretur, cohibebat: conceſſam ſibi tandem quocumque pietas impelleret, eundi facultatem cognovit. Sic plena potius auctoritate, integras Epiſcopi partes ſuſcepit, cavere ne grex, ac Diœceſis improborum, hæreticorumque, more luporum inſidiantium incurſibus pateret, ordinare Clerum, ſtatuere familiam religioſis moribus compoſitam, Sanctorum Patrum, veterumq; Epiſcoporum exempla ſibi proponere cuncta Epiſcopalis vitæ momenta ſuis virtutibus, functionibuſque animare, Synodum cogere, Eccleſiaſticæ diſciplinæ leges vel reſtituere, vel ſancire, ac potiſſimum catholicæ religionis ſinceritati conſulere, qua mores catholicorum informando, qua ſectariorum dogmata evertendo, qua deceptas oves ad ovile reducendo: quod adeo offendit Calvinianos pſeudominiſtros, ut cum duos nobiles viros Gexenſes ad Eccleſiæ gremium evocaſſet, illi rabie, ac furore acti venenum ei propinaverint, quod tamen irritum fuit, implorata per votum Deiparæ ope: & tantum abfuit, ut propterea ab incœpto deſiſteret, ut conſtantius deſudaverit in concionibus habendis, quarum vi Divione, Gratianopoli, Pariſiis, & alibi plures inſignes viros fidei catholicæ reſtituit, ac præcipue Claudium Buccardum Lauſannæ publicum Theologiæ profeſſorem, Franciſcum Ducem Diguerianum Delphinatus Proregem, Barberium, & Jacobum Philippum celebres Calvinianæ ſectæ pſeudominiſtros. In his autem concionibus, ut conſtaret a ſe nonniſi animarum ſalutem quæri, pecuniam, quæ eſſet vel loco alimenti, vel excellentiæ teſtimonio, recuſavit omnem, nullo Principum offerentium habito reſpectu, & tam generoſe, ut Duciſſæ de Longavilla, peram aureis plenam impertienti, palam cum reſpueret, dixerit gratis dandum, quod gratis accipitur, nec ullam expetendam pro fidei præconio mercedem, præter pretioſam illam, quam cultoribus vineæ promiſit Dominus.

Inſignes viros fidei Catholicæ reſtituit.

Eleemoſynarius pauperum fuit.

§.11. Notum eſt enim, cum magni Eleemoſinarii munere apud Chriſtinam

Sabaudiæ Ducissam fungeretur, nihil præter hujus nominis dignitatem voluisse, & non solum quicquid honorariæ mercedis solitum erat dari modestissime recusasse, verum etiam pretiosissimum adamantem valoris quingentorum nummorum ab eadem Christina Ducissa dono acceptum pauperibus destinasse, iis verbis usus: Hoc pro pauperibus nostris Annesiensibus bonum erit.

§. 12. Sed ejus constantia debuit gravioribus experimentis muniri, ut fides probaretur. Duo enim sunt, quæ maxime fidem concutiunt, damnum, & lucrum: utrumque illi propositum roboravit, fidem non intregit.

Amissio bonorum ejus fidem non sustegit.

§. 13. Jussus a Gallorum Rege Gexium ire, & cum Barone Luxensi Regio in Ducatu Burgundiæ Locumtenente de Religionis catholicæ usu exercitioque in eam Regionem inducendo agere, cum Rhodanus qui trajiciendus erat, ut Gexium peteret, imbribus exundans certum afferret vitæ discrimen, Geneva intrepide pertransiit, nec habitu Episcopi deposito, nec Episcopi Diœcesis nomine dissimulato, unica tantum orationis armatura munitus; atque inde post horam discedens, Gexium appulit. Impii homines, ut hoc religionis negotium turbarent, statim apud Ducem Sabaudiæ accusant Episcopum, quod de transferendis in Regem Gallorum Civitatis Genevensis juribus pertractaret: quæ calumnia primo locum non habuit, postea admissa Senatui suasit, ut vel ad pœnam, vel ad terrorem decreto edito bona Episcopi publicata in ærarium Principis referret; nihil tamen edicto commotus ipse hoc unum respondit, non eam sibi, ut credebatur injuriam irrogari, sed ita a Deo admoneri, quod vellet undique spiritualem, quem temporalibus destitui permitteret. Quibus verbis Senatus concussus veniam petiit, eique omnia restituit. Hæc enim Dei lex est, ut fides dum damna patitur, per damna nobilitetur. Neque minus lucri fulgorem, quamvis specie boni splendidum, contempsit, dum Coadjutoris Parisiensis munus ea de causa illi oblatum, quod pinguiori reditu abundaret ad paupertatem sustentandam, respuit, illud oraculum opponens Dominus regit me, & nihil mihi deerit in loco pascuæ ibi collocavit.

Pauperum erat eximius amator.

§. 14. Cum tale, ac tantum fidei fundamentum jecisset, mirum non fuit si perfectissimam, & omnibus virtutibus absolutam sanctitatis molem ad supremum usque apicem extulit, & si Ecclesia communi consensu Sanctorum insignia, & prærogativas tanto viro attribuere non dubitet. Pauperum erat eximius amator, eorumq; indicem secum deferebat, semper ad eos præsertim sublevandos maxime intentus, quos pudor, ac rubor deterrebant. Abstinentiam vero, ac frugalitatem, tam in victu, quam in vestitu severe retinuit, ut & sibi modum statueret, ac largius aliorum inopiæ subveniret: namque hoc veræ charitatis ingenium est, sibi detrahere, aliis addere; sic mensæ imposita fercula ad pauperes ablegabat; subligacula, interulas, similesque pannos sibi demptos ad aliorum operimentum traducebat, immo supellectilem argenteam, candelabra, yrceolos, annulum ipsum Pastoralem oppignoravit, ne pauperes dolerent: dotem puellis, quam poterat amplam erogabat; ne ipsarum pudicitia periclitaretur. Peregrinos, ac Religiosos viros, tanquam fratres domi excipiebat: omnes demum egestate pressos non contracta manu solabatur, & tam copiose, ut cum regionem late fames, ac alimentorum inopia invasisset, neminem stipe frustratum prætermiserit, singulis egenis familiis certa tritici copia attributa: & eo excrevit hæc juvandi cupiditas, ut cum nactus esset hominem mutum, ac surdum omni ope destitutum, non modo eum recreaverit iis subsidiis, quibus vita sustentatur, sed domi suæ educatum, qua nutibus qua gestibus (ingeniosa enim pietas est) informarit ad eternam salutem. Sicque cætera virtutum genera exercuit, charitatis æstu succensus, ut septuaginta hæreticorum millia Ecclesiæ Catholicæ subiecisse sit fama vulgatum.

Septuaginta Hæreticorum millia Ecclesiæ Catholicæ subiecit.

§. 15. Ex hujus charitatis officina volumina prodierunt, quorum documentis irrigata populorum, ac nobilium virorum pectora affluentem evangelicæ vitæ messem perperere. Ex hujus etiam charitatis altissima disciplina emanarunt leges tot sodalitatum ab ipso institutarum Augustissimi Sacramenti, Beatissimæ Virginis de Puritate, Eremitarum in Monte Vaironensi, præsertimq; Ordinis Sanctimonialium Visitationis Beatæ Mariæ sub Regula S. Augustini, cujus splendor tantum illuxit, ut intra modicum temporis intervallum ad centum supra triginta Monasteria sit propagatus. Hujus demum charitatis stimulis plane perennibus agebatur ad suæ Diœcesis commoda diu, noctuque omni sollicitudine procuranda, in qua lustranda, dum laborat, atque Annessium regreditur, Lugduni, sacro celebrato, vehementi apoplexia correptus, atque Ecclesiæ Sacramentis per summam pietatem, humilitatemq; refectus fidei professione emissa, repetitis non semel iis verbis: Servus inutilis sum, voluntas Domini, non mea fiat: Deus meus, & omnia; proximo die Sanctis Innocentibus sacro, dum in litaniis ipsi Sancti Innocentes invocabantur, innocens ad regna celestia translatus est an. ætatis quinquagesimoquinto, & reparatæ salutis vigesimosecundo supra sexcentesimum, & millesimum.

Varia Sodalitia præcipuè Monialium instituit.

Obiit Lugduni.

§. 16. Placuit autem Altissimo, qui mirabilis est in Sanctis suis tantæ Sanctitatis virum non modo per venerationem, cultumque Populorum nobilitare, sed etiam compluribus signis, ac miraculis illustrare, ut vivens, ac mortuus humano generi prodesset. Itaque constat per acta publica auctoritate nostra, & Sacræ Rituum Congregationis confecta, & diligenter expensa, Hieronymum Gemin in aqua obrutum, cum

Sequuntur miracula.

cum jam ejus cadaver fœtens sindone involutum efferebatur, revixisse, fustulisse brachia, & loqui cœpisse, magnificando Salesium, qui sibi tunc in ipso redeuntis vitæ momento Episcopali habitu indutus benigno, ac splendido vultu adesse visus est, non sine aliis ingentibus miraculi additamentis.

Mortuum suscitavit.

Cæcum natū illuminavit.

Claudium Marmon cæcum natum septennem, cujus oculi facultate videndi prorsus destituebantur, cum novendiali prece absoluta ad ejusdem sepulchrum procumberet, usum luminis accepisse.

Paralyticum sanavit.

Joannam Petronillam Eurax quinquennem paralysi laborantem, quamvis coxis, cruribusque aridis ad motum plane inepta crederetur, eamet hora, qua pater ad Francisci tumulum opem implorabat, ad matrem incolumi corpore, & festino gradu prorepisse.

Claudium Juliar paralysi pariter afflictum, sed innata, & decennali, usuque utriusque coxendicis, ac cruris destitutum tertia vice a matre delatum ad Francisci sepulchrum deosculandum, momento temporis membris, quæ inhabilia erant roboratis surrexisse, stetisse, & ambulasse,

Franciscam de la pesse demersam flumine vitæ restituisse, livore, tumore, deformitatisque notis, mirabiliter detersis.

Jacobum Giudi nervis contractum, & plane ab ipso ortu impotentem subito sanatum.

Carolum Moteron etiam ab ipsa nativitate impeditum membris, ac toto corpore deformem, subito exemptum, ac perfecta humani corporis forma accepta, gressum movisse.

Postulatio Canonizationis.

§ 17. Quapropter ejus vitæ sanctissimæ meritis postulantibus, ac rogantibus charissimis in Christo filiis nostris Ludovico Galliæ Rege Christianissimo, & Anna ejus Matre Vidua, ac Enriquetta Maria Anglie Reginis, & dilectis filiis nobilibus Viris Carolo Emanuele Sabaudiæ Duce, & Pedemontium Principe, ac Christina ejus Matre Ducissa Sabaudiæ Vidua, ac Francisco Maria, ac Adelaida Duce, & Ducissa Bavariæ, necnon Clero, Principibus, & Magnatibus Regni Galliarum, ac universo Ordine Monialium Visitationis Beatæ Mariæ Virginis, post ejusdem Francisci de Sales Beatificationem, die 28. Dec. anni 1661. publice in Sacrosancta Basilica Principis Apostolorum Missæ sacro peracto celebratam annuimus, ut ejusdem Canonizatio haberetur. Et cum jam nihil deesset eorum quæ huic Sacrosanctæ functioni necessaria sunt, ex Sanctorum Patrum auctoritate, Sacrorum Canonum Decretis, S. R. E. antiqua consuetudine, ac novorum decretorum præscripto: Tandem justum, & debitum esse censentes, ut quos Deus honorat in Cœlis, nos venerationis officio laudemus, & glorificemus in terris, hodie in Sacrosancta Vaticana Basilica, in qua solemni ritu cum ejusdem S.R.E. Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, ac dilectis filiis Romanæ Curiæ Prælatis, Officialibus, & Familiaribus nostris Clero Seculari, & Regulari, ac maxima Populi frequentia mane convenimus, post trinas pro Canonizationis decreto Nobis per dilectum filium nobilem Virum Carolum Ducem de Crequy apud Nos Regis Christianissimi Oratorem pro parte ejusd; Regis porrectas petitiones, post sacros hymnos, litanias, aliasque preces Spiritus Sancti gratia rite implorata.

Sanctorum Catalogo adscribitur.

§. 18. Ad honorem Sanctissimæ, & individuæ Trinitatis, ad exaltationem Fidei catholicæ, & Christianæ Religionis augumentum, auctoritate Domini nostri Jesu Christi, Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, ac nostra matura deliberatione prehabita, & divina ope sæpius implorata, ac de Venerabilium fratrum nostrorum ejusd; S.R.E. Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum, & Episcoporum in Urbe existentium consilio, Beatum Franciscum de Sales Episcopum Genevensem Sanctum esse decrevimus, & definivimus, ac Sanctorum catalogo adscripsimus, prout præsentium tenore decernimus, definimus, & adscribimus. Statuentes ab Ecclesia universali quolibet anno die 29. Januarii memoriam ejus inter Sanctos Confessores Pontifices pia devotione recoli debere. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

Indulgentia.

§. 19. Parique auctoritate omnibus utriusque sexus Christifidelibus vere pœnitentibus, & confessis, qui annis singulis dicta die 29. Januarii sepulchrum, in quo ejus corpus asservatur, visitaverint, septem annos, & totidem quadragenas de injunctis eis, aut alias quomodolibet debitis pœnitentiis misericorditer in Domino relaxavimus in forma Ecclesiæ consueta.

Gratiarum actio.

§. 20. Quibus peractis gratias, laudesque Deo optimo maximo reddituri, quod Sancto Francisco de Sales Episcopo Genevensi cultum, præconia, & honores ab Ecclesia Sanctis Pontificibus, & Confessoribus præstari solita a Nobis decerni voluerit, hymno Te Deum laudamus decantato, orationeque a Nobis recitata, ad Altare S. Petri Missam de more solemniter celebravimus die Dominica secunda post Pascha, additis secunda Oratione propria de Sancto Francisco, & secreta, ac postcommunione de comuni Sacerdotis Pontificis, omnibusque Christifidelibus ibidem præsentibus plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem concessimus.

Deum itaque, qui mirabilis est in Sanctis suis, benedicimus, quia suscepimus misericordiam in medio templi ejus, dum novum Nobis in Ecclesia apud Divinam suam Majestatem patronum, & intercessorem concessit ad ejusdem Ecclesiæ tranquillitatem, Fidei Catholicæ incrementum, hæreticorumque a via salutis errantium lumen, & conversionem.

Transumptorum fides.

Cæterum quia difficile foret præsentes nostras litteras ad singula loca ubi opus esset,

set, deferri: Volumus ut earum exemplis manu tamen publici Notarii subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem ubique fides adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ,

§.21. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostri decreti, definitionis, adscriptionis, mandati, statuti, concessionis, elargitionis, relaxationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo sexagesimosexto, tertiodecimo Kalendas Maii, Pontificatus nostri Anno XI.

Dat. tertio decimo Kalendas Maii 1666. Pont. An. XI.

✠ Ego Alexander Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

† Ego Franciscus Episcopus Portuensis, Card. Barberinus, S. R. E. Vice-Cancellarius.
† Ego Martius Episcopus Sabinensis Cardinalis Ginettus.
† Ego A. Barberinus Episcopus Prænestinus Cardinalis Antonius S. R. E. Camerarius.
† Ego Joan. Baptista Episcopus Albanensis Cardinalis Pallottus.
† Ego F. Maria tituli S. Laurentii in Lucina Cardinalis Brancatius.
† Ego Uldericus tit. S. Mariæ Transtyberim Card. Carpineus.
† Ego Stephanus tituli S. Laurentii in Pane, & Perna Card. Duratius.
† Ego F. Vincentius Maculanus Ordinis Prædicatorum tit. S. Clementis de Florentiola Card. S. Clementis.
† Ego Nicolaus tit. S. Mariæ Angelorum Card. Ludovisius M: Pœnitent.
† Ego Federicus tit. S. Petri ad Vincula Card. Sfortia.
† Ego Benedictus tit. S. Honuphrii Card. Odescalcus.
† Ego Laurentius tit. Ss. Quirici, & Julittæ Card. Raggius.
† Ego Joannes Franciscus Paulus Gondus tit. S. Mariæ super Minervam Card. de Rets.
† Ego Aloysius tituli S. Alexii Card. Homodeus.
† Ego P. tit. S. Marci Card. Otthobonus.
† Ego Laurentius tituli Sancti Crysogoni Card. Imperialis.
† Ego Gibertus tituli S. Joannis, & Pauli Card. Borromæus.
† Ego Joan. Baptista Spada tit. S. Marcelli Card. S. Susannæ.
† Ego Franciscus tit. Sanctæ Mariæ in Via Card. Albitius.
† Ego Octavius tit. S. Cœciliæ Card. de Aquaviva, & Aragonia.
† Ego Flavius tit. Sanctæ Mariæ de Populo Card. Chilius.
† Ego Scipio tit. S. Sabinæ Card. Delcius.
† Ego Hieronymus tit. S. Agnetis Card. Farnesius.
† Ego Julius tit. S. Sixti Card. Rospigliosus.
† Ego Sfortia è Soc. Jesu tit. S. Salvatoris de Lauro Card. Pallavicinus.
† Ego Volumnius tit. S. Martini in Montibus Card. Bandinellus.
† Ego Petrus tit. S. Callisti Card. Vidonus.
† Ego Carol. tit. S. Anastasiæ Card. Bonellus.
† Ego Virginius S. Mariæ in Via-Lata Diac. Card. Ursinus.
† Ego Franciscus S. Mariæ in Porticu Diaconus Card. Maidalchinus.
† Ego Fridericus S. Cæsarii Diac. Card. de Hassia.
† Ego Carolus S. Angeli in Foro Piscium Diac. Card Barberinus.
† Ego Carolus S. Eustachii Diaconus Card. Pius.
† Ego Decius S. Adriani Diaconus Card. Azzolinus.
† Ego Odoardus SS. Cosmæ, & Damiani Card. Vecchiarellius.
† Ego Franciscus Maria SS. Viti, & Modesti Diaconus Car. Mancinus.
† Ego Angelus S. Georgii Diaconus Card. Celsus.
† Ego Paulus S. Mariæ de Scala Diaconus Card. Sabellus.

Con-

DXLII.

Constitutio pro Instauratione, ac Reformatione Ordinis Cisterciensis.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Prœmium. IN suprema Sedis Apostolicæ specula dispositione divina constituti Dominicum gregem cœlitus nobis commissum circumspicientes, mentis nostræ aciem convertimus in Sacrum Ordinem Cistercienſem, cujus odor sicut agri pleni suavitas, cui Dominus benedixit, totam replevit Ecclesiam. & veluti fons hortorum irriguus cæteras irrigavit Religiones, & Ordines. Verum volventibus annis, non sine magno animi nostri mœrore cognovimus, Ordinem memoratum a primævę institutionis tramite ob temporum injuriam, & calamitatem non modicum deflexisse, & plurimâ passum esse in spiritualibus, & temporalibus detrimenta. Quare nos ex debito pastoralis officii singulari zelantes affectu, ad tanti Ordinis instaurationem, ac reformationem, divino freti auxilio, nostræ solicitudinis partes duximus impendendas: *Ut monastica disciplina ubi collapsa fuerit, restituatur, & constantius ubi conservata est perseveret: unitas servetur in Ordine, & præcisis dissentionibus, ac diffidiis, quæ in Regno Galliæ inter communis, & strictæ Observantiæ Monachos jamdudum exorta sunt, sincera pax, & mutuu charitatis officia benedicente Domino redintegrentur.*

Recenset alias literas. §.1. Alias siquidem per nostras literas in forma Brevis expeditas, die 16. Januarii 1662. Pontificatus nostri Anno septimo, de voto particularis Congregationis a Nobis desuper deputatæ, *quæ scripturas hinc inde datas vidit, & examinavit*, causam ipsius reformationis in statu, & terminis, in quibus tunc temporis reperiebatur, a quocumque Tribunali ad Nos evocavimus, ac dilecto filio Claudio Vaussin Abbati Cistercii totius Ordinis Generali dedimus in mandatis, ut advocaret, seu moneret viros idoneos Ordinis sui, tam ex Gallia, quam aliunde, ad exhibendum infra tres menses dictæ Congregationi particulari deputatæ articulos concernentes dictam Reformationem a Nobis institutam, & alias, ut in memoratis literis plenius continetur: *Cumque præfatus Claudius nostris parendo mandatis, reformationis articulos ad nos transmiserit, idemque præstiterint dilecti filii Abbates strictæ Observantiæ in Gallia multis ab hinc annis introductæ*: Nos hujusmodi articulos utrimque exhibitos Congregationi nonnullorum Vener. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, ac dilectorum filiorum Rom. Curiæ Prælatorum a Nobis desuper institutæ, sedulo, ac mature examinandos, & expendendos commisimus, quorum quidem articulorum ad generalem reformationem Ordinis Cistercienſis conveniens restrictio, & ad capita Sancti Benedicti Regulæ reduxio talis est, videlicet.

Circa caput 2. Regulæ: Qualis debeat esse Abbas.

2. Juxta Sacri Concilii Tridentini decreta summa cura satagant dicti Ordinis Abbates, & Superiores, ut a suis utriusque sexus subditis essentialia vota, quæ sunt bases, & fundamenta totius regularis disciplinæ, inviolabiliter observentur. Ipsi vero Abbates, & Superiores forma gregis facti, ex animo exemplum præbeant in omnibus, magistram sequentes Regulam.

3. Habeant Abbates, & Conventus propria sigilla, & teneantur novi Abbates præstare juramentum de non alienandis, & impignorandis bonis Monasterii, ac de pecuniis, & redditibus illius inutiliter non expendendis: Et omnes Officiales idem juramentum præstabunt de suis muniis fideliter exercendis, ac de mutuis non contrahendis, nisi servatis Constitutionibus Apostol.

4. Cum ad monasticam disciplinam restaurandam, & restitutam conservandam maxime visitationes regulares conducant, Capitulum Generale, Abbas Cistercii Ordinis Generalis, & quatuor primi Abbates, de Firmitate, de Pontigniaco, de Claravalle, & de Morimundo, provideant diligenter, ut singulis annis solicite, charitative, prudenter, & cum pietate fiant ad animarum salutem, cultum divinum, votorum essentialium observantiam, & alia, quæ ad mores, correctionem, & personarum regularium ædificationem, necnon administrationem, & statum temporalem pertinent. Caveant vero maxime Visitatores ab omni donorum receptione, & etiam ne nimium numeroso comitatu, aut familia gravioribus quam expediat expensis Monasteria onerent, & manducent tempore Visitationis in refectorio cum Fratribus, propter disciplinam servandam.

5. Abbates Regulares etiam perpetui subjaceant visitationi, & correctioni Visitatorum etiam non Abbatum, & ab ipsis ad sufficientem numerum Monachorum debite, & religiose enutriendum, ædificiorum reparationes, annuas Ordinis contributiones solvendas, communia Ordinis, & Provinciarum onera sustinenda, jurisdictionis suspensione, aliisque Ecclesiasticis pœnis, & censuris, servato juris ordine cogantur.

6. Ad residentiam in suis propriis Monasteriis prout de jure, teneantur; nec in Castellis, nec in Grangiis, aut alibi extra sepia Monasteriorum suorum commorentur: neque quarumcumque Monialium alterius Ordinis regimen, & visitationem absque expressa Summi Pontificis licentia sub pœna privationis vocis activæ, & passivæ ipso facto incurrenda, suscipere audeant.

7. Inter Abbates Regulares, & Conventus, aut Officiales Monasteriorum nulla fiat partitio bonorum, fructuum, reddituum, & proventuum eorum; sed communibus ipsorum usibus deputentur juxta statutum Benedicti Papæ XII. nisi pro meliori regimine, & utilitate quorumdam Monasterio-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

riorum ad impediendas dilapidationes, a Capitulo Generali, vel a Comitiis interme. diis aliter judicaretur.

8. Procurent tamen Superiores, & Visitatores Ordinis, ut in Monasteriis commendatis quantum fieri poterit, pensiones Religiosorum, & famulantium in bonis stabilibus assignentur.

Circa caput 3. *de adhibendis in consilium fratribus.*

9. Capitula Generalia quolibet triennio apud Cistercium celebrentur, eisque omnes Abbates, nisi legitime impediti, aut ob justas causas excusati, simul, & Abbates a Congregationibus deputati, Procuratores Generales, Visitatores, & Syndici Provinciarum, Collegiorum Provisores, seu Rectores adesse teneantur, de sibi commissis muneribus actis, & per se gestis rationem redditurі, & de agendis, aut reformandis in posterum in timore Dei juxta regularia Ordinis instituta, & Constitutiones Apostolicas tractaturi.

10. Licet autem soli Definitores vocem decisivam in definitionibus condendis habeant, tamen omnes Abbates, & aliæ personæ idoneæ, & de Ordine benemeritæ, judicio Abbatis Generalis, & quatuor primorum Abbatum designandæ, & post electionem Definitorum nominandæ, vocem consultivam habebunt.

11. Serventur quoque Constitutiones circa numerum eorum, quos Abbates dicti Ordinis venientes ad Capitulum secum ducere olim poterant; nullusque qui non habet jus interveniendi, vel non fuerit vocatus, absque licentia petita, & obtenta ab Abbate Generali, ad dicta Capitula accedere audeat.

12. Et quia in dies multa emergunt negotia, quæ matura deliberatione indigent, quolibet tempore intermedio inter duo Capitula die, & loco per Abbatem Cistercien sem designandis, ipse Cistercienses, & quatuor primi Abbates conveniant cum aliis ex Visitatoribus Provincialibus Monasteriorum utriusq; Observantiæ, Præsidibus Congregationum, Procuratoribus Generalibus, & Syndicis Provinciarum, qui negotia magni momenti agenda habebunt: Et ut celebratio dicti Conventus sit omnibus nota, ipse Generalis Abbas eam more solito ante sex menses Præsidibus Gongregationum, Visitatoribus Provinciarum, Procuratoribus Generalibus, & Syndicis indicere tenebitur, ut ad dictam Congregationem accedant, vel mittant, certioresque faciant dictum Abbatem Generalem, & quatuor Primos de statu Congregationum suarum: præter quem Conventum nullus alius in toto Galliæ Regno fiat sub quocumque prætextu, nisi a Capitulo Generali fieri concedatur.

13. Visitatores Provinciarum Monasteriorum communis Observantiæ a Capitulo Generali, aut ipso cessante ab Abbate Cistercienси, de consilio, & consensu quatuor Primorum Abbatum, sicut alii publici Officiales, instituantur non solum ex numero Religiosorum probatorum communis Observantiæ, sed etiam si ita expe diens judicaverint ex numero Religiosorum strictæ Observantiæ, seu Abstinentiæ, quorum consilio, & opera uti poterunt ad præsentem reformationem instituendam.

14. Item Provisor Collegii Parisiensis, Procurator, Doctores, Regentes, & alii Officiales secundum Benedicti Papæ XII. Constitutionem, per Capitulum Generale Ordinis, aut eo cessante, sicut consuetum est, ab Abbate Cistercienси auctoritate Capituli Generalis fungente, instituantur, & destituantur usque ad Capitulum Generale, vel intermedium, sive sint ex communi Observantia, sive ex strictiori.

15. Similiter consultis Provinciarum Visitatoribus super merita, vel demerita Religiosorum instituantur, & destituantur a dicto Abbate Generali, & quatuor Primariis Abbatibus, & aliis filiationem habentibus respective Priores claustrales, & Confessores in Monasteriis Monialium ad nutum amovibiles, observato moderamine, ut in Monasteriis commendatis strictioris Observantiæ virorum, ac Monialium nullum instituere possint, qui non profiteatur abstinentiam: & licet omnes Ordinis Officiales, & Monasteriorum Priores sint ad nutum amovibiles, attamen quolibet triennio suorum officiorum, & Prioratuum voluntariam dimissionem in scriptis faciant Capitulo Generali, Abbati Cistercii, quatuor primis Abbatibus, & aliis Superioribus a quibus respective fuerint instituti, cum facultate tamen eos continuandi in officiis, & prioratibus quandiu ipsos reperierint, & judicaverint idoneos.

Circa caput 6. *de taciturnitate.*

16. Laudabilem morem servandi silentium a Completorio usque ad tempus Capituli diei sequentis in omni loco, & semper in locis regularibus, puta in claustro Regulari, in Ecclesia, in Dormitorio, in Refectorio, & in Calefactorio omnes teneant, cum facultate tamen petendi necessaria, submissa voce absque conscientiæ scrupulo.

Circa caput 8. *usque ad* 20. *inclusive de forma divini Officii. & modo psallendi.*

17. Forma ista exactissime observetur, & materia ab Ecclesiæ Romanæ usu ad Dei gloriam, & proximi ædificationem sumatur, prout hactenus consuevit Ecclesia Cistercienses, *cui tanquam matri omnes aliæ Ecclesiæ dicti Ordinis ex charta Charitatis, Eugenii III., & Pii V. definitionibus, & præceptis conformari tenentur*: Ut autem hæc uniformitas in divino Officio persolvendo teneatur in omnibus Ordinis Monasteriis, iisdem ritibus, & cantu, & libris omnibus ad diurnas, & nocturnas horas, & Missas necessariis, secundum prædictam formam Cistercienses Monasterii omnes utantur.

18. Horis canonicis, Officio Beatæ Virginis, & Defunctorum juxta usus, & consuetudines laudabiles hujus Ordinis in Choro recitandis, & decantandis omnes, & singuli cum cucullis interstint, & horas canonicas cum cantu Gregoriano juxta regulam persolvant.

19. Diebus festivis solemnioribus surgent hora secunda post mediam noctem, aliis vero diebus temperatius, prout a Capitulo Generali determinabitur. Horis matutinis post Officium Beatæ Mariæ Virginis, & post Completorium, aut aliis horis competentibus, vacent per mediam horam qualibet vice meditationi, & per decem dies exercitiis spiritualibus semel in anno.

Circa caput 22. *quomodo dormiant Monachi.*

20. Omnes, tam Abbates, quam Monachi, tam Abbatissæ, quam Moniales in communi dormitorio recumbant, illis exceptis, quos, aut quas ratione officiorum suorum, aut negotiorum, aut ob alias justas causas ab eo excusari oporteat juxta Abbatis, aut aliorum Officialium judicium. Quamvis autem Regula jubeat, & etiam Benedicti Papæ XII. constitutio præcipiat, ut omnes in uno loco dormiant sine cellis separatis; tamen ob majorem modestiam, & vitæ honestatem, sicut longa experientia comprobatum est, & ad consulendum cujuslibet infirmitatibus, dictarum cellarum usus venit tolerandus, dummodo juxta Clementis Papæ VIII. decreta habeat Superior clavem, ut cum sibi videbitur, cellas omnes referare possit. Nullusque cellam etiam noctu ita claudat, quin a Superiore possit aperiri. Sit etiam in ostio foramen pendula, vel ductili tabula coopertum. Vestiti dormiant omnes cum parvo caputio albo: lectisternia secundum Regulam in eis disponantur, & supellex talis sit, ut statui paupertatis quam professi sunt Monachi, conveniat; nihil superflui in ea sit, nihil etiam in ea necessarii desit.

Circa caput 28. *de bis qui sæpius correcti, non emendantur.*

21. Observentur Sacræ Congregationis Concilii decreta de Regularibus apostatis, & ejectis, & juxta illa dumtaxat incorrigibiles e Monasteriis, & Ord. ejiciantur.

Circa caput 31. *de Cellerario.*

22. Administratio bonorum temporalium secundum Concilii Tridentini Decretum fiat per Officiales, prout scilicet eis injunxerit Abbas ad nutum amovibiles, sic ut de omnibus receptis, & expensis coram Abbate, seu Superiore, & senioribus domus fidelem teneantur reddere rationem: pecuniæ vero omnes ab uno Bursario per Abbatem, aut Superiorem de consilio Seniorum stabiliendo serventur in arca sub tribus clavibus, quarum una apud Abbatem, aut Superiorem maneat, aliam custodiat senior domus, tertiam vero ipse Bursarius. Nullus ex Superioribus locorum administrationem bonorum, aut aliarum rerum, dispensationemque pecuniarum, & redditum sui Conventus, etiam nomine Conventus per seipsum habere, seu exercere possit, sed universum id onus tribus Fratribus ejusdem Conventus a Generali ita demandetur, ut unus rerum, & bonorum, redditumque colligendorum, ac exigendorum curam habeat, alter tanquam Depositarius pecunias, ac cætera ab illo collecta, & exacta fideliter asservet, alius de pecuniis, ac rebus a Depositario acceptis Superiori, & Fratribus, ac Conventui universo de necessariis, mandante tamen ipso Superiore, non secundum proprium affectum, sed juxta charitatis regulam veluti bonus dispensator provideat, officiorum hujusmodi confusione penitus interdicta.

Circa caput 33. *si quid debeant Monachi proprium habere.*

23. Observetur ubique vita communis juxta Concilii Trid., Benedicti Papæ XII., & Clementis VIII. decreta: nec cuiquam Regularium, tam virorum, quam mulierum dicti Ordinis liceat aliqua bona tanquam propria, aut etiam nomine Conventus possidere, vel tenere, nec fas sit Superioribus alicui Regulari concedere bona stabilia, aut certi bladi, panis, vini, vel pecuniæ pensiones dare, etiam prætextu contractuum initorum, vel ineundorum inter Monachos communis, & strictioris Observantiæ, quos Sanctissimus Dominus Noster Alexander VII. declaravit per suas in forma Brevis literas de die octava mensis Martii anni 1660. nullos, irritos, illicitos, & paupertati religiosæ contrarios; sed omnia omnibus sint communia, & detur unicuique secundum cujusque Monasterii facultates, regionum qualitates, omnia necessaria tum ad victum, tum ad vestitum, sive sano, sive ægro, sive seni, sive juveni, sine ulla personarum acceptione, & habita tantum ratione necessitatis.

Circa caput 39. *de mensura ciborum.*

24. Qui abstinentiam a carnibus amplexi sunt, aut in posterum amplectentur, illam exacte retineant, & nemini illorum liceat ad communem ipsius Ordinis observantiam transire, nisi petita, & obtenta facultate a Summo Pontifice pro tempore existente, aut saltem a Capitulo Generali, vel eo cessante ab Abbate Cistercienси. Nulli etiam communis Observantiæ professori propter pacis, & charitatis custodiam liceat ad dictam perpetuam abstinentiam transire, non perita licentia saltem a suo Patre immediate; ad quam abstinentiam amplectendam Superiores nullum qui non fuerit in ea educatus, possint cogere: nec ullus licentia utendi carnibus auctoritate apostolica omnibus personis regularibus Ordinis, etiam sanis, & bene se habentibus data, & ab eadem approbata, & denuo concessa frui possit, nisi tribus diebus tantum in hebdomada extra tempus Adventus, Septuagesimæ, & Quinquagesimæ, & aliud ab Ecclesia prohibitum.

Circa caput 41. *quibus horis oporteat reficere fratres.*

25. Jejunia non solum Ecclesiastica, sed etiam a Regula, & a Constitutionibus præscripta serventur Ecclesiastica moderatione. Circa tempus refectionis, senum, juniorum, & infirmorum habeatur ratio: Insuper de jejuniis Regulæ aliquando possint dispensare Superiores, pro personarum, loco-

locorum, regionum, & anni tempestatum consideratione, ut aliqui fructus, & alia id genus alimenta in collatione, seu refectiuncula concedi jejunantibus possint.

Circa caput 51. de fratribus qui non longe satis proficiscuntur.

26. Laudabilis consuetudo introducta servetur.

Circa caput 53. de hospitibus suscipiendis.

27. Ad hospitalitatem tantopere commendatam sint ferventiores Monasteriorum Superiores, sed in hospitibus suscipiendis frugalitas appareat, nullusque excessus permittatur: nec Religiosis cum consanguineis, & aliis supervenientibus in dormitorio, in cameris privatis, nec extra loca a Superioribus designata manducare concedatur, sicut nec Monialibus ad crates, & in locutorio cum quibuscumque, tam secularibus, quam regularibus. Circa vero lotionem pedum hospitum standum consuetudini.

Circa caput 54. quod non debeat Monachus literas accipere.

28. Literæ directæ non sine Superioris licentia apertiantur, nec dirigendæ mittantur; sitque unicum sigillum in Monasterio, quod penes Priorem maneat, eoque omnes literæ sigillentur.

Circa caput 55. de vestimentis, & calceamentis Fratrum.

29. Quia humilitas personas Religiosas maxime decet, & modestia omnium virtutum splendor, & ornamentum existit, Abbates omnes, & Monachi ejusdem Ordinis habitu uniformi, modesto, atque decenti utantur, qui ejusdem virtutes simul, & paupertatem redoleat. Abbates intra claustra Monasteriorum suorum pileos non ferant, sed Religioso more tegantur: Monachi vero tam intra, quam extra Monasteriorum septa nunquam sine caputiis incedant; omnes etiam, tam Abbates, quam Monachi pannis nigri, & albi dumtaxat coloris simplicibus, honestis tamen, & mundis vestiantur, sic ut nihil appareat in eis quod novitates secularium sapiat, & quod possit offendere intuentes. Ab induviis, & collaribus lineis abstineant, solisque laneis tam intra, quam extra Monasterium utantur sicut, & femoralibus. Nullus Abbas, vel Monachus audeat barbam, & capillos nutrire, vel prominentes in superiori labro pilos alere, aut aliter quam uniformiter, & æquali pectine capillos, vel barbam circumquaque tondere, relicto in capite eo circulo, quem monasticam coronam vocant, ut Religiosi Monasterii Cistercii deferre solent.

Circa caput 57. de artificibus Monasterii.

30. Procurent Superiores ut juvenes, quos ad studia non satis propensos esse judicabunt, honestam aliquam artem ediscant cujus exercitio otiositatem, & solitudinis tædium evitare possint.

Circa caput 58. de disciplina suscipiendorum Fratrum.

31. Circa novitiatus, & professoria designanda servabitur quod statuitur in Literis Sanctissimi Domini nostri. Et circa receptionem, & educationem serventur Regula, & Constitutiones Apostolicæ, maxime decreta san. mem. Clementis VIII., & recipiantur Novitii sufficientis literaturæ: hoc est grammaticalibus, & si fieri possit, Philosophicis instructi, post aliqualem in habitu seculari probationem in propriis domibus factam, cum sufficienti pensione a Visitatoribus, aut aliis Superioribus pro ratione locorum determinanda, & a Monasteriis pro quibus suscipiuntur solvenda, vel compensanda.

32. Recipiantur autem a Visitatore Provinciæ, & a novitiorum Magistro, & ab ipsis examinati, & idonei inventi vestiantur, & probentur, atque in hac communi Observantia ita educentur, ut excepta sola a carnibus abstinentia, ad omnia S. Regulæ capita, prout hic sunt denotata, sese toto vitæ decursu teneri intelligant.

33. Seminaria, seu professoria simili ratione ad pietatis, & Religionis excolendæ opus erigantur, in quibus noviter professi cum pensione sufficienti, aut compensatione maneant, & ad perfectionem Sanctæ Regulæ, & dicti Ordinis Cistercienſis praxim acquirendam ita erudiantur, ut nullus ex illis ad studia, vel ad Ordines, vel ad gradus assumatur, qui probatæ vitæ, & sufficientiæ testimonia non dederit.

34. Quia aliqui dicti Ordinis Monachi sub prætextu stabilitatis promisse, dum solemnem votorum professionem emiserunt in aliquo certo, & determinato Monasterio, prætendunt se etiam pro majori Monasteriorum ipsorum commodo, bono, & utilitate Ordinis, aut qualibet alia justa, & legitima ratione, si ipsi renuant, in alia Monasteria transferri non posse, nisi ob grave aliquod crimen quod in eodem loco facile emendari non possit, unde experientia ita comprobante multæ sæpe oriuntur dissensiones, inobedientiæ, rebelliones, lites, & incommoda innumera: Renovatur Constitutio Pii II. de anno 1461. qua facultas datur Visitatoribus, & Superioribus Ordinis pro tempore existentibus, ut si eis ita expediens videatur, personas ipsas ad alia ejusdem Ordinis Monasteria transferant, & alias idoneas in earum locum usq; ad sufficientem numerum substituant, in beneficium Novitiatuum, & Seminariorum communium, & faciliorem præsentis Constitutionis, & reformationis executionem, itaut qui in locis Novitiatuum, & Seminariorum communium, & in aliis reformandis Monasteriis noluerint in omnibus præsenti reformationi sese submittere, cogantur sub pœna Carceris sese transferre ad alia Monasteria per Visitatorem Provincialem eis designanda, ibique commorari; quæ Monasteria tenebuntur illos recipere, & eos tanquam filios, & professos habere, solo excepto jure electionis Abbatum, sub pœna interdicti, aliisque censuris contra renuentes, & huic Ordinationi sese opponentes.

Cir-

Circa caput 61. De Monachis peregrinis qualiter suscipiantur.

35. Quilibet Visitator, seu Præses Provinciarum habeat sigillum Provinciæ ejus Visitationi commissæ, nec præter ipsum possit quisquam dare licentiam conveniendi Superiores Majores, nec extra quatuor dietas ex Monasterio proficiscendi: quæ licentia in scriptis detur, & Provinciæ sigillo muniatur.

Circa caput 64. De ordinando Abbate.

36. Nullus in posterum in Abbatem Generalem Ordinis Cistercienſis, qui eumdem Ordinem non sit expresse professus, eligatur; & electio aliter facta, sit ipso jure nulla: & sic eligentes pœnam privationis vocis activæ, & passivæ in perpetuum eo ipso absque alia declaratione incurrant; præterea eligendus iis dotibus, & virtutibus sit instructus, qua S. Benedictus in hoc capite, & secundo hujus Regulæ in Abbate requirit: Vitentur autem in electionibus ejusmodi omnes inordinati ambitus, & processus, & secundum Canones fiant per scrutinium, in quibus omnes dicti Ordinis utriusque Observantiæ Monachi voce passiva respective gaudeant, nisi aliunde intercedat impedimentum.

Circa caput 67. De Fratribus in via directis.

37. Meminerint Superiores se, & Religiosos suos obligari ad solitudinem, nec ex illa debere, & posse exire, nisi propter gravem, & necessariam causam, idque cum maximo tremore, ne conceptus devotionis fructus dissipetur. Unde Sanctus Legislator a solitudinibus exeuntes ad orationem propter tantum periculum, recurrendum esse jubet: Non ergo permittantur ire Religiosi ad oppida, vel pagos viciniores, nisi contingeret gravis aliqua necessitas, & semper cum socio a Superiore designato.

Circa caput 70. Ut non præsumat quisquam alium cedere.

38. Causæ mere regulares inter personas dicti Ordinis emergentes intra Ordinem terminentur juxta antiquas illius Constitutiones, nec liceat alicui extra Ordinem appellare sub pœnis in ipsis contentis.

39. Omnia supradicta respective ad Moniales pertinere volumus, præcipiendo Abbati Generali, & quatuor primis, & aliis Patribus Abbatibus, ut omnes sibi subditas ad clausuram a Bonifacio VIII., & a Concilio Tridentino ordinatam utique reducant, & cogant.

40. Ut autem imposterum una regula, una charitate, similibusque moribus ubique vivatur, & omnes utriusque sexus Ordinis personæ sciant in quo strictior Observantia, excepta sola a carnibus abstinentia, consistat, fiat brevis, & dilucida compilatio, & reductio omnium Constitutionum Apostolicarum, & statutorum, quæ aut per usum contrarium, aut per aliquam aliam rationem non sunt abrogatæ, & per selectos ab Abbate Generali, & quatuor primis Abbatibus viros, in disciplina regulari, juribus, & privilegiis dicti Ordinis exercitatos distribuantur in certa capita a Capitulo Generali approbanda, & promulganda, & demum typis mandanda, & in vernaculam linguam pro Monialibus vertenda, atque ad calcem Regulæ Beati Benedicti apponenda, ut in Capitulis singulorum Monasteriorum post lectionem Regulæ aliqua eorum capita succesſive legantur.

41. Cum vero in Congregatione Cardinalium, & Prælatorum, ut supra instituta, præinserti reformationis articuli diligenter discussi, & examinati, & qua parte opus fuit emendati, & aptati fuerint; *Nos de omnibus plene instructi, & informati comperimus illos pro felici Monachorum dicti Ordinis statu, & salubri directione provide compilatos, ac perstrictos fuisse*, & cum B. Benedicti Regula, quam primi Cistercienses in primævo instituto Charta charitatis nuncupato, a multis Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris approbato tenendam, & intelligendam posteris reliquerunt, in omnibus esse congruentes, præterquam in aliquibus quæ vel ex rationabili inveterata consuetudine abrogata, vel ex legitima Sedis Apostolicæ dispensatione pro temporum varietate lenita, ac temperata fuere. Quocirca motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine tenore præsentium eosdem supraſcriptos articulos reformationis in omnibus, & per omnia approbamus, & confirmamus, illisque perpetuæ, & inviolabilis firmitatis robur adjicimus, atque in universo Ordine Cistercienſi tam in Regno Galliæ, quam in aliis Regnis, & Provinciis, ab omnibus tam communis, quam strictæ Observantiæ Religiosis firmiter, & inviolate servari præcipimus, & mandamus sub pœnis in Regula contentis.

42. Cupientes autem, ut nostra hæc reformatio non sit verbotenus, sed divino auxilio realis, & cum effectu, eidem Claudio districte injungimus, ut primo quoque tempore convocet Generale Capitulum apud Monasterium Cistercii celebrandum in mense Majo sequentis anni 1667. ad quod vocentur, & convenire teneantur omnes, & singuli Abbates, & Priores Conventuales Monasteriorum totius Ordinis præfatione canonicam non habentes, & in eo Abbas Cistercii, & quatuor Primarii Abbates eligant de more generales Definitores, ita tamen ut unusquisque illorum eligere debeat saltem duos ex Abbatibus strictæ observantiæ: adeo ut in universum in Definitorio vocem decisivam habeant Abbates 25. videlicet Abbas Cistercii, & quatuor primarii Abbates, item Definitores decem ex communi, & totidem ex stricta observantia: in Capitulo autem, seu Definitorio, ut præmittitur, congregato, diligens habeatur tractatus de reformatione Ordinis, & observantia regulari, deque aptiori modo exequendi, & ad praxim deducendi præinsertos Reformationis articulos, & quod deliberatum,

ac ſtatutum fuerit, inviolate obſervetur.

43. Ordinentur etiam in eodem Capitulo, ſeu Definitorio Religioſæ, ac circumſpectæ perſonæ, quæ ſingula Monaſteria cujuſque Provinciæ ſecundum formam eis præfixam viſitare ſtudeant, corrigentes, & reformantes, quæ correctionis, & reformationis officio viderint indigere.

44. Præterea fiat diviſio, ſeu partitio Monaſteriorum ſtrictæ Obſervantiæ in Regno Galliæ exiſtentium, in duas ſaltem Provincias, & abipſo Abbate Ciſtercii, & quatuor primariis Abbatibus, & decem Definitoribus ejuſdem ſtrictæ Obſervantiæ per ſecreta Schedularum ſuffragia eligantur ex eadem Obſervantia duo Provinciales Viſitatores nuncupandi, uſque ad ſequens Generale Capitulum duraturi, quorum quilibet juriſdictionem ordinariam habeat in Monaſteriis Provinciæ ſuæ.

45. Item in ſingulis Provinciis univerſi Ordinis etiam extra Galliam deſignentur duo Monaſteria Monachorum communis Obſervantiæ, unum ſcilicet pro Novitiatu, & alterum pro Profeſſorio, ſeu ſecundo Novitiatu, una cum Magiſtris pro educandis Novitiis, & noviter Profeſſis, & cum familia ſelecta: quæ quidem deſignationes una cum actis Capituli in ſcripturam redactæ, atque ab eodem Abbate Ciſtercii, & quatuor primariis Abbatibus ſubſcriptæ, & conſueto ſigillo obſignatæ tranſmittantur ad Procuratorem Ordinis in Urbe noſtra exiſtentem, qui ſtatim illas nobis exhibeat, ut recognoſcantur, & approbentur.

46. Interea vero motu, ſcientia, & poteſtate ſimilibus prohibemus, & interdicimus tam prædicto Abbati Ciſtercii, & quatuor primariis Abbatibus, quam cæteris Abbatibus, & Superioribus Monaſteriorum communis Obſervantiæ, ſive in Gallia, ſive in aliis Regnis, & Provinciis exiſtentium, ne quemquam ad habitum ſuæ Religionis recipiant, aut in poſterum contra hujuſmodi prohibitionem forſan recipiendos ad profeſſionem admittant, donec antedictæ deſignationes pro Novitiatibus, & Profeſſoriis, ut ſupra factæ, & ad Procuratorem Ordinis tranſmiſſæ nobis realiter, & cum effectu exhibitæ fuerint, atque ut præfertur, approbatæ: alioquin ſic recipientes, vel admittentes, ſententiam excommunicationis incurrant, a qua non per alium, quam per Nos, & Romanum Pontificem pro tempore exiſtentem, niſi in mortis articulo conſtituti abſolvi poſſint.

47. Ad hæc de voto ejuſdem Congregationis Cardinalium, & Prælatorum, qui juſſu noſtro rationes, & motiva voce, ſcriptoque propoſita tam a Procuratore Ordinis, quam a duobus Abbatibus ſtrictæ Obſervantiæ pro reformationis negotio ex Gallia ad Urbem ablegatis, iterum ac tertio accurate, matureque conſiderarunt, & diſcuſſerunt, Nobiſque plenam de omnibus relationem fecerunt, auctoritate Apoſtolica præſentium tenore declaramus literas in forma Brevis datas diebus 10. Novembris 1657., & 8. Martii 1660. necnon 2. Julii 1661. reſpective nullo obreptionis, ſubreptionis, intentionis noſtræ defectu, vel alio nullitatis vitio laboraſſe, nec laborare, ac proinde omnino eſſe ſervandas, & executioni mandandas, prout ſervari, & executioni mandari jubemus, perpetuum deſuper ſilentium imponentes ſub pœnis contentis in primodictis noſtris literis editis die 16. Januarii 1662.

48. Cæterum ex hac noſtra declaratione, quoad ea quæ memoratis literis noſtris, & his præſentibus non adverſantur, Monaſteriis Monachorum Reformatorum in Regno Galliæ, eorumque ſtrictæ Obſervantiæ, aliquod præjudicium generare non intendimus, ſed illam in ſua firmitate, ac robore volumus permanere, perinde ac ſi eædem literæ non emanaſſent. Quin imo noſtræ intentionis eſt eandem ſtrictam Obſervantiam in ſua laudabili vivendi ratione confovere, ac pro illius conſervatione, & incremento paſtoralis noſtri officii partes gratioſe, ac favorabiliter impendere, unde Abbatem Ciſtercii, & primarios quatuor Abbates ſerio in Domino monemus atque adhortamur, eiſque in virtute ſanctæ obedientiæ diſtricte præcipimus, & mandamus, ut ipſam ſtrictam Obſervantiam non modo protegere, ac zelo charitatis complecti, verum etiam diffundere, & propagare pro viribus ſtudeant, ut in dies benedicente Domino in Eccleſia militante fructus ferat uberiores.

49. Similiter declaramus validas fuiſſe, & eſſe Profeſſiones a Monachis ſtrictæ Obſervantiæ in hanc uſque diem emiſſas, necnon abſolutiones cum actis hucuſque geſtis, quæ ſuum plenarium ſortitæ ſunt effectum, itaut prædictarum, ac præſentium noſtrarum literarum vigore nullitatis vitio minime ſubjacuiſſe, aut ſubjacere cenſeantur, nec propterea a quoquam impugnari, infringi, aut in controverſiam adduci ullatenus poſſint; Sicque per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, & S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, & Apoſtolicæ Sedis Nuncios, & alios quoslibet quacumque præeminentia, & poteſtate fungentes, & functuros, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi quid ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus: non obſtantibus præmiſſis, ac noſtra, & Cancellariæ Apoſtolicæ regula de non tollendo jure quæſito, aliiſque Apoſtolicis, ac in univerſalibus, Provincialibuſque Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, necnon dicti Ordinis, ejuſque Congregationum, Provinciarum, Monaſteriorum, & locorum quorumcumque, aliiſve quibuslibet, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, etiam eidem Ordini, ejuſque Congregationibus, Provinciis, Monaſteriis, & locis, ac illorum Superioribus, Abbatibus, Monachis, & perſonis quibuslibet ſub quibuſcumque verborum tenoribus, ac formis, & cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis decretis in genere, vel in ſpecie, etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus, ac conſiſtorialiter, & alias quomodolibet in contrarium præmiſſorum conceſſis, confirmatis, & quantiſcumque vicibus innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illorum omnium, & ſingulorum tenores, formas, & occaſiones, præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ſervatis, & inſertis reſpective habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

50. Volumus autem, ut earumdem præſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis eadem prorſus fides adhibeatur ubique, quæ præſentibus ipſis adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Dat. die 19. Apr. 1666. An.XII.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, ſub Annulo Piſcatoris, die 19. Aprilis 1666. Pontificatus noſtri Anno XII.

DXLIII.

Ex Regeſt. in Secret. Brev. Prohibitio Ingreſſus Mulierum in Eremis Montis Anconæ, & Fanen. Congregationis Eremitarum Camaldulen.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. SOllicitudo paſtoralis officii, quo Eccleſiæ Catholicæ regimini, divina diſpoſitione præſidemus, Nos admonet, ut religioſæ Chriſtifidelium, qui abnegantes ſemetipſos, Altiſſimi obſequiis ſeſe ſub ſuavi vitæ monaſticæ juga devoverunt, tranquillitati quantum Nobis ex alto conceditur proſpicere ſtudeamus.

Poſtulatio. §. 1. Cum itaque, ſicut dilectus filius Procurator Generalis Congregationis Eremitarum Camaldulenſium Nobis nuper exponi fecit, ad evitanda inconvenientia, quæ in Eremis Montis Anconæ, & Fanen. dictæ Congregationis propter acceſſum, & ingreſſum Mulierum aliquibus anni diebus ſecuta fuerant, dilecti pariter filii Superiores ipſius Congregationis in eorum Capitulo Generali, quod in Eremo Tuſculan. celebratum fuit, congregati die duodecima Maii 1665. per eorum decretum prohibuerint mulieribus, ne primodictas duas Eremos unquam ingrediantur; Ut autem Decretum hujuſmodi irrefragabiliter in poſterum ſervetur, dictus Procurator Generalis opportune in præmiſſis a Nobis provideri, & ut infra, indulgeri ſummopere deſideret.

Decretum præmiſſorum approbat Pontifex.

§. 2. Nos ipſum Procuratorem Generalem ſpecialis favore gratiæ proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, ac decretum præfatum harum ſerie approbantes, & confirmantes, ne de cætero ullæ mulieres cujuſvis ſtatus, & conditionis exiſtant, præfatas Eremos Montis Anconæ, & Fanen., ſeu earum alteram ullo anni die, vel tempore ingredi audeant quovis modo, vel præſumant, ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna per contrafacientes eo ipſo abſque alia declaratione incurren. auctoritate apoſtolica tenore præſentium perpetuo prohibemus, & interdicimus.

Imo ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna.

Derogat contrariis.

§. 3. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac quatenus opus ſit Congregationis, & Eremorum hujuſmodi, etiam juramento, confirmatione apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

§. 4. Volumus autem ut præſentis prohibitionis exemplum in aliquo conſpicuo primodictarum duarum Eremorum reſpective loco unde ab omnibus cerni poſſit, continue affixum remaneat.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, die 5. Maii 1666. Pontificatus noſtri Anno XII.

Dat. die 5. Maii 1666. An.XII.

DXLIV.

Ex Regeſt. in Secr. Brev. Confirmatio concordiæ inter Capitulum, ac Canonicos Eccleſiæ Cathedralis Lucan., & Reipublicam initæ, per quam Capitulum Juriſdictionem tam Civilem, quam Criminalem ſibi in quibuſdam locis competen. ceſſit ipſi Reipublicæ.

ALE-

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Proœmium. REdemptoris Noſtri Domini Jeſu Chriſti, qui charitas eſt, & Deus pacis, vices licet immeriti gerentes in terris, illa, quæ inter fideles quoſcumque pacis atq; amabilis concordiæ ſtudio provide conventa, & concordata eſſe noſcuntur, libenter cum a Nobis petitur apoſtolici muniminis præſidio roboramus.

Expoſitio. §.1. Exponi ſiquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii Capitulum, & Canonici Eccleſiæ Lucan., quod cum inter ipſos ex una, & dilectos etiam filios Rempublicam Lucanam ex altera partibus nonnullæ controverſiæ ſuper Juriſdictione in quibuſdam locis, ſitibus, terris, ſylvis, & marinis exortæ eſſent, ipſi Exponentes per eorum Procuratores ad concordiam, ſeu tranſactionem ſuper eiſdem controverſiis una cum memorata Republica, & pro illa cum Procuratoribus a Conſilio Generali ipſius Reipublicæ per Decretum, ſeu Mandatum procurationis infra inſerendum deputatis, reſervato tamen deſuper noſtro, & hujus Sanctæ Sedis beneplacito, devenerunt, per quam dicti Exponentes Juriſdictionem tam Civilem, quam Criminalem, & mixtam, omniaque, & ſingula jura, ſeu rationes Juriſdictionis, ac meri, & mixti Imperii tam utilia, quam directa ſibi in prædictis locis, ſitibus, terris, ſylvis, & marinis competentia Reipublicæ præfatæ ceſſerunt, mediante ſumma duorum millium ſcutorum monetæ illarum partium ipſis Exponentibus per eamdem Rempublicam ſolvenda, ac cum diverſis pactis, & conditionibus, prout uberius continetur in publico deſuper confecto Inſtrumento tenoris, qui ſequitur videlicet: In nomine Domini Amen. Anno Nativitatis ejuſdem milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo ſexto indictione 4. die vero vigeſima tertia menſis Martii, Pontificatus autem Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini noſtri Domini Alexandri divina Providentia Pontificis VII. anno ejus undecimo ſecundum ſtylum Not. Illuſtriſſimæ, ac Excellentiſſimæ Reipublicæ Lucenſis.

Concioſiache ſia nata, e inſorta controverſia, e differenza da alcuni anni in qua, tra la Republica Eccellentiſſima di Lucca, e il Molto Illuſtre, & Reverendiſſimo Capitolo, e li Signori Canonici della Catedrale ſopra la Giuriſdizione di alcuni luogi, ſiti, terre, boſchi, e marine poſti, e eſiſtenti nell' infraſcritti confini cioè.

Una Tenuta &c.
Et prout latius &c.
In quorum fidem &c.
Sequitur legalitas in forma.

Confirmat Pontifex ut in Rubr. §.2. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat tam Capitulum, & Canonici præfati, quam Reſpublica ſupradicta præmiſſa apoſtolicæ confirmationis noſtræ patrocinio communiri ſummopere deſiderent: Nos ſpecialem eis gratiam facere volentes, & ipſorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus eorum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, tranſactionem, ſeu concordiam inter partes præfatas initam, ut præfertur, ac confectum deſuper Inſtrumentum præinſertum cum omnibus, & ſingulis pactis, & conditionibus, ceſſionibus, obligationibus, renunciationibus, reſervationibus, declarationibus, clauſulis, & aliis in eo contentis, auctoritate apoſtolica tenore præſentium confirmamus, & approbamus, illiſque inviolabilis apoſtolicæ firmitatis robur adiicimus, ac omnes, & ſingulos juris, & facti defectus ſi qui quomodolibet in eis intervenerint, ſupplemus.

Decretum irritans. §.3. Decernentes eaſdem præſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari; ſicque in præmiſſis per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum §.4. Non obſtantibus ſel. rec. Pauli II., ac Urbani VIII., & aliorum Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum de rebus, & bonis Eccleſiarum præſertim Juriſdictionalibus non alienandis, & aliis Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac quatenus opus ſit præfatæ Eccleſiæ Lucanæ, & aliis quibuſvis etiam juramento, confirmatione apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet concellis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

§.5. Volumus autem ut præfata ſcuta duo millia ſtatim atque exacta fuerint, deponantur penes eadem ſacram, vel perſonam fide, & facultatibus idoneam, inde non amovenda, niſi ad effectum inveſtiendi ad favorem menſæ capitularis dictæ Eccleſiæ Lucanæ in bonis ſtabilibus dimidiam illorum partem, & aliam dimidiam erogandi in extinctionem æris alieni, quo eadem menſa capitularis gravata reperitur, & pro quo majora ſolvuntur interuſuria.

Datum in Arce Gandulphi Albanen. Dioec. Dat. die 21. Maii 1666. An. XII.

Dioec. ſub Annulo Piſc. die 21. Maii 1666. Pontificatus noſtri Anno XII.

DXLV.

Pro Fratribus Ordinis Prædicatorum Teutoniæ, ne videlicet in illa Provincia fiat ulla ſeceſſio, diviſio, aut ſeparatio, ſub pœna excommunicationis &c.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Proœmium. IN ſupremo militantis Eccleſiæ Solio, divina diſpoſitione conſtituti illa, quæ ab Ordinum Regular. Superioribus ad conſervandam unitatem, avertendaſque ſciſſuras prudenti, ſalubrique diſpoſita eſſe noſcuntur conſilio, ut firmiora ſemper, atque ſtabiliora perſiſtant, libenter cum id a Nobis petitur, Apoſtolici muniminis præſidio roboramus.

Præceptum Magiſtri Generalis. §.1. Exponi ſiquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Prior Provincialis Provinciæ Teutoniæ Ordinis Prædicatorum, quod alias, videlicet die 7. Maji 1661. pro conſervanda unitate, & indiviſione dictæ Provinciæ emanavit a dilecto etiam filio Magiſtro Generali dicti Ordinis præceptum, quo omnibus ſibi ſubjectis, ubivis locorum, intra, vel extra eamdem Provinciam morantibus, aut moraturis, cujuſcumque ſint gradus, dignitatis, aut conditionis, prohibet ne quiſquam per ſe, vel per alium, ſeu alios, ſive Religioſos, ſive Seculares, directe, vel indirecte, clam, vel palam, apud Religioſos Ordinis prædicti, vel extraneos quacumque dignitate, faſtigio, officio, aut honore fulgentes, ſub ullo colore, prætextu, titulo, aut motivo tractet, vel tractari faciat, ſuadeat, procuret, aut quoquo modo ſolicitet, vel cooperetur ad hoc, ut in prædicta Provincia fiat ulla ſeceſſio, diviſio, aut ſeparatio, ſive inter veteres Provinciæ partes, ſive inter eamdem, & partes quæ noviſſime per incorporationem anno 1653. die 10. Martii factam acceſſerunt, ſicque omne diviſionis tentamentum excludit, ac vetat ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, privatione utriuſque vocis, graduum, & officiorum, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa, aliiſque pœnis arbitrariis ipſo facto incurrendis, & alias prout uberius continetur in ipſius Magiſtri Generalis literis patentibus deſuper expeditis, tenoris qui ſequitur, videlicet.

§.2. Frater Joannes Baptiſta de Marinis Sacræ Theologiæ Profeſſor Ordinis Prædicatorum humilis Magiſter Generalis & Servus. Quod apud Eſaiam ipſemet Deus hæc ſibimet appropriet epitheta: Ego Dominus faciens pacem, & creans malum nonnullis quidem captu ſat arduum videtur, ſiquidem a Deo non creatur malum, nec niſi bonum eſſe poteſt quicquid a Creatore tam bono producitur. At ex ipſo creâdi vocabulo nodum ſolvit Baſilius Magnus, innuens malum creari quando ex ipſo, utpote nihilo, eligitur bonum. Tametſi igitur cauſæ Deo inferiores creare ne quidem ut inſtrumenta poſſint. Sicuti tamen conantur ex malo bonum elicere, optimum cenſentur imitari Creatorem. Hoc porro & Nos ſatagimus advigilantes, ut in grege Nobis commiſſo, ſi qua erumpant mala, ea ipſa tranſeant in bonam novi boni occaſionem, ac ſuo modo creentur, dum ex confuſione ordo, ex remiſſione diſciplina, ex turbatione tranquillitas formatur, ac reformatur. Nimirum hæc divini artificis quantulacumque Nos decet imitatio faciens pacem, & creans malum. Sane ingenti commodo ſuo id ſuperioribus annis experta eſt Provincia noſtra Teutoniæ, cujus hodierna quies, pax, unitas, in tanti corporis vaſta amplitudine non utique gauderet hac firmitate, nexu, munimento, niſi ex ipſiſmet ejus inteſtinis quibuſdam moribus, rimis, ac nutu in rupturam propendulo tempeſtive invigilaſſemus ad faciendam pacem, & creandum malum, ex ipſo diſſidiorum hiatu educentes illud amicabile gluten, quo in germanam concordiam denuo compaginata ſaluberrimam, qua & conſervatur, conſervat unionis ſuæ integritatem. Verum, ut fluxæ ſunt humanarum rerum vices, obſtructo illic periculo alia (ſed alibi, & ab aliis) erupit novæ ſciſſuræ tentatio, dum nuper nonnulli ex noſtris in Styria, ejuſque conterminis dictæ Provinciæ recentius, ac legitime incorporati rurſus ab illa ſeparari, imo & ſi fieri poſſet, notabiles ejus partes ſecum abſtrahere quæſierunt. Quorum prætenſionem poſtquam maturrime per complures menſes examinavimus, liquido demum comperimus eam communi Religionis bono neutiquam cohærere, niſi quatenus occaſionem Nobis præbet ex ea commotione novam elicendi pacem, qua & priſtinum illud indiviſæ Teutoniæ gluten ſecurius corroboretur, & Provinciæ illius integritas etiam adverſus hujus extremi membri detruncationem, vel potius ipſummet hoc membrum a proprio interitu fortiſſime præmuniatur: quod ubi præſtiterimus, divino illo creandi artificio Nos probe perfunctos nemo prudens negabit.

§.3. Proinde harum ſerie, noſtrique officii auctoritate omnibus, & ſingulis noſtræ curæ ſubjectis, ubicumque locorum morentur, aut impoſterum moraturi ſint, intra, vel extra dictam Provinciam, ad eam pertinentibus, ſive ab ea extraneis, cujuſcumque gradus, dignitatis, aut conditionis exiſtant, in virtute Spiritus Sancti, ſanctæ obedientiæ, ſub formali præcepto, item ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, necnon privatione utriuſque vocis, graduum, officiorum, perpetuaque inhabilitate ad ullam in Ordine promotionem, aut functionem honorificam obtinendam, vel obeundam, aliiſque arbitrio noſtro taxandis pœnis, inſimul cum omnibus jam taxatis ipſo facto incurrendis, prohibemus, ne

ne quiſquam per ſe, vel alium, aut alios, ſeu Religioſos, ſeu Seculares, directe, vel indirecte, clam, vel palam, apud noſtros vel extraneos quacumque dignitate, faſtigio, officio, aut honore fulgentes, ſub ullo colore, prætextu, titulo, aut motivo tractet, vel tractari faciat, ſuadeat, procuret, aut quoquo imaginabili modo laboret, cooperetur, vel ſolicitet, quod in prænominata noſtra Teutoniæ Provincia ulla fiat receſſio, diviſio, aut ſeparatio, ſive inter veteres Provinciæ partes, ſive inter illam, & partes, quæ recenter ipſi per incorporationem anno 1653. die 10. Martii ex noſtra commiſſione factam acceſſerunt, eumque in finem præſentium tenore verbatim, ac de integro renovamus & cum omnibus ſuis clauſulis confirmamus patentes noſtras eodem anno die 12. Aprilis deſuper expeditas, quibus & Provinciæ Teutoniæ indiviſionem, & quinque Conventuum Styriæ cum ea incorporationem ſtabilivimus, & approbavimus, non ſecus ac ſi dictæ patentes ſyllabatim repetitæ hic inſererentur. Et ne horum ignorantia cuiquam ſuffragetur, mandamus univerſis per totam dictam Provinciam Prioribus, & Præſidentibus Conventuum ſub eodem formali præcepto, ac pœna abſolutionis ab officio, quatenus harum integrum tenorem intra biduum a receptione coram ſua Religioſa Communitate publice legi faciant, ac inviolabiliter obſervari. Confidimus bonos omnes huic noſtræ enixæ voluntati ingenue, prompteque parituros, ex quo continua tot annorum ſerie jam experti ſumus quanta cum modeſtia ſuſceperint, quam Religioſa fide, ac tranquillitate hactenus obſervarint ambæ antiquiores illius Provinciæ portiones noſtrum reparatæ unionis, & concordiæ ſalutiferum præceptum, adeo quod toto iſthoc octennio nullus omnino exiis partibus apud nos delatus fuerit, qui vel leviter gluten illud diſſolvere, aut ſaltem verbulo arrodere attentarit, quod in illa conſtanti natione amare, atque laudare non deſinimus. Idem noviſſime incorporatis ſtudium eſto, quorum in hoc præcipue ſpectamus utilitatem, & incrementum. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. Quibuſcumque in contrarium non obſtantibus. In quorum omnium fidem, ac robur his ſigillo noſtro munitis propria manu ſubſcripſimus: Romæ in Conventu noſtro S. Mariæ ſuper Minervam, die ſeptima Maii 1661.

Confirmat præinſertum præceptum.

§.4. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, præceptum prædictum, ubique in dicta Provincia rite notificatum, & communi ejuſdem bono ſalubre, imo perneceſſarium agnoſcatur, Nobis propterea dictus Prior Provincialis humiliter ſupplicari fecit, ut in præmiſſis opportune providere, & ut infra indulgere, de benignitate apoſtolica dignaremur. Nos igitur ipſum Priorem Prdvincialem ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium tantum conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati: de Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſitorum conſilio, attentis narratis, ac viſis per eoſdem Cardinales literis patentibus Magiſtri Generalis Ordinis hujuſmodi in authentica forma exhibitis tenoris præinſerti, eaſdem literas auctoritate apoſtolica, tenore præſentium benigne approbamus, & confirmamus, & omnimodæ exequutioni demandari jubemus ſub pœnis in ipſis literis contentis, ac perpetuum ſuper præmiſſis ſilentium imponimus, ſalva tamen ſemper in eiſdem præmiſſis, auctoritate Congregationis memoratorum Cardinalium.

Decretum latitans.

§.5. Decernentes eaſdem præſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit, in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari, & ab illi reſpective inviolabiliter obſervari: Sicque in præmiſſis per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane quidquid ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrarii derogat.

§.6. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac quatenus opus ſit, dictorum Ordinis, & Provinciæ, hujuſque Conventuum quorumlibet, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Derogatio contrariorum.

§.9. Volumus autem, ut præſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus ipſis adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, die nona Junii 1666. Pontificatus noſtri Anno XII.

Dat. die 9. Jun. 1666. An.XII.

Præ-

DXLVI.

Ex Regeſt. in Secr. Brev.

Præceptum Superioribus, & Perſonis Societatis Jeſu in Inſulis Maris Ægei, Zacynthi, & Cœphaloniæ, aliorumque locorum adiacentium reſidentibus, ut viſitationem ab Apoſtolico Viſitatore Joſepho Maria in eorum Collegiis, Domibus, Hoſpitiis, Reſidentiis, aliiſve locis quibuſcumque vigore alterius Brevis SS. inſtituendam omni mora, & dilatione poſtpoſitis, recipiant, & admittant.

Ven. Fratri Joſepho a Sancta Maria Epiſcopo Hieropolitano

ALEXANDER PAPA VII.

Ven. Frater ſalutem, & apoſtolicam benedictionem.

Motiva hujus Conſtitut.

CUM Nos Te per alias noſtras in ſimili forma Brevis literas quarum tenorem præſentibus haberi volumus pro expreſſo, noſtrum, & Apoſtolicæ Sedis Viſitatorem in Inſulis Maris Aegei, Zacynti, & Cœphaloniæ, aliiſque locis adjacentibus cum diverſis facultatibus, auctoritate Apoſtolica deputaverimus; Idcirco, ut injunctum tibi munus ad Omnipotentis Dei gloriam, & animarum ſalutem facilius, atque expeditius obire, & exequi valeas, providere cupientes, teque a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtis, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, omnibus, & ſingulis Societatis Jeſu Superioribus, ac Clericis, ſeu Presbyteris regularibus, & perſonis quibuſcumque, etiam ſpecifica, & individua mentione, & expreſſione dignis, qui in præfatis Inſulis, & locis reſident, in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub indignationis noſtræ, aliiſque arbitrii noſtri pœnis diſtricte præcipiendo mandamus, ut Viſitationem a Te in eorum Collegiis, domibus, Hoſpitiis, Reſidentiis, aliiſque locis quibuſcumque præfatarum noſtrarum literarum vigore inſtituendam, omni mora, dilatione, & tergiverſatione poſtpoſitis, recipiant, & admittant, teque tanquam Viſitatorem Apoſtolicum, ut præfertur a Nobis deputatum recognoſcant, ac debitis honore, & reverentia proſequantur, nec non Tibi in omnibus viſitationem hujuſmodi concernentibus prompte pareant, & obediant, tuaque ſalubria monita, & mandata humiliter ſuſcipiant, & efficaciter adimplere procurent, alioquin ſententiam ſive pœnam, quam rite tuleris ſeu ſtatueris in rebelles ratam habebimus, & faciemus auctore Domino uſque ad ſatisfactionem condignam inviolabiliter obſervari.

Præcipit Superioribus Societat. Jeſu ut Viſitationi in ſuis domibus excipiendæ prout in rubrica.

Contraria tollit.

§.2. Non obſtantibus omnibus, & ſingulis illis, quæ in literis præfatis voluimus non obſtare, & præſertim dictæ Societatis ejuſque Provinciarum, Collegiorum, domorum, Hoſpitiorum, reſidentiarum, & locorum quorumcumque etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, & literis Apoſtolicis eidem Societati, ejuſque Præpoſito Generali, aliiſque Superioribus, ac Clericis, ſeu Presbyteris regularibus, & Perſonis quibuslibet ſub quibuſcumque tenoribus, & formis ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, ac irritantibus, & aliis Decretis in genere, vel in ſpecie, ac alias quomodolibet in contrarium præmiſſorum conceſſis, confirmatis, & quantiſcumque vicibus innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita pro ſervata habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſq. contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, die 2. Julii 1666. Pontificatus noſtri Anno XII.

Dat. die 2. Julii 1666. An.XII.

DXLVII.

Ex Regeſt. in Secr. Brev.

Deputatio Viſitatoris Apoſtolici Inſularum Maris Ægei, & Zacynthi, & Cæphaloniæ, ac aliorum locorum adjacentium, cum ampliſſimis facultatibus.

Ven. Fratri Joſepho a Sancta Maria Epiſcopo Hierapolitano.

ALEXANDER PAPA VII.

Ven. Frater ſalutem, & apoſtolicam benedictionem.

Motiva.

CUpientes ad animarum ſalutem, divinumque cultum promovendum Inſulas maris Ægei, Zacynthi, & Cœphaloniæ, ac alia loca adjacentia auctoritate noſtra, apoſtolica viſitari, ac de tua fide, integritate, prudentia, doctrina, pietate, charitate, & Catholicæ Religionis zelo plurimum in Domino confiſi, teque a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtis, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, de Ven. Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandæ

Fidei præpositorum consilio, te qui in minoribus constitutus habitum per Fratres Ordinis Beatæ Mariæ de Monte Carmelo gestari solitum suscepisti, & professionem per eosdem emitti consuetam expresse emisi, regulares, nostrum, & Apostolicæ Sedis Visitatorem in præfatis Insulis maris Ægei, Zacynthi, & Cephaloniæ, aliisque locis adjacentibus apostolica auctoritate tenore præsentium constituimus, & deputamus, cum facultate quascumque Cathedrales, etiam Metropolitanas, Collegiatas, Parochiales, & alias Ecclesias, ac quorumvis Ordinum, Congregationum, & Institutorum regularium etiam Societatis Jesu Monasteria, tam virorum, quam mulierum, Conventus, Domos, Hospitia, Collegia, residentias, aliaque loca regularia, Hospitalia quoque, Confraternitates, & alia Pia, & Religiosa Loca quæcumque, etiam de Jurepatronatus laicorum in Insulis, aliisque locis adjacentibus præfatis existentia, eorumque Prælatos, Capitula, Conventus, Superiores, & personas tam laicas, quam ecclesiasticas seculares, & regulares cujusvis status, gradus, ordinis, præeminentiæ, & dignitatis existant, tam in capite, quam in membris semel tantum auctoritate nostra visitandi, ac in illorum statum, vitam, mores, ritus, & disciplinam diligenter inquirendi, necnon Evangelicæ, & Apostolicæ Doctrinæ, Sacrorumque Canonum, & Generalium Conciliorum decretis, & Sanctorum Patrum traditionibus, regularibusque eorum Institutis respective inhærendo, quæcumque mutatione, correctione, emendatione, revocatione, & renovatione indigere cognoveris, reformandi, mutandi, corrigendi, revocandi, renovandi, ac etiam de novo condendi, condita Sacris Canonibus, & Concilii Tridentini decretis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, Regularibusque Institutis prædictis non repugnantia confirmandi, abusus quoscumq; tollendi, Regulas, Institutiones, ac Ecclesiasticam, Regularemque disciplinam ubicumque corruerint, modis congruis restituendi, & reintegrandi, dicti Concilii Tridentini Decreta custodiri præcipiendi, dictasque personas ad debitum, & honestum vitæ modum revocandi, & quidquid statueris, & ordinaveris observari faciendi, inobedientes per censuras, & pœnas ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia compescendi, aliaque omnia, & singula in præmissis, & circa ea, ac pro hujusmodi munere rite, & recte explendo necessaria, & quomodolibet opportuna faciendi, dicendi, gerendi, mandandi, & exequendi: præterea conferendi Ordines extra tempora, & non servatis interstitiis usque ad Presbyteratum inclusive, si Sacerdotum necessitas ibi fuerit; Dispensandi in quibuscumque irregularitatibus, exceptis illis, quæ vel ex bigamia vera, vel ex homicidio voluntario proveniunt, dispensandi super defectu ætatis unius anni ob operariorum penuriam, & promoveri possint ad Sacerdotium, si alias idonei fuerint; dispensandi, & commutandi vota simplicia, etiam castitatis, ex rationabili causa in alia pia opera, non tamen Religionis: dispensandi in quacumque Simonia, & in reali dimissis Beneficiis, & super fructibus male perceptis, injuncta pœnitentia salutari, eleemosyna arbitrio dispensantis: Dispensandi in tertio, & quarto consanguinitatis simplici, & mixto, & in secundo, tertio, & quarto mixtis, non tamen in secundo solo, quoad futura matrimonia, quo vero ad præterita etiam in secundo solo, dummodo nullo modo attingat primum gradum, cum his, qui ab hæresi, vel infidelitate converterentur ad Fidem Catholicam, & in prædictis casibus prolem susceptam declarandi legitimam, dispensandi super impedimento publicæ honestatis Justitiæ ex sponsalibus proveniente: Dispensandi super impedimento criminis, neutro tamen conjugum machinante, ac restituendi Jus petendi debitum amissum; Dispensandi in impedimento cognationis spiritualis, præterquam inter levantem, & levatum; hæ vero dispensationes matrimoniales, videlicet sexta, septima, octava, & nona non concedantur nisi cum clausula, dummodo mulier rapta non fuerit, vel si rapta fuerit, in potestate raptoris non exista, & in dispensatione tenor hujusmodi facultatum inseratur cum expressione temporis ad quod fuerunt concessæ; dispensandi cum Gentilibus, & Infidelibus plures uxores habentibus, ut post conversionem, & baptismum, quam ex illis maluerint, si etiam ipsa fidelis fiat, retinere possint nisi prima voluerit converti; Consecrandi Olea cum Sacerdotibus, qui poterunt haberi, dummodo ad minus sint quinque, non tamen extra diem Cœnæ Domini; delegandi simplicibus Sacerdotibus potestatem benedicendi paramenta, & alia utensilia ad Sacrificium Missæ necessaria, ubi non intervenit Sacra Unctio, & reconciliandi Ecclesias pollutas aqua ab Episcopo benedicta, & in casu necessitatis etiam aqua non benedicta ab Episcopo, largiendi ter in anno Indulgentiam plenariam contritis, & confessis, ac Sacra Communione refectis; absolvendi ab hæresi, & apostasia a fide, & a schismate quoscumque etiam Ecclesiasticos tam seculares, quam regulares, non tamen eos, qui ex locis fuerint, ubi Sanctum Officium exercetur, nisi in locis Missionum, in quibus impune grassantur hæreses deliquerint, nec illos, qui judicialiter abjuraverint, nisi isti nati sint ubi impune grassantur hæreses, & post judicialem abjurationem illuc reversi in hæresim fuerint relapsi, & hos in foro conscientiæ tantum; absolvendi ab omnibus casibus Sedi Apostolicæ reservatis, etiam in Bulla Cœnæ Domini contentis; concedendi Indulgentiam plenariam primo conversis ad hæresi, atque etiam Infidelibus quibuscumque in articulo mortis saltem contritis, si confiteri non poterunt; concedendi Indulgentiam plenariam in Oratione quadraginta horarum

Facultates aliquas concedit.

ter in anno indicenda diebus tibi benevisis, contritis, & confessis, ac Sacra Communione refectis, si tamen ex concursu populi, & Expositione Sanctissimi Sacramenti nulla probabilis suspicio sit Sacrilegii ab Hæreticis, & Infidelibus, aut magistratum offensum iri; lucrandi tibi eisdem Indulgentias; singulis, secundis feriis non impeditis officio novem lectionum, vel eis impeditis, die immediate sequenti celebrando Missam de Requiem in quocumque Altari, etiam portatili, liberandi animam secundum tuam intentionem a Purgatorii pœnis per modum suffragii; tenendi, & legendi, non tamen aliis concedendi libros Hæreticorum, vel Infidelium de eorum Religione tractantium, ad effectum eos impugnandi, & alios quomodolibet prohibitos, præter opera Caroli Molinei, Nicolaii Machiavelli, ac libros de Astrologia Judiciaria principaliter, aut incidenter, vel alias quomodolibet de ea tractantes, ita tamen, ut libri ex illis Provinciis non efferantur; præficiendi Parochiis Regulares, eisque suos deputandi Vicarios in defectum secularium, de consensu tamen suorum Superiorum; celebrandi bis in die, si necessitas urgeat, ita tamen, ut in prima Missa non sumpseris ablutionem, per unam horam ante auroram, & aliam post meridiem, sine Ministro, sub die, & sub terra, in loco tamen decenti, etiamsi Altare sit fractum, vel sine Reliquiis Sanctorum, & præsentibus Hæreticis, Schismaticis, Infidelibus, & excommunicatis, si aliter celebrari non possit. Caveas vero ne prædicta facultate, seu dispensatione celebrandi bis in die aliter quam ex gravissimis causis, & rarissime utaris, in quo graviter tuam conscientiam oneramus. Quod si hanc eamdem facultatem alteri Sacerdoti juxta potestatem inferius apponendam communicare, aut causas ea utendi alicui, qui ab hac Sancta Sede hanc facultatem obtinuerit, approbare visum fuerit: serio tuæ conscientiæ injungimus, ut paucis dumtaxat, iisque maturioris prudentiæ, ac zeli, & qui ablolute necessarii sint, nec pro quolibet loco, sed ubi gravis necessitas tulerit, & ad breve tempus eamdem communices, aut respective causas approbes: deferendi Sanctissimum Sacramentum occulte ad infirmos sine lumine, illudque sine eodem retinendi pro eisdem infirmis in loco tamen decenti, si ab hæreticis, aut Infidelibus sit periculum sacrilegii; induendi vestibus secularibus, si aliter, vel transire ad loca tuæ curæ commissa, vel in eis permanere non poteris; recitandi Rosarium, vel alias preces, si Breviarium tecum deferre non poteris, vel divinum officium ob aliquod legitimum impedimentum recitare non valeas; dispensandi quando expedire videbitur super usu carnium, ovorum, & lacticiniorum tempore jejuniorum, & præsertim Quadragesimæ. Ac prædictas facultates communicandi, non tamen illas, quæ actum injunctæ tibi visitationis concernunt, quæve requirunt Ordinem Episcopalem, vel non sine Sacrorum Oleorum usu exercentur, Sacerdotibus idoneis, qui in Insulis, & locis præfatis, ac in prædicta Visitatione laborabunt, & præsertim tempore tui obitus, ut tunc sit, qui possit supplere donec Sedes Apostolica certior facta (quod quamprimum fieri debebit per delegatos, vel unum ex eis) alio modo provideat, quibus delegatis auctoritate apostolica facultatem concedimus post obitum tuum in casu necessitatis consecrandi Calices, Patenas, & Altaria portatilia Sacris Oleis ab Episcopo tamen benedictis.

§. 1. Cæterum volumus, ut prædictæ facultates gratis, & absque ulla mercede exerceantur, & durante tempore visitationis concessæ intelligantur, nec illis ullo modo uti possis extra fines tuæ visitationis; salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis memoratorum Cardinalium.

Ab omnibus uti Visitatore Apost. recog. nosci mandat.

§. 2. Mandantes propterea omnibus, & singulis Archiepiscopis, Episcopis, Prælatis, Capitulis, aliisque perlonis ecclesiasticis tam secularibus, quam cujusvis Ordinis, Congregationis, & Instituti, etiam præfatæ Societatis Jesu regularibus, cæterisque, ad quos spectat, & qui in supradictis Insulis, & locis resident, ut te, uti Visitatorem Apostolicum a Nobis, ut præfertur, deputatum recipiant, & recognoscant, ac tibi in omnibus ad visitationem præfatam spectantibus omnino pareant, & obsequantur, tuaque salubria monita, & mandata humiliter suscipiant, & efficaciter adimplere procurent, alioquin sententiam, sive pœnam, quam rite tuleris, seu statueris in rebelles ratam habebimus, & faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Eoque de occurrentibus dec modum cæteroranda Sedem.

§. 3. Volumus autem, ut si quæ graviora in hujusmodi visitatione repereris, ea, necnon informationes omnes in hujusmodi visitatione sumendas subtuo sigillo clausas ad Nos, seu memoratam Card nalium Congr. quamprimum diligenter transmittas, ut quod desuper statuendum fuerit, matura consultatione adhibita decernamus.

Contrariis derogat:

§. 4. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibus, & synodalibus Concilii editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon Ecclesiarum, Monasteriorum Hospitalium, Conventuum, Collegiorum, Ordinum, Congregationum, & Institutorum Regularium, etiam Societatis præfatæ, & Locorum Piorum quorumcumque, aliisve quibusvis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, & Lit. Apostolicis illis, eorumque Præsulibus, Prælatis, Superioribus, & personis secularibus, & regularibus quibusvis sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in

in genere, vel in specie, ac alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, confirmatis, & pluries innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata inserti forent, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 2. Julii 1666. An.XII.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 2. Julii 1666. Pontificatus nostri Anno XII.

DXLVIII.

Ex Regest. in Secr. Brev.

Circa novam formam assumendi Electores Rotæ Civitatis Perusin.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

PAterna, quam de nostris, & Sedis Apostolicæ subditis, gerimus, cura Nos inducit, ut eorum commodis, atque utilitatibus consulere jugiter studeamus.

Suppliatio.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii Priores, seu Decemviri Civitatis nostræ Perusin. quod cum antehac singulis vicenniis in eadem Civitate fieri solitus fuerit Sacculus eorum, qui interea singulis quadriennis novos Auditores Rotæ ejusdem Civitatis eligere deberent, & alias prout in Capitulis impressis super Institutione Auditorii Rotæ hujusmodi *Cap. 2. de Electionibus, & forma electionis* uberius dicitur contineri; Experientia vero compertum sit, hunc modum, seu formam electionis hujusmodi multis incommodis causam præbere, eo quod omnibus notum esse quinam electionem facere deberent, hi vero auctoritate, & gratia potentium ad eligendos ab illis dependentes semper adigerentur, unde magis apti, & idonei, ejusmodi favoribus, & dependentiis carentes, excluſi remanebant, admissis parum habilibus, & propter penuriam concurrentium pluries necesse fuerat admittere quosdam, qui qualitatibus ad ejusmodi munus requisitis prædicti non erant: Ipsi Exponentes, ut huic in posterum occurrerent absurdo, & tam commendatione suffulti, quam ea carentes voti exitum sperare pro merito valeant, cum præsentia, & consensu Vicesgerentis dilecti filii Gubernatoris dictæ Civitatis, & reservato quatenus opus esset dictæ Sedis beneplacito, præfatæ Rotæ Electores sequenti forma, abrogata veteri, in futurum singulo quadriennio constituerunt eligendos, videlicet, ut postquam seniores Collegii utriusque Juris Doctorum die 28. Decembris ex toto candidatorum numero octo de more elegerint, die 2. Januarii immediate sequentis, seu alia commodiori coram Vice-Legato, seu Gubernatore dictæ Civitatis, vel ejusdem Gubernatoris Locumtenente, seu Vicesgerente, & Decemviris pro tempore existentibus de mane congregatis ex omnibus officiis Decemviratus, Consulatus Collegii Nobilium Mercantiæ, & Auditoratus Collegii Nobilium Cambii e currenti sacculo jam extractis, suoque munere defunctis, & si unum, vel duos ex his tantummodo tunc reperiri contingat ex omnibus præfatis officiis etiam præcedentis sæculi, facta prius a præsentibus Decemviris in mortuorum, & absentium locum subrogatione, unum ex quolibet genere dictorum officiorum sorte extrahatur, quæ tria officia sic extracta eadem die coram eisdem, ut supra legitime deinde convocata illico eligant quinquaginta viros prudentes, probos, ac Deum timentes Cives Perusinos, ætate, ac rerum experientia graves, & nemini ipsorum eligentium in primo, vel secundo gradu attinentes, decem scilicet pro unaquaque porta, quorum nominibus statim in urnam pro singulis portis singillatim conjectis, viginti sorte extrahantur, quatuor videlicet pro qualibet porta, & hi ex dictis octo Doctoribus ab utriusque juris Collegio electis quatuor more solito infra decendium eligant, declarantes, quod per Electores hac nova forma eligendos facienda sit prior futura præfatæ Rotæ electio de Anno 1670. quibuscumque non obstantibus, & quamvis in sæculo aliqui secundum veterem modum electi adhuc existerent. Quare dicti Exponentes Nobis humiliter supplicari fecerunt ut novam formam hujusmodi Apostolicæ confirmationis nostræ robore communire de benignitate Apostolica dignaremur.

Confirmat novam formam eligendi Aud. Rotæ Perusin.

§ 2. Nos igitur ipsos Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, ut nova forma supra expressa pro primo quadriennio tantum a dicto anno 1670. computanda servari libere, & licite possit, & debeat, auctoritate apostolica, tenore præsentium, concedimus, & indulgemus.

Decretum irritans.

§. 3. Decernentes easdem præsentes Literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, plenissime suffragari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contraria tollit.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon dictæ Civitatis, & aliis quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 6. Julii 1666. An.XII.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die sexta Julii 1666. Pontificatus nostri Anno XII.

DXLIX.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Confirmatio Decreti Congregationis Rituum, quod sint servanda decreta dictæ Congregationis sub die 21. Januar. 1662. super celebratione Festi S. Georgii de Præcepto, & sub die 24. Maii 1664. super concessione Officii ejusdem ad favorem Principatus Cathaloniæ, & Cleri edita.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Recenset decreta edita.

§. 1. EManavit nuper a Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus præpositorum Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet:

Sacra Rituum Congregatio censuit servanda esse Decreta ipsius S. Congregationis sub die 21. Januarii 1662. super celebratione Festi Sancti Georgii de Præcepto, & sub die 24. Maii 1664. super concessione officii ejusdem, ad favorem Principatus Cathaloniæ, & Cleri edita. necnon esse mandandas executioni Literas Apostolicas in forma Brevis pro observantia dictorum decretorum die prima Septembris expeditas, non obstantibus oppositionibus Archiepiscopi, & Concilii Terraconen. super dictarum Literarum subreptione, & obreptione, aliisque contrariis quibuscumque. Hac die 26. Junii 1666.

M. Episcopus Sabinen. Card. Ginettus.
Bernardinus Casalius S. Rituum Congregationis Secret.

Eadem a Pontifice confirmantur.

§. 2. Cum autem, sicut pro parte dilectorum filiorum Cleri, & Populi d. Principatus Cathaloniæ Nobis subinde expositum fuit, ipsi Decretum hujusmodi pro firmiori illius subsistentia, apostolicæ confirmationis nostræ robore communiri summopere desiderent. Nos specialem eisdem Clero, & Populo gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adiicimus; salva tamen semper in præmissis auctoritate præfatæ Congregationis Cardinalium.

Decretum irritans.

§. 3. Decernentes easdem præsentes Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit plenissime suffragari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contraria tollit.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 17. Julii 1666. An.XII.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die decimaseptima Julii 1666. Pontificatus nostri Anno XII.

DL.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Confirmatio Decreti in Capitulo Generali Congregationis Sanctorum Vitonis, & Hidulphi Ordinis S. Benedicti editi, quod licet Fratres Laici, seu Commissi nulla emittant vota, sed tantum elapso biennio ad stabilitatem reciperentur; nihilominus vota simplicia castitatis, paupertatis, & obedientiæ emittere debeant, servanda quandiu permanserint in eadem Congregatione, ex qua a Superioribus expelli possunt, non autem propria voluntate discedere.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

COmmissæ Nobis cœlitus dispensationis ratio exigit, ut paternam Christifidelium Altissimi obsequiis sub suavi monasticæ vitæ jugo mancipatorum curam gerentes, quæ ab ipsis prudenti, salubrique decreta noscuntur esse consilio, quo firma sem-

semper, atque inviolabilia persistant apostolici muniminis præsidio roboremus.

Supplicatio. §. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii Præsidens, & Definitores Capituli Generalis Congregationis Sanctorum Vitoni, & Hidulphi Ordinis S. Benedicti, quod circa receptionem Fratrum Laicorum, seu Commissorum olim in Capitulo Generali dictæ Congregationis editum fuit decretum tenoris, qui sequitur, videlicet.

Quod quamvis in Congregatione Cassinensi, ad cujus instar dicta Sanctorum Vitoni, & Hidulphi Congregatio erecta est Fratres Commissi, seu Laici nulla emittant vota, sed tantum elapso biennio ad stabilitatem recipiantur a Superioribus, & Senioribus, teneanturque quandiu manent in Congregatione servare castitatem, paupertatem, & obedientiam ex præcepto Regulæ, seu declarationis; ad majorem tamen Fratrum nostrorum Laicorum consolationem concedimus, ut deinceps quando recipientur ad stabilitatem ipsam, possint, & debeant votis simplicibus firmantur sub hac forma.

In nomine Domini Nostri Jesu Christi. Amen. Anno &c., die &c. Ego N. Diœcesis N. promitto servare castitatem, paupertatem, & obedientiam, & conversionem mandatorum meorum secundum Regulam S. Benedicti, & Constitutiones Congregationis Sanctorum Vitoni, & Hidulphi coram Deo, & Hominibus, Sanctis, quorum Reliquiæ in Monasterio N. requiescunt, & in præsentia Rmi Patris N. Abbatis, seu Prioris quandiu in dicta Congregatione perseverabo, non intendens tamen, quod mihi proprio vitio, seu voluntate liceat ab illa discedere, sed quod si contingeret, ut dictæ Congregationis Superiores malis meis moribus, seu vitiis coacti ab illa me expellerent, in illo tantum casu liber, & absolutus ab omni votorum, & Religionis obligatione remanerem. In quorum fidem subscripsi &c.

Confirmat Pontifex ut in Rubr. §. 2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, præfati Exponentes Decretum hujusmodi longa experientia comprobatum, pro firmiori illius subsistentia apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desiderent: Nos specialem ipsis Exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existant, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, attentis narratis, ac viso, & mature per eosdem Cardinales considerato Decreto Capituli Generalis præinserti tenoris, ipsum Decretum auctoritate apostolica tenore præsentium benigne approbamus, & confirmamus, suumque effectum sortiri mandamus.

Decretum irritans. §. 3. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, plenissime suffragari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum §. 4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit dictæ Congregationis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisq; contrariis quibuscumq;

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 30. Julii 1666. Pontificatus nostri Anno XII. Dat. die 30. Julii 1666. An. XII.

DLI.

Indultum deferendi habitum Prælatitium pro Abbate Generali Congregationis Canonicorum Regularium Sancti Salvatoris Ordinis Sancti Augustini.

ALEXANDER EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium. DEcet Romanum Pontificem, quem Altissimus Universalis Ecclesiæ curæ præposuit, divina dispositione ad ea, per quæ personarum Ecclesiasticarum quarumlibet, præsertim insignium Congregationum Canonicorum Regularum regimini, & administrationi, ac ornamento, divinique cultus celebritati, & decori consulitur, libenter intendere, ac in illis pastoralis officii sui partes favorabiliter interponere, prout locorum, & personarum hujusmodi circumstantiis debite pensatis, ad devotionis Christifidelium augmentum, & propagationem, necnon Altissimi laudem prospicit in Domino salubriter expedire.

Supplicatio. §. 1. Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilecti filii Joannis Mariæ Lancii Canonici Congregationis Canonicorum Re-

Regularium Sancti Salvatoris Ordinis Sancti Augustini, dictæque Congregationis moderni Abbatis Generalis petitio, continebat, quod cum inter Congregationes Canonicorum Regularium Italiæ, Congregatio Canonicorum Regularium S. Salvatoris Ordinis Sancti Augustini celebris, ac a Sede Apostolica pluribus favoribus, & gratiis decorata existat, illiusque Abbas Generalis Mitra, Baculo, & Annulo Pastoralibus, cæterisque Pontificalibus insigniis utatur, potiatur, & gaudeat, plurimum tamen decori, & dignitati Abbatis Generalis dictæ Congregationis videretur convenire, ipsum, & successores suos pro tempore existentes Abbates Generales a Nobis, & Sede prædicta aliqua digniori prærogativa decorari, & illustrari. Quare pro parte dicti Joannis Mariæ moderni ejusdem Congregationis Abbatis Generalis fuit Nobis humiliter supplicatum, quatenus ipsum specialis gratiæ favore prosequi, aliasque in præmissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur.

Absolutio a censuris. §. 2. Nos igitur qui Ecclesiarum quarumlibet, & insignium Congregationum decorem, divinique cultus augmentum nostris potissimum temporibus ubique augeri sinceris desideramus affectibus, eumdem Joannem Mariam modernum Abbatem Generalem, & successores suos pro tempore existentes Abbates Generales prædictos, ac eorum quemlibet a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati eidem Joanni Mariæ Moderno ejusdem Congregationis Abbati Generali, ejusque successoribus Abbatibus Generalibus pro tempore existentibus dictæ Congregationis Sancti Salvatoris prædictis, ut de cætero perpetuo futuris temporibus, tam in Romana Curia, quam extra eam, ac ubique locorum, ubi dictum Joannem Mariam, & pro tempore existentes Abbates Generales prædictos pro tempore residere, & morari contigerit, ac in quibusvis visitationibus, capitulis, sessionibus, ac quibusvis actibus, & processionibus, etiam coram Nobis, & Successoribus nostris Romanis Pontificibus, etiam in Cappellis Pontificiis Mozzettam, & Mantellettam coloris habitus ipsius Congregationis, una cum Pileo, & Bireto Prælatitiis induere, gestare, & deferre, illisque uti, frui, & gaudere libere, & licite possint, & valeant, Apostolica auctoritate tenore præsentium de speciali gratia perpetuo concedimus, & indulgemus, plenamque, & liberam facultatem, & auctoritatem desuper impertimur.

Concedit prout in rubr.

Decretum irritans. §. 3. Decernentes ipsum Joannem Mariam, & successores suos pro tempore existentes Abbates Generales prædictos super delatione, gestatione, & usu Mozzettæ, & Mantellettæ, Pilei, & Bireti prædictorum, a quoquam, sub quovis prætextu, vel causa, aut occasione nullatenus impediri posse, præsentes quoque nostras literas semper, & perpetuo validas, & efficaces esse, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere debere, necnon sub quibusvis similium gratiarum revocationibus, suspensionibus, aut aliis contrariis dispositionibus comprehendi, sed semper ab illis excipi, & quoties illæ emanabunt, toties præsentes in pristinum, & validissimum statum restitutas, repositas, & plenarie reintegratas, ac de novo sub quacumque posteriori data per Joannem Mariam, & Successores prædictos Abbates Generales pro tempore existentes quandocumque eligenda concessas esse, & fore, sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, ac causarum Palatii Apostolici Auditores, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de latere Legatos, Vice-Legatos, & Sedis prædictæ Nuncios judicari, & definiri debere, irritumque, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, dicta auctoritate decernimus,

Contrariis tollit. §. 4. Non obstantibus quibusvis etiam in Synodalibus, & Provincialibus, ac generalibus Conciliis editis, vel edendis specialibus, vel generalibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Ordinis, & Congregationis hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus contrariis quibuscumque, Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, concessionis, indulti, impartitionis, & Decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Dat. 8. Idus Aug. 1666. An. XII. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo sexagesimosexto, octavo Idus Augusti, Pontificatus nostri Anno XII.

DLII.

Confirmatio Decreti Congregationis Rituum, non licere mediis, ut ajunt Canonicis neque Terzenariis Ecclesiæ Colymbrien. in Regno Portugalliæ uti in Choro, & aliis functionibus Ecclesiasticis æquali habitu cum Canonicis, & dignitatibus, hoc est Mozzetta cum Cappuccio sine indulto Apostolico. Ex Regest. in Secr. Brev.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam,

Recenset Decretum Congreg. Rituum. ALias emanavit a Congregatione Ven. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium

lium sacris Ritibus præpositorum ad petitionem dilectorum filiorum Canonicorum & obtinentium dignitates Ecclesiæ Colymbrien. Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet:

§ 1. Canonici, & dignitates Ecclesiæ Colymbrien. in Regno Portugalliæ exposuerunt Sacræ Rituum Congregationi se ab anno 1615. uti Cappuccio, seu Mozzetta juxta consuetudinem aliarum Ecclesiarum Cathedralium dicti Regni, & quod Canonici medii, & terzenarii obtinuerunt eod. tempore a Capitulo usum Mozzettæ absq; Cappuccio, ut destinguerentur in Vestibus a Canonicis, & dignitatibus juxta præscriptum Cæremonialis Romani; sed cum postea de anno 1616. non acquieſcentibus mediis Canonicis, & Terzenariis obtinuerint a Capitulo equalem habitum cum aliis Canonicis, & dignitatibus. Denuo iidem Canonici, & dignitates institerunt a Sacra Congregatione declarari.

Primo. An mediis Canonicis, & Terzenariis liceat uti in Choro, & aliis functionibus Ecclesiasticis æquali habitu cum eisdem Canonicis, & dignitatibus.

Secundo. An Capitulum potuerit indulgere prædictis mediis Canonicis, & Terzenariis, ut æquali habitu cum Canonicis, & Dignitatibus incedant?

§.2. Et Sacra eadem Congregatio quoad primum respondit: Non licere mediis, ut ajunt, Canonicis, neque terzenariis uti in Choro, & aliis functionibus Ecclesiasticis æquali habitu cum Canonicis, & dignitatibus, hoc est Mozzetta cum Cappuccio sine indulto Apostolico. Quoad secundum non licuisse, nec licere Canonicis, & Capitulo Colymbricen. indulgere prefatis Canonicis, neque terzenariis ut possint Mozzetta cum Cappuccio, vel æquali habitu cum Canonicis, & dignitatibus in functionibus Ecclesiasticis incedere. Hac die decima Aprilis 1666.

M. Episc. Sabinensis Card. Ginnettus.
Bernardinus Casalius Sacræ Rituum Congregationis Secretarius.

Confirmat Pontifex.

§.3. Cum autem, sicut pro parte Canonicorum, & dignitates obtinentium præfatorum Nobis nuper expositum fuit, ipsi Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desiderent: Nos specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisq; Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore presentium approbamus & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate præfatæ Congregationis Cardinalium.

Decretum iteritans.

§.4. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit, plenissime suffragari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum

§.5. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 18. Aug. 1666. Pontificatus nostri Anno XII.

Dat. die 18. Aug. 1666. An. XII.

DLIII.

Ex Regest. in Secr. Brev.

Diversæ Ordinationes pro Metropolitanis Ecclesiis Beatæ Mariæ de Pilari, & Sancti Salvatoris Civitatis Cæsarauguſtan.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

SAcrosancti Apostolatus ministerium, quod inscrutabilis divinæ providentiæ altitudo humilitati nostræ, nullo licet meritorum nostrorum suffragio, imponere dignata est, ad omnium Ecclesiarum sollicitudini nostræ ab æterno Pastore commissarum commodum, quantum Nobis ex alto conceditur salubriter exercere jugi vigilantia satagentes, exorta inter fideles quoscumque, & præsertim eos, qui in sortem Domini vocati, Sacrisque Ministeriis addicti, in pace, & charitate fraterna assiduum Altissimo famulatum præstare debent, animorum dissidia secundum æquitatis, atque justitiæ regulas dirimere, illisque ne rursus quandocunque excitari valeant, ansam, mature præcidere studemus, sicut prudenti deliberatione prævia, ad Omnipotentis Dei gloriam, Ecclesiarum ipsarum honorem, & quietem, ac Spiritualem Dominici gregis ædificationem, expedire in Domino arbitramur.

Motiva hujus Constitut.

§.1. Itaque causæ cathedralitatis inter dilectos filios Priorem, Capitulum, & Canonicos Metropolitanæ Ecclesiæ Beatæ Mariæ de Columna, seu, ut vulgo dicitur de Pilari Civitatis Cæsarauguſtan. ex una, ac dilectos pariter filios Decanum, Capitulum, & Canonicos Metropolitanæ Ecclesiæ Sancti Salvatoris ejusdem Civitatis ex altera partibus vertenti finem imponere cupientes de nonnullorum Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, & dilectorum filiorum Romanæ Curiæ Prelatorum super causa hujusmodi a Nobis specialiter deputatorum, qui negotium mature perpenderunt, accurateque discussione ejusdem Sedis, Vicarius, & Officiales prædicti eligantur ex gremio Capituli Ecclesiæ S. Salvatoris a Capitulo Ecclesiæ Beatæ Mariæ, & sic deinceps alternatim.

Primo autem futuro Archiepiscopo si pontificali more, ac ritu Civitatem ingredi voluerit, occurratur ad portam Civitatis a Capitulo, & Clero Ecclesiæ B. M.; idemque fiat a Cap. & Crero Eccl. S. Salvatoris cum secundo futuro Archiepiscopo Civitatem solemniter ingredi volente, & sic alternatim. Et id ipsum servetur in receptione Principum.

Similiter primus novus Archiepiscopus possessionis solemnia inchoet in Ecclesia Beatæ Mariæ, ubi literas suæ provisionis præsentet, & actus possessionis expleat: Mox se conferat ad Ecclesiam S. Salvatoris, ibique sedens in Cathedra Archiepiscopali Capitulum, & Clerum ad oris, & manus osculum respectlve excipiat, cum solutione dimidiæ partis emolumentorum in utilitatem Ecclesiæ Beatæ Mariæ, & alterius dimidiæ in utilitatem Ecclesiæ S. Salvatoris.

Secundus vero Archiepiscopus futurus eadem possessionis solemnia inchoet in Ecclesia S. Salvatoris, ubi similiter literas præsentet suæ provisionis, & actus possessionis expleat: Deinde se conferat ad Ecclesiam Beatæ Mariæ, ibique sedens in Cathedra Archiepiscopali, Capitulum, & Clerum ad oris, & manus osculum respective excipiat, cum solutione emolumentorum, ut supra, & ita alternatim.

Pariter Processio generalis Sanctissimi Corporis Christi hoc primo anno in ipso die festo inchoetur ab Ecclesia Beatæ Mariæ, & ad eam terminetur absque interventu Capituli Ecclesiæ S. Salvatoris; & in die octava fiat processio privata infra ambitum Ecclesiæ S. Salvatoris a Capitulo, & Clero ipsius Ecclesiæ: Et in sequenti anno in ipso die festo Processio generalis inchoetur ab Ecclesia S. Salvatoris, & ad eam terminetur absque interventu Capituli Ecclesiæ Beatæ Mariæ; & in die octavæ fiat processio privata infra ambitum Ecclesiæ Beatæ Mariæ a Capitulo, & Clero ipsius Ecclesiæ, & ita singulis annis in perpetuum alternis vicibus.

In supplicationibus quoque, quæ fiunt in Litaniis majoribus, & minoribus, nempe S. Marci, & Rogationum, & aliis quibuscumque processionibus generalibus tum ordinariis, tum extraordinariis, quas præsertim fieri contigerit ad instantiam Regis, vel ob aliam publicam causam, prima processio fiat ab Ecclesia Beatæ Mariæ, secunda ab Ecclesia S. Salvatoris, & sic deinceps alternatim, & semper cum interventu Capituli solius Ecclesiæ a qua fit processio.

Servetur itidem hic ordo alternativæ in dedicatione Metropolitanæ Ecclesiæ Cæsarauguſtanæ, quæ cadit die 17. Julii, itaut hoc anno celebretur solemniter, & Pontificali ritu in Ecclesia Beatæ Mariæ; & in sequenti anno in Ecclesia S. Salvatoris; nec non in festis Nativitatis, Epiphaniæ, Resurrectionis, & Ascensionis Domini Pentecostes,

Alternativam circa præcedentiam inter hæc duo Capitula in functionibus man dat sententa prout in rubrica.

ferunt unanimi consilio, motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris deque apostolicæ potestatis plenitudine, eamdem causam, ac lites, & controversias quascumque inter partes antedictas quomodolibet, & in quacumque instantia tam in Sacri Palatii Apostolici causarum Auditorio, quam in alio quovis Tribunali, etiam Nunciaturæ Hispaniarum, & coram quocumque Judice pendentes, quarum omnium, & singularum statum, & merita, nominaque, & cognomina, ac qualitates Judicum, & Collitigantium, & alia quæcumque etiam specificam, & individuam mentionem, & expressionem requirentia præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac exactissime specificatis haberi volumus in statu, & terminis, in quibus de præsenti reperiuntur, a præfatis, & aliis quibusvis Tribunalibus, & Judicibus, ad Nos harum serie avocamus, illasque omnes, & singulas penitus, & omnino perpetuo supprimimus, perimimus, extinguimus, & abolemus, ac perpetuum desuper utrique parti silentium imponimus, osque occludimus.

§.2. Præterea ad evitandas rixas, & crebra scandala, quæ oriri solent quando in publicis functionibus simul conveniunt Capitula, & Canonici utriusque Ecclesiæ hujusmodi, motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus earumdem tenore præsentium statuimus, ut inter has duas Ecclesias, earumque Capitula, & personas deinceps perpetuis futuris temporibus servetur Ordo Alternativæ in singulis functionibus Cathedralitati competentibus, inchoando ab Ecclesia Beatæ Mariæ de Pilari, quæ prior, sive antiquior, & actualis Cathedralis Civitatis Cæsarauguſtan. existit: itaut Provinciale Concilium in præsenti triennio celebretur in Ecclesia B. Mariæ absque interventu Capituli Ecclesiæ S. Salvatoris, & cum præsentia solius Procuratoris ejusdem Capituli, qui sedebit supra omnes Procuratores Capitulorum aliarum Cathedralium suffraganearum: & in sequenti triennio celebretur in Ecclesia Sancti Salvatoris sine interventu Capituli Ecclesiæ Beatæ Mariæ, & cum præsentia solius Procuratoris ejusdem Capituli, qui pariter sedebit supra omnes Procuratores Capitulorum aliarum Cathedralium suffraganearū, & sic servetur alternatim in futuris Provincialibus Conciliis in perpetuum; similiter Diœcesana Synodus proxima celebretur in Ecclesia B. M. cum interventu solius Procurat. Eccles. S. Salvat., qui sedebit post Capitulum Ecclesiæ B. Mariæ: Secunda vero celebret in Ecclesia S. Salvatoris cum interventu solius Procuratoris Eccl. Beatæ Mariæ, qui itidem sedebit post Capitulum Ecclesiæ Sancti Salvatoris, & sic deinceps alternis vicibus. Item in prima vacatione Sedis Archiepiscopalis Cæsarauguſtanæ Vicarius Generalis, Officialis Major, ac Officialis ad pias causas eligantur ex gremio Capituli Ecclesiæ Beatæ Mariæ a Capitulo Ecclesiæ S. Salvatoris, & in secunda vaca-

ſtes, Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ, Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, Sancti Jacobi Apoſtoli, omnium Sanctorum, & aliis per annum ſolemniter celebrari ſolitis, ita ut in earum ſingulis interſit Archiepiſcopus alternatim in alterutra Eccleſia inchoando ab Eccleſia Beatæ Mariæ. Veruntamen feſta Nativitatis, Aſſumptionis, & Conceptionis Beatiſſimæ Virginis Immaculatæ, ac S. Braulii in Eccleſia Beatæ Mariæ; Feſta vero S. Valerii, ac Sanctarum Juliæ, & Secundæ in Eccleſia S. Salvatoris, ut moris eſt, ſolemniter quot annis, nullo ſervato Ordine alternativæ, ab Archiepiſcopo celebrari debeant, ita tamen, ut feſta hujuſmodi minime varient, nec aliquo modo interumpant alternativam in aliis feſti-v tatibus.

Ad hæc Cappellani aliarum Eccleſiarum, qui ſingulis Sabbatis tenentur accedere ad Metropolitanam Eccleſiam ad recipiendum Ordinem recitandi officium in hebdomada ſequenti, ſervent ſimiliter præſcriptum Ordinem alternativæ, ita ſcilicet ut uno Sabbatho recipiant hujuſmodi Ordinem ab una Eccleſia Metropolitana, & in ſequenti Sabbatho ab altera Metropolitana, initium ſumendo a Metropolitana Beatæ Mariæ. Solemnes quoque Ordinationes, adminiſtratio Chriſmatis, & ſolemnis benedictio candelarum in die Purificationis, necnon concio fieri conſueta in Eccleſia Metropolitana per Concionatorem Hoſpitalis feria quarta Cinerum, pro prima vice fiant in Eccleſia Beatæ Mariæ ſine aſſiſtentia Capituli S. Salvatoris: Et pro ſecunda vice fiant in Eccleſia S. Salvatoris ſine aſſiſtentia Capituli Eccleſiæ Beatæ Mariæ, & ita in poſterum alternatim; idemque ſervetur in ſolemni benedictione Palmarum, in conſecratione oleorum, & in cæteris functionibus majoris hebdomadæ, quæ hoc primo anno ab Archiepiſ. fiant omnes in Eccleſia Beatæ Mariæ, & in ſequenti anno in Eccleſia S. Salvatoris cum interventu Capituli ſolius Eccleſiæ, in qua functiones prædictæ peraguntur.

Nec non in adminiſtratione ſubſidii, & excuſati, quæ in primo futuro quinquennio ſpectet ad Capitulum Eccleſiæ Beatæ Mariæ, in ſecundo ad Capitulum Eccleſiæ S. Salvatoris, & ſic alternatim de quinquennio in quinquennium.

Et generaliter ſuprafcriptum Ordinem Alternativæ perpetuo ſervet Vener. Frater modernus Archiepiſcopus Cæſarauguſtan. & illius Succeſſores, atque alii ad quos pertinet, & pro tempore pertinebit tam in præmiſſis quam aliis quibuſcumque actibus, & functionibus publicis Cathedralitati competentibus; Archiepiſcopus quidem ſub pœna interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ; alii vero ſub pœna ſuſpenſionis a divinis ipſo facto incurrenda ſi contra fecerint.

Porrò in Comitiis Regni, in quibus ſuffragandi jus habent Prior, & unus Canonicus Eccleſiæ Beatæ Mariæ, necnon Decanus, & unus Canonicus Eccleſiæ Sancti Salvatoris, ſervetur Ordo Alternativæ quoad præcedentiam, ita videlicet, ut in primis futuris Comitiis Prior, & Canonicus Beatæ Mariæ præcedant Decano, & Canonico Sancti Salvatoris: contra vero in ſecundis Comitiis Decanus, & Canonicus Sancti Salvatoris præcedant Priori, & Canonico Beatæ Mariæ; In aliis vero functionibus, quæ fieri poſſunt, & ſolent a Canonicis cuiuſque Eccleſiæ ſine Archiepiſcopi miniſterio, vel præſentia, quales ſunt celebratio horarum Canonicarum, Miſſa Conventualis, Officium Defunctorum, Anniverſaria, Funeralia, Celebratio Capituli, privatæ proceſſiones Eccleſiæ, & aliæ hujuſmodi, nulla ſervetur alternativa, ſed Canonici Eccleſiæ Beatæ Mariæ has, & conſimiles functiones faciant in ſua Eccleſia ſeorſim a Canonicis Eccleſiæ Sancti Salvatoris: Et e contra Canonici Eccleſiæ Sancti Salvatoris illas faciant in propria Eccleſia ſeorſim a Canonicis Eccleſiæ Beatæ Mariæ, itaut nec in ſecundis feriis, & aliis Feſtivitatibus Capitulum Eccleſiæ Beatæ Mariæ amplius accedat ad Eccleſiam Sancti Salvatoris, nec viceverſa Capitulum Eccleſiæ Sancti Salvatoris accedat ad Eccleſiam Beatæ Mariæ.

Inſuper in actibus in quibus de jure, vel conſuetudine requiritur conſenſus Capituli Metropolitanæ Eccleſiæ Cæſarauguſtan., non alternatim, ſed ſimul ad validitatem actus concurrere debeant tam Capitulum Eccleſiæ Beatæ Mariæ, quam Capitulum Eccleſiæ Sancti Salvatoris, ita tamen ut Capitula ſimul non congregentur, ſed unumquodque ſeorſim hujuſmodi conſenſum præſtet.

In futuris autem acquiſitionibus intermemoratas Eccleſias, earumque Capitula, & perſonas, hoc pro regula ſervari debeat, ut fidelium largitiones tam inter vivos, quam in ultima voluntate, quæ fient expreſſo nomine Eccleſiæ Beatæ Mariæ de Pilari, ipſi Eccleſiæ tantum integre acquirantur; & quæ fient expreſſo nomine Eccleſiæ Sancti Salvatoris, ſimiliter ipſi Eccleſiæ tantum acquirantur abſque diminutione: quæ vero fient ſub nomine Eccleſiæ Cæſarauguſtan. pro dimidia ſpectent ad Eccleſiam Beatæ Mariæ, & pro alia dimidia ad Eccleſiam Sancti Salvatoris, niſi ſecus in præmiſſis a Teſtatoribus, ſeu Benefactoribus cautam fuerit.

Cæterum in acquiſitionibus hucuſque factis utraque Eccleſia manuteneatur, & conſervetur in ea poſſeſſione, in qua nunc reperitur.

In extrahendis vero Cadaveribus ex alienis Parochis attendatur verba decedentium: nam qui elegerint ſepulturam in Eccleſia Beatæ Mariæ, a ſolis Canonicis illius Eccleſiæ erunt extrahenda; & e converſo, qui illam elegerint in Eccleſia Sancti Salvatoris, debebunt extrahi a Canonicis ipſius Eccleſiæ: quo vero ad illos, qui ſepulturam elegerint in Eccleſia Cæſarauguſtana ſervetur Ordo Alternativæ, niſi ex conjectura volutatis eligentium aliud appareat.

Ar-

Archiepiſcopo autem in extremis laboranti adminiſtratio Sacramenti Viatici, & extremæ unctionis prima vice ſpectet ad Capitulum Eccleſiæ Beatæ Mariæ, & ſecunda vice ad Capitulum Eccleſiæ Sancti Salvatoris, eoque decedente, non electa Sepultura, illius Cadaver hac prima vice ſepeliatur in Eccleſia Beatæ Mariæ, & ſecunda vice in Eccleſia Sancti Salvatoris, & ſic de cætero alternatim.

Decretum irritans. §.3. Decernentes eaſdem præſentes literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod Archiepiſcopus, ac Capitula, & Canonici præfati, aliive quilibet cujuſcumque ſtatus, gradus, ordinis, conditionis, & dignitatis, ſeu alias ſpecialis, & individua mentione, & expreſſione digni in præmiſſis, ſeu eorum aliquo jus vel intereſſe habentes, ſeu habere quomodolibet prætendentes, illis non conſenſerint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, neque cauſæ propter quas ipſæ præſentes emanarunt adductæ, juſtificatæ, & verificatæ fuerint ſeu ex alia quacumque quantumvis juſta, legitima, pia, & privilegiata cauſa, colore, prætextu, & capite etiam in corpore juris clauſo, etiam enormis, enormiſſimæ, & totalis læſionis, nullo unquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtræ aut intereſſe habentium, ſeu habere prætendentium conſenſus, aliove quocumque quantumvis magno, formali, & incogitato, & inexcogitabili, ſpecificamque expreſſionem requirente defectu notari, impugnari, limitari, modificari, infringi, retargui, ad viam, ſeu terminos juris reduci, ſeu in controverſiam vocari, aut adverſus illas aperitionis oris, reſtitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, ſeu impetrari, aut impetrato, vel etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus conceſſo, vel emanato quempiam in judicio, vel extra illud uti, ſeu ſe juvare poſſe; ſed illa omnia, & ſingula ſemper, & perpetuo firma, valida, & efficacia exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & ſingulis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit in omnibus, & per omnia inviolabiliter, & inconcuſſe obſervari, & illis reſpective pleniſſime ſuffragari; Sicque, & non aliter in præmiſſis omnibus, & ſingulis per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac ejuſdem S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, & Apoſtolicæ Sedis Nuncios, alioſve quoslibet quacumque auctoritate, præeminentia, & poteſtate fungentes, & quandocumque functuros, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.4. Quocirca Ven. Fratri Vitaliano Archiepiſcopo Epheſin. moderno, & pro tempore exiſtenti noſtro, & dictæ Sedis in Regnis Hiſpaniarum Nuncio per præſentes motu pari committimus, & mandamus, ut per ſe, vel alium, ſeu alios eaſdem præſentes literas, & in eis contenta quæcumque ubi, & quando opus fuerit, & quoties ab iis, quorum intereſt, fuerit requiſitus, prævia illarum publicatione tam in Eccleſia Beatæ Mariæ de Pilari, quam in Eccleſia Sancti Salvatoris, faciat auctoritate noſtra ab omnibus, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, firmiter, & inviolabiliter obſervari. Contradictores quoſlibet, & Rebelles in præmiſſis non parentes per cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia compeſcendo, invocato etiam ad hoc ſi opus fuerit brachii ſecularis auxilio: Nos enim eidem Vitaliano Archiepiſcopo moderno, & pro tempore exiſtenti Nuncio cognoſcendi, declarandi, ac decidendi ſummarie, & de plano, ſola veritate inſpecta, ac ſine ſtrepitu, & figura judicii omnes, & quaſcumque controverſias, quæſtiones, ac dubia, quæ ſuper præmiſſis, & illorum occaſione emergere, aut quoquo modo oriri contigerit, eaque ſine debito terminandi, omni, & quacumque appellatione remota, pleniſſimam, ampliſſimam, & omnimodam facultatem harum ſerie motu, ſcientia, deliberatione, & poteſtatis plenitudine ſimilibus tribuimus, & impertimur.

Executores dep.

Derogatio contrariorum §.5. Non obſtantibus omnibus, & ſingulis præmiſſis, ac quatenus opus ſit de non tollendo jure quæſito, aliiſque noſtris, & Cancellariæ Apoſtolicæ regulis, necnon fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. Prædeceſſoris noſtri de una, & Concilii Generalis de duabus dietis, aliiſque Apoſtolicis, ac in Univerſalibus, Provincialibuſque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, ac præfatarum Eccleſiarum, & aliis quibuſvis etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apoſtolicis eiſdem Eccleſiis, earumque Præſulibus, Capitulis, dignitatibus, & perſonis quibuslibet ſub quibuſcumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, & decretis etiam irritantibus, etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus, ac conſiſtorialiter, & alias quomodolibet in contrarium præmiſſorum conceſsis, confirmatis, & pluries iteratis, ac quantiſcumque vicibus innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſsio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervan-

vanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores, causas, formas, & occasiones, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, servatis, insertis, & specificatis respective habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expresse, ac plenissime, & amplissime derogamus, & derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 21. Oct. 1666. An. XII.

Datum in Arce Gandulphi Albanen. Diœcesis, sub Annulo Piscatoris, die 21. Octob. 1666. Pontificatus nostri Anno XII.

DLIV.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Commissio Nuncio Hispaniarum, ut absolvat a censuris Capitulum, & Canonicos Metropolitanæ Ecclesiæ S. Salvatoris Civitatis Cæsaraugustan., in quas declarati fuerunt incidisse, eo quod literis Executorialibus Rotæ, & mandatis ejusdem Nuncii non paruerint.

Ven. Fratri Vitaliano Archiepiscopo Ephesin. nostro, & Apostolicæ Sedis Nuncio in Regnis Hispaniarum commoranti.

ALEXANDER PAPA VII.

Ven. Frater salutem, & apostolicam benedictionem.

Supplicatio.

§. 1. EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Joannes Veguer Canonicus Doctoralis, & Procurator Capituli, & Canonicorum Metropolitanæ Ecclesiæ S. Salvatoris Civitatis Cæsaraugustan., quod cum decretum a particulari Congregatione nonnullorum Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, ac dilectorum filiorum Romanæ Curiæ Prælatorum, quibus causam Cathedralitatis inter Capitulum, & Canonicos præfatos ex una, nec non dilectos filios Capitulum, & Canonicos Metropolitanæ Ecclesiæ B. Mariæ Virginis de Columna, seu ut vulgo dicitur de Pilari ejusdem Civitatis ex altera partibus vertentem commiseramus, die 5. Febr. proximi præteriti in eadem causa emanatum, die 23 Martii subsequentis Cæsaraugustam pervenisset, memorati Capitulum & Canonici Ecclesiæ S. Salvatoris capitulariter congregati, non expectato, ut Decretum hujusmodi sibi notificaretur, die sequenti 24. ejusdem mensis Martii per Instrumentum publicum declararunt, se debere in futurum a divinis officiis abstinere, ac tractari tanquam innodatos censuris Ecclesiasticis, usque ad totalem ejusdem decreti exequutionem, & successive eadem die 24. officia divina tam ante, quam post meridiem per solos Portionarios ejusdem Ecclesiæ celebrata fuerunt, absque interventu ullius Capitularis, atque ita subinde continuatum est, & de præsenti continuatur, non sine magno totius Populi mœrore. Præterea die 5. Aprilis itidem proxime præteriti in adimplementum dicti Decreti iidem Capitulum, & Canonici Ecclesiæ S. Salvatoris, ultra medietatem sacrorum supellectilium, quæ in ultima vacatione Sedis Archiepiscopalis Cæsaraugustan. receperant, solverunt in pecunia numerata præfatis Capitulo, & Canonicis Ecclesiæ Sanctæ Mariæ de Pilari scuta 795., & solidos quinque, partim quidem pro medietate emolumentorum a die secutæ vacationis Sedis hujusmodi usque ad intimationem sequestri a dilecto filio nostro Carolo ejusdem S. R. E. Cardinale Bonello nuncupato tunc temporis nostro, & Apostolicæ Sedis Nuncio in Regnis Hispaniarum commorante appositi perceptorum, reliquum vero pro medietate funeralium Archiepiscopi defuncti, prout ex instrumento quietationis desuper celebrato constat, idq; tametsi juxta decretum supradictum emolumenta hujusm. inter Canonicos utriusq; Ecclesiæ in capita dividi deberent: Unde Canonici dictæ Ecclesiæ S. Mariæ de Pilari quippe numero longe inferiores medietatem hujusmodi pretendere non poterant; Verum iidem Capitulum, & Canonici Ecclesiæ S. Salvatoris hoc præjudicium non gravate acceperunt, quo magis conspicua fieret eorum promptitudo, & obedientia erga Sedem Apostolicam, omnisque querimoniæ occasio parti diversæ præciderentur. Parti exacte parenti studio usi sunt, iidē Capitulum, & Canonici Ecclesiæ S. Salvatoris circa renunciationes factas quibusvis processibus, formis, & inhibitionibus per Judices tam Ecclesiasticos, quam seculares expeditis; quandoquidem die prima ejusdem Mensis Aprilis Procurator ipsorum Capituli, & Canonicorum vigore mandati specialis renunciavit processui Curiæ Ecclesiasticæ Cæsaraugustan. in lite ibidem pendente super jure faciendi imprimi libellos de modo recitandi officium divinum in Diœcesi Cæsaraugustan.; similes quoque renunciationes factæ fuerunt eadem die diversis processibus, formis, & inhibitionibus infrascriptarum Curiarum Secularium, nempe tribus processibus Regiæ Audientiæ, Gubernationis Civitatis præfatæ, aliis tribus processibus Curiæ Justitiæ Aragoniæ pendentibus in officio, seu Scribania de Anies; aliis formis, & inhibitionibus ejusdem Curiæ diversis temporibus in diversis processibus per scribaniam Petri Guiral expeditis; alii quoque inhibitioni dictæ Curiæ occasione sequestri per memoratum Nuncium in ultima vacatione dictæ Sedis Archiepiscopalis appositi, necnon processui circa jus *de la falda* vulgariter nuncupatum in Scribania fiscali pendenti; ac demum processui Curiæ Salmedinæ Judicis ordinarii ejusdem Civitatis. Interea vero Cæsaraugustam pervenit Instrumentum paritionis dicto decreto, ac nostris in simili forma Brevis super illius confirmatione expeditis literis per præfatum Joannem in Alma Urbe nostra factæ; Unde iidem Capitulum, & Canonici Ecclesiæ S. Salvatoris nullo

nullo habito respectu ad præjudicia, quæ eis resultare poterant, die 28. dicti mensis Aprilis novum instrumentum acceptationis decreti, & literarum nostrarum huiusmodi fecerunt, approbantes, & notificantes absque ulla præservatione, vel limitatione obligationes, promissiones, recognitiones, renunciationes, aliaque omnia in Urbe ab eodem Joanne facta, Nobisque supplicantes, ut eis absolutionem a censuris concedere dignaremur, constitutis ad eum effectum pluribus Procuratoribus cum facultate acceptandi quamcumque pœnitentiam, quæ eis imponeretur, prout in ultimodicto Instrumento latius continetur.

Absolutio a censuris.

§. 2. Et quia circa depositum emolumentorum post sequestrum occasione ultimæ vacationis Sedis Archiepiscopalis præfatæ perceptorum juxta dispositionem decreti supradicti in manibus tuis faciendum præcedere debebat debita liquidatio, memorati Capitulum, & Canonici Ecclesiæ S. Salvatoris obtinuerunt a Te hac super re deputari Cæsaraugustæ dilectum filium Advocatum Fiscalem Cameræ nostræ Apostolicæ qui processum desuper formare voluit, & secundum contenta in illo retulit, quod dicta emolumenta ab eodem Capitulo percepta ascenderent ad summam quinque millium quadringentorum viginti trium scutorum, & nonaginta bajoccorum, præter nonnulla credita modicæ considerationis nondum exacta; ipsique Capitulum, & Canonici eamdem summam, ne deductis quidem expensis, & salariis ministrorum integre deponi curarunt, de mandato tuo penes dilectum pariter filium Depositarium ejusd; Cameræ Madriti residentem, ubi sic deposita de præsenti reperitur, ad hoc ut in opera pia juxta mentem nostram erogetur, ac etiam Tibi, seu tuo Fiscali tradiderunt cedulas dictorum creditorum inexactorum, prout ex tuis Testimonialibus literis, ac ex actis tui Tribunalis apparet.

§. 3. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, præfati Capitulum, & Canonici Ecclesiæ S. Salvatoris Decreto, & literis nostris illius confirmatoriis supradictis integre paruerint, ac etiam expensas in Sacro Rotæ Romanæ Auditorio liquidatas juxta tenorem dicti decreti solverint: Nobis propterea dictus Joannes humiliter supplicari fecit, ut eisdem Capitulo, & Canonicis in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apost. dignaremur. Nos igitur Joannem, ac Capitulum, & Canonicos præfatos specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis præterquam præmissorum occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de consilio supradictæ Congregationis Cardinalium & Prælatorum, cui ex documentis supra enunciatis, & exhibitis in forma authentica plene constitit, præfatos Capitulum, & Canonicos Metropolitanæ Ecclesiæ S. Salvatoris adimpleviſſe omnia, & singula contenta in memorato Decreto ejusdem Congregationis a Nobis motu proprio per literas nostras præscriptas confirmato, fraternitati tuæ per præsentes committimus, & mandamus, ut eosdem Capitulum, & Canonicos Ecclesiæ S. Salvatoris, si hoc a Te humiliter petierint, imposita eis arbitrio tuo aliqua pœnitentia salutari, ab excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque sententiis, & censuris Ecclesiasticis, in quos declarati fuerunt incidisse propterea quod literis executorialibus memorati Rotæ Auditoris, & mandati Nuncii Hispaniarum non paruerint, auctoritate nostra Apostolica in utroque foro absolvas, & totaliter liberes; Ac cum ipsis Capitulo, & Canonicis, & eorum singulis super irregularitate, si quam contraxerunt, ex eo, quod censuris hujusmodi propter præmissa, innodati, Missas, & alia divina officia (non tamen in contemptum clavium) celebraverunt, seu alias in suis respective ordinibus ministrarunt, ita ut illa, & eisdem præmissis non obstan. dummodo nullum aliud Canonicum eis obstet impedimentum, Clericali charactere, quo alias rite insigniti fuerunt, illiusque privilegiis necnon susceptis per eos pariter rite quatuor minoribus, ac sacris Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus ordinibus uti, & quateus illos nondum susceperint, ad illos si ad id idonei reperiantur, servatis alias servandis promoveri, & promoti in illis etiam in Altaris Ministerio ministrare libere, & licite possint, & valeant respective eadem auctoritate dispenses.

Contrariis derogat:

§. 4. Non obstantibus Apostolicis, ac universalibus, provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, cæterisque contrariis quibuscumq;

Dat. die 3. Nov. 1666. An. XII.

Datum in Arce Gandulphi Albanen. Diæc. sub Annulo Piscatoris, die 3. Novembris 1666 Pontificatus nostri Anno XII.

DLV.

De non celebrandis Missis de Requiem in duplicibus, exceptis Anniversariis ex dispositione Testatorum relictis.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

CReditæ Nobis cœlitus dispensationis officium salubriter exequi adjuvante Domino jugiter satagentes, quamplurima dubia in diversis mundi partibus orta, & in Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus Præpositorum deducta occasione decreti

creti ejuſdem Congregationis, die 5. Auguſti 1662. editi, ac a Nobis approbati, de non celebrandis Miſſis de Requiem in duplicibus tollere, atque dirimere cupientes.

Excluduntur Anniverſaria.

§. 1. De memoratorum Cardinalium conſilio auctoritate apoſtolica tenore præſentium approbamus in primis aliud decretum prædictæ Congregationis editum in una Novarienſi, die 22. Novembris 1664. quo declaratum fuit, Anniverſaria, & Miſſas cantatas de Requiem relictas ex diſpoſitione Teſtatorum quotannis in die ipſorum obitus etiam in duplici majori contingentis, non comprehendi in dicto decreto.

Altaria privilegiata non expiuntur.

§. 2. Ulterius quoad Altaria perpetuo privilegiata, & in quibus pro inde quotidie etiam in duplicibus celebrandæ ſint Miſſæ de Requiem ex obligatione, auctoritate, & tenore prædictis declaramus per celebrationem Miſſarum de Feſto currenti ſatisfieri dictis obligationibus, & ſuffragari cum eiſdem Indulgentiis, perinde, ac ſi eſſent celebratæ Miſſæ de Requiem ad formam privilegiorum: ſalva tamen ſemper in præmiſſis auctoritate ſupradictæ Congregationis.

Decretum ſtatuens.

§. 3. Decernentes eaſdem præſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & ſpectabit in futurum pleniſſime ſuffragari, & ab eis reſpective inviolabiliter obſervari; ſicque in præmiſſis per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum

§. 4. Non obſtantibus quatenus opus ſit noſtra, & Cancellariæ Apoſtolicæ Regula de non concedendis Indulgentiis ad inſtar, aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Tranſumptorum fides.

§. 5. Volumus autem, ut ipſarum præſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis eadem prorſus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præſentibus ipſis adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Dat. die 12. Jun. 1667. An.XII.

Datum Romæ apud S.Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 12. Januar. 1667. Pontificatus noſtri Anno XII.

DLVI.

Ex Regeſt. in Secr. Brev.

Confirmatio Decreti, quo indulgetur, ut in poſterum in Prov. Portugalliæ Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum Procurator Captivorum, necnon Secretarius Provinciæ, & Vicarius Commiſſarii Ulixbonen. dictæ Provinciæ pro tempore exiſtentes gaudeant voto perpetuo in Capitulis Provincialibus ipſius Provinciæ.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Supplicatio.

§. 1. NUper pro parte dilectorum filiorum Miniſtri Provincialis, & Definitorum Provinciæ Portugalliæ Ordinis Fratrum Sanctiſſimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum Congregationi Ven. Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſitæ expoſito, quod in dicta Provincia pauca propoſita eſſent Religioſis ſervientibus, ac magis conſpicua, magiſque laborioſa ejuſdem Provinciæ miniſteria exercentibus; quales ſunt Procurator Captivorum, qui Redemptioni aſſidue incumbit una cum Miniſtris Regni: nunc præſertim cum publicata ſit Redemptio Captivorum, ad hoc, ut Fratres dicti Ordinis in Africam proficiſcantur, ibique ſuum Inſtitutum exerceant; ac Secretarius Provinciæ præfatæ qui etiam continuos labores ſuſtinet; necnon Vicarius Conventus Ulixbonen. Capituli celebrationi deſtinati, qui omnibus congreſſibus, & præſertim matutinis media nocte celebrari ſolitis ſemper aſſiſtit: Et in eadem expoſitione ſubjuncto, quod cum congrua laborantibus præmia rependi oporteret, dicti Exponentes Fratribus munera præfata exercentibus vocem in Capitulo Provinciali dictæ Provinciæ concedi cupiebant, ad hoc, ut deinceps promovendo Dei ſervitio, ac ejuſdem Provinciæ incremento ferventius incumbatur: Emanavit a præfata Congregatione Decretum tenoris, qui ſequitur videlicet.

Decretum Congr. Epiſcoporum.

Sacra Congregatio Eminentiſſimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita attentis narratis benigne indulſit, ut in poſterum in præfata Provincia Procurator Captivorum, nec non Secretarius Provinciæ, & Vicarius Communitatis Ulixbonen. ejuſdem Provinciæ pro tempore exiſtentes gaudeant Voto perpetuo in Capitulis Provincialibus ipſius Provinciæ, ita ut a nullo deſuper quovis modo impediri, aut perturbari poſſint, aut debeant contrariis quibuſcumque non obſtantibus. Romæ 17. Decembris 1666.

M. Card. Ginnettus.

E. Epiſc. Camerinen. Secretarius.

§. 2. Cum autem, ſicut Miniſter Provincialis, & Definitores prædicti Nobis ſubinde exponi fecerunt, ipſi Decretum hujuſmodi, quo firmius ſubſiſtat, apoſtolicæ confirmationis noſtræ patrocinio communiri ſummopere deſiderent: Nos ſpecialem ipſis Exponentibus gratiam facere volentes, & eorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes ſupplicationibus eorum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati; Decretum præinſertum auctoritate apoſtolica tenore præſentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ſalva tamen ſemper in præmiſſis auctoritate ejuſdem Congregationis Card.

Decretum confirmat Petitor.

Decretum irritans.

§. 3. Decernentes ipſas præſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit pleniſſime ſuffragari; ſicque in præmiſſis per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum

§. 4. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon quatenus opus ſit Ordinis, & Provinciæ hujuſmodi, etiam juramento, confirmatione apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Dat. die 18. Jan. 1667. An.XII.

Datum Romæ apud S.Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 18. Januarii 1667. Pontificatus noſtri Anno XII.

DLVII.

Ex Regeſt. in Secret. Brev.

Decernit Conventum S. Franciſci Civitatis Targoviſti Provinciæ Vallachiæ ſpectare ad Fratres Cuſtodiæ Vallachiæ Ordinis Minorum S. Franciſci de Obſervantia nuncupatorum; nec ullum Jus in eo habere Fratres Minores Conventuales Congregationis de Propaganda Fide in dicta Provincia Miſſionarios.

Statuit Conventum Targoviſti ſpectare ad Fratres Cuſtodiæ Vallachiæ.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Motiva hujus Conſtitut.

§. 1. COntroverſiam inter dilectos filios Fratres Ordinis Minorum Sancti Franciſci Conventualium nuncupatorum, Miſſionarios Congregationis Ven. Fratrum noſtrorum S. R. E. Card. negotiis Propagandæ Fidei præpoſitorum in Prov. Vallachiæ, & Fratres Cuſtodiæ Bulgariæ Ordinis Min. ejuſdem S. Franciſci de Obſervantia nuncupatorum ſuper manutentione in poſſeſſione Conventus S. Franciſci Civitatis Targoviſti ſupradictæ Prov. ortam ex commiſſo Nobis cœlitus Sacroſancti Apoſtolatus Officio dirimere cupientes, de memoratorum Cardinalium, qui maturam deſuper deliberationem habuerunt, ac literas dilecti filii noſtri, & Apoſtolicæ Sedis apud chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Joannem Caſimirum Poloniæ, & Sveciæ Regem Illuſtrem Nuncii viderunt, & perpenderunt, conſilio, inhærendo Decreto dictæ Congregationis, die 10. Aprilis 1663. edito, auctoritate apoſtolica tenore præſentium decernimus, præfatum Conventum S. Franciſci ſpectare, & pertinere ad Fratres Minores de Obſervantia dictæ Cuſtodiæ Bulgariæ, illoſque in ejuſdem pacifica poſſeſſione manutenendos eſſe, ac propterea nullum Jus in eo habere, ſeu prætendere poſſe Fratres Minores Conventuales, quibus dicta auctoritate harum ſerie mandamus, ne in poſterum ullam moleſtiam afferant dictis Fratribus Minoribus de Obſervantia, perpetuumque ſuper hujuſmodi negotio ſilentium imponimus, ac ita ſervari mandamus, ſalva tamen ſemper in præmiſſis auctoritate præfatæ Congregationis Cardinalium.

Decretum irritans.

§. 2. Decernentes pariter eaſdem præſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari; ſicque in præmiſſis per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 3. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac quatenus opus ſit Ordinum, & Conventus hujuſmodi, aliiſve quibuſvis, etiam juramento, confirmatione apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Dat. die 25. Jan. 1667. An.XII.

Datum Romæ apud S.Mariam Majorem ſub Annulo Piſc. die 25. Januar. 1667. Pontificatus noſtri Anno XII.

DLVIII.

Ex Regeſt. in Secr. Brev.

Subſidium centum millium ſcutorum auri ſuper fructibus Eccleſiaſticis Reipublicæ Venetorum pro ipſa Republica erogan. contra Turcas.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

ET ſi Nobis pro cura paſtoralis officii, divina diſponente providentia, Nobis me-

meritis licet imparibus commissi, nihil magis cordi sit, quam personas Ecclesiasticas ab extraordinariis oneribus immunes semper conservare, idque nisi summa necessitas cogat, re ipsa animo statuerimus; nihilominus, sicut jam omnibus notum esse debet, cum Turcarum Tyrannus nefarium bellum, quod a viginti, & amplius annis dilectis filiis nobilibus Viris Duci, & Dominio Venetorum intulit, etiam num ingenti apparatu, maximisque viribus prosequatur; & propterea ipsi Dux, & Dominium majores, quam unquam antea tam maritimas, quam terrestres copias, ut se, suaque tueantur parare, & instruere, ac proinde ingentes expensas facere modo compellantur. Nos considerantes non minus Clericorum, quam Laicorum interesse, ut ea, quæ ad defensionem hujusmodi necessaria sunt, studio comparentur, quo Christiani nominis hostes infensissimi a Christi fidelium cervicibus, adjuvante Domino repellantur, cogimur de universi Cleri Dominii Veneti facultatibus in hoc gravissimo, periculosissimoque casu fiduciam sumere, sperantes, quod ipsi hoc onus urgentissima necessitate, & justissima de causa a Nobis sibi impositum æquo animo ferre non recusabunt. Motu itaque proprio, ac ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine unum subsidium centum millium scutorum auri super omnibus, & singulis fructibus, redditibus, & proventibus secundum verum annuum valorem præsentis anni quarumcumque Cathedralium, etiam Metropolitanarum, & Patriarchalium, atque aliarum Ecclesiarum, ac Monasteriorum, Prioratuum, & Beneficiorum Ecclesiasticorum secularium quorumcumque, ac Hospitalium, & quorumvis Ordinum, etiam militiarum (non tamen Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani cujus fratres pro munienda, & defendenda adversus improbos eorumdem Turcarum conatus Insula Melevitana, gravissimos sumptus subire, & magnum æs alienum contrahere oportuit) Regularium cum cura, & sine cura in dicto Dominio existentium a Ven. Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & dilectis filiis electis, Administratoribus, Commendatariis, Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Prælatis, Capitulis, Conventibus, cæterisque personis Ecclesiasticis secularibus, & Regularibus quibuscumque tam non exemptis, quam quomodolibet exemptis, & quantumvis privilegiatis etiam S.R.E. Cardinalibus necnon S. Benedicti, S. Augustini, Cistercien., Cluniacen., Præmonstraten., Carthusien., Camaldulen. montis Oliveti, Valis umbrosæ, Monachorum Eremitarum S. Hieronymi, & quorumcumque aliorum Ordinum, necnon Cassinen. alias S. Justinæ, S. Salvatoris, & Lateranen., aliarumq; Congregationum tam virorum, quam mulierum, etiam Societatis Jesu, & aliorum mendicantium ex privilegio, vel alias bona immobilia, seu certos redditus quoquo modo Ecclesiasticos habentium in Dominio prædicto Ecclesias, Monasteria, & alia Beneficia Ecclesiastica obtinen., & fructus Ecclesiarum, Monasteriorum, & beneficiorum hujusmodi, necnon pensiones annuas quantumcumque exemptas, & sub quibusvis obligationibus, etiam in forma Cameræ Apostolicæ, & juramento etiam cum susceptione censurarum, & de non contraveniendo, ac etiam fortasse de non impetrando gratias nostras contra eos, & concessis non utendo vallatis, & forsan aliis etiam efficacioribus cautelis, & decretis, ac clausulis super iisdem fructibus, & pensionibus, etiam medio cedularum Banchi, seu in forma depositi habentibus, & intra præsentem annum habituris cujuscumque præeminentiæ, status, gradus, ordinis, & conditionis etiam Religionis, vel militiæ existant quibus, aut quorum aliquibus ulla privilegia, exemptiones, aut indulta sub quacumque verborum forma, & expressione concessa, quoad hoc nullatenus suffragari posse volumus, Fratribus, & personis dicti Hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani in totum, & omnino; cæteris vero Hospitalibus, hospitalitatem actu servantibus pro ea quantitate tantum, quam in servanda ipsa hospitalitate exponunt, dumtaxat exceptis, dummodo a personis Ordinum mendicantium, etiam dictæ Societatis Jesu nonnisi medietas ejus partis, quæ ratione subsidii hujusmodi ab eis solvenda esset solum exigatur proportionabiliter, & æqualiter juxta verum valorem prædictum inter prædictas personas Ecclesiasticas secundum æqualem, & discretam partitionem, quam ad Nos quam primum mitti mandamus per Ven. Fratres Stephanum Archiepiscopum Adrianopolitan., Nuncium nostrum, & Patriarcham Venetiarum distribuen., ac in locis, & terminis, modisque, & formis per ipsos Stephanum Archiepiscopum Nuncium, & Patriarcham, quos Collectores generales subsidii hujusmodi harum serie constituimus, & deputamus, statuen., ordinan., & declaran. omnino de præsenti anno persolven., ac per eos, & eorum subcollectores qui sint personæ Ecclesiasticæ ad hoc ab ipsis deputandos percipien., exigen., & levan., ac Duci, & Dominio prædictis cum effectu consignan., ut illud in expensas necessarias contra dictos Turcas, & non in alios usus convertere valeant, apostolica auctoritate tenore præsentium imponimus, impositumque fore, & esse decernimus, & declaramus, necnon eisdem Collectoribus Generalibus, & ab eis deputandis Subcollectoribus hujusmodi a Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Administratoribus, Electis, Abbatibus, Commendatariis, Prioribus, Præceptoribus, Præpositis, Prælatis, Capitulis, Conventibus, & aliis personis ecclesiasticis prædictis, præterquam, ut supra expressis ratam dicti subsidii eos, & eorum quemlibet, ut præmittitur, tangentem petendi, exigendi, & colligendi, eisque, & eorum singulis,

Unum subsidium 100. m. scut. auri pro bello contra Turcas imponit.

Executores deputat.

lis, ut illam modo præmisso solvant, per pœnas quoad Patriarchas, Archiepiscopos, & Episcopos interdicti, & suspen. ingressus Ecclesiæ, quoad alios vero privationis beneficiorum Ecclesiasticorum per eos quomodolibet obtentorum, & alias de quibus illis videbitur etiam pecuniarias, ac demum per sententiam excommunicationis, aliasq; censuras eccleſiast. cæteraq; opportuna juris, & facti remedia mandandi, & præcipiendi, Contradictores quoslib; rebelles, & suam ipsius subsidii partem solvere recusantes, seu differentes, & ne illa solvatur persuadentes directe, vel indirecte per pœnas, censuras, & remedia hujusmodi appellatione postposita compescendi, brachii quoque secularis auxilium si opus fuerit ad hoc invocandi, solventes de solutis quietandi, & liberandi, a censuris, & pœnis quas præmissorum occasione quomodolibet incurrerint absolvendo, & generaliter omnia, & singula alia in præmissis, & circa ea necessaria, seu quomodolibet opportuna etiam si mandatum exigerent magis speciale, quam præsentibus sit expressum faciendi, gerendi, ordinandi, mandandi, & exequendi plenam, & liberam auctoritate, & tenore prædictis facultatem concedimus, & potestatem.

Statuit quoad Ecclesiasticos ut in rubrica.

§. 3. Volentes tamen quod personæ Ecclesiasticæ ratione subsidii hujusmodi eam tantum quantitatem solvere teneantur, quam ratione similium subsidiorum a fel. rec. Innocentio Papa X. Prædecessore nostro, & a Nobis respective concessorum, solverunt, & nihil amplius, quodque expensæ, quæ circa exactionem subsidii hujusmodi forsan faciendæ fuerint, in centum millibus scutis prædictis minime computari debeant, sed dictæ personæ Ecclesiasticæ expensas ipsas ultra ratam partem, quam ratione ejusdem subsidii solvere debebunt, etiam persolvere teneantur.

Contrariis derogat.

§. 4. Non obstantibus quibusvis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis etiam in Conciliis universalibus editis, necnon Ecclesiarum, Monasteriorum, Prioratuum, Ordinum, Congregationum, & Militiarum hujusmodi etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, stabilimentis, usibus, & naturis, privilegiis quoque, Indultis, exemptionibus, & immunitatibus, etiam in corpore juris clausis, ac literis Apostolicis, Ecclesiis, Monasteriis, Prioratibus, Præceptoriis, Prælatis, Capitulis, Conventibus, Ordinibus, Congregationibus, & Militiis, aliisque prædictis in genere, vel in specie sub quacumque forma, & verborum expressione a Nobis, & Sede Apostolica, etiam consistorialiter, & motu simili, ac alias quovis modo emanatis, concessis, & etiam iteratis vicibus confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro sufficienti eorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, & in eis caveatur expresse quod per hujusmodi clausulas generales eis nullatenus derogetur, nec derogatum esse censeatur, nisi sub certis modo, & forma in eis expressis, tenores hujusmodi acsi de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro sufficienter expressis, & insertis, ad modum, & formam ad id servandos pro individue servatis habentes ad præmissorum effectum dumtaxat illis alias in suo robore permansuris, derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Aut si Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Electis, Administratoribus, Abbatibus, Commendatariis, cæterisque prædictis, & quibusvis aliis communiter, vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

§. 6. Volumus autem, quod juxta Ordinationem in Concilio Viennen. super hoc editam, calices, libri, & alia ornamenta Ecclesiarum, Monasteriorum, Prioratuum & aliorum Beneficiorum, & piorum locorum sub præsentibus comprehensorum divino cultui dedicata, causa pignoris, vel alias occasione solutionis subsidii hujusmodi nullatenus capiantur, distrahantur, vel occupentur; Quodque earumdem præsentium literarum transumptis manu Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus ex dictis Collectoribus, vel alterius Prælati Ecclesiastici munitis eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 3. Febr. 1667. Pontificatus nostri Anno XII.

Dat. die 3. Febr. 1667. An. XII.

DLIX.

Ex Regest. in Secr. Brev.

Facultas Regi Catholico dispensandi de omnibus locis, atque officiis ordinis Aurei Velleris del Toson vulgariter nuncupat. tam nunc vacantibus, quam imposterum vacaturis etiam extra Capitulum Generale dicti Ordinis.

Charissimo in Christo filio nostro Carolo Hispaniarum Regi Catholico.

ALEXANDER PAPA VII.

Charissime in Christo fili noster salutem & apostolicam benedictionem.

Suppl. tio

§. 1. CUm sicut Majestatis tuæ nomine Nobis nuper expositum fuit, pro dispositione Locorum, seu Officiorum Ordinis, sive Societatis Aurei Velleris del Toson vulgo nuncupat., Capitulum ipsius Ordinis, seu Societatis, prout illius sta-

tuta, & ſtabilimenta diſponunt, convocare oporteat; Tu vero de Locis, ſeu Officiis hujuſmodi extra Capitulum prædictum diſponere poſſe ſummopere deſideres: Nos Majeſtati tuę ſpecialem gratiam facere volentes, ſupplicationibus ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Tibi de omnibus Locis, atque Officiis dicti Ordinis, ſeu Societatis tam nunc vacantibus, quam impoſterum vacaturis ad tuum beneplacitum, etiam extra Capitulum Generale præſcriptum diſponere, & providere libere, & licite valeas, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium licentiam, & facultatem concedimus, & impartimur.

Concedit Præſes ut in rubrica.

Contrarii derogat.

§. 2. Non obſtan. Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, ſtabilimentis, uſibus, & naturis, etiamſi in illis caveatur expreſſe quod illa loca, ſeu officia extra dictum Capitulum Generale conferri non poſſint, & aliter factæ Collationes, & proviſiones, nullæ ſint, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & approbatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Dat. die 1. Martii 667. An. XII.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, ſub Annulo Piſcatoris, die prima Martii 1667. Pontificatus noſtri Anno XII.

DLX.

Ex Regeſt. in Secr. Brev.

Confirmatio Unionis Congregationum Doctrinæ Chriſtianæ Neapolitan., & Urbis fact. per Inſtrumentum publicum, & a D. Cardinali Protectore confirmatæ.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

SOllicitudo Paſtoralis officii, quo Eccleſiæ Catholicæ regimini divina diſpoſitione præſidemus, Nos admonet, ut illis per quæ felici Congregationum virorum piorum uberes bonorum operum fructus adjuvante Domino proferre jugiter ſatagentium ſtatui, progreſſui, atque incremento opportune conſulitur, apoſtolici favoris patrocinium libenter adjungamus.

Supplicatio.

§. 1. Exponi ſiquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii Presbyteri Congregationis Doctrinæ Chriſtianæ in Eccleſia Sancti Nicolai ad Divum Petrum nuncupat. Civitatis Neapolitan. canonice (ut aſſeritur) erectæ, quod ipſi alias, ac dilecti pariter filii Præpoſitus, Definitores Congregationis etiam Doctrinæ Chriſtianæ de Urbe præfatas duas Congregationes inter ſe univerunt, publicumque deluper Inſtrumentum die 7. Decemb. 1659. per acta dilecti filii Joannis Baptiſtæ Aſinarii Notarii publici celebrarunt, tenoris, qui ſequitur videlicet.

Die ſecundo menſis Julii 1666. Neapoli, & proprie in infraſcripta Eccleſia &c. In noſtri præſentia conſtituti in infraſcripti RR. PP., & Fratres Venerabilis Congregationis Doctrinæ Chriſtianæ erectæ in Eccleſia S. Nicolai a Divo Petro de Regione Capuana, videlicet. Admodum Reverendus Dominus Auguſtinus Braneovid Superior, & Rector Generalis totius Congregationis prædictæ, tam in dicta Eccleſia S. Nicolai Neapolis, quam in Eccleſia S. Mariæ Virginis Aſſumptæ de Monte Carmelo Terræ Laureti Diœceſis Caputaquenſis, S. Michaelis Archangeli Terræ Lauriani ejuſdem Diœceſis, prout Nobis conſtare fecit per fidem factam per Notarium Antonium Criſpo de Neapoli in poſſe noſtro ſiſtentem, & admodum Reverendus Dominus Nicolaus Perſone Vicerector ad preſens in Eccleſia præſcripta S. Nicolai Neapolis, Frater Joannes Vignapiano, Frater Angelus Rajano, Frater Caſimirus de Polonia, & Pater Sanctus Falvo capitulariter congregati, & coadunati ad ſonum Campanellæ in quadam Camera magna dictæ Eccleſiæ loco eorum capitulari, ubi ſe congregari ſolent pro eorum N. dictæ Congregationis faciendis, facientes, & rappræſentantes majorem, & ſaniorem partem RR. Patrum, & Fratrum dictæ Congregationis, imo totam dictam Congregationem, ut dixerunt, &c. conſentientes prius in Nos, &c. agentes, & inſervientes ad infraſcripta omnia, &c. pro ſe ipſis, & quolibet ipſorum, & aliorum Patrum, & Fratrum præſentium, & ſucceſſive futurorum in eadem Congregatione in primis, & ſignanter nomina Fr. Joannes Baptiſtæ Paſſarelli, R. P. D. Franciſci Perillo, Fratris Dominici Germano, Fratris Antonii Stoppiello ejuſdem Congregationis pro quibus &c. promiſerunt de rato &c. qui ſponte aſſerunt coram Nobis qualiter in anno 1659. die ſeptima Decembris Pontificatus Sanctiſſimi Domini noſtri Domini Alexandri Papæ VII. fuiſſe factam unionem, & incorporationem ſupradictæ Congregationis Doctrinæ Chriſtianæ, tam dictæ Eccleſiæ S. Nicolai Neapolis, quam prædictarum Eccleſiarum Sanctæ Mariæ Aſſumptæ, S. Michaelis Archangeli, & Sanctiſſimi Salvatoris cum Venerabili Congregatione Doctrinæ Chriſtianæ, & illius Presbyteris degentibus tam in Eccl. Sanctę Agathæ Urbis Romæ in Regione Tranſtyberim, quam in aliis Eccleſiis aliorum locorum Provinciæ Romanæ cum nonnullis Capitulis infertis in infraſcripto Inſtrumento inito inter Admodum Reverendum Præpoſitum Generalem Congregationis Doctrinæ Chriſtianæ in Eccleſia Sanctæ Agathæ de Urbe, & nonnullos alios RR. PP. ex una parte, & Admodum Reverendum Dominum Antonium Montaquila de Sveſſa in Regno

Regno Neapolis Sacerdotem, & Canonicum Neapolitan. Procuratorem ſpecialiter conſtitutum per R. Dominum Leonardum Sacco Rectorem Generalem Patrum Congregationis Doctrinæ Chriſtianæ in Eccleſiis prædictis de Regno Neapolis ex altera parte mediante Inſtrumento rogato dicto die ſeptimo Decembris 1659. manu Domini Joannis Baptiſtæ Aſinarii Romani publici apoſtolica auctoritate Notarii in Archivio Romano Curiæ deſcripti, cum expreſſa reſervatione de obtinendo conſenſu, & beneplacito Sanctiſſimi Domini Noſtri Domini Papæ, & Sanctæ Sedis Apoſtolicæ, ac Eminentiſſimi, & Reverendiſſimi Domini Cardinalis Vicarii dictæ Congregationis S. Agathæ Protectoris ſumptibus RR. PP. Doctrinæ Chriſtianæ Regni Neapolis, ut in dicto Inſtrumento legitur tenoris ſequentis; videlicet.

In Nomine Domini Amen. Præſenti publico Inſtrumento cunctis pateat, & ſit notum, quod Anno ab ejuſdem Domini Nativitate 1659. Indictione duodecima: die vero ſeptima menſis Decembris Pontificatus S. D. N. D. Alexandri Papæ VII. Anno Quinto. In mei Notarii publici, teſtiumque infraſcriptorum præſentia perſonaliter exiſtentes Admodum Reverendiſſimus Pater Jacobus Novellius Romanus Præpoſitus Generalis Congregationis Doctrinæ Chriſtianæ in Eccleſia Sanctæ Agathæ de Urbe. Admodum Reverendus Pater Marcus Antonius Scaramuccia Romanus Vice-Præpoſitus, & Primus Definitor, necnon Procurator Generalis ejuſdem Congregationis, Admodum Reverendus Pater Baptiſta Oliverius Romanus Definitor, & Admodum Reverendus Pater Joannes Antonius Capponius Definitor, agentes infraſcripta omnia vice, & nomine totius dictæ Congregationis Doctrinæ Chriſtianæ, & in executionem Decreti in Congregatione Generali deſuper facti ſub die decimo Novembris 1657., cujus fidem mihi &c. conſignaverunt ad effectum inferendi in præſenti Inſtrumento tenoris ſequentis, videlicet.

Adi 10. Novembre 1657. in Roma congregati &c. fù propoſto di nuovo il negotio dell' unione con la Congregazione della Dottrina Criſtiana di Napoli, ſtante che non ſi trova nota del Decreto altre volte fatto nella Congregazione delli Vocali della Famiglia di Roma, e ratificato l'anno paſſato 1656. nella Congregazione Generale, nella quale furono anco accettati li Capitoli, e data facoltà alla medema Congregazione dalli Vocali di Roma di agiuſtarli, e moderarli, e reſervato in primo il beneplacito dell' Eminentiſſimo, e Reverendiſſimo Signor Cardinal Ginnetti Vicario di Noſtro Signore, e Protettore della noſtra Congregazione con voti tutti favorevoli fù accettato: ſuprædictum Decretum extractum fuit ex libro actorum Congregationum Generalium Doctrinæ Chriſtianæ de Urbe; Ideoque in fidem &c. hac die 6. Decembris 1659. Ita eſt: Marcus Antonius Scaramuccia a Secretis manu propria &c. loco ſigilli impreſſi dictæ Congregationis Doctrinæ Chriſtianæ: Ex una, ac Illuſtriſſimus, & Admodum Reverendus Dominus Antonius Montaquila de Sueſſa in Regno Neapolitano Sacerdos, & Canonicus Eccleſiæ Cathedralis dictæ Civitatis Procurator ad infraſcripta ſpecialiter conſtitutus a R. P. D. Leonardo Sacco Rectore Generali Patrum Congregationis Doctrinæ Chriſtianæ in Eccleſiis S. Nicolai Civitatis Neapolis, Sancti Salvatoris Civitatis Baren., Sanctæ Mariæ Virginis Aſſumptæ de Monte Carmelo Terræ Laureti Diœceſis, & Sancti Michaelis Archangeli Terræ Lauriani Diœceſis Nolanæ, & ab aliis RR. Presbyteris Congregationis degen. in dicta Eccleſia Sancti Nicolai Neapolis, & docuit per Inſtrumentum publicum mandati procuræ ſumptum, & publicatum per D. Lutium Romanellum Notarium publicum Neapolis, quod pariter mihi &c. conſignavit præſentibus inſeren. tenoris, prout in ea &c. pro quibus &c. RR. PP. ac Rectoribus cujuslibet dictarum Eccleſiarum de rato &c. promiſit, & de faciendo ratificari præſens Inſtrumentum a quolibet Rectore, & ab omnibus Prioribus cujuslibet Domus Congregationis, & eum infra duos menſes ab hodie proximos, & deinde ad omne beneplacitum, & ſimplicem requiſitionem dictorum Patrum Doctrinæ Chriſtianæ S. Agathæ, ita quod &c. ex altera partibus, ſponte &c. reſervato in primis, & ante omnia conſenſu, & beneplacito Sanctiſſimi Domini Noſtri Papæ, & Sanctæ Sedis Apoſtolicæ, ac Reverendiſſimi, & Eminentiſſimi Cardinalis Vicarii, ac dictæ Congregationis in Eccleſia S. Agathæ Protectoris ſumptibus dicti Domini Antonii, ac dictorum Patrum Regni Neapolis impetrando, & obtinendo, cum declaratione, quod præſens ſupradictum beneplacitum non obtineatur, vel non obtineri poſſet, præſens Inſtrumentum habeatur pro non facto, & nullius ſit roboris, vel momenti, & non alias &c. de quo &c. & alias omni meliori modo &c. ſupradictas Eccleſias Sancti Nicolai Neapolis, Sancti Salvatoris Bari, Beatæ Mariæ Virginis Aſſumptæ Laureti, ac Sancti Michaelis Archangeli Laurianæ, ac Congregationes Doctrinæ Chriſtianæ, illiuſque Patres in dictis Eccleſiis degentes univerunt, ac titulo perpetuo duraturo unionis incorporarunt, cum prædicta Congregatione Doctrinæ Chriſtianæ, ac illius Patribus degentibus tam in dicta Eccleſia Sanctæ Agathæ Urbis Romæ in Regione Tranſtyberim, quam in aliis Eccleſiis aliorum locorum Provinciæ Romanæ, & ſtante dicta unione dicti RR. PP. Præpoſitus Vice-Præpoſitus, & Definitores, Conſtitutiones, Decreta, atque omnia, & ſingula privilegia, gratias, exemptiones, immunitates, & alia quæcumque dictis PP. Congregationis Doctrinæ Chriſtianæ Provinciæ Romanæ tam de jure, quam de antiqua conſuetudine, & gratia Romanorum Pontificum, ac aliorum Principum, ſeu

particularium personarum competentia, tam præsentia, quam futura, tam concessa, quam concedenda dictis RR. Patribus ejusdem Congregationis Regni Neapolis, ac supradictis eorum Ecclesiis dicto Reverendo Domino Antonio pro illis una mecum Notario præsentibus, & acceptantibus communicarunt &c., & cum aliis pactis, capitulis, conventionibus, & conditionibus contentis in folio supradicto per dictos RR. PP. Præpositum, Vice-Præpositum, Definitores, ac R. D. Antonium prædictum, nominibus quibus supra, quod mihi &c. consignaverunt, ad effectum inferen. in præsenti Instrumento tenoris sequentis videlicet.

Capitoli per l' Unione della Congregazione della Dottrina Christiana del Regno di Napoli, con la Congregazione della Dottrina Christiana di Roma.

Primo. Che la Congregazione di Napoli riconosca, e obbedisca li Superiori Generali della Congregazione di Roma, pigliando il modo di vivere, Regole, Constituzioni, e Decreti di questa.

Secondo. Che la Congregazione di Napoli con tutti li luoghi, che di presente hà, e in futuro haverà nel detto Regno constituisca Provincia separata da governarsi dal suo Provinciale, che si eleggerà ogni tre anni da tutti li Rettori delli luoghi del Regno, con un Compagno per ciascuno da eleggersi da ciascuna famiglia, con l' assistenza d' un Superiore almeno Generale della Congregazione di Roma, e di un Compagno della medema, quali anco voteranno, conforme le Constituzioni.

Terzo. Che nella detta Congregazione Provinciale godino la voce attiva, e passiva tutti li Sacerdoti della detta Provincia, conforme la godono li Sacerdoti della Congregazione di Roma per gl'Offici Generali secondo però le Constituzioni, e Decreti.

Quarto. Che detto Provinciale con un Compagno da elegersi nel Capitolo Provinciale debba intervenire alla Congregazione Generale di Roma, ogni volta che si dovrà fare l'elezzione del Prepositо, e Definitori, e in essa votaranno come gl' altri.

Quinto. Che li Sacerdoti, e Fratelli di detta Provincia di Napoli, debbano vivere, e esercitare l' Instituto, e Millioni del Regno solamente, e non fuori de suoi confini, senza poter pretendere, e convivere nelli luoghi fuori di detta Provincia, se non fosse a breve tempo per onesta, e legitima causa, e mai senza licenza scritta del Prepositо Generale.

Sesto. Che in caso di ricorso dal Provinciale al Prepositо Generale prima di partire si scriva la causa con verità, e aspetti la risposta con la licenza, purchè non ci fosse un manifesto pericolo di grave ingiustizia non tollerabile, che si dovrà fare costare, altrimenti soggiacerà alle pene de difetti gravissimi, conforme le Constituzioni ad arbitrio del Prepositо, e Definitori.

Settimo. Che il Prepositо Generale nel suo triennio debba una volta almeno visitare la detta Provincia, o farla visitare, conforme le Constituzioni.

Ottavo. Che ogni viaggio, e ritorno, che si doverà fare da Superiori di Roma per occasioni di Congregazioni Provinciali, o di Visite, e dal Provinciale per intervenire alla Congregazione Generale di Roma, si debba fare a spese di detta Provincia di Regno, li cui luoghi tutti doveranno pro rata contribuire.

Nono. Che li negozj, che si doveranno trattare in Roma per li luoghi di detta Provincia di Napoli sia tenuto il Procuratore Generale della Congregazione di Roma trattarli come proprj, dovendo però la Provincia somministrare le spese necessarie di decreti, sentenze, informazioni, scritture, copie, e brevi, che occorresse ro spedire.

Decimo. Che il P. D. Leonardo Sacco al presente Superiore de luoghi di Napoli nella Chiesa di S. Nicolò, fino che viverà, faccia l' Officio di Provinciale di detta Provincia con tutte le facoltà, e autorità necessarie, e opportune.

Undecimo. Che durante la vita di detto P. D. Leonardo il Prepositо Generale, e Definitori di Roma mandino un Sacerdote della loro congregazione con nome di Visitatore, il quale rifieda in detta Provincia per introdurvi l' uniformità del vivere, e dopo la morte del detto P. Don Leonardo debbano per il primo triennio solamente eleggere il primo Provinciale, il quale possa anco essere per questa prima volta sola un Sacerdote di Roma, dopo l' Officio del quale, si doverà fare l' elezzione, come sopra nel Capitolo secondo.

Duodecimo. Che nascendo alcun dubio sopra l' intelligenza di detti Capitoli, il dichiararli, o interpretarli tocchi a chi spetta per le Constituzioni di detta Congregazione. Io Giacomo Novelli Prepositо Generale della Congregazione della Dottrina Cristiana di Roma in S. Agata in Trastevere mano propria,

Io Marc' Antonio Scaramuccia Vice-Prepositо, e Procuratore Generale della Congregazione della Dottrina Cristiana mano propria.

Io Battista Oliviero Definitore mano propria.

Io Gio: Antonio Cappone Definitore mano propria.

Io D. Antonio Montaquila Procuratore delli RR. PP. della Dottrina Cristiana del Regno di Napoli confermo, come sopra mano propria &c.

Quæ pacta, & Capitula, omniaque in dicto folio contenta, & expressa nihilo penitus excluso dicti RR. PP. Præpositus, Vice-Præpositus, Definitores, & Reverendus D. Antonius, quibus supra respective nominibus promiserunt semper attendere, & inviolabiliter observare, modo, & forma, prout in eis continetur, & contra non facere, dicere, opponere, vel venire quovis

vis prætextu &c. aliàs &c. de quibus &c., pro quibus &c. dicti Admodum RR. PP. Congregationis in Ecclesia S. Agathæ se ipsos, & bona dictæ Congregationis; dictus vero R. Dominus Antonius Procurator, dictum Admodum R. P. Leonardum Sacco, & alios Patres Congregationis Doctrinæ Christianæ Neapolis, Bari, & aliorum locorum prædictorum principales suos, & dictarum Ecclesiarum bona in ampliori forma Rev. Cameræ Apostolicæ cum clausulis &c. una &c. obligarunt &c., renunciantes &c. cuicumque appellationi &c., consentientes &c. in mandatum executivum unica exactione præcedente relaxandum, & tactis pectoribus &c. juraverunt &c. super quibus omnibus, & singulis petitum fuit a me Notario publico infrascripto unum, vel plura confici Instrumenta, prout opus fuerit, & requisitus ero. Actum Romæ in Regione Transtyberim in stantiis inferioribus dictæ Ecclesiæ S. Agathæ præsentibus ibidem &c. Perillustri, & Admodum R. D. Octavio de Ricca de Svessa V. I. D. Proto-Notario Apostolico, & Vicario Generali dictæ Civitatis, & Illustrissimo, & Admodum R.D. Francisco Salerno Canonico Cathedralis Ecclesiæ Svessæ testibus ad prædicta omnia, & singula vocatis, habitis, atque rogatis.

Ego Joannes Baptista Asinarius Romanus publicus apostolica auctoritate Notarius in Archivio Romanæ Curiæ descriptus de supradicto Instrumento rogatus subscripsi, & publicavi requisitus in fidem.

Loco ✠ Signi.

Nos Odoardus Vecchiarellus Proto-Notarius Apostolicus V. I. D. Sanctissimi D. N. Papæ Referendarius, necnon Curiæ causarum Cameræ Apostolicæ Generalis Auditor &c. universis &c. notum facimus, & attestamur retroscriptum D. Joannem Baptistam Asinarium de præmissis rogatum, esse publicum, legalem, & authenticum Notarium, ejusque scripturis tam publicis, quam privatis in judicio, & extra semper adhibitam fuisse, & de præsenti plenam adhiberi fidem &c. in quorum fidem &c.. Datum Romæ ex Ædibus nostris hac die 29. Decembris 1660. a Nativitate.

Franciscus Serius &c.

Locus ✠ Sigilli.

Ad præsens præfati R. Rector Generalis, Patres, & Fratres Doctrinæ Christianæ Regni Neapolis volentes se conformare, & unire, & incorporare se, suasq; Eccl. præd. cum d. Congreg. Romana, & aliis locis Provinciæ Romanæ sponte hodie prædicto die coram Nobis, non vi, dolo &c., & omni meliori via &c. ratificaverunt, & acceptaverunt cum infrascripta tamen reservatione, & protestate, ut infra, ac ratificant, emologant, & acceptant supradictum insertum Instrumentum unionis, & omnia in eo contenta, conventa, appositа, declarata, & reservata juxta sui formam, tenorem, continentiam, & tenorem, excepto tamen Capitulo decimo, ubi legitur: Che durante la vita di detto D. Leonardo Sacco faccia l'officio di Provinciale della Provincia di Napoli, e questo stante la morte di detto D. Leonardo, reservato prius, & ante omnia assensu, & beneplacito Sanctissimi Domini Nostri Papæ, ac S. Sedis Apostolicæ, vel Emi, & Rmi D. Cardinalis Vicarii dictæ Congregationis in Ecclesia S. Agathæ Protectoris, ac Emi, & Rmi D. Archiepiscopi Neapolitan., sive ejus Reverendissimi Domini Vicarii Generalis, aliorumque Ordinariorum locorum, ubi dicta Congregatio habet sua Collegia, quatenus opus est, & non aliter &c., sumptibus, & expensis dictæ Congregationis Doctrinæ Christianæ Regni Neapolis, cum infrascriptis tamen reservationibus, & protestationibus; videlicet: Che durante la vita di quelli Padri, e Fratelli, che oggidì si trovano in detta Congregazione del Regno di Napoli loro vita durante tantum, non volendosi sottomettere al voto della perpetuità, seu perseveranza in detta Congregazione, loro sia lecito vivere in uno di quelli luoghi, che si eleggeranno di perseverarci, mentre loro parerà, e piacerà con dare solamente il voto d' obbedienza, e fedeltà, e non altrimenti &c. pro quibus omnibus observandis &c. præfati RR. PP., & Fr. sponte &c. obligaverunt se &c. dictasq; Eccl. &c. & earum bona omnia &c. mobilia, stabilia præsentia, & futura &c. salvo semper assensu apostolico &c. dictæ Congregationi Doctrinæ Christianæ Romæ absenti &c., & mihi præsenti &c. sub pœna dupli, mediante &c., cum protestatione capiendi &c., Constitutione præcarii &c. renunciarunt &c. & jurarunt &c. tacto pectore &c. unde &c. præsentibus opportunis &c. sequitur legalitas in forma &c.

§. 2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, tam dicti Exponentes, quam Præpositus, & Definitores secundo dictæ Congregationis Urbis, præmissa, quo firmius subsistant apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desiderent; jamque iidem Præpositus, & Definitores unionem hujusmodi a dilecto filio nostro in eadem Urbe Vicario in spiritualibus generali eorum Congr. Protectore approbari obtinuerint: Nos specialem tam Exponentibus, quam Præpositо, & Definitoribus prædictis gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibuvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, attentis narratis, & audito per eosdem Cardinales dilecto filio Procuratore Generali Ordinis hujusmodi, visoque ab illis enunciato instru-

[Confirmatio Apostolica ex petitur.]

[Annuit Pontifex.]

ſtrumento unionis, eandem unionem, & Inſtrumentum auctoritate apoſtolica tenore præſentium benigne approbamus, & confirmamus, ſuumque effectum ſortiri concedimus; ſalva tamen ſemper in præmiſſis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Decretum irritans. §.5. Decernentes eaſdem præſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit, in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari, Sicque in præmiſſis per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum §.6. Non obſtantibus Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, ac quatenus opus ſit utriuſq; Congregationis hujuſmodi etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Tranſumptorum fides. §.9. Volumus autem, ut earumdem præſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides tam in judicio, quam extra illud ubique locorum, & gentium adhibeatur, quæ ipſiſmet præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Dat. die 10. Martii 1667. An. XII. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, ſub Annulo Piſcatoris, die 10. Martii 1667. Pontificatus noſtri Anno XII.

DLXI.

Quibuſdam locis Congregationis Somaſchæ facta conceſſio ſepeliendi Alumnorum Cadavera, ſine interventu Parochorum.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Motiva. DUdum pro parte tunc exiſtentis Præpoſiti Generalis Congregationis Clericorum Regularium Somaſchæ, alias S. Majoli Papienſis, fel. record. Paulo Papa V. Prædeceſſori noſtro expoſito, quod inter Rectores Collegiorum, ac Seminariorum, & Academiarum curæ, & adminiſtrationi dictorum Clericorum commiſſorum ex una, ac Parochos ex altera partibus, nonnullæ lites, ſeu controverſiæ ſuper jure ſepeliendi in Eccleſiis Collegiorum, ac Seminariorum, & Academiarum hujuſmodi cadavera Scholarium, Clericorum, & Convictorum, qui pro tempore in Seminariis, Collegiis, & Academiis hujuſmodi decedebant, ſæpius oriebantur; ad quas quidem lites, ſeu controverſias de cætero evitandas dictus Præpoſitus Generalis plurimum deſiderabat Rectoribus, & Clericis prædictis opportune provideri.

§.1. Idem Paulus Prædeceſſor, ſupplicationibus illorum nomine ſibi ſuper hoc humiliter porrectis inclinatus, Amerinenſis, & Gallii nuncupati, Comenſis, & Burgi Lugani Comenſis Diœceſis, necnon Oppidi Trivultii Mediolanenſis Diœceſis Collegiorum, ac Ravennatenſis, & Patriarchalis Venetiarum Seminariorum, necnon Terræ Salodii Brixienſis Diœceſis, ac Sancti Spiritus prope, & extra Portam Cumanam Mediolanenſis, & S. Majoli Papienſis Academiarum Rectoribus reſpective, ut in S. Angeli, S. Mariæ de Rondineto nuncupatæ, S. Antonii, & S. Crucis, necnon S. Catharinæ, & Sanctiſſimæ Trinitatis, ac S. Benedicti, S. Spiritus, & S. Majoli eorum Eccleſiis reſpective, abſque Parochorum interventu, Scholarium, Clericorum, & Convictorum prædictorum in Collegiis, Seminariis, & Academiis hujuſmodi pro tempore decedentium cadavera, ſine tamen quorumcumque juriumParochialium præjudicio, Eccleſiaſticæ ſepulturæ tradere libere, & licite valerent, ita tamen ut antequam ſepulturæ traderentur, Rectores prædicti Parochos certiores facere teneretur, Apoſtolica auctoritate conceſſit, & indulſit, & alias, prout in ipſius Pauli Prædeceſſoris literis deſuper in ſimili forma Brevis die 27. Octobris 1614. expeditis, quarum tenorem præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſo, & inſerto haberi volumus, uberius continetur.

§.2. Cum autem, ſicut dilectus filius modernus Præpoſitus Generalis Congregationis prædictæ Nobis nuper exponi fecit eadem Congregatio ſubinde Seminarium Ducale S. Antonii Venetiarum, ac Sanctæ Mariæ Scholarum Veronenſis, S. Bartholomæi Brixienſis, S. Leonardi Bergomenſis, Sanctæ Mariæ Laudenſis, S. Angeli Cuſtodis Taurinenſis, & Sanctæ Mariæ Angelorum Foſſanenſis Civitatum, necnon Sancti Georgii Oppidi Novarum Derthonenſis, & S. Bartholomæi Oppidi Mérati Mediolanenſis Diœceſum Collegia acquiſiverit, ſeu illa curæ, & adminiſtrationi Clericorum Regularium dictæ Congregationis commiſſa fuerint; dictus vero Præpoſitus Generalis litibus, & controverſiis, quæ inter Rectores, & Clericos Seminarii, & Collegiorum hujuſmodi, ac Parochos ſuper jure ſepeliendi cadavera Scholarium, Clericorum, & Convictorum in eiſdem Collegiis, & Seminario pro tempore decedentium pariter oriri poſſent, mature occurri, illa-

illarumque materiam recidi plurimum deſideret: Nobis propterea humiliter ſupplicari fecit, ut jamdictis Rectoribus, & Clericis opportune in præmiſſis providere, & ut infra indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Confirmat ut in rubr. §.3. Nos igitur pacem, & quietem inter Regulares, & Eccleſiaſticas perſonas conſervari cupientes, dictoſque modernum Præpoſitum Generalem, ac Rectores, & Clericos ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Seminarii Ducalis Sancti Antonii Venetiarum, ac Sanctæ Mariæ Scholarum Veronenſis, Sancti Bartholomæi Brixienſis, Sancti Leonardi Bergomenſis, Sanctæ Mariæ Laudenſis, Sancti Angeli Cuſtodis Taurinenſis, & Sanctæ Mariæ Angelorum Foſſanenſis Civitatum, necnon Sancti Georgii Oppidi Novarum Derthonenſis, & Sancti Bartholomæi Oppidi Merati Mediolanenſis Diœceſum hujuſmodi Collegiorum Rectoribus reſpective, ut in eorumdem Seminarii, & Collegiorum Eccleſiis abſque Parochorum interventu, Scholarium, Clericorum, & Convictorum in Seminario, & Collegiis hujuſmodi, non electa ſepultura pro tempore decedentium cadavera, ſine præjudicio tamen quorumcumque jurium Parochialium, Eccleſiaſticæ ſepulturæ tradere, libere pariter, & licite valeant reſpective; ita tamen, ut antequam ſepulturæ tradantur, iidem Rectores Parochos certiores facere teneantur, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium concedimus ſimiliter, & indulgemus.

Contraria tollit. §.4. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Dat. die 12. Martii 1667. An. XII. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, ſub Annulo Piſcatoris, die 12. Martii 1667. Pontificatus noſtri Anno XII.

DLXII.

Ex Regeſt. in Secr. Brev. Confirmatio Statuti Civitatis Avenionen., ac Conſtitutionis Leonis X., quibus cavetur, ut cauſas Mercatorum eorum artem concernentes Judex remittat duobus relatoribus electis a Vicelegato ex quatuor Mercatoribus, quos Conſilium ejuſdem Civitatis quotannis deputare ſolet, & ſubinde ſecundum eorum relationem judicet, utque in eiſdem Cauſis de bono, & æquo procedatur, atque etiam in Tribunalibus pariformiter procedi, & judicari debeat.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Poſtulatio. §.1. EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Communitas, & Homines Civitatis Noſtræ Avenionen. quod per ſtatuta dictæ Civitatis Rubr. XII., & quandam felic. rec. Leonis Papæ X. Prædeceſſoris noſtri Conſtitutionem cavetur expreſſe, ut cauſas Mercatorum eorum artem concernentes Judex remittat duobus Relatoribus electis a Vicelegato ex quatuor Mercatoribus, quos Conſilium ejuſdem Civitatis quotannis deputare ſolet, & ſubinde ſecundum eorum relationem judicet; Utque in eiſdem cauſis de bono, & æquo procedatur, atque etiam in Tribunalibus Eccleſiaſticis pariformiter procedi, & judicari debeat, remota omni appellatione, & recurſu.

Confirmat Pontifex ut in Rubr. §.2. Cum autem ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, dicti Exponentes ſtatutum, & Conſtitutionem hujuſmodi, quo firmius ſubſiſtat, & ſervetur exactius Apoſtolicæ confirmationis noſtræ patrocinio communiri ſummopere deſiderent: Nos ſpecialem ipſis Exponentibus gratiam facere volentes, & eorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus eorum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, ſupra expreſſam diſpoſitionem ſtatutorum dictæ Civitatis, & Conſtitutionis Leonis Prædeceſſoris auctoritate Apoſtolica tenore præſentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & ſingulos juris, & facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus.

Decretum irritans. §.3. Decernentes eaſdem præſentes Literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit inviolabiliter obſervari; Sicque in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum §.4. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac quatenus opus ſit aliis quibuſvis Civitatis præfatæ, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

preſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Dat. die 21. Martii 1667. An. XII.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, ſub Annulo Piſcatoris, die 21. Martii 1667. Pontificatus noſtri Anno XII.

DLXIII.

Ex Regeſt. in Secr. Brev.

Confirmatio venditionis Feudi Montaſiæ, ejuſque inveſtituræ Carolo Emmanueli Philiberto Hyacinto de Simiana Marchioni Planitiarum Taurinen. ſeu alterius Civitatis, vel Diœceſ. conceſſæ.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Supplicatio.

§. 1. EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Carolus Emmanuel Philibertus Hyacinthus de Simiana Marchio Planitiarum Taurinen., ſeu alterius Civitatis, vel Diœceſis, quod cum alias per Nos accepto, dilectos filios Philippum Sfondratum Fratrem Militem Magnæ Crucis Hoſpitalis Sancti Joannis Hieroſolymitani poſſeſſorem Feudi Montaſiæ Taurinen. Diœceſis, ac Herculem, & Franciſcum Sfondratos ejus Fratres, ad ſucceſſionem Feudi hujuſmodi poſt illum vocatos, deſiderare Feudum hujuſmodi, quod ad directum Dominium Archiepiſcopi Taurinen. pro tempore exiſtentis, ejuſque menſæ Archiepiſcopalis ſpectare, & pertinere noſcitur cum aſſenſu, & beneplacito Ven. Fratris Michaelis moderni Archiepiſcopi Taurinen. vendere dilecto filio Comiti Joanni Baptiſtæ Begiami pro ſe, vel perſona ab eo nominanda, ſeu cauſam ab eo habitura pretio quatuor millium duplarum Italicarum reinveſtiendo in tot bonis ſtabilibus, quæ ſtarent, & perpetuo ſtare deberent ſubrogata in locum ejuſdem Feudi ad favorem vocatorum ad ipſum feudum, & primogenituram Sfrondatorum præfatorum a fel. rec. Gregorio Papa XIV. Prædeceſſore noſtro per quaſdam ſuas in forma Brevis, die 22. Maij 1591. ſeu alio veriori tempore emanatas literas, ut aſſerebatur, confirmatam, ac cum aliis pactis, & conditionibus inter partes ſtabiliendis; Verum hac in re dicto quidem Michaeli Archiepiſcopo Conſtitutionem rec. mem. Urbani Papæ VIII. Prædec. pariter noſtri an. 1625. editam, per quam alienationes bonorum feudalium ad Eccleſias inferiores ſpectantium ſine aſſenſu Sedis Apoſt. fieri prohibentur; præfatis vero de Sfondratis Inveſtituram, & primogenituram hujuſmodi reſpective obſtare. Nos per Chirographum die 6. Februarii 1666. emanatum, & manu noſtra ſubſcriptum, cujus tenor infra inſeretur, memorato Michaeli Archiepiſcopo facultatem conceſſerimus tribuendi licentiam præfatis quidem Philippo, ac Herculi, & Franciſco de Sfondratis vendendi, & alienandi ſupradictum feudum Montaſiæ; d. vero Comiti Joanni Baptiſtæ illud emendi, & acquirendi cum omnibus ſuis membris, juribus, & pertinentiis pro ſe, ſeu perſona per eum nominanda, vel cauſam ab eo habitura, pretio præfato, ſeu alio ſtabiliendo, ac cum pactis, Capitulis, & conditionibus inter eos ſtabilitis, ſeu ſtabiliendis, ſi tamen ſecundum ipſius Michaelis Archiepiſcopi conſcientiam, quam ſuper hoc oneravimus, contractus hujuſmodi in evidentem Eccleſiæ Taurinen. utilitatem cederet; Et quia dictum feudum memoratæ Primogenituræ, ac pactis, & conditionibus in ea appoſitis ſubjectum eſſe aſſerebatur: Nos eidem Michaeli Archiepiſcopo facultatem pariter tribuerimus curandi inveſtiri ſupradictum pretium de conſenſu, & beneplacito præfatorum de Sfondratis, & vocatorum in dicta Primogenitura, ac memorati Comitis Joannis Baptiſtæ Begiani, ſeu perſonæ ab eo nominandæ in iis bonis ſtabilibus, quæ tuta, & ſecura eſſe exiſtimaret, quæ bona in perpetuum ſubrogaret, prout Nos ſubrogavimus in locum feudi ſupradicti, & in ea transferret prout Nos tranſtulimus, omnia onera, ſubſtitutiones, & vincula, aliaque omnia expreſſa in eadem Primogenitura, & quibus dictum feudum ſuppoſitum eſſet, ita ut poſt factum inveſtimentum hujuſmodi, vocati ad dictam Primogenituram, deberent ſuccedere in ipſum Inveſtimentum, uti ſubrogatum in locum Feudi præfati, non autem in ipſum feudum, quod liberum remanere deberet, prout illud liberavimus ab eadem Primogenitura, attenta ſubrogatione, ſicut præmittitur facienda, & alias prout in dicto Chirographo uberius continetur: Præfatus Michael Archiepiſcopus vigore Chirographi hujuſmodi memorato Philippo licentiam deveniendi ad alienationem dicti feudi de conſenſu ſupradictorum Herculis, & Franciſci juxta tenorem ejuſdem Chirographi ad favorem dicti Comitis Joannis Baptiſtæ, ſeu perſonæ ab eo nominandæ, vel cauſam ab eo habentis conceſſit. Unde idem Philippus feudum hujuſmodi dicto pretio quatuor millium duplarum, ut præmittitur inveſtiendo vendidit præfato Comiti Joanni Baptiſtæ, qui cum declaraſſet dicto Michaeli Archiepiſcopo ſe emptionem, & acquiſitionem ejuſdem feudi ex pecuniis præfati Caroli Emmanuelis Philiberti, Hyacinthi Marchionis, ac ejus nomine, & ad ipſius favorem feciſſe, nec ea in re niſi nudum nomen habere, idem Michael Archiepiſcopus Inveſituram feudi, & Caſtri Montaſiæ hujuſmodi cum omnibus ſuis membris, juribus, & pertinentiis univerſis, memorato Carolo Emmanueli Philiberto, Hyacinto Marchioni in feudum nobile antiquum, avitum, paternum, & maſculinum pro primogenitis in infinitum, ſervata in omnibus forma antiquarum conceſſionum, & Inveſtiturarum & nihil penitus innovato, nec alterato, conceſſit, prout uberius continetur in publico

blico deſuper confecto Inſtrumento, cui præfatum Chyrographum inſertum exiſtit, tenoris, qui ſequitur, videlicet: In Chriſti nomine Amen. Anno a Nativitate Domini milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo ſexto indict. 4. die vero ultima Menſis Decembris Pontificatus autem Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & D. N. D Alexandri divina providentia Papæ VII. anno ejus duodecimo.

Actum in Civitate Taurini, & Palatio ſolitæ reſidentiæ infraſcripti Illuſtriſſ. DD. Archiepiſcopi Taurini, & Camera ejus cubiculari præſentibus ibidem admodum R. Bartholomeo Pochetino V. I. D. & admodum R. Joſepho Paſtoris ambobus reſidentibus in hac Civitate Teſtium præſentis publici Inſtrumenti cunctis ubique pateat, & fiat manifeſtum, quod in prænominatorum Teſtium ad hæc ſpecialiter vocatorum, & rogatorum, meique Notarii, & Secretarii publici ſubſignati præſentia, perſonaliter conſtitutus Per illuſtr. D. Advocatus Vittorius Bonetus Niſien. Procurator, & nomine Illuſtriſſ., & Eccellentiſſ. D. Caroli Emmanuelis Philiberti, Hyacinthi de Simiana Marchionis Planitiarum, Liburni, Caſtri novi, Rovari, & Mareti Equitis Sacri, & ſupremi Ordinis Sanctiſſimæ Annunciationis Sabaudiæ, Generalis Magiſter Peditum, & magni Chiamberlani S. Regiæ celſitudinis, prout fidem facit de mandato in eum facto ſub herino die rogito Notarii, & Secretarii ſubſignato infraſcripto pede præſentis Inſtrumenti tenorizato exponens procuratorio nomine prædicto eidem Illmo, & Rmo D. Archiepiſcopo dictum Eccliũm D. Marchionem acquiſiviſſe ab Illmo, & Eccliũ D. Marchione D. Philippo Sfondrato Marchionatum, & feudum Montaſiæ, quod removet a directo Dominio Eccleſiæ Taurinen., & hujus menſæ Archiepiſcopalis precedente debito aſſenſu, ut in literis obtentis ab eodem Illuſtriſſ., & Reverendiſſ. D. Archiepiſcopo ſub die 20. Februarii proxime elapſi preſtito ad mentem Chirographi Sanctiſſ. D. N. Alexandri Papæ VII. ſub ſexta ejuſd. menſis Februarii, quarum literarum, & Chirographi tenor in pede præſentis Inſtrumenti reperitur de verbo ad verbum inſertus, & dictum Marchionatum acquiſiviſſe cum caſtro, loco, villa, & juriſdictione cum mero, & mixto Imperio, & omnimoda juriſdictione, & gladii poteſtate, cum furnis. Pedagiis, viis, andamentis, & foſſatis ipſius Caſtri, villa, molendinis, venationibus, poſſeſſionibus, terris, & pratis, vineis, gerbidis, piſcariis, fictibus cum curiis feudorum, & allodiorum in hominibus, vaſſallis, fidelitatibus, poderiis, bannis, ſucceſſionibus, guartis, & ſcaraguartis, ac jure patronatus debitis, & debituris, directis, & diſtrictis, albergariis, & cavalcatis, ſuccurſibus, adrocatis, exercitibus in pace, & guerra, pœnis, & multis titulo ſignoriæ, & jure levandi, imponendi, & exigendi prædicta, & quodlibet prædictorum, ac omnibus aliis, quibuſcumque juribus, & pertinentiis ſuis tam de jure, quam de conſuetudine, ac natura dicto feudo competentibus, aliiſque regaliis, & præeminentiis ſuis, quæ omnino ut ſupra ſe moventur de dicto feudo, & directo dominio, & ſuperioritate dictæ menſæ Archiepiſcopalis, & Eccleſiæ Taurinen. ſub canone annuo perpetuo ducatorum decem auri in auro ſolvendorum ſingulis annis in feſto S. Martini prout pro talibus ea omnia conſignat, & recognoſcit inſtans propterea dictum Eccmum D. Marchionem Planitiarum in feudatarium, & vaſſallum Archiepiſcopatus, & Eccleſiæ Taurinen., & ejus menſæ recipi, & admitti, ac retineri, & per prædictum Illuſtriſſ. & Reverendiſſ. D. Archiepiſcopum venditionem, & emptionem colaudari, & approbari, eumque Eccellentiſſ. D. Marchionem pro ſe, ſuiſque hæredibus, & Succeſſoribus maſculis legitimis, ac de legitimo Matrimonio deſcendentibus ex linea maſculina in perpetuum de dicto Caſtro, loco, villa, & juriſdictione ac juribus ad ipſum feudum quomodolibet ſpectantibus, & pertinentibus infeudari, & in feudum perpetuum, rectum, nobile, & gentile, antiquum, avitum, & paternum ac maſculinum, & cum jure primogenituræ itaut de primogenito in primogenitum ſemper ipſo jure tranſeat, uſque in infinitum inveſtiri offerens ſeparatum debitum laudemium, & Canonem prædictum ſolvere, ſolitum fidelitatis juramentum præſtare, & alia facere, ad quæ de jure tenetur, & ex forma Inveſtitutarum per hos me: Illuſtriſſ., & Reverendiſſ. Archiepiſcopos Taurinen. Anteceſſoribus dicti Eccellentiſſ. D. Marchionis Philippi Sfondrati de dicto feudo Montaſiæ, & omnibus præmiſſis factarum tenetur, qui quidem Illuſtriſſ., & Reverendiſſ. D. Archiepiſcopus Taurinen. præmiſſis viſis, & auditis attentis meritis dicti Illuſtriſſ., & Eccellentiſſ. D. Marchionis petitioni prædictæ tanquam juri conſonæ annuere deliberavit, & ideo ſuo, & nomine ſuæ Eccleſiæ Archiepiſcopalis Taurinen., & illius menſæ, & Succeſſorum ſuorum in ipſa Eccleſia, & alias omni meliori modo prædictæ venditioni per dictum Eccellentiſſ. D. Marchionem Philippum Sfondratum, & emptioni per dictum Eccellentiſſ. D. Marchionem Planitiarum reſpective factis, de dictis feudo, & juribus ejuſdem ſupra, & infra expreſſis conſenſit, & conſentit ſuumque liberum conſenſum, & aſſenſum in eis præſtitit, & præſtat, & prædictam recognitionem per ipſum Perilluſtrem Dominum Advocatum Bonetum Procuratorem, & nomine præmiſſo acceptavit, & acceptat confitendo habuiſſe, & realiter recepiſſe a prædicto Domino Procuratore ante rogitum hujus Inſtrumenti de propria pecunia dicti Excellentiſſimi Domini Marchionis Planitiarum laudemium debitum in duplis trecentis auri in auro juxta quantitatem adjudicatam vigore ſententiæ arbitramentalis probatæ ab Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo D. D. Petro Bargellino Tebarum Archie-

chiepiſcopo, & Nuntio Apoſtolico Taurini commoranti apud Regiam Celſitudinem Sabaudiæ ſub nona Octobris proxime elapſi, quæ fuit proferta ſine præjudicio jurium partium pro quo laudemio, & ſumma quitavit, & quitat dictum Excellentiſſimum Dominum Marchionem Planitiarum licet abſentem, dicto Domino Procuratore una mecum Notario, & Secretario, ut perſona publica officio publico fungente pro eodem Excellentiſſimo Domino ſtipulantibus, & acceptantibus renunciando cum inſtrſcripto Juramento exceptioni non numeratæ pecuniæ cum pacto valido, & firmo de nihil amplius occaſione dicti laudemii ab eodem Excellentiſſimo Domino Marchione petendo, reinveſtiendo eumdem Per-Illuſtrem Dominum Advocatum Bonetum Procuratorem prædictum ibidem, ut ſupra nomine dicti Excellentiſſimi Domini Marchionis Planitiarum petentem, præſentem, acceptantem, ſtipulantem, & recipientem ejus, & nomine filiorum, & Succeſſorum ſuorum maſculorum legitimorum primogenitorum ex linea maſculina de legitimo matrimonio deſcendentium uſque in perpetuum de prædicto recto nobili, gentili, antiquo, avito, & paterno feudo maſculino cum jure primogenituræ, ita quod de primogenito in primogenitum ipſius Domini Excellentiſſimi Marchionis Planitiarum, ſuorumque prædictorum ex linea ſua maſculina, & legitima uſque in perpetuum deſcendentium, ut ininfinitũ tranſeat ipſo jure, & facto prædictum locum, villam, & caſtrum Montafiæ cum infeudari ſolitis, & ſemoventibus de feudo, directo dominio, & ſuperioritate prædictæ menſæ Archiepiſcopalis Tauninen. cum denominatione Marchionis Montafiæ, quemadmodum dictus Excellentiſſimus Dominus Philippus Marchio Sfrondratus vocabatur cum mero, & mixto imperio, & omnimoda juriſdictione, & gladii poteſtate, ac furnis, pedagiis, viis, & andamentis, foſſatis ipſius caſtri, & villæ molendinis, venationibus, & piſcationibus, terris, & pratis, vineis, gerbidis, piſcariis, fictibus cum ſuis curiis feudorum, & allodiorum in hominibus vaſſallis, fidelitatibus, poderiis, bannis ſucceſſionibus, acconciamentis, guartis, & ſcaraguartis, ac jurepatronatus debitis, ac debituris directis, ac diſtrictibus, albergariis, Gavalcatis, ſuccurſibus, advocatis, exercitibus in pace, & in guerra, pœnis, mulctis, titulo ſignoriæ, & jure levandi, & imponendi, ac exigendi prædicta, & quodlibet relictorum, & generaliter in, & de omnibus aliis quibuſcumque bonis, juribus, & pertinentiis ſuis in dicto feudo comprehendi ſolitis, ſive comprehenſis tam de jure, quam de conſuetudine, ac natura, & per dictum Excellentiſſimum Dominum Philippum Sfondratum, ſuoſq; in ipſo feudo anteceſſores teneri, & poſſideri ſolitis jure feudi prædicti, aliiſque regaliis, & præeminentiis ſuis, & prout, & quemadmodum ipſius Excellentiſſimi Domini Marchionis D. Philippi Sfrondrati Prædeceſſores inveſtiti fuerunt, ita quod idem Excellentiſſimus D. Marchio Planitiarum, illiuſque filii, & ſucceſſores maſculi primogeniti ex linea maſculina, & legitima legitimi ſemper deſcendentes dictum locum, caſtrum, bonaque, res, & jura ut ſupra in feudum conceſſum, & conceſſa habeant, teneant, & gaudeant, ac poſſideant, & eis utantur, ac fruantur, ad te in perpetuum una cum omnibus, & ſingulis, quæ dictum caſtrum, locum, villam, & bona, ac jura feudalia, ut ſupra conceſſa habeant ſupra ſe, infra ſe, & juxta ſe, omnique jure, & actione, uſu, ſeu requiſitione ſibi ex eis, vel pro eis in ipſis caſtro, villa, loco, bonis, & juribus modo aliquo pertinentibus, & ſpectantibus cum onere tamen ſolvendi, & præſtandi quolibet anno in feſto S. Martini in perpetuum prediſtæ Menſæ Archiepiſcopali prædictum Canonem alias, ut ſupra impoſitum ducatorum decem auri in auro de Camera. & ceſſit, & ceſit idem Illuſtriſſimus, & Reverendiſſimus Dominus Archiepiſcopus dicto nomine prædicto Excellentiſſimo Domino Marchioni Planitiarum licet abſenti dicto Domino Advocato Boneto Procuratore prædicto præſenti una mecum Notario, & Secretario prædicto uti perſona publica recipientibus, ut ſupra nomine dicti Excellentiſſimi D. Marchionis Planitiarum omnia, & quæcumque jura omneſque, & quaſcumque actiones ſibi, & dictæ ſuæ Eccleſiæ Taurin., & illius menſæ in caſtro, loco, villa, bonisque, & pertinentiis prædictis reſpective illorum utilis dominii, & naturalis poſſeſſionis tantum competentibus, & non aliter, etiam pro recuperandis quibuſcumque bonis, & juribus ad dictum feudum ſpectantibus, & in eo comprehendi, & per dictum D. Excellentiſſimum D. Marchionem Philippum Sfondratum, vel quoſcumque in ipſis caſtro, loco, villa, & bonis, illorumque feudo per anteceſſores, ſeu quovis ipſorum jure ipſius feudi teneri, & provideri ſolitis, & licentiam dedit, & dat prædicto Excellentiſſimo Domino Marchioni Planitiarum, ut ſupra inveſtiti intrandi, apprehendendi, & manutenendi veram, realemque, & actualem poſſeſſionem caſtri, loci, villæ, bonorum ſuorum, & pertinentiarum antedictarum abſque alia deliper ab ipſo Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo Domino Archiepiſcopo impetranda licentia, & abſque alia juris ammonitione, ſeu pœnæ incurſione conſtituendi prædictum Illuſtriſſimum, & Excellentiſſimum Dominum Marchionem Planitiarum licet abſentem dicto Domino Advocato Boneto Procuratore pro eo præſente, & acceptante, Procuratorem ſuum in prædictis tanquam in rem ſuam propriam, ita quod ſic poſſit agere, petere, & excipere, & experiri, ſeque tueri, & omnia alia, & ſingula facere, dicere, gerere, & exercere, quæ prout, & quemadmodum ipſe Illuſtriſſimus, & Reverendiſſimus Dominus Archiepiſcopus ante hujuſmodi inveſtituram, & etiam prædictam

dictam emptionem de prædictis facere poterat, aut poſſit, ac etiam ita ut dictus Excellentiſſimus Dominus Marchio Planitiarum ſuccedit in omnem locum, & in omne jus, & ſtatum ipſius Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi Domini Archiepiſcopi, dictæque ſuæ Eccleſiæ, & illius menſæ ratione, & jure feudi, & utilis dominii, Caſtri, & aliorum prædictorum, & ejus vires in omnibus, & per omnia obtineat, & inſuper idem Illuſtriſſimus, & Reverendiſſimus Dominus Archiepiſcopus dicto nomine, ut ſupra, eumdem Per-Illuſtrem Advocatum Bonetum Procuratorem, & nomine dicti Illuſtriſſimi, & Excellentiſſimi D. Marchionis Planitiarum ibidem præſentem genuflexum ſtipulantem, & acceptantem, ut ſupra in poſſeſſionem dicti feudi, caſtri, loci, & villæ Montafiæ, bonorumque, & jurium, ac pertinentiarum prædictarum per traditionem unius gladii evaginati, ac benigno pacis oſculo interveniente induxit, & poſuit, ac inducit, & ponit, quæ tamen omnia, & ſingula prædicta fecit, & facit idem Illuſtriſſimus, & Reverendiſſimus Archiepiſcopus ea ſub lege, & conditione, quod jus ſuperioritatis, & directum Dominium dictorum caſtri, loci, villæ, & aliorum in hujuſmodi inveſtitura feudali comprehenſorum ipſo Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo Domino Archiepiſcopo dictæ ſuæ Eccleſiæ Taurinen., & illius menſæ, & Succeſſoribus ſuis in ea pro tempore exiſtentibus remaneant, & reſervata ſint in perpetuum, promittens inſuper, prout promiſit idem Illuſtriſſimus, & Reverendiſſimus D. Archiepiſcopus ſuo, & dicto nomine conſenſum ſuum ut in hanc inveſtituram feudalem hujuſmodi, ac omnia alia, & ſingula prædicta in hoc toto præſenti interveniente contenta ipſum, & dictam ſuam Eccleſiam, & menſam tangentia rata, grata, & valida, ac firma ſemper habere, tenere, attendere, & obſervare, & illis in aliquo non contrafacere, dicere, vel venire, ſeu ſe illis opponere de jure, vel de facto per ſe ipſum neque per alium, vel alios ſub hypotheca, & obligatione omnium bonorum prædicti ſui Archiepiſcopi Taurinen., & illius menſæ bonorum mobilium, & immobilium, ac fructuum præſentium, & futurorum, ac medio ejus juramento per eum poſita ſua manu dextera ad ejus pectus more Prælatorum præſtito, cujus virtute renunciavit, & renunciat exceptioni omnium, & ſingulorum præmiſſorum non ſic, ut ſupra geſtorum, dictorumque, & factorum, dolique mali, vis, metus, actionis, conditionis indebitæ, ſine, vel injuſta cauſa, ac omnibuſque aliis juris, & legum auxiliis, quo, ſeu quibus contra præmiſſorum aliquid dicere, facere, venire, vel alias quomodolibet ſe dicit poſſit, quibus attentis idem Per-Illuſtris Dominus Advocatus Bonetus Procurator prædictus nomine dicti Excellentiſſimi Domini Marchionis Planitiarum vigore dicti mandati ea omnia, & ſingula prædicta acceptans bona fide, & ſine dolo per ſe, & ſuos filios, & ſucceſſores maſculos legitimos, primogenitos per lineam maſculinam legitime deſcendentes promiſit, & prædicto Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo Domino Archiepiſcopo præſente, & ad Sancta Dei Evangelia genuflexo in illius recipientis manibus tactis ob id per eum corporaliter Sacroſanctis Scripturis juravit, quod dictus Excellentiſſimus D. Marchio Planitiarum, & ejus filii, Succeſſores maſculi, & primogeniti per lineam ſuam maſculinam, & legitimam deſcendentes erunt eidem Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo Domino Archiepiſcopo ſuæque Eccleſiæ Taurinen., & Succeſſoribus eam canonicæ inſtantibus boni, veri, & fideles vaſſalli, quodque ipſum Illuſtriſſimum, & Reverendiſsimum Dominum Archiepiſcopum, ejuſque Succeſſores, Eccleſiamque prædictam, ac illorum perſonas, bona, res, & jura ſalvabunt pro poſſe, defendent a quibuſcumque malis, & oppreſsionibus tacenda ſecreta tenebunt, & pro eodem, ſuaque Eccleſia, & Succeſſoribus ſuis in ea contra omnes pugnabunt, conſilium, & auxilium, quod præſtare poterunt in rebus honorem eorumdem concernentibus præſtabunt, & ſi ſciverint, vel intellexerint aliquod in damnum, præjudicium, dedecus, ſive vilipendium eorumdem, eidem Illuſtriſsimo, & Reverendiſsimo Domino Archiepiſcopo, & Succeſſoribus prædictis perſonaliter verbo, aut in ſcriptis per nuncium expreſſum notificabunt, & reſiſtent, ac pro poſſe defendent, dictumque caſtrum, & locum Montafiæ, bonaque, res, & jura prædicta in dicta inveſtitura feudali, ut ſupra facta incomprehenſa tanquam de feudo prædictæ menſæ Archiepiſcopalis tenere, & poſſidere quandocumque requiſiti fuerunt ſub jure prædictæ primogenituræ per ſe, & ſuos ipſos recognoſcant, & canonem prædictum ducatorum decem ſingulo anno infeſto Sancti Martini in antea, & in futurum in perpetuum ſolvant, cæteraque omnia alia, & ſingula facient, obſervabunt, & adimplebunt, quæ in nova, & veteri fidelitatis forma continentur, & quæ quilibet verus vaſſallus erga Dominum, & Superiorem ſuum facere teneretur, & debet Dominus, & ſuper quibus omnibus, & ſingulis prædictis rogatum fuit per me Notarium, & Secretarium ſubſignatum ut unum, ſeu plura Inſtrumenta ejuſdem tenoris, & ſubſtantiæ etiam ſapientis dictamine, ſi fuerit opportunum conficere, cujus minutæ dictus Dominus Illuſtriſsimus, & Reverendiſsimus Archiepiſcopus, Procurator, & teſtes ſeſe ſubſcripſerunt.

Segue il Tenore della Procura l'Anno del Signore mille ſeicento ſeſſanta ſei, e alli trenta del meſe di Decembre circa l'ore quattro di notte ſendovi però quattro candele acceſe in Torino, e nella Camera Cubicolare dell'infraſcritto Illuſtriſſimo & Eccellentiſſimo Signore Marcheſe di Pianezza alla preſenza di me Notaro ſottoſcritto, e delli Signori Avocati Bonet, e Gio: Battiſta Ruco ambi Teſtimonj aſtanti, e richieſti, e al piede della minuta ſottoſcritti

scritti personalmente costituito l'Illustrissimo & Excellentissimo Signore Carlo Emanuele Filiberto Giacinto di Simiane Marchese di Pianezza, Livorno Castellnovo, Rovato, e Maneto Cavagliere dell' Ordine della Santissima Annunciata, Generale dell' Infanteria di S. A. R. e Gran Chiamberlan della medema, il quale dovendo prender la dovuta Investitura del Marchesato, e feudo di Montafia acquittato dall'Illustrissimo Signore Marchese D. Filippo Sfondrato in conformità del beneplacito ottenuto da Sua Santità li sei Febraro prossimo passato, e patenti ottenute dall'Illustrissimo, e Reverendissimo Monsignore Arcivescovo della presente Città. Michel Beggiamo li 20. di detto mese di Febraro perciò ha costituito deputato, costituisce, e deputa in suo Procuratore speciale il molto Illustre Signore Vittorio Boneti Avocato di Nizza qua presente per, e a nome di S.E. prende dal detto Illustrissimo, e Reverendissimo Monsignore Arcivescovo l'investitura di detto Marchesato di Montafia, ragioni, e pertinenze, pretenzioni feudali a quella appartenenti, nella forma, che era investito il detto Signore Marchese Sfondrato, e suoi Autori prestare in Anima di S. E. il dovuto giuramento di fedeltà a favor di detto Monsignore suoi Successori, e della sua mensa Archiepiscopale, stipular la quietanza del pagamento del Laudemio già fatto, prometta il pagamento delli Ducati dieci, pagabili alla Festa di San Martino di cadaun anno, e generalmente obligar li beni di detta S. E. con la clausola del Constituto per l'osservanza di tutto ciò, che di ragione sarà tenuto a favor di detto Illustrissimo Monsignore servato sempre il tenore, e forma delle dette Investiture concesse alli detti Signori Sfondrati, e quanto resta contenuto nella nova, e vecchia forma del giuramento di fedeltà. Dandoli perciò fare ogni autorità opportuna, e promette di aver rato, grato, valido, e fermo quanto per esso Signore Avocato Boneti Procuratore sopra costituito circa la detta Investitura, e dependenti verrà fatto; e promesso, e di relevarlo indenne dal Carico del presente mandato: Le quali cose, e quanto nel presente Istromento si contiene ha S. E. promesso, e promette osservar, e non contravenir sotto espressa Ipoteca e constituto di tutti suoi beni presenti, e futuri con suo giuramento tocatosi l' Ordine della Santissima Annunziata alla forma de Signori Cavalieri. Intervenendo in ciò tutte l' altre debite obligazioni, sottomissioni, clausole, e cautele necessarie. In fede hà richiesto me &c. a ricevere publico Instromento - seguono le sottoscrizioni-Carlo Emanuele, Francesco Giacinto de Simiane, Vittorio Boneti Procuratore Bartholomeo Pachetino Testimonio, G.B. Rivo Testimonio &c. Et Io Antonio Braya publico Ducal Notario richiesto, hò ricevuto il sudetto Instromento, e levato dal suo Originale Protocollo, qual con esso collationato concorda, e per fede manualmente sottoscritto Braya. Segue il tenore del Chirografo. Monsignore Michel Begiami Arcivescovo di Torino. Desiderando Fra Filippo Sfondrati Cavaliere, e Gran Croce della Religione Gerosolimitana possessore del Feudo di Montafia Diocesi di Torino, e Ercole, e Francesco Fratelli Sfondrati doppo di lui in detto Feudo Successori di vender col vostro assenso, e beneplacito al Conte Gio: Battista Begiami per se, o persona da nominarsi, o che averà causa da lui il sudetto feudo di Montafia posto in detta Diocesi di Torino per il prezzo di quatromila Doppie d' Italia da investirsi in tanti beni stabili, quali stiano, e debbano stare perpetuamente surrogati in luogo del detto Feudo a favore delli chiamati nel sudetto Feudo, e primogenitura di detti Sfondrati confermata come si suppone dalla felice memoria di Gregorio XIV. con suo breve sotto li 22. di Maggio 1591. o in altro più vero tempo, e con li patti, e condizioni da stabilirsi fra essi, e ostando a voi la Bolla di Urbano VIII nostro Predecessore sotto la data del 1625. che proibisce l'alienazione de beni feudali spettanti alle Chiese inferiori senza l' assenso di questa nostra Santa Sede, e ad essi Sfondrati le sudette Investitura, e Primogenitura respettivamente, e volendo noi rimovere li ostacoli della detta Bolla, e primogenitura nelle parti che fossero contrarie alla sudetta vendita, e compra: Per tanto avendo qui per espresso, e inserto a sufficienza la concessione di detto feudo li suoi confini, situazione, e vero valore, la detta Bolla di Urbano VIII. nostro Predecessore, e la sudetta Primogenitura come sopra confermata, e ogni altra cosa quantosivoglia necessaria da esprimersi, di certa nostra scienza, e pienezza della nostra podestà Apostolica, concediamo a voi facoltà di dare licenza alli predetti Frà Filippo Ercole, e Francesco Sfondrati di poter vendere, e alienare il sudetto Feudo di Montafia come sopra posto, e al detto Conte Gio: Battista Beggiami di comprarlo, e acquistarlo con tutti li suoi membri, ragioni, e pertinenze per se, o persona, che li parerà di nominare, ò che averà causa da lui per il prezzo sudetto, e altro da stabilirsi, e colli patti, capitoli, e convenzioni stabiliti, o da stabilirsi trà di loro quando secondo la vera conscienza (quale in ciò graviamo) il detto contratto ceda in evidente utilità della vostra Chiesa, senza però mutare, ne alterare le concessioni, e investiture di detto Feudo di Montafia, e la natura di esse, e alcun pregiudizio di qualsivoglia ragioni, e azzioni, che tanto in petitorio quanto in possessorio competano, e possono per qualsivoglia titulo competere alla nostra Camera, e mensa Arcivescovile di Torino in qualsivogiia tempo, e per qualsivoglia tempo, e per qualsivoglia causa, e capo, e in qualunque caso, & evento, poichè per il presente nostro Chirografo, e tutte, e singole cose espresse in esso non intendiamo in modo alcuno di pregiudicare alla

alla detta nostra Camera, e mensa Archiepiscopale, ne in caso di devoluzione, o caducità, o di confiscazione, ne in altra qualsivoglia ragione, o pretenzione di essa, anche circa le cose espresse, mà solo di promettere il sudetto contratto per interesse delle parti, e frà di loro per quello gli compete in virtù delle investiture per ragion commune, o in altro modo, e per togliere l' ostacolo della detta Bolla di Urbano, quale proibisce simili contratti senza il beneplacito Apostolico, e sopra di ciò gle ne spedirete vostre lettere patenti colle clausole necessarie, e opportune con la facoltà a qualsivoglia Notaro di poterne stipulare qualsivoglia Instromento senza incorso di pena approvando noi da adesso quanto sopra di ciò farete, e eseguirete. E perchè detto Feudo si asserisce sottoposto alla sudetta primogenitura, e patti, e condizioni appositi in quello. Perciò di simile nostra scienza, e pienezza della nostra podestà, diamo facoltà a voi di far investire il sudetto prezzo in quei beni stabili, che col consenso, e beneplacito de sudetti Sfondrati, e chiamati in detta primogenitura, e del sudetto Conte Begiami, o persona da nominarsi da lui stimarete essere tutti, e securi, quali beni stabili surrogarete in perpetuo, sicomme noi surroghiamo in luogo del sudetto Feudo, e sopra quelli transferirete, sicome noi trasferiamo tutti i pesi, sostituzioni, e vincoli, e ogni altra cosa espressa nella detta primogenitura, e alli quali fosse sottoposto il sudetto Feudo, in maniera tale, che dopo fatto il sudetto Investimento come sopra chiamati nella sudetta primogenitura debbano succedere in esso come surrogato in luogo del detto Feudo, e non altrimente in questo, che dovrà rimaner libero, siccome noi liberiamo dalla detta primogenitura stante la surrogazione da farsi come sopra; Volendo, e decretando, che il presente nostro Chirografo vaglia, e abbia il suo pieno effetto, esecuzione, e vigore ancorchè non si ammetta, e registri in Camera, e suoi libri. Non ostante la detta Bolla di Urbano VIII. e la Bolla di Pio IV. da registrar la sudetta primogenitura, e qualsivoglia altre Constituzioni Apostoliche, legi, statuti, riforme, usi, stili, decreti, e consuetudini, e qualunque altra cosa, che facesse, o potesse fare in contrario, a quali tutte, e singole avendo il loro tenore qui per espresso a sufficienza per questa volta sola, e a questo effetto espressamente deroghiamo. Dat. &c. nel nostro Palazzo Apostolico di Monte Cavallo, questo di 26. Febraro 1666. sottoscritta.

Alexander Papa VII. -- Segue il tenore delle patenti. Michael Begiamus Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Archiepisc. Taurinen. Universis præsentes nostras inspecturis, visuris, & legi audituris sit manifestum quod Nos viso Chirographo diei sextæ currentis mensis Sanctiss. D. D. PP. Alexandri VII. per quod Nobis committitur, ut attento suæ Sanctitatis beneplacito, & assensu concedamus facultatem Illustriss. D. Marchioni Philippo Sfondrato deveniendi ad alienationem feudi, castri, & loci Montafiæ cum omnibus bonis, & juribus tam Jurisdictionalibus, quam aliis ibidem competentibus favore Illustriss. D. Joannis Baptistæ Beiami germani nostri, vel illius personæ ab ipso D. Comite nominanda, vel e quo ipse D. Comes causam habet, nec non subrogandi, & substituendi alium locum, seu fundum in quo implicabuntur duplæ quatuor mille Italiæ pretium d. feudi in favorem, seu substitutionem Primogeniturarum de quibus in bulla fe: re. Gregorii XIV. sub 22. Maii 1591., & in cæteris concessionibus, & Investituris de quibus in præcitato Chirographo fit designatio ad effectum liberandi, & absolvendi præfatum feudum Montafiæ ab omni nexu, vinculo, & obligatione dictarum substitutionum, & jurium Primogenituræ cum consensu tamen Illustriss. D.D. Herculis, & Francisci una eum dicto D. Marchione de Sfondratis & melius prout in dicto Chirographo. Nos igitur insequendo præfatam auctoritatem, & Apostolicum consensum per præsentes concedimus, & impartimur legitimam auctoritatem præfato D. Marchioni Sfondrato, vel ejus legitimo Procuratori, ut possit, & valeat sine alicujus pœnæ incursu alienare dominium, & possessionem transferre dicti Castri, feudi, Ioci, jurisdictionis, omniumque jurium Montafiæ in favorem acquisitionis D. Comitis Joannis Baptiste Beiami vel illius ab ipso nominan. vel causam habentis, ita ut libere possint devenire ad rogitum soliti Instrumenti offerendo nos concessuros in favorem acquisitoris debitam Investituram, & recepturos solitum Juramentum fidelitatis; monentes insuper ipsum D Marchionem Sfondratum de indicando Nobis aliud feudum, vel locum in quo implicari possit dictum pretium ad favorem, & cautionem censorum vocatorum supradictorum; Ita ut a Nobis fieri, seu approbari possit subrogatio de qua supra cum absolutione, & liberatione ab omni vinculo substitutionis, seu Primogenituræ, & ad mentem præcitati Chirophi Apostolici. In quorum omnium, & singulorum fidem, & testimonium has meas manu propria firmatas fieri, & subscribi, sigilloque nostro debite communiri jussimus. Datum Taurini die 20. Mensis Februarii 1666, signato Michael Archiepiscopus Taurinen. media semper solutione laudemus ad 16. pro centenario.

Loco ✠ sigilli.

I. B. Passeronus.

Supradictum Instrumentum Investituræ licet aliena manu mihi tamen fida scriptum, rogatus & tanquam Secretarius in hac parte ab Illustriss. & Reverendiss. D. Archiepiscop. Taurinen. Michaele Beiamo assumptus. Ego Antonius Braya Civis Bruxellen. recipi, ut publicus Ducalis Notarius Taurini &c. hic in fidem præmissorum manualiter signatus Braya. Petrus Bargelinus Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Archie-

chiepiſcopus Thebar. S. S. D. N. D. Alexandri divina providentia Papæ VII. Prelatus Domeſticus, & Aſſiſtens ejuſque, & dictæ S. Sedis apud Sereniſſimum D. Carolum Emmanuelem Sabaudiæ Ducem, & Pedemontium Principem Nuncius, &c. Univerſis fidem facimus, & atteſtamur. Sequitur legalitas in forma &c.

Boſchetti ✠

Loco ✠ ſigilli &c.

§.2. Et ſubinde præfatus Comes Joannes Baptiſta declarationem ſupradictam, ne de illa dubitari contingeret, in præſentia d. Michaelis Archiepiſcopi iterum fecit per aliud Inſtrumentum publicum tenoris ſequentis, videlicet: L'anno del Sig. 1667. la quinta indizione & alli 2. di Marzo in Torino nel Palazzo di Monſignor Illuſtriſſ. e Reverendiſſ. Arciveſcovo Parochia di S. Gioanni alla preſenza dell'infraſcritti ſoliti teſtimonj aſtanti, e richieſti concioſia coſa che l'Illuſtriſſ. Sig. Conte Gio: Battiſta Beggiami abbi ottenuto un Chirografo da Sua Santità ſotto li 6. di Febraro 1666. per poter acquiſtare il feudo di Montafia dall' Illuſtriſſ. Sig. Marcheſe Filippo Sfondrati di Milano ... All'Illuſtriſſ., e Reverendiſſ. Monſignor Arciveſcovo di queſta Città d'inveſtirlo, o quella perſona da eſſo Signor Conte nominanda per meglio come per eſſo Chirografo a qual s'averà relatione, indi abbi ottenuta la permiſſione dal d. Monſignor Illuſtriſſ., e Reverendiſſ. ſotto li 20. del medeſimo meſe per patenti ſigillate, e ſottoſcritte. Paſſaronus. In ordine al che habbi proceduto a detto acquiſto con convenzione però, che il tutto faceva ad utile, e a nome dell'Illuſtriſſ. & Eccellentiſſ. Sig. Carlo Emmanuel Filiberto Giacinto di Simiano Marcheſe di Pianezza, dal quale aveva avuto il prezzo per detto acquiſto, e così l'abbi dichiarato a Monſignor Illuſtriſſ., e Reverendiſſ. Arciveſcovo ſuo Fratello, qual dichiarazione atteſa, e ſecondando la mente di Sua Santità nel detto Chirografo eſpreſſa di dar l'inveſtitura al detto Sig. Conte Beggiami, o alla perſona da lui nominanda abbi conceſſa l'inveſtitura a favore di detto Signor Marcheſe di Pianezza nel modo, e forma che ſi ritrova appreſſo, e deſiderando detto Sig. Marcheſe di Pianezza, che di tal dichiarazione ne conſti atto publico, quindi è, che conſtituito perſonalmente l'Illuſtriſſimo Sig. Conte Gio: Battiſta Beggiamo Cavalier de Santi Maurizio, e Lazaro Gentilomo di Bocca di S. A., qual ſpontaneamente per lui, ſuoi herdi, e Succeſſori in ogni meglior modo di ragione poſſibile, gionto l'intervento, & approbazione dell' Illuſtriſſ. e Reverendiſſ. Monſignor Michele Beggiami Arciveſcovo di queſta Città qui preſente, e detta approvazione dante, ha dichiarato, e dichiara tutto il contenuto nella ſopraſcritta narrativa per vero, e come tale eſſer la verità preſente me Notaro come Officio publico ſongente, ſtipolante a nome di detto Eccellentiſſ. Signor Marcheſe di Pianezza il tutto corroborando con loro giuramento preſtato toccato per detto Monſignor Illuſtriſſ. e Reverendiſſ. il petto a modo de Prelati, e detto Illuſtriſſ. Sig. Conte ſuo fratello la Croce a modo de Cavalieri, della quale dichiarazione il molto Ill. Sig. Conte Gaſpar Brea Intendente della Caſa di d. S. E. ne chiede teſtimoniali, la quale io Gio. Domenico Bay di Val Nodajo, e de attuarii dell'Eccellentiſſ. Senato ho ricevute, e conceſſe alla preſenza del molto Ill. e molto Rev. Avocato Bartolomeo Pochettino, e del molto Ill. Sig. Gio: Battiſta Paſſeroni Secretario Arciveſcovile aſtanti, e richieſti in fede mi ſono manualmente ſottoſcritto, & alla minuta vi ſono le ſequenti ſottoſcrizioni Michele Arciveſcovo di Torino D. Gio: Battiſta Beggiami, Gaſpare Brea a nome di S. E. di Pianezza, Bartolomeo Pochetino Teſtimonio. Gio: Battiſta Paſſeroni Teſtimonj. Bay = Sequitur legitas in forma:

Venditionem prædicti confirmat Pontif.

§.3. Cum autem ſicut eadem expoſitio ſubjungebat præfatus Carolus Emmanuel Philibertus Hyacinthus Marchio præmiſſa quo firmius ſubſiſtant, Apoſtolicæ confirmationis noſtræ patrocinio communiri ſummopere deſideret: Nos ipſum Carolum Emmanuelem Philibertum Hyacinthum Marchionem ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis ſi quibus quomodolib. innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, venditionem feudi, & Caſtri Montafiæ hujuſmodi a ſupradicto Philippo de conſenſu memoratorum Herculis, & Franciſci factam, ut præfertur, confectaſque deſuper ſcripturas cum omnibus, & ſingulis in eis contentis, alias tamen licitis, & honeſtis ac Eccleſiæ, & menſæ Archiepiſcopali Taurinen. utilibus, & proficuis, & quatenus juxta formam, & tenorem Chirographi præinſerti facta fuerint, necnon Inveſtituram ejuſdem Feudi, & Caſtri Montafiæ cum omnibus ſuis membris, juribus, & præeminentiis univerſis dicto Carolo Eman. Philiberto Hyacinto Marchioni in feudum nobile, antiquum, avitum paternum, & maſculinum pro Primogenitis in infinitum a memorato Michaele Archiepiſcopo ſicut præmittitur, conceſſam, ac confectum deſuper Inſtrumentum præinſertum cum omnibus, & ſingulis pactis, conventionibus, conditionibus, & Capitulis, aliiſque in eo contentis auctoritate Apoſtolica tenore præſentium confirmamus, & approbamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adiicimus, ac omnes, & ſingulos juris, & facti necnon ſolemnitatum quarumcumque tam ex Juris communis, & Conſtitutionum Apoſtolicarum præſcripto, quam alias quomodolibet in ſimilibus etiam de neceſſitate obſervandarum defectus, ſi qui in præmiſſis, vel eorum aliquo quomodolibet intervenerint, ſeu interveniſſe

nire dici, cenſeri, vel prætendi quavis modo poſſent, ſupplemus, & ſanamus, ac tollimus, & abolemus: citra immutationem tamen, vel alterationem conceſſionum & Inveſtiturarum dicti feudi Montafiæ, earumque naturæ, ac ſine ullo præjudicio quorumcumque jurium, & actionum, quæ tam in petitorio, quam in poſſeſſorio competunt, & poſſunt quovis titulo competere Cameræ noſtræ Apoſtolicæ & Menſæ Archiepiſcopali Taurinen., quocumque tempore, & ex quacumque cauſa, & capite, ac in quovis caſu, & eventu; Non enim per præſentes literas, omniaq. & ſingula in eis expreſſa intendimus ullo modo præjudicare Cameræ, & Menſæ Archiepiſcopali prædictis, nec in caſu devolutionis, vel caducitatis, aut confiſcationis, nec in alio quocumque jure, ſeu prætentione illarum, etiam quoad expreſſa; ſed tantum confirmare ſupradictum contractum, aliaque præmiſſa pro intereſſe partium, & prout facta fuerunt ex jure eis reſpective competente, tã vigore inveſtiturarum quam de jure communi, ſeu alio quocumque modo, ac tollere obſtaculum præfatæ Conſtitutionis Urbani Prædeceſſoris, qua ſimiles contractus ſine beneplacito Apoſtolico fieri prohibentur.

Decretum irritans.

§.4. Decernentes præſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumq; ſpectabit in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragariſicque in præmiſſis per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§.5. Non obſtan. dicta Urbani Prædeceſſoris, ac quatenus opus ſit piæ me: Pauli II. & aliorum Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum de rebus Eccleſiæ non alienan. earumque alienationibus committendis, aliiſq; Conſtitutionibus. & ordinationibus Apoſtolicis, necnon d. Eccleſiæ Taurinen. & aliis quibuſvis etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & lꝛteris Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac ad verbum inſertis habentes illis alias in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſq; contrariis quibuſcumque.

Dat. die 4. Apr. 1667. An. XII.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, die 4. Aprilis 1667. Pontificatus noſtri Anno XII.

DLXIV.

Commiſſio Epiſcopo Ferrarien., ut procedat contra Expulſores Inquiſitoris Mantuan. a Civitate, & Ducatu Mantuan.

Dilecto filio noſtro Joanni Stephano S. R. E. Cardinali Donghe nuncupato Eccleſiæ Ferrarien. ex conceſſione, & diſpenſatione Apoſtolica Præſuli.

ALEXANDER PAPA VII.

Dilecte fili noſter ſalutem, & apoſtolicam benedictionem.

Expoſitio.

§.1. EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Petrus Seriſta Sanctæ Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis Procurator Fiſcalis, quod cum dilectus filius Hyacinthus Maria Granara frater expreſſe profeſſus Ordinis Prædicatorum, in Civitate, & Ducatu Mantuan. contra hæreticam pravitatem Inquiſitor Apoſtolica auctoritate deputatus, nuper armata manu ab Inquiſitione, ac Civitate, & Ducatu hujuſmodi mediante facto Romualdi Vailadi ſalutis ſuæ immemoris, & aliorum illi forſan. adhærentium, non ſine maximo Populi ſcandalo expulſus fuerit, idem Petrus quo injuriæ, & offenſionis hujuſmodi quanto citius, ut par eſt, reparari poſſint, ſuper reparatione hujuſmodi, necnon reintegratione memorati Hyacinthi Mariæ ad ejus Officium Inquiſitoris hujuſmodi, illiuſque liberum exercitium contra omnes delinquentes ſummarie agere intendit. Nobis propterea humiliter ſupplicari fecit, ut de opportuno Juſtitiæ remedio in præmiſſis providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Committit Epiſc. Ferrarien. ut procedat contra delinquentes ut in rubrica.

§.2. Nos igitur Juſtitiam unicuique miniſtrari, ac delicta hujuſmodi minime impunita remanere volentes, necnon cauſæ, ſeu cauſarum infraſcriptarum ſtatum, & merita, præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis habentes, dictumque Petrum a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, circumſpectioni tuæ per præſentes committimus, & mandamus, quatenus vocatis, qui fuerint evocandi, cauſam, & cauſas, quam, & quas præfatus Petrus de, & ſuper præmiſſis contra omnes, & ſingulos delinquentes, ac quoſcumque alios, qui auxilium, conſilium, vel favorem deſuper præſtiterunt movere intendit cum omnibus ſuis incidentibus, dependentibus, emergentibus, annexis, & connexis, totoque negocio principali ſummarie, ſimpliciter, & de plano, ac ſine ſtrepitu, & figura Judicii, omnique, & quacumque appellatione, reclamatione, recurſu, & reſtitutione in integrum remotis, auctoritate noſtra

nostra Apostolica audias, cognoscas, simulque, ac semel, & unica sententia, si ita Tibi videbitur prout juris fuerit, decidas, fineque debito termines, & deinde sententiam hujusmodi exequaris, seu debitæ exequutioni demandari cures, mandes, & facias: Nos enim Tibi citandi dictos delinquentes, omnesque alios quos opus fuerit, etiam per Edictum publicum, constito etiam summarie de non tuto accessu, illisque, & quibus Tibi videbitur sub sententiis, censuris, & pœnis inhibendi, contradictores in illas servata forma Concilii Tridentini incidisse declarandi, aggravandi, reaggravandi, & interdicendi, auxiliumque brachii secularis ad hoc si opus fuerit, invocandi, ac attentata, & innovata quæcumque, prout de jure in primis, & ante omnia revocandi, necnon delinquentes, & alios supradictos quatenus opus sit, carcerandi, debitisque pœnis afficiendi, & puniendi, aliaque omnia, & singula in præmissis, & circa ea quomodolibet necessaria, & opportuna faciendi, dicendi, gerendi, exercendi, & exequendi plenam, & amplam facultatem dicta auctoritate earumdem tenore præsentium tribuimus, & impartimur.

Derogatio contrariorum

§.3. Non obstantibus fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. Prædecessoris nostri de una, & Concilii Generalis de duabus dietis, aliisque Apostolicis, ac in universalibus provincialibusque, & synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis: Aut si aliquibus communiter, vel divisim ab Apostolica sit Sede indultum quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per Literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die 21. Aprilis 1667. Pontificatus nostri Anno XII.

Dat. die 21. Apr. 1667. An. XII.

DLXV.

Ex Regest. in Secr. Brev.

Commissio duobus Archiepiscopis, & quatuor Episcopis Regni Galliarum super suppressione Ordinationum, seu mandamentorum a quatuor Episcopis ejusdem Regni occasione Formularis S. S. editorum.

Ven. Fratribus Tolosano, & Bituricen. Archiepiscopis, & Vanzen., Lomberien., Lodoven., Maclovien., Sveſſionen., Mimaten., & Doleu. Episcopis Judicibus Delegatis.

ALEXANDER PAPA VII.

Ven. Fratres salutem, & Apostolicam benedictionem.

Motiva hujus Constitut.

§.1. CUM Nos alias per quasdam nostras Anno Incarnationis Dominicæ 1664. Decimoquinto Kalen. Martii emanatas literas, quarum tenorem præsentibus haberi volumus pro expresso, mandaverimus Ven. Fratribus Archiepiscopis, & Episcopis Regni Galliarum, ut Formulario a Nobis per easdem literas edito adversus quinque Propositiones è Libro, cui Titulus est: *Augustinus Cornelii Jansenii* quon. Episcopi Iprensis, excerptas, & in sensu ab eodem Cornelio Jansenio intento, damnatas subscriberent, & a suis subditis subscribi curarent; Et sicut ad aures nostras non sine gravi animi nostri molestia pervenit, quatuor Episcopi præscripti Regni, scilicet Aleten., Andegaven., Apamiarum, & Bellovacen. quasdam protestationes, seu Declarationes, quas idiomate Gallico *Mandamenta* vocant, concernentes dictum Formularium, fecerint, & typis edi curaverint sub Datis prima, & 23. Junii, ac 8. & 31. Julii 1665. respective.

Pontifex Suprimit mandamenta prout in rub.

§.2. Hinc est, quod Nos ne malum in prædictis Mandamentis contentum serpat, fraternitatibus vestris in virtute sanctæ obedientiæ auctoritate Apostolica harum serie districte præcipimus, & committimus, ut prædictis Aleten., Andegaven., Apamiarum, & Bellovacen. Episcop., ac eorum cuilibet eadem auctoritate mandetis ut prædict. Mandamenta apud se nullo modo retineant neve illis quoquo modo utantur, sed illa veluti vetita a Sancta Sede Apostolica habeant, & a suorum subditorum manibus omnino avocent, seu colligant, alioquin nisi infra duos menses a die Intimationis præsentium literarum eis, et eorum cuilibet per vos faciendæ computandos hisce nostris mandatis separuisse ostenderint, adversus illos tanquam contra inobedientes Decretis dictæ Sedis Apostolicæ ad pœnas canonicas dicta auctoritate procedatis nulla adversus præmissa exceptione, protestatione, vel declaratione, quam per eos, seu eorum aliquem proponi contigerit, admissa, omnique, et quacumque appellatione, recusatione, & recursu remotis. Si quis autem vestrum interesse prædictis non potuerit, vel quod non credimus, noluerit, Archiepiscopo, vel Episcopo ex vobis antiquiori facultatem, concedimus alium Episcopum, vel Archiepiscopum in ejus locum subrogandi.

Volumus autem hanc nostram Delegationem solum per annum a die Datæ præsentium computandum, perdurare, alias dicto anno elapso nulla sit.

Non obstan. fel. rec. Bonifacii PP. VIII. Præ-

Prædecessoris nostri de una, & Concilii generalis de duabus dietis, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris die 22. Aprilis 1667. Pontificatus nostri An.XIII.

Dat. die 22. Apr. 1667. An.I.

Mandat subscribi prout in rub.

DLXVI.

Ex Regest. in Secr. Brev.

Commissio contra quatuor Episcopos Galliarum, ut subscribant, & subscribi curent Formulario contra Propositiones Jansenianas edito.

Ven. Fratribus Tholosano, & Bituricen. Archiepiscopis, ac Vanzen., Lomberien., Lodoven., Maclovien., Sveſſionen., Mimaten., & Doleu. Episcopis, Judicibus delegatis.

ALEXANDER PAPA VII.

Ven. Fratres salutem, & apostolicam benedictionem.

Recenser alias Constitut.

§.1. LIcet aliàs Nos per quasdam nostras Anno Incarnationis Dominicæ 1664. decimo quinto Kalendas Martii emanatas literas, quarum tenorem præsentibus haberi volumus pro expresso, mandaverimus Ven. Fratribus Archiepiscopis, & Episcopis Regni Galliarum, ut Formulario a Nobis per eadem literas edito adversus quinque Propositiones a libro, cui titulus est: *Augustinus Cornelii Jansenii* q. Episcopi Iprensis excerptas, & in sensu ab eodem Cornelio Jansenio intento damnatas subscriberent, & a suis subditis subscribi curarent; nihilominus sicut ad aures nostras, non sine gravi animi nostri molestia pervenit, quatuor dicti Regni Episcopi scilicet Aleten., Andegaven., Apamiarum, & Bellovacen., obedientiæ Nobis, & Sanctæ Sedi Apostolicæ debitæ, immemores, injunctam sibi subscriptionem declinare, & eludere conati sunt.

§.2. Quocirca Nos pro nostro officii pastoralis munere providere volentes, ne Hæresis Jansseniana in Regno prædicto serpat, & grassetur, fraternitatibus vestris in virtute sanctæ obedientiæ auctoritate apostolica harum serie districtè præcipimus, & committimus, ut dictis Aleten., Andegaven., Apamiarum, & Bellovacen., Episcopis, & eorum cuilibet, eadem auctoritate mandatis, ut infra triginta dies a die intimationis, seu notificationis præsentium literarum eis, & eorum cuilibet per vos faciendæ computandos, pure, simpliciter, absque ulla omnino protestatione, exceptione, vel declaratione prædicto formulario subscribant, sicque pure, simpliciter, & absque ulla protestatione, exceptione, vel declaratione a suis subditis subscribi curent sub pœna suspensionis ab exercitio Pontificalium, interdicti ab ingressu Ecclesiæ, aliisque pœnis etiam gravioribus arbitrio vestro infligendis: alias dicto termino elapso, dictisque subscriptionibus minime factis, & subsequutis ad declarationem incursus prædictarum pœnarum, seu in eas condemnationem dicta auctoritate deveniatis, nulla super præmissis protestatione, exceptione, vel declaratione admissa, omnique appellatione, recusatione, & recursu remotis. Si quis autem vestrum prædictis interesse non potuerit, vel (quod non credimus) noluerit, Archiepiscopo, vel Episcopo ex vobis antiquiori, alium Episcopum, vel Archiepiscopum in ejus locum subrogandi facultatem concedimus.

§.3. Volumus autem hanc nostram delegationem solum per annum a die datæ præsentium computan. perdurare, alias dicto anno elapso, nulla sit.

Contrariis derogat.

§.4. Non obstantibus fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. Prædecessoris nostri de una, & concilii generalis de duabus dietis, aliisq; Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumq;

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 22. Aprilis 1667. Pontificatus nostri Anno XIII.

Dat. die 22. Apr. 1667. An.I.

Finis Pontificatus Alexandri Septimi.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

CLEMENS IX.
PONTIFEX CCXL.
ANNO DOMINI MDCLXVII.

CLEMENS IX. Italus Piſtorienſis in Provincia Hetruriæ, Julius antea dictus, Hieronymi Roſpiglioſi filius Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbyter Cardinalis tit. S. Sixti, Romæ die 20. Jun. 1667. Summus Pontifex pronunciatus, & die 26. ejuſdem menſis, die Dominico coronatus. Creavit Card. 12. triplici creatione, Obiit Romæ die 9. Decem. 1669. Imperante Leopoldo, ſepultuſque fuit in Baſilica Sanctæ Mariæ Majoris. Vacavit Sedes menſes quatuor, & dies 20.

I.

Indictio Jubilæi univerſalis ad divinum auxilium initio ſui Pontificatus pro ſalutari Catholicæ Eccleſiæ regimine implorandum.

CLEMENS PAPA NONUS

Univerſis Chriſtifidelibus ad quos præſentes literæ pervenerint, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Procœmium. PLacuit ineffabili Redemptoris, & Domini noſtri Jeſu Chriſti bonitati, cui proprium eſt infirma mundi eligere, & dexteræ ſuæ potentia facere fortia, vices ſuas in terris humilitati noſtræ, meritis licet, & viribus longe impari, committere: Et Nos quidem Divinæ vocationi, ut par eſt, obſequentes, impoſitum Nobis Apoſtolici miniſterii onus humiliter ſuſcepimus, quamvis Angelicis humeris formidandum; freti tamen ſpe Divinæ miſericordiæ, mittendum eſſe Nobis auxilium de Sancto, ut de Sion tueatur Nos. Verum dum ſerio cogitamus quantum oneris, & laboris incumbat imbecillitati noſtræ, cujus Nobis probe conſcii ſumus, quantiſque, & quam gravibus hoc tempore Reſpublica Chriſtiana malorum procellis agitetur, & graviorum periculis expoſita ſit, timemus ne cum Propheta Regio exclamare cogamur: Veni in altitudinem maris, & tempeſtas demerſit me. Non tamen concedimus animo, ſed omnem ſpem noſtram in eum convertimus, qui ſperantes in ſe confundi non patitur, & gratiæ ſuæ confortat auxilio. Quod ut cum omnium Eccleſiarum, quarum Nobis credita eſt ſolicitudo, utilitate conſequi, benedicente Domino, valeamus, ad veſtrum omnium, quibus curam paſtoralem impendere debemus, preces ex more Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum confugiendum eſſe decrevimus: Firmiter confidentes, clementiſſimum Dominum noſtrum ad Eccleſiæ militantis præſidium opportuna Nobis cœleſtia dona largiturum, ſi vos Nobiſcum unanimes ſcindatis corda veſtra, & depoſito peccatorum pondere, revertamini ad Dominum Deum noſtrum, qui multus eſt ad ignoſcendum, & orationes veſtras, jejunii, atque eleemoſynæ viribus roboratas, ad altare Dei Patris miſericordiarum jugiter offeratis per manus Sanctorum Angelorum, qui gaudent ſuper peccatoribus pœnitentiam agentibus: Ut Deus pacis, qui Reges in thronis collocat, & pauperes e terra excitat, atque inopes de ſtercore erigit, qui elegit David ſervum ſuum, & de gregibus ovium ſuſtulit, cum inter filios Jeſſe minimus natu eſſet; qui ad Evangelii perfectionem dat verbum Evangelizantibus virtute multa, ipſe confirmet, quod operatus eſt in Nobis, omniaque conſilia, & actiones noſtras in Sancti ejus nominis gloriam, fidelumque, & animæ noſtræ ſalutem dirigere, Religionem Chriſtianam propagare, Fidem Catholicam protegere, & ab infidelium conatibus, atque inſidiis tueri, hæreſes extirpare, ac pacem, & veram concordiam inter Principes Chriſtianos conſervare, & ſicubi exciderit, aut collabendi periculo obnoxia ſit, eam ſuaviter reſtituere, atque firmiter ſolidare, ipſorumque Principum conſilia, & vires ad Chriſtini nominis tutelam unire, ſociare, augere, regere, & roborare dignetur. Hoc autem ut fructuoſius fiat, ferventiorique ſpiritus ardore peregatur, Eccleſiæ theſauros, quorum diſpenſationem Nobis credidit Deus, proferre, & liberali manu erogare decrevimus.

Motiva indictionis Jubilæi

Ita-

Indictio Jubilæi cum conceſſione plenariæ indulg.

§. 1. Itaque de Omnipotentis Dei Miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, ex illa ligandi, atque ſolvendi poteſtate, quam Nobis Dominus, licet indignis, contulit, univerſis, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus in Alma Urbe noſtra degentibus, qui ſolemni proceſſioni, quam feria quarta currentis hebdomadæ ab Eccleſia Sanctæ Mariæ Angelorum in Thermis ad Baſilicam ejuſdem Sanctæ Mariæ Majoris nuncupatæ, de eadem Urbe, una cum venerabilibus Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus, necnon Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis quos in Romana Curia adeſſe contigerit, ac Chriſtianorum Regum, & Principium Oratoribus apud Nos exiſtentibus, Prælatis quoque, & Officialibus ejuſdem Curiæ, univerſoque Clero, & populo, benedicente Domino agemus, devote interfuerint, vel Sancti Joannis in Laterano, Principis Apoſtolorum, & Sanctæ Mariæ Majoris Eccleſias, ſeu Baſilicas, vel earum liquam intra ſpatium ejuſdem, vel proxime ſubſequentis hebdomadæ, ſaltem ſemel viſitaverint, ibique per aliquod temporis ſpatium devote, ut ſupra, Deum oraverint, ac quarta, & ſexta Feria, ac Sabbatho alterius ex præfatis hebdomadis jejunaverint, & peccata ſua confeſſi, Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum in Dominica die immediate ſequenti, vel alia die intra eandem hebdomadam reverenter ſumpſerint, ac pauperibus aliquam eleemoſynam, prout unicuique ſuggeret devotio, erogaverint: cæteris vero extra Urbem prædictam ubicumque degentibus, qui Eccleſias ab Ordinarii locorum, vel eorum Vicariis, ſeu Officialibus, aut de eorum mandato, & ipſis deficientibus, per eos, qui ibi curam animarum exercent, poſtquam ad eorum notitiam hæ noſtræ pervenerint, deſignandas, vel Eccleſiarum hujuſmodi alteram ſpatio duarum ſimiliter hebdomadarum a publicatione deſignationis per Ordinarios, vel eorum Vicarios, ſeu Officiales, vel alios, ut præfertur, faciendæ decurrendarum ſaltem ſemel viſitaverint, ibique ut ſupra oraverint, & quarta, & ſexta feria, ac Sabbatho alterius ex hebdomadis hujuſmodi jejunaverint, pariterque peccata ſua confeſſi, ac in die Dominica immediate ſequenti, vel alia die intra eandem hebdomadam ſanctiſſima communione refecti fuerint, & pauperibus aliquam eleemoſynam, ut præmittitur, erogaverint, plenilſimam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem, ſicut in anno Jubilei viſitantibus certas Eccleſias intra, & extra Urbem prædictam concedi conſueyit, tenore præſentium concedimus, & elargimur. Navigantes vero, & iter agentes, ut cum primum ad ſua ſeſe domicilia receperint, ſuprascriptis peractis, & viſitata Eccleſia Cathedrali, vel majore, aut Parochiali loci eorum domicilii, eandem Indulgentiam conſequi poſſint, & valeant: Regularibus autem perſonis utriuſque ſexus, etiam in clauſtris perpetuo degentibus, necnon aliis quibuſcumque, tam laicis, quam Eccleſiaſticis, ſecularibus, vel regularibus, etiam in carcere, aut captivitate exiſtentibus, vel aliqua corporis infirmitate, ſeu alio quocumque impedimento detentis, qui ſupra expreſſa, vel eorum aliqua præſtare nequiverint, ut illa Confeſſarius ex jam approbatis a locorum Ordinariis ante præſentium publicationem, ſeu approbandis eis in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus prorogare poſſit, eaque injungere quæ ipſi pœnitentes efficere poterunt, pariter concedimus, & indulgemus.

Libertas eligendi Confeſſarium, ejuſdemque facultas.

§. 2. Inſuper omnibus, & ſingulis Chriſtifidelibus utriuſque ſexus, tam laicis, quam Eccleſiaſticis ſecularibus, & regularibus cujuſvis Ordinis, Congregationis, & Inſtituti, tam in Urbe præfata, quam extra eam ubique locorum, ut præfertur, degentibus licentiam concedimus, & facultatem, ut ſibi ad hunc effectum eligere poſſint quemcumque Presbyterum confeſſarium, tam ſecularem, quam cujuſvis Ordinis, & Inſtituti regularem ex approbatis, ut præmittitur a locorum Ordinariis, qui eos ab omnibus excommunicationis, ſuſpenſionis, & aliis Eccleſiaſticis ſententiis, & cenſuris a jure, vel ab homine quavis cauſa latis, ſeu inflictis, necnon ab omnibus peccatis, exceſſibus, criminibus, & delictis, quantumvis gravibus, & enormibus, etiam locorum Ordinariis, ſive Nobis, & Sedi Apoſtolicæ, etiam in literis die Cœnæ Domini legi ſolitis contentis, & alias per quaſcumque noſtras, aut Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum conſtitutiones, quarum tenores præſentibus haberi volumus pro expreſſis, quomodocumque reſervatis, in foro conſcientiæ, & hac vice tantum abſolvere, & liberare valeant: Et inſuper vota quæcumque (religionis, & caſtitatis exceptis) in alia pia, & ſalutaria opera commutare, injuncta tamen eis, & eorum cuilibet in ſupradictis omnibus caſibus pœnitentia ſalutari, aliiſque ejuſdem Confeſſarii arbitrio injungendis.

Jubilæum ubique publicari jubet.

§. 3. Quapropter tenore præſentium in virtute ſanctæ obedientiæ diſtricte præcipimus, atque mandamus omnibus, & quibuſcumque Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis Eccleſiarum Prælatis, ac quibuſcumque Ordinariis locorum, ubicumque exiſtentibus, eorumque Vicariis, & Officialibus, vel iis deficientibus, illis, qui curam animarum exercent, ut cum præſentium literarum tranſumpta, aut exempla, etiam impreſſa, acceperint, illa ſtatim abſque ulla mora, retardatione, vel impedimento per ſuas Eccleſias, & Diœceſes, Provincias, Civitates, Oppida, Terras, & loca publicent, & publicari faciant, Eccleſiamque, ſeu Eccleſias viſitandas deſignent. Non intendimus autem per præſentes ſuper aliqua irregularitate publica, vel occulta, nota, defectu, incapacitate, ſeu inhabilitate quoquo modo contracta diſpenſare, vel ali-

quam facultatem tribuere dispensandi, seu habilitandi, & in pristinum statum restituendi, etiam in foro conscientiæ; neque etiam eisdem præsentes iis, qui a Nobis, & Apostolica Sede, vel ab aliquo Prælato, seu Judice Ecclesiastico excommunicati, suspensi, interdicti, seu alias in sententias, & censuras incidisse declarati, vel publice denunciati fuerint, nisi infra tempus dictarum duarum hebdomadarum satisfecerint, aut cum partibus concordaverint, ullo modo suffragari posse, aut debere.

Contrariis derogat.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, præsertim quibus facultas absolvendi in certis tunc expressis casibus ita Romano Pontifici pro tempore existenti reservatur, ut nec etiam similes, vel dissimiles indulgentiarum, & facultatum hujusmodi concessiones, nisi de illis expressa mentio, aut specialis derogatio fiat, cuiquam suffragari queant, necnon regula nostra de non concedendis indulgentiis ad instar, ac quorumcumque Ordinum, & Congregationum, sive Institutorum Regularium, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis eisdem Ordinibus, Congregationibus, & Institutis, illorumque personis quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus, specifica, expressa, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis ac formam in eis traditam pro servata habentes, hac vice specialiter, nominatim, & expresse, ad effectum præmissorum derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§. 5. Ut autem præsentes nostræ, quæ ad singula loca deferri non possunt, ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus ut earumdem præsentium transumptis, vel exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, ubique locorum, & gentium eadem prorsus fides habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 18. Jul. 1667. An. I.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die decimaoctava Julii 1667. Pontificatus nostri Anno I.

II.

Confirmatio, & ampliatio indulti Sixti V. & Gregorii XV. de Officio S. Jacobi Apostoli, & Patroni Hispaniarum sub ritu semiduplici recitando.

CLEMENS PAPA NONUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

IN suprema militantis Ecclesiæ specula meritis licet imparibus ab æterno Pastore collocati, ad ea propensis studiis intendimus, per quæ Sanctorum in Cœlis regnantium, præsertim gloriosissimorum Domini nostri Jesu Christi Apostolorum, quorum prædicatione Christiana Religio fimbrias suas a mari ad mare dilatavit, veneratio in terris congrua suscipiat incrementa.

Motiva.

§. 2. Dudum siquidem felic. recordat. Gregorio Papæ XV. Prædecessori nostro pro parte tunc existentium Archiepiscopi, ac Capituli, & Canonicorum, necnon Cleri Ecclesiæ Compostellanæ expositio, quod ipsi pro peculiari quem erga S. Jacobum Apostolum, cujus venerandum corpus in eadem Compostellana Ecclesia quiescere, ac maxima peregrinorum ex omnibus Orbis partibus illuc quotidie confluentium frequentia visitari asserebatur, gerebant devotionis affectu, officium de eodem S. Jacobo qualibet secunda feria recitare, ac commemorationem fieri posse summopere desiderabant.

§. 2. Idem Gregorius Prædecessor eorum supplicationibus inclinatus, ut ex tunc de cætero perpetuis futuris temporibus de eodem S. Jacobo qualibet secunda feria non impedita festo novem lectionum, & quadragesimali, ac Dominici Adventus tempore, ac vigiliis etiam exceptis, officium alias a recolendæ memoriæ Sixto Papa V. Prædecessore pariter nostro sub die prima Februarii 1589. pro eadem Ecclesia approbatum libere, & licite in supradicta Ecclesia Compostellana sub ritu semiduplici, sumendo lectiones primi nocturni de scriptura occurrente, recitari, necnon etiam de eodem S. Jacobo in tota Hispania, cujus patronus existit, commemoratio, quando juxta regulas Breviarii Romani aliæ fiunt commemorationes, fieri posset, & deberet, auctoritate Apostolica licentiam, & facultatem concessit, & indulsit, & alias prout in ipsius Gregorii Prædecessoris literis desuper in simili forma Brevis 30. Octobris 1621. expeditis, quarum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso, & inserto haberi volumus, uberius continetur.

Confirmat. ut in rubr.

§. 3. Nunc autem Nos piis precibus totius Hispaniarum Cleri nobis per dilectum filium Didacum de Colmenares Hurtado de Mendoza Archidiaconum de Campos, & Canonicum in Ecclesia Palentina, ac Agentem generalem Status Ecclesiastici Regnorum Hispaniarum in Alma Urbe nostra commorantem humiliter porrectis benigne annuentes, ipsorumque Cleri, & Didaci singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium sacris Ritibus præpositorum consilio, indultum recitandi singulis diebus feriæ secundæ non impeditis festo duplici, vel semiduplici (Adventus, & Quadragesimæ temporibus, ac vigiliis etiam exceptis) officium memorati S. Jacobi Apostoli, unici, & singularis Hispaniarum patroni sub Ritu semiduplici Clero Civitatis, & Diœcesis Compostellanæ a præfato Gregorio Prædecessore concessum, ut præfertur, ad universum Hispaniarum Clerum auctoritate Apostolica tenore præsentium extendimus & ampliamus,

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit, quarumvis Ecclesiarum etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§. 5. Volumus autem ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 23. Jul. 1667. An. I.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 23. Julii 1667. Pontificatus nostri Anno primo.

III.

Privilegia, Gratiæ, & Indulta concessa Conclavistis, qui interfuerunt Conclavi, in quo ad Summi Apostolatus apicem fuit evectus.

CLEMENS PAPA NONUS

Urbis, Motu proprio, &c.

Causæ Præsentis Constit.

§. 1. NOS volentes dilectos filios Conclavistas, qui Conclavi, in quo, divina favente clementia, ad Summi Apostolatus apicem assumpti fuimus, Nobis, & Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus uti familiares, & continui comensales inservientes interfuerunt, quique ea de causa labores, vigilias, & incommoda plura subjerunt, habita ratione obsequiorum hujusmodi, favoribus, gratiis, & privilegiis pro cuiusque meritis exornare,

Conclavistis decem millia scut. auri & alia privilegia largitur.

§. 2. Ipsosque Conclavistas, quibus hodie, ac aliis participantibus descriptis in Rolo, seu divisione subscripto, vel subscripta per dilectum filium nostrum Petrum tituli S. Marci Presbyterum Cardinalem Ottobonum nuncupatum Prodatarium nostrum, summam decem millium scutorum auri in auro ex pretio tot officiorum vacabilium ad Nos spectantium gratiose donavimus, in veros, indubitatos, & non fictos familiares, & continuos commensales nostros, ac eos, qui ex illis Clerici existunt, seu militiæ clericali adscribi desiderant, quosque tres hujusmodi Cardinales singulatim in quolibet ordine antiquiores, gradu, nobilitate, & aliis meritis dignos tali dignitate judicaverint, in nostros, & Sedis Apostolicæ notarios, sine tamen præjudicio dilectorum filiorum de numero participantium Notariorum, recipimus, & tam illos, quam alios Conclavistas singulos, qui singulatim ab eisdem tribus Cardinalibus digni tali onere reputati fuerint, Sacri Palatii, & Aulæ Lateranensis Comites, & milites, & tam illos, quam omnes, & quoscumque alios Conclavistas indistincte, qui nobiles non sunt, nobiles; quique Urbis, vel alicujus alterius ex Civitatibus temporali dominio eidem Romanæ Ecclesiæ mediate, vel immediate subjectis Cives esse voluerint, singulos in ea ipsa Civitate, quam singillatim quisque eorum elegerit, & ad quam ab eisdem tribus Cardinalibus se admitti petierit, veros Cives ad instar, & nulla prorsus differentia inter eos, & singulos alios veros, originarios, & antiquissimos, etiam nobiles, & participantes Cives ipsius Urbis, vel Civitatis, itaut ipsum jus Civilitatis ad quoscumque illorum hæredes eodem modo transeat, creamus, constituimus, & deputamus, ac Nobilitatis, & Civilitatis titulo, honore, & insigniis decoramus, aliorumque familiarium, & continuorum commensalium nobis actu in Palatio nostro Apostolico inservientium, ac in illius tinello comedentium, & bibentium, ac nostrorum, & Sedis prædictæ Notariorum, Palatii, & Aulæ prædictorum Comitum, Militum, & Nobilium, ac Civium hujusmodi originariorum numero, & consortio favorabiliter aggregamus, ac proveris, & indubitatis, & non fictis familiaribus continuis Commensalibus, ac Notariis nostris, Comitibus, Nobilibus, Militibus, & Civibus deinceps haberi volumus, ac reputari mandamus, eisque ut in quibuscumque impetrationibus, concessionibus, & literis, tam gratiam, quam justitiam separatim, seu utramque mixtim concernentibus se familiares, continuos Commensales, nostrosque Comites, Milites, Nobiles, & Cives etiam originarios nominari, nec propterea impetrationes, concessiones, & literæ hujusmodi subreptionis vitio subjaceant, sed valide, & efficaces existant, ac ex nunc deinceps in perpetuum omnibus, & quibuscumque, ac prorsus similibus antelationum antelationibus, prærogativis, privilegiis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, decretis, declarationibus, derogationibus, mandatis, suspensionibus, favoribus, gratiis, privilegiis, indultis, ac juribus, quibus alii nostri familiares tempore dictæ Assumptionis nostræ ad Summi Apostolatus apicem, ac quibus alii ejusdem Sedis Notarii

tarii etiam de numero Participantium existentes, etiamsi habitum, & Rochettum, Notariorum ipsius Sedis non deferant, Palatiique, & Aulæ prædictorum Comites, Milites, Nobiles etiam Originarii, ac antiquissimi Cives ejusdem Urbis, vel Civitatis, quam, ut præfertur, elegerint, quique ex utroque parente vere Nobili, & Cive originario, & antiquissimo procreati de jure, statuto, consuetudine, vel alias ex aliquo speciali privilegio, seu alias quomodolibet, etiam quoad assecutionem quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum, etiam per quascumque literas, seu Constitutiones Apostolicas pro tempore editas utuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, frui, potiri, & gaudere possunt, & poterunt quomodolibet in futurum ubique locorum in judicio, & extra sine tamen eorumdem Notariorum de numero participantium præjudicio, uti, frui, potiri, & gaudere libere, & licite valeant realiter, & integre in omnibus, & per omnia, etiamsi in Urbe, & Civitate hujusmodi non habitaverint, perinde ac si de vere nobili genere, & ex utroque parente nobili originario, ac antiquissimo Cive procreati forent, & hujusmodi prærogativæ, privilegia, exemptiones, gratiæ, favores, concessiones, indulta, & jura, quæ pro aliis nobilibus, & Civibus originariis emanarunt, & quæ ratione nobilitatis, & civilitatis naturalis, & originariæ aliis competunt, pro eisdem Conclavistis in specie emanassent, seu emanarent, & eis naturaliter de jure, statuto, consuetudine, fundatione, vel alias competerent, auctoritate, & tenore similibus indulgemus.

A solutione decimarum liberat.

§. 3. Nosque Conclavistas prædictos a solutione, & exactione decimarum, & cujuscumque pedagii, subsidii, gabellæ, & cujuscumque oneris, tam ordinarii, quam extraordinarii, ubique locorum, & ex quacumque quantumvis urgentissima, & inexcogitabili causa, & occasione, etiam ad instantiam Imperatoris, Regum, & Rerumpublicarum, etiam Venetiarum, & aliorum quorumcumque Principum, impositorum, & imponendorum pro tempore, ex nunc prout ex tunc, & e contra, & postquam casus hujusmodi impositionis, & solutionis evenerit, liberamus, & eximimus, liberosque, & exemptos fore, & esse decernimus: Districtius inhibentes dilectis filiis nunc, & pro tempore existentibus ejusdem S. R. E. Camerario, Thesaurario, Præsidentibus, Clericis, ac quibuscumque aliis Officialibus Cameræ prædictæ, & exactoribus pedagiorum, decimarum, subsidii, gabellarum, & onerum hujusmodi, ac aliis personis cujuscumque, ecclesiasticæ, vel secularis dignitatis, status, gradus, ordinis, vel conditionis existentibus, ne eos ad aliquam solutionem cogere, seu compellere, aut super præmissis, eorumve usu, possessione, vel quasi, directe, vel indirecte, quovis quæsito colore, vel ingenio molestare, vel alias quomodolibet impedire quoquo modo præsumant.

§. 4. Necnon omnes eosdem Conclavistas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis si quas quomodolibet propter cõtraventiones contentorum in Constitutionibus super creatione Romani Pontificis pro tempore editis, vel alias quomodolibet incurrerunt, in foro conscientiæ tantum absolvimus, & liberamus, ac omnes, & quoscumque defectus, si qui forte sint, omnium provisionum, beneficiorum, dignitatum, ac permutationum eorumdem Conclavistarum, tam ex multiplicitate titulorum, ac ob incursionem quarumcumque censurarum, & irregularitatis, quam alias ex quavis causa provenientes sanamus, ac hujusmodi provisiones vigore eorum privilegiorum, in foro conscientiæ tantum perinde, ac si novas provisiones obtinuissent, revalidamus, & quatenus opus sit, omnibus, & singulis eorum de omnibus, & singulis dignitatibus, & aliis, cum cura, & sine cura beneficiis ecclesiasticis quomodolibet qualificatis, & nuncupatis, etiam cujusvis ordinis regularibus, per eos respective obtentis, & de novo etiam respective providemus, ac omnes, & singulas pensiones eis, & eorum singulis super quorumvis beneficiorum ecclesiasticorum quomodolibet qualificatorum, & nuncupatorum, etiam alicujus ordinis regularium fructibus, &c. respective reservatas similiter de novo reservamus.

Absolvit a censuris propter conventiones incursis.

Fructus & redditus male perceptos remittit.

§. 5. Ipsisque Conclavistis, eorumque singulis quoscumque fructus, redditus, & proventus ecclesiasticos occasione quarumcumque dignitatum, Canonicatuum, & præbendarum, aliorumque beneficiorum ecclesiasticorum quorumcumque, & quarumcumque pensionum annuarum ipsis, & eorum cuilibet collatorum, & reservatarum, tam ex antedictis, quam ex aliis defectibus, & occasionibus, etiam ratione omissionis recitationis horarum canonicarum indebite perceptos, cujuscumq; quantitatis fuerint, gratiose remittimus, & condonamus, ac cum eis super inhabilitate, & irregularitate per eos propterea quomodolibet contracta, vel etiam ex eo quod censuris hujusmodi ligati Missas, & alia divina Officia, dummodo tamen non in contemptum Clavium celebraverint, aut alias in divinis se immiscuerint, quodque illa, & aliis præmissis non obstantibus ad omnes, etiam Sacros, & Presbyteratus ordines alias rite, & dummodo nullum aliud alicui eorum obstet canonicum impedimentum, promoveri, & in illis, & in susceptis per eos alias rite ordinibus etiã in Altaris ministerio ministrare etiam, libere, & licite valeant, dispensamus.

§. 6. Ac eosdem Conclavistas, si qui eorum defectum Natalium patiantur, ex quocumque damnato, & illicito coitu, etiamsi ex nobilissimis parentibus, & vilibus fœminis forsan procreati sint, etiamsi alias legitimati non existant, legitimamus, omnemque ab illis genitur̃ hujusmodi maculam, culam, sive notam abstergimus, & abolemus, ac legitimis natalibus restituimus, & cum eorum singulis, ut in quibuscumq; bonis paternis, & maternis, & aliorum consanguineorum, seu cognatorum, vel aliorum quorumcumque, sine tamen præjudicio venientium ab intestato, vel ex fideicommisso, seu alias de jure valida dispositione, & præterquam in bonis ecclesiasticis, & ab Ecclesia provenientibus succedere, & illa donationis, vel alio quovis titulo consequi, & habere, ac ad æquales portiones cum legitimis succedere eos ad omnia jura, legitimas successiones ex testamento, vel ab intestato hæreditates, legata, libertates restituendo realiter, & cum effectu, ac ad dignitates, honores, & quæcumque alia officia secularia, publica, vel privata, etiam assumi, aliaque gerere, & exercere in omnibus, & per omnia, ac si de legitimo matrimonio procreati forent, ac eodem defectu non obstante, si aliud canonicum eis non obsistat impedimentum, ut Clericali charactere, qui illo nondum insigniti sint, insigniri, ac ad omnes etiam sacros, & presbyteratus ordines, si nondum ad illos promoti sint, promoveri, ac postmodum charactere, & ordinibus hujusmodi, illorumque privilegiis uti, ac in eisdem ordinibus etiam in altaris ministerio ministrare, ac quæcumque, & qualiacumque, cum cura, & sine cura beneficia ecclesiastica, etiamsi personatus, administrationes, & officia etiam curata, & electiva in Cathedralibus, & Metropolitanis, vel Collegiatis Ecclesiis, seu si Parochiales Ecclesiæ, vel earum perpetuæ Vicariæ, ac Canonicatus, & præbendæ, dignitates, non tamen majores post Pontificalem in Cathedralibus, aut principales in Collegiatis Ecclesiis hujusmodi fuerint, si sibi alias canonice conferantur, aut ipsi eligantur, præsententur, vel alias assumantur ad illa, & instituantur in eisdem, recipere, & dummodo plura simul non sint, quam quæ a Concilio Tridentino permittuntur, quoad vixerint, retinere libere, & licite valeant, similiter dispensamus.

Conventu fecerint, & consueta servitia præstiterint, quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum, & quorumvis pensionum, & commendarum eorum Militiæ, seu Religionis capaces existant perinde, ac si in eadem Militia, seu Religione Antianitatem de justitia consequuti fuissent, similiter indulgemus.

§. 9. Eisdemque Conclavistis, & eorum singulis, ut quicumque loci Ordinarii, vel Canonici Metropolitanarum, vel Cathedralium, seu duarum insignium Urbis Collegiatarum Ecclesiarum, aut personæ aliæ quæcumque Ecclesiasticæ in dignitate ecclesiastica constitutæ tam in Romana Curia, quam extra eam ad id per eos, & eorum singulos eligendi, seu eligendæ, quascumque pensiones annuas eis, & eorum singulis super quibuscumque fructibus, redditibus, proventibus, juribus, obventionibus, & emolumentis universis, certis, & incertis quarumcumque mensarum Episcopalium, Archiepiscopalium, & Abbatialium, ac etiam distributionibus quotidianis, etiam ratione servitii, & mercedis Dignitatum, Canonicatuum, & Præbendarum, cæterorumque aliorum quorumcumq; beneficiorum ecclesiasticorum etiam per prædictos S.R.E. Cardinales obtentorum, & in posterum obtinendorum, cum cura, & sine cura, secularium, & quorumvis Ordinum Regularium, seu fructus, redditus, & proventus hujusmodi beneficiorum reservatos, & reservandos, etiamsi semel, vel pluries translatæ, seu translati fuerint usque ad summam centum ducatorum auri de Camera similium in toto, vel in parte, ac in una, seu pluribus vicibus, ac etiam in mortis articulo cassare, & extinguere, & postquam cassatæ, & extinctæ fuerint alias similes pensiones annuas, seu fructus, redditus, & proventus hujusmodi usque ad summam prædictam, uni vel pluribus aliis personis ecclesiasticis, vel etiam clericali charactere, tunc temporis nondum insignitis, cum clausula tamen ex tunc prout postquam dicto charactere rite insigniti fuerint, per eosdem Conclavistas, & eorum singulos nominandis, etiam quæcumque, quotcumque, & qualiacumque beneficia ecclesiastica obtinentibus, & expectantibus, alias tamen pensionum capacibus, similiter eis quoad vixerint, vel eorum Procuratoribus legitimis eisdem modo, & forma, quibus eisdem Conclavistis reservatæ, seu reservati erant, etiam absque beneficia ipsa obtinentium consensu integre persolvendas, ac per eos propria auctoritate percipiendas, exigendas, & levandas, aut percipiendos, exigendos, & levandos, reservare, constituere, concedere, & assignare valeant, præfatique Translatarii in quasi possessione dictas pensiones exigendi, in qua ipsi Conclavistæ tempore translationis per eos præsentium vigore faciendæ existebant, in omnibus, & per omnia subrogati esse censeantur, etiam concedimus pariter, & indulgemus. Etiamsi similem gratiam a Præ-

Jubet pro iisdem expeditionem literarum Apostolic. fieri.

§. 7. Quodque omnes, & quæcumque gratiæ, provisiones, & commendæ, & quævis aliæ literæ Apostolicæ provisionum quorumcumque beneficiorum Ecclesiasticorum hujusmodi, prout nostris Familiaribus continuis Commensalibus gratis dentur, concedantur, & expediantur, ac etiam literæ ipsæ in forma Brevis, tam de capienda possessione nomine dictæ Cameræ Apostolicæ, quam alias uti illis super provisionibus quorumvis beneficiorum ecclesiasticorum dari poterunt, similiter gratis dentur, concedantur, & expediantur, ac dari, concedi, & expediri omnino debeant, etiam præcipimus, & mandamus.

§. 8. Ac Conclavistis prædictis, qui Sancti Joannis Hierosolymitani, seu cujusvis alterius Militiæ regularis etiam expresse professi sunt, ut etiamsi ab eorum Conventu absentes existant, dum tamen quinquennalem, seu aliam debitam residentiam in

a Prædeceſſoribus noſtris alias forſan obtinuerint, ſeu quilibet eorum obtinuerit, tam vigore aliorum privilegiorum Conclaviſtarum, quam ex quocumque alio Indulto, & Privilegio, quorum effectum per hanc novam gratiam, & conceſſionem impedire nolumus, ſed cumulative conceſſam.., vel conceſſas eſſe volumus, itaut quilibet eorum cumulative, & ampliative prædictis facultatibus præſentibus, & præteritis privilegiis hac in re conceſſis uti, frui, & potiri poſſint: Decernentes ipſas translationes, & novas reſervationes, conſtitutiones, & aſſignationes penſionum, ſeu fructuum, reddituum, & proventuum hujuſmodi, ut præfertur, faciendas, ex nunc prout poſtquam factæ fuerint, plenam roboris firmitatem obtinere, ipſoſque beneficia ſuper quorum fructibus, redditibus, proventibus, aliiſque hujuſmodi reſervatæ fuerint, obtinentes, ad illas perſolvendas efficaciter obligatos fore.

Diſpenſat ſuper delatione habitus clericalis.

§.10. Ac cum eiſdem Conclaviſtis, quod ratione quarumcumque penſionum annuarum eis, & eorum cuilibet ſuper quibuſcumque beneficiis Eccleſiaſticis, etiam in Cathedralibus, & aliis Eccleſiis, ſeu Monaſteriis etiam a prædictis S. R. E. Cardinalibus obtentis, & ut præfertur, obtinendis, vel alias quomodolibet qualificatis, non tamen ultra ſummam ducatorum ducentorum parium pro quolibet, nunc, & pro tempore reſervatarum, & reſervandarum habitum, & tonſuram Clericales geſtare, & in illis, dummodo alias ipſi habitum decentem, & honeſtum deferant, incedere minime debeant, nec ad id a quoquam deſuper cogi, ſeu compelli, minuſque aliquas ſententias, cenſuras, ac etiam privationis, ſeu ceſſationis ipſarum penſionum pœnas, occaſione præmiſſorum incurrere poſſint, ſed eaſdem penſiones ad prædictam ſummam ducentorum ducatorum aſcendentes, & reſervatas, ut præfertur, etiamſi matrimonium jam contraxerint, vel poſthac contrahere voluerint, cum unica tamen, & virgine, recipere, & libere retinere.

Spolia de ipſorum bonis fieri prohibet.

§.11. Poſtremo, quod bona quæcumque ad dictos Conclaviſtas, & eorum quemlibet ſpectantia, & per eos etiam ratione quorumcumq; beneficiorum Eccleſiaſticorum, etiam Canonicatuum, & Præbendarum, ac Dignitatum quarumcumque per eos alias obtentorum, & obtinendorum, aut alias quomodolibet, & quovis quæſito colore, vel ingenio, ſeu eorum induſtria, legitime tamen, ac alias licite acquiſita, & acquirenda etiam in Urbe, ejuſque diſtrictu, ac ubique exiſtentia, ſpoliis minime ſubjaceant ſeu Conclaviſtæ prædicti etiamſi Religioni, alicujus Militiæ, etiam prædicti S. Joannis Hieroſolymitani adſcripti fuerint, de illis in favorem quarumcumque perſonarum de jure tamen capacium, etiamſi Curiales eſſe deſierint, & in quocumque loco quantumvis remoto, etiam extra eorum, & cujuslibet ipſorum propriam reſidentiam eos decedere contigerit, teſtari, & alia diſponere, iiſque ab inteſtato decedentibus legitimi eorum heredes quicumque ſuccedere, libere, & licite valeant, ſimili modo concedimus, & indulgemus.

Exequutores deputat.

§.12. Præcipientes, & mandantes eiſdem S. R. E. Camerario, Theſaurario, Præſidentibus, Clericis Cameræ noſtræ prædictæ, & quibuſvis aliis Spoliorum hujuſmodi Collectoribus, & Subcollectoribus, ac Militiarum præfatarum Officialibus, aut Prioribus, & quibuſvis aliis perſonis, tam Secularibus, quam Regularibus, cujuſcumq; gradus, ſtatus, ordinis, & præeminentiæ, etiamſi ſpeciali nota digni exiſtant, ne in hujuſmodi bonis manus apponant, neque hæredes præfatorum Conclaviſtarum deſuper moleſtare audeant, ſeu præſumant; ac etiam decernentes donationes etiam per viam teſtamenti, & codicillorum per ipſos Conclaviſtas de eorum bonis hujuſmodi faciendas, ſemper, & perpetuo validas, & efficaces fore.

Regiſtationem in Camera remittit.

§.13. Nec eoſdem Conclaviſtas, eorumve aliquem ad præſentem motum proprium, ſeu literas ſuper præſentibus, ſi videbitur, conficiendas, in dicta Camera inſinuandum, aut admitti, & regiſtrari petendum teneri, nec illum, ſeu illas, etiamſi motus proprius, & literæ hujuſmodi intra legitimum tempus inſinuatus, admiſſus, & regiſtratus non fuerit, ſeu illæ inſinuatæ, admiſſæ, ſeu regiſtratæ non fuerint propterea minus validum, ſeu validas cenſeri, ſed ſuos plenarios effectus fortiri debere, ac Motum proprium, & literas hujuſmodi, & in eis contenta quæcumque ſub quibuſvis revocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, modificationibus, decretis, & Conſtitutionibus Apoſtolicis ſimilium gratiarum revocatoriis, vel quæ eas limitarent, ſeu moderarentur, quæ a Nobis, & dicta Sede, & pro tempore, & de quibuſvis cauſis etiam urgentiſſimis, etiam in favorem fidei, & divini cultus augmentum, etiam conſiſtorialiter, vel alias quavis auctoritate hactenus, vel impoſterum emanaverint, minime comprehenſum, vel comprehenſas eſſe, ſed quoties illæ emanabunt, toties eum, & eas in priſtinum ſtatum reſtitutum, repoſitum, & reintegratum, ſeu reſtitutas, repoſitas, & reintegratas eſſe cenſeri.

Clauſulas præ ſervativas apponit.

§.14. Et inſuper cum dilectus filius Antonius de Flore Clericus Neocaſtrenſis Civitatis, vel Diœceſis J. U. D. ac Collegii eorumdem Clericorum Cameræ Apoſtolicæ prædictæ Secretarius, & Minutorum ſervitiorum Generalis Collector, tanquam dictorum Conclaviſtarum Procurator in præmiſſis ſedulam pro eis operam navaverit, propterea, & aliorum meritorum ſuorum, & obſequiorum Nobis, & dictæ Sedi impenſorum intuitu, volentes ipſum ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi, eidem Antonino, licet ipſe in Conclavi prædicto non intervenerit, nihilominus omnibus, & ſingulis ſupradictis gratiis, privilegiis, facultatibus, immunitatibus, libertatibus, honoribus, prærogativis, præminentiis, indultis, exemptionibus, cæteriſque præmiſſis, non tamen quoad participationem decem millium ſcutorum auri hujuſmodi per Nos, ut ſupra, dictis Conclaviſtis donatorum, & inter eos, ut præfertur diſtributorum, ſeu diſtribuendorum tamquam Conclaviſta frui, & gaudere libere, & licite poſſit, & valeat, perinde, ac ſi Conclavi hujuſmodi vere, & realiter interfuiſſet, Conſtitutionibus, & Ordinationibus, cæteriſque ſupradictis, & aliis contrariis nequaquam obſtantibus, motu, ſcientia, & auctoritate ſimilibus de ſpeciali gratia indulgemus. Sicque per quoſcumq; Judices etiam Commiſſarios quavis auctoritate fungentes, ſublata eis, & eorum cuilibet in quavis cauſa aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere: Irritumque, &c. Attentari.

Contrariis derogat.

§.15. Et inſuper Venerabili Fratri noſtro Franciſco Epiſcopo Hoſtienſi, & Velitrenenſi Card. Barberino nuncupato ejuſdem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Vice-Cancellario & Literarum Apoſtolicarum Summatori, necnon dilectis filiis Secretariis Apoſtolicis, Præſidenti Plumbi, aliiſque Officialibus, ad quos literarum prædictarum deſuper conficiendarum expeditio per viam ſecretam quomodolibet ſpectat, & pertinet, ſub pœna indignationis noſtræ motu ſimili, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine paribus etiam mandamus, ut prædictas literas ſuper præmiſſis omnibus, & ſingulis, tam conjunctim, quam ſeparatim pro ſingulis, quibus conceſſæ fuerunt, ac ſeorſim, & ſeparatim cum omnibus, & quibuſcumque derogationibus, decretis, & clauſulis in eis conceſſis gratis etiam quoad compoſitionem in Dataria noſtra, & per eamdem viam ſecretam abſq; alio mandato expediant, & expediri faciant.

Procuratori Conclaviſtarum eadem privilegia indulgat.

§.16. Inſuper omnia, & ſingula privilegia, gratias, & conceſſiones eiſd. Conclaviſtis, & eorum cuilibet a diverſis Summis Pontificibus Prædeceſſoribus noſtris hucuſque conceſſa, motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus confirmamus, & approbamus, ac de novo liberaliſſime concedimus.

§.17. Non obſtantibus præmiſſis, ac de certo eorumd; Notariorum numero, etiamſi ad illum non ſit deventum, ac Noſtra, & Cancellariæ Apoſtolicæ regula de præſtando conſenſu in penſionibus, & fel. record. Pii Papæ IV. de ſimilibus, & diſſimilibus gratiis in d. Camera infra tres menſes præſentandis, & regiſtrandis, ac Pii V. Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum contra illegitimos, necnon Pictavienſis Concilii, ac noſtris, & Cancellariæ prædictæ regulis, etiam in craſtinum dictæ Aſſumptionis noſtræ ad Summi Apoſtolatus Apicem editis, & in prædicta Cancellaria publicatis, ac etiam in Univerſalibus, & provincialibus Conciliis editis ſpecialibus, vel generalibus conſtitutionibus, & ordinationibus, ac Eccleſiarum, Monaſteriorum, Ordinum etiam S. Joannis Hieroſolymitani, ac etiam Urbis Romæ, ac aliarum Civitatum, Oppidorum, & Terrarum Cameræ prædictæ, & quarumvis univerſitatum etiam juramento, &c. roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, ſtabilimentis, uſibus, & naturis, decretis, & novis reformationibus, etiam legibus, tam Pontificiis, quam Imperialibus, Regiis, & Ducalibus, ac Sacris Canonibus: Privilegiis quoque, indultis, & Literis Apoſtolicis illis, eorumque Superioribus, & perſonis, ac locis quibuſcumque in genere, vel in ſpecie, ac cum quibuſvis derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, irritantibuſq;, & aliis decretis etiam vim contractus, & ſtatuti perpetuo continentibus, ac etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus, & conſiſtorialiter, ac alias in contrarium conceſſis, confirmatis, approbatis, & innovatis juribus omnibus, quibus omnibus, &c. etiamſi de illis, &c. eorum tenores, &c. illis alias &c. permanſuris hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe motu pari derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque, cum clauſulis opportunis.

Fiat Motu proprio I.

ET cum abſolutione a cenſuris ad effectum, &c. & quod obſtantiæ etiam beneficiales Conclaviſtarum, & ab eis ſubrogati hujuſmodi, & diſpenſationes, ac indulta habeantur pro expreſſis, ſeu in toto vel in parte exprimi poſſint in literis, & in caſibus regulæ de inſordeſcentibus, cum opportuna illius, necnon alterius regulæ de non tollendo jure quæſito derogatione, & quarumcumque aliarum Conſtitutionum Apoſtolicarum, & Conciliorum etiam generalium, & ſtatutorum, ſtabilimentorum, uſuum, naturarum, Conſtituti onum ſynodalium, ſtatutorum, ac privilegiorum Populi Romani, & Cluniacenſis, Ciſtercienſis, S. Benedicti, S. Auguſtini, & aliorum Ordinum, & Militiarum, etiam S. Joannis Hieroſolymitani Eccleſiis, Monaſteriis, Civitatibus, & locis, & perſonis, & Dominis temporalibus ſub quibuſcumque verborum formis, ac cum quibuſvis efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, & decretis, etiam conſiſtorialibus, etiam contra alienigenas, & alias perſonas certis modis non qualificatas, aut alias quomodolibet conceſſorum, quorum tenores, &c. latiſſime, ac de verbo ad verbum, prout ipſis Conclaviſtis magis placuerit, exprimi poſſint, & cum ſuſpenſione quarumcumque gratiarum, & indultorum quibuſvis ordinariis collatoribus conferendi beneficia Eccleſiaſtica etiam reſervata, ad eorum collationem, &c. pertinentia, & in omnibus, aut certis expreſſis cauſis quomodolibet conceſſis latiſſime extendendorum, itaut omnia tollantur, & quod ſola præſenti motus proprii ſignatura ſufficiat, & ubique fidem faciat, in judicio, & extra regula contraria non obſtante, & quod præmiſſorum

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

missorum omnium, & singulorum indultorum, concessionum, gratiarum, derogationum major, & verior specificatio, & expressio fieri possit in literis, si videbitur in quibus singulorum Conclavistarum nomina, & cognomina, qualitates, ordines, gradus, diœcesis, patria, & cætera requisita exprimi, & describi, seu pro expressis, & descriptis haberi possint, inter eos Sacrista, & Magistri Cæremoniarum Capellæ nostræ necnon Secretarius Collegii eorumdem Cardinalium, & cæteri alii in notula per ipsos Magistros Cæremoniarum facta, & descripta adnotati, & descripti, si alias ad pensiones, & beneficia hujusmodi habiles, & capaces fuerint, comprehendantur, & adnotentur simul, vel ad partem, etiam in una non facta mentione de alia, vel aliis, prout videbitur expediendarum.

Transumpto. rum fides. §. 18. Volumus autem, quod literarum super præsentibus conficiendarum, seu præsentis Motus proprii transumptis impressis, & sigillo, ac manu alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, & subscriptis, eadem fides, tam in judicio, quam extra illud adhibeatur, quæ originalibus litteris, seu præsenti Motui proprio originali adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ, aut exhibitus, vel ostensus foret.

FIAT I.

Dat. die 2. Aug. 1667. An. I. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem quarto Nonas Augusti. Anno I.

Nomina autem ipsorum Conclavistarum sunt hæc, quæ sequuntur.

REverendissimus D. Franciscus Maria Phœbeus Urbevetanus, Archiepiscopus Tarsen. Præceptor Archihospitalis Sancti Spiritus in Saxia, Canonicus Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, primus Cæremoniarum Magister. Reverendiss. D. Fr. Ambrosius Landuccius Senensis, Episcopus Porphyriensis, Sacrista noster. Carolus Vincentius Carcarasius Presbyt. Romanus, & perpetuus Beneficiatus Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe: Fulvius Servantius Presbyter de s. Severino, Canonicus Collegiatæ Ecclesiæ s. Mariæ in Via lata de dicta Urbe: Petrus Antonius de la Pedacchia, Presbyter Romanus, perpetuus Beneficiatus in Basil. Principis Apostolorum de eadem Urbe: Magistri Cæremoniarum Abbas Augustinus Favoritus, Presbyter Lunensis, Sarzanensis, Canonicus Basilicæ s. Mariæ Majoris de prædicta Urbe, Sacri Collegii Secretarius. Antonius Cappellinus Clericus Sabinen., Blasius Ægidius Laicus de Palumbaria, Sabinensis Diœcesis, Franciscus Guillelmus Laicus Namurcensis Diœcesis, Nostri dum Cardinalatus honore fungebamur. Franciscus Cerrus Romanus Clericus conjugatus, Agapetus Colorsius Presbyter Prænestinus, perpetuus Beneficiatus in prædicta Basilica Principis Apostolorum, Michael Angelus Mazzola Presbyter Clusinæ Diœcesis, perpetuus Clericus Beneficiatus in eadem Basilica Principis Apostolorum, Franciscus Ostien. Barberini. Joseph Mauccius Presbyter Romanus, Joan. Antonius Quæglinus Clericus Taurinensis Diœcesis, Martii Portuensis Ginetti. Antonius Simon Abbas Balleonus Presbyter Pisaurensis, Faustus Tursius Clericus Spolet. Diœcesis, Joannes Veranus Laicus Vintimillensis, Antonii Prænestini Barberini. Adrianus Fracalessius Presbyter Fanensis Diœcesis, Ascanius Paganellus Presbyter Camerinen., Michael Angelus Tarinus Clericus Ravennatensis, Jo: Baptistæ Tusculan. Pallotti. Angelus Dinus Presb. Sartheanensis Clusinæ Diœcesis, Franciscus Ciceri Clericus Mediolanensis, Francisci Mariæ Sabinensis Brancatii. Hieronymus Fabrius Clericus Amerinensis, Canonicus Collegiatæ Ecclesiæ s. Anastasiæ de prædicta Urbe, Joannes Baptista Sardineus Presbyter Ulturiensis Diœcesis, Carolus Grillinus de Fabriano Presbyter Camerinensis Diœcesis, Ulderici Albanensis Carpinei. Venerabilium Fratrum nostrorum Episcoporum. Michael Orsuccius Presbyter Lucensis, Cosmas de Agostinis Clericus Florentinus, Ernesti Adhalberti Sanctæ Praxedis Harrach. Joseph. Maria Cerefola Presbyter Januensis, Vanninus de Gattis Presbyter Urbanensis, Julius Gasparinus Laicus Æsinus, Stephani s. Laurentii in Lucina Duratii: Julius Cæsar de Doctis Clericus de Burgo s. Sepulchri, Franciscus Riccardus Clericus Aretinus, Julii s. Priscæ Gabriellii. Vicinus Ursinus Romanus Laicus, Bartholomæus Ginus Clericus Sutrinæ Diœcesis, Gaudentius Santillus Spoletanus Laicus, Virginii s. Mariæ Angelorum Ursini. Abbas Joannes Baptista Petramellara Presbyter Bononiensis, Archidiaconus Cathedralis Ecclesiæ Spoletanæ, Joannes Andreas Borbonius Presbyter Senensis, Cæsaris ss. Quatuor Coronatorum Fachenetti. Benedictus Lupertus Presbyter Callensis, Antonius Vigneul Clericus Metensis, Hieronymi ss. Trinitatis in Monte Pincio Grimaldi. Joannes Franciscus de Laurentiis Ripanus, & Ecclesiæ Ripanæ Archidiaconus, Julius Cæsar de Cæsaris Clericus a Barbara Nullius Diœcesis, Caroli s. Sylvestri in Capite Rossetti. Ferrantes Orsellus Clericus Forolivensis, Joannes Baptista Carpanus Presbyter Vercellensis, Joannes de Ognate Pampilonensis Laicus, Nicolai s. Mariæ Transtyberim, Ludovisii. Marchio Claudius Pallavicinus Parmensis, Jacobus Girod a Burgundia Mignovillaus Laicus, Alderani s. Pudentianæ Cybo. Michael de Setina Presbyter Cæsaraugustanus Canonicus Metropolitanæ Ecclesiæ ss. Virginis de Pilar Cesaraugustanæ, Antonius Sinibaldus Clericus Romanus, Hiacynthus Fanciullus Viterbiensis Laicus, Federici s. Petri ad Vincula Sfortiæ. Franciscus Maria de Alice Presbyter Mediolanensis, Joseph Sanctes Hamma Comensis Laicus, Benedicti s. Honuphrij Odescalchi. Michael Imperialis Clericus

ricus Januensis, Thomas Piscius Presbyter de s. Justo Firmanæ Diœcesis, Laurentii ss. Quirici, & Julittæ Raggii. Dominicus de Malclerc a Sommervillers Clericus Tullensis Diœcesis, Carolus Fromentin Laicus Svessionensis, Joannes Zaraquiequi Clericus Tirasonensis, Joannis Francisci Pauli s. Mariæ super Minervam de Retz. Petrus Martyr Merizola Clericus Papiensis, Ferdinandus Colletta Laicus Signinus, Aloysii. Alexii Homodei. Vincentius Lucciolus Clericus de Mevania, Spoletanæ Diœcesis, Petrus Paulus de Seria Terracinensis Diœcesis, Petri s. Marci Otthoboni. Abbas Franciscus Tassius Clericus Ariminensis, Joannes Felix Camerefius Presbyter Spoletanæ Diœcesis, Laurentij s. Grysogoni Imperialis. Federicus Calistus de Monte Georgio Clericus Firmanæ Diœcesis, Franciscus Dominicus de Rubeis Presbyter Prænest. Diœcesis, Canonicus Collegiatæ Ecclesiæ s. Nicolai in Carcere Tulliano de Urbe, Giberti ss. Joannis, & Pauli Borromæi. Abbas Marcus Antonius Guascus Presbyter Romanus perpetuus Beneficiatus in dicta Basilica Principis Apostolorum, Carolus Guallus Clericus Romanus, Marcelli s. Stephani in Monte Cœlio Sanctacrucii. Nicolaus Theobaldus Presbyter Tullensis, Joannis Ricchius Clericus Lucensis, Joannis Baptistæ s. Marcelli Spadæ. Carolus de Marchis Presbyter Asculanus, Joseph Sfasciamontius Laicus Montisalti Diœcesis, Francisci s. Mariæ in Via Albitii. Abbas Joseph Spinuccius Presbyter Firmanus, Honuphrius Corradinus Laicus de Fabriano Camerinensis Diœcesis, Petrus Pantinus Laicus Romanus, Octavii s. Cæciliæ de Aquaviva. Abbas Nicolaus Piccolomineus Clericus Senensis, Alexander Tosius de Monte Cassiano Lauretanæ Diœcesis, Canonicus Basilicæ s. Mariæ Transtyberim de Urbe, Bernardinus Mancinus Laicus Florentinus, Flavii s. Mariæ de Populo Chisij. Philippus Maria Ptolomæus Presbyter Senensis Canonicus Ecclesiæ Metropolitanæ Senensis, Joseph Montius Laicus a Balneo, Burgi s. Sepulchri Diœc. Scipionis s. Sabinæ Delci. Zenobius Casinus Presbyter Florentinus, Andreas Minder Clericus Avenionensis, Laurentius Cabella Clericus Januensis, Hieronymi s. Agnetis extra Mœnia Farnesij. Andreas Mansius Presbyter Lucensis, Canonicus Cathedralis Ecclesiæ Lucensis, Lelius Cerchius Lucensis Laicus, Hieronymi s. Hieronymi Illyrici Bonvisii. Paulus Peccius Clericus Senensis, Maximilianus Vuamberchies a Binchio Clericus Cameracensis Diœcesis, Antonii s. Augustini Bichii. Joseph Mondinus Presbyter Laudensis, ejusdem Laudensis Ecclesiæ Cathedralis Canonicus, Joannes Franciscus Aggravius Clericus Prænestinus, Petri s. Calixti Vidoni Abbas Marcus Antonius Zollius Presbyter Bergomensis, Henricus Gial Laicus Frisingensis Diœcesis, Gregorij s. Thomæ in Parione Barbarici. Flaminius Marionus Clericus Eugubinus, Joannes Claudius Tullensis, Hieronymi ss. Marcellini, & Petri Boncompagni. Carolus Bozzolus Presbyter Mediolanensis, Canonicus Insignis Collegiatæ Ecclesiæ s. Nazarii Civitatis Mediolani, Gabriel Gatticus Presbyter Mediolanensis, Joseph Vannarellus Laicus de s. Ginesio Camerinensis Diœcesis, Alphonsi s. Crucis in Hierusalem Littæ. Franciscus Milonus Presbyter Niciensis, Stephanus de Castro Laicus Florentinus, Nerii SS. Nerei, & Achillei Corsini. Joannes Baptista Michelius Clericus Sarsinatensis, Horatius Fulchignonius Laicus Romanus, Caroli s. Anastasiæ Bonelli. Joannes Baptista de Mitibus Presbyter Firmanus, Petrus Sodus Pientinæ Diœcesis, Cœlii s. Petri in Monte Aureo Piccolominei. Abbas Franciscus Antonius Gallus de Austrimont Presbyter a Latertia Acheruntinæ Diœcesis, Joseph Crescionius Presbyter Benevent. Diœcesis Caroli s. Susannæ Carafæ. Ludovicus Piccinus Cleric. Æsinus, Michael Angelus Zaccaria Clericus Romanus. Palutii ss. duodecim Apostolorum Albertonii. Carolus Rasponus Eques s. Stephani, Ravennas, Carolus Antonius Corradus Laicus Callensis, Cæsaris s. Joannis ante Portam Latinam Rasponi. Joseph de Molaria Clericus Romanus, Franciscus Titius Laicus Aretinæ Diœcesis, Nicolai s. Mariæ Transpontinæ de Comitibus. Abbas Alexander Sozzinus Clericus Senensis, Franciscus Cæsarinus a Civitate Theatina Clericus Conjugatus, Jacobi s. Mariæ de Pace Nini. Abbas Benedictus de Rubeis Presbyter Firmanæ Diœc., Jacobus Spinelli Presbyter Vintimillensis Diœcesis, Caroli Roberti Victorii. Andreas Lisius Laicus Urbinas, Joseph Zafonti Presbyter Senensis, Julii Spinulæ. Abb. Metellus Talpa Clericus de s. Severino, Silvius Vincentius Laicus Senensis, Innici tituli S. Clementis Caraccioli. Comes Virginius Maninus Presbyter Aquilien. Decanus Ecclesiæ Utinensis, Franciscus Cianus Laicus Utinen. Aquilejensis Diœcesis, Joannis Delphini, Presbyterorum S. R. E. nuncupatorum. Marchio Franciscus Casatus Presbyter Placentinus, Alexander Mazzinus Laicus Regiensis, Petrus Scribo de Marcellinis Laicus Parisiensis, Raynaldi s. Nicolai in Carcere Tulliano Eftensis. Antonius de Portentibus Presbyter a Fabriano Camerinensis Diœcesis, Abbas Carolus Bonaccius Clericus Romanus, Ioannes Domicicus de Pasqualibus Clericus Imolensis, Joan. Stephani, S. Agatæ Donglrii. Joan. Felix Binus Presbyter Assisiensis, Joannes Antonius Stracchiccius Cleric. de Canaria Assisien. Diœcesis, Pauli Æmilii s. Mariæ in Cosmedin Rondinini. Ugo Maffeus Clericus conjugatus Volaterranus, Michael Angelus Brunocchius Clericus de Caprarola Civitatis Castellanæ Diœcesis, Francisci S. Mariæ in Vialata Maidalchini. Carolus Eustachius Romanus Clericus Conjugatus, Eques Sancti Jacobi de Spata, Franciscus Haim Laicus

cus Augustanus, Theodosius Hergodes Laicus de Gramont Mallinensis, Friderici s. Cæsarei de Hassia. Carolus Albanus Urbinas Laicus, Joannes Cesius Clericus Abbatiæ Sublacensis, Nullius Diœcesis, Caroli s. Angeli in foro Piscium Barberini. Jacobus Sorbolongus Forosemproniensis, Clericus conjugatus. Salvator Serra Presbyter Ferrariensis, Caroli s. Eustachii Pii. Comes Ranerius de Baschis Clericus Urbevetanus, Antonius Sorreca Presbyter a Monte Georgio Firmanæ Diœcesis, Caroli s. Pancratii Gualterii. Canonicus Stephanus Ricciardus Presbyter Firmanus, Matthæus Passanus Laicus Tiburtinus, Decii s. Adriani Azzolini. Abbas Joannes Senensis Presbyter Perusinus. Felix Orsellius Clericus Forolivienſis, Antonius Gianfettus Laicus Romanus, Odoardi ss. Cosmæ, & Damiani Vecchiarelli. Joan. Vincentius Condivius Presbyter Ripanus, Philippus Capriolus Laicus Romanus, Jacobi s. Mariæ in Aquiro Franfoni. Abbas Hilarius Mazzocchius Clericus Romanus, Simon de Amicis Laicus de Camerino, Francisci Mariæ ss. Viti, & Modesti Mancini. Paulus Franciscus Scottus Laicus Narnienſis, Hieronymus Benvignatus Clericus de Roccacontrada Senogallien. Diœcesis, Angeli s. Georgii ad Velum Aureum Celsi. Petrus Paulus Grappolinus Presbyter Romanus, Paulus Racchellius Laicus Spoletanus, Pauli s. Mariæ de Scala Sabelli Peretti. Abb. Franciscus Butus Presbyter Romanus, Abb. Paulus de Machaut Clericus Parisiensis, Paschalis de Fornier Clericus conjugatus Marticensis, Ludovici de Vandosme. Diaconorum S. R. E. Cardinalium nuncupatorum. Ferdinandus Ximenes e Soc. Jesu, Florentinus, Confessarius. Dominicus Cappellus Presbyter Asculanus, Canonicus Collegiatæ Ecclesiæ s. Anastasiæ de prædicta Urbe, cum Reverendissimo D. Phœbeo Archiepiscopo Tarsensi. Fr. Mag. Joannes Baptista Ursius Ord. s. Augustini, cum Reverendissimo D. Sacrista. Valerianus Capriolus Clericus Romanus, cum Secretario Sacri Collegii. Abb. Pompejus Scarlattus Clericus Florent. Custos Fontis, & Aquarum Conclavis. Matthæus Parisius de Benaudis Materanensis Diœcesis, Joannes Tiracorda Firman. Medici Physici. Gabriel a Porta de Villafranca Sarzanensis Diœcesis Chirurgus. Joan. Petrus Paulutius Pisauren. Aromatarius. Franciscus Maria Servitius de Monte Baroccio Pisaurensis Diœcesis, Hieronymus Bilienus de Verchiano Spoletan. Diœc. ejus Auxiliatores. Dominicus Altimanus de Vignola Mutin. Diœc. Petrus Galoppus Faventi. Barbitonsores. Antonius Rosellus Firmanus, Gaspar Mazzantes Fanensis, eorum Auxiliatores. Franciscus Gualdus Faber lignarius. Donatus Corsius Faber Cæmentarius. Joannes Cecchettus de Penna Maceratensis Diœc. Familiaris Magistrorum Cæremoniarum. Antonius Felicettus, Joan. Dominicus Zonus, Franciscus Orlandus, Joseph Colettus, Antonius Comus, Benedictus Mugnanus, Antonius Julius, Carolus Antonius Guinettus, Petrus Zucconus, Salvator Brandolinus, Paulus Antonius Brunus, Joan. Jacobus Giaschettus, Joan. Franciscus Zonus, Dominicus Rubeus, Joseph Bernardini, Antonius Piscis, Andreas Joan. Sanctori, Petrus Brandus, Ioan. Rossettus, Antonius Evangelista, Antonius Cambrunus, Fulvius Girottus, Joan. Maria Catenaccius, Augustinus Gabriellius, Joan. Paulus Guinettus, Scopatores Conclavis.

IV.

Indultum nominandi ad Dignitates Belgii, & Comitatus Burgundiæ Regi Catholico conceditur. Ex Regest. in Secr. Brev.

Charissimo in Christo Filio nostro Carolo Hispaniarum Regi Catholico.

CLEMENS PAPA NONUS

Charissime in Christo Fili noster salutem, & Apostolicam Benedictionem.

§.1. Olim postquam fel. rec. Pius Papa IV. Prædecessor noster clar. mem. Philippo II. Hispaniarum Regi Catholico quamdiu ageret in humanis, & in sinceritate fidei, ac unitate S. R. E. nec non obedientia, & devotione suis, ac Successorum suorum Romanorum Pontificum canonicè intrantium persisteret, ut nullus ad Dignitates Abbatiales aut quorumcumque Monasteriorum etiam per Priores, aut Præpositos regi, & gubernari solitorum regimina infrà districtus Ducatuum, Marchionatuum, & Comitatuum, aliorumque dominiorum suorum in partibus Inferioris Germaniæ, seu Belgicæ Ditionis comprehensorum, ac se cum suis Civitatibus, & Appendiciis extendentium quoque tunc possidebat in illis partibus dumtaxat consistentium per eumdem Pium Prædecessorem, aut Sedem Apostolicam præfixi, nec illis de quorumvis personis quovis modo provideri posset, absque dicti Philippi Regis intentione, & consensu præcedentibus, de aliis vero Dignitatibus videlicet secularibus, principalibus, & regularibus, non conventualibus infra prædictos districtus, non nisi de locis suæ ditioni subjectis, aut sibi gratis, & acceptis de aliis locis oriundis provideri, concesserat, & indulserat, piæ memoriæ Gregorius XIII. etiam Prædecessor noster multis, maximisque prædicti Philippi Regis erga se, & dictam Sedem meritis adductus concessionem, & Indultum hujusmodi ad Comitatum Burgundiæ Ditionis suæ hæreditariæ extendit, ac ampliavit, & deinde rec. me. Sixtus Papa V. etiam Prædecessor noster exposito sibi pro parte ejusdem Philippi Regis ab aliquibus tunc hæsitari, an Prioratus Conventuales, qui per Priores, aut forsan Præpositos regunter, seu gubernantur, & nonnulla Monasteria, ac similes Prioratus intra Septa Dominiorum prædictorum, & ejusdem Burgundiæ Comitatum, seu sub temporali Dominio aliorum Procerum consistentia, etiamsi Prioratus, vel Præposituræ, aut Præpositatus, & non Monasteria nuncuparentur, sub Indulto, ac extensione prædictis comprehenderentur, eamdem dubitationem amputando eidem Philippo Regi sua tantum vita durante, Jus nominandi prædicto Sixto Prædecessori, & Romanis Pontificibus pro tempore existentibus tam ad prædictas Dignitates Abbatiales, aut quorumcumque Monasteriorum, etiam per Priores, aut Præpositos regi, & gubernari solitorum regimina, quam etiam ad quoscumque Prioratus, Præposituras, aut Præpositatus Conventum haben., infra districtus eorumdem Ducatuum, Marchionatuum, & aliorum Dominiorum, & Comitatus Burgundiæ, dummodo infra septa eorumdem Dominiorum, & Comitatus Burgundiæ consisterent, etiamsi sub temporali Dominio aliorum Procerum extarent, vel temporalem jurisdictionem haberent, ac etiamsi Prioratus, Præposituræ, aut Præpositatus, & non Monasteria nuncuparentur pro tempore vacan. seu vacantia per eumdem Sixtum Prædecessorem, & Romanos Pontifices Successores suos ad nominationem hujusmodi conferendos, & conferenda concessit, & indulsit; Et postmodum similis re. Urbanus PP. VIII. etiam Prædecessor noster similem concessionem, & Indultum claræ pariter memoriæ Philippo IV. dum vixit earumdem Hispaniarum Regi Catholico genitori tuo ad eius vitam tantum fecit, prout in diversis dictorum Prædecessorum Literis desuper in simili forma Brevis, novissimis quidem dicti Urbani Prædecessoris die 6. Octobris 1640. expeditis, quarum tenores, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac insertis haberi volumus uberius continetur. Recensentur aliæ continiles concessiones.

Simile Indultum elargitur Pontifex.

§.2. Cum autem pro parte tua Nobis fuerit expositum, Majestatem tuam simili concessione, & Indulto ex nostra, & Sedis Apostolicæ benignitate gaudere posse plurimum exoptasse. Nos tuæ fidei, constantiæ, ac devotionis, quibus erga Nos, & Sedem Apostolicam præfulgere dignosceris, meritis adducti, tuisque supplicationibus hujusmodi inclinati, Tibi tua tantum vita durante, & quamdiu in sinceritate fidei, & unitate S. R. E. necnon obedientia, ac devotione nostris, & Successorum nostrorum Romanorum Pontificum canonice intrantium hujusmodi præstiteris, Jus, & facultatem nominandi Nobis, & Romano Pontifici pro tempore existenti tam ad prædictas Dignitates Abbatiales, aut quorumcumque Monasteriorum regimina, etiam per Priores, aut Præpositos regi, & gubernari solitorum, quam etiam ad quoscumque Prioratus, Præposituras, aut Præpositatus Conventum haben., infra districtus eorumdem Ducatuum, Marchionatuum, & aliorum Dominiorum tuorum prædictorum, ac Comitatus Burgundiæ, dummodo intra septa eorumdem Dominiorum, & Comitatus Burgundiæ existant, etiamsi sub temporali Dominio aliorum Procerum consistant, vel temporalem Jurisdictionem habeant, ac etiamsi Prioratus, Præposituræ, aut Præpositatus, & non Monasteria nuncupentur pro tempore vacantes, seu vacantia per Nos, & Romanos Pontifices Successores nostros ad nominationem tuam infra decem menses a die cujuslibet vacationis faciendam, ac Nobis, & Romano Pontifici pro tempore existenti præsentandam conferendos, & conferenda auctoritate Apostolica tenore præsentium de specialis dono gratiæ concedimus, & indulgemus; Ita ut de dictis Dignitatibus Abbatialibus, aut quibuscumque Monasteriis, Prioratibus, Præpositis, Præpositatibus prædictis pro tempore vacan. absque nominatione tua prædicta, de aliis vero sub nominatione hujusmodi non comprehensis, & absque illa libere conferen., Dignitatibus videlicet secularibus principalibus, & regularibus, actu non Conventualibus infra prædictos Districtus consisten. non nisi de locis tuæ Ditioni subjectis, aut tibi gratis, & acceptis personis, per Nos, & Successores nostros Romanos Pontifices, & Sedem eamdem pro tempore disponi, & respective provideri minime possit.

§.3. Non obstantibus quibuscumque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac singulorum Prioratuum, Præpositurarum, & Præpositatuum prædictorum, ac Ordinum, quorum illa sunt, seu a quibus dependent. etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & Decretis in genere, vel in specie, ac alias in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis. specifica, expressa, & individua mentio, seu quævis alia expressio habenda foret, illorum tenores præsentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Contrariis derogat.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die secunda Augusti 1667. Pontificatus nostri Anno I. Dat. die 2. Aug. 1667. An. I.

V.

Confirmatio Decreti Card. Pallotti circa validitatem Capituli in Provincia Peruana a Fratribus Ordinis Eremitarum Sancti Augustini celebrati.

CLEMENS PAPA NONUS

Ad futuram rei memoriam.

Alias pro parte dilecti filii Dominici de Cisuentes Provinciæ Peruanæ Ordinis Motiva hujus constitutionis

dinis Eremitarum S. Augustini Procuratoris specialis ad petendam confirmationem Capituli ejusdem Provinciæ ultimo loco celebrati, necnon Definitoris pro ferendo suffragio nomine ejusdem Provinciæ in Capitulo Generali Ordinis hujusmodi tunc proxime celebrando, Congregationi Ven. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ expositio, quod dilectus pariter filius Ignatius de la Cerda Frater expresse professus Ordinis prædicti, præmissis se opponebat coram tunc existente Priore Generali dicti Ordinis, necnon Venerabili Fratre nostro Joanne Baptista Episcopo Tusculano ejusdem S. R. E. Cardinale Pallotto nuncupato, Ordinis hujusmodi apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectore: Et propterea dictæ Congregationi pro parte Dominici prædicti supplicato, quatenus præciperet, & mandaret, ut in hujusmodi causis procederetur ad præscriptum literarum, & decretorum Apostolicorum.

Decretum Sacr. Cong. Episcoporum.

§.1. Emanavit ab eadem Congregatione decretum tenoris, qui sequitur, videlicet: Sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, attentis narratis, Oratoris preces remisit ad Eminentissimum Pallottum Ordinis hujusmodi apud hanc Sanctam Sedem Protectorem, qui supra expositis pro suo arbitrio, & prudentia decernat, quod Juris erit ad præscriptum Apostolicarum, & ejusdem Ordinis Constitutionum. Romæ 13. Maii 1667.

M. Card. Ginettus.

Decretum Card. Protectoris.

§.2. Cum autem, sicut nomine dilectorum etiam filiorum Prioris Provincialis, & Definitorii memoratæ Provinciæ Peruanæ Nobis nuper expositum fuit, prædictus Joannes Baptista Cardinalis, & Protector vigore decreti præinserti subinde partibus auditis, decretum ediderit tenoris sequentis, videlicet: Joannes Baptista Miseratione Divina Episcopus Tusculanus S. R. E. Cardinalis Pallottus nuncupatus totius Ordinis Eremitarum S. Augustini auctoritate apostolica Protector, & in Capitulo Generali ejusdem Ordinis Præses, in causa, seu causis coram Nobis, etiam ex Rescripto Sacræ Congregationis Eminentissimorum S.R.E. Cardinalium negotiis Episcoporum, & Regularium præpositæ pendente super validitate electionum Definitoris, & Discreti facta in Definitorio Provinciæ Peruanæ, necnon super confirmatione, seu annullatione Capituli Provincialis dictæ Provinciæ, auditis partibus oretenus, & inscriptis reque mature considerata, declaramus dictum Capitulum valide celebratum, & proinde confirmandum esse, prout confirmamus, & nihilominus P. Mag. Ignatium de la Cerda in prædicto Definitorio, ante tempus Capitul. Provincialis in Definitorem Capituli Generalis electum, attenta bona fide, & consensu a Patre Lectore Fratre Dominico de Cisuentes, in Definitorem ejusdem Capituli Generalis in dicto Capitulo Provinciali electo, pro bono pacis sponte præstito, admittendum esse ad ferendum votum in Capitulo Generali mox celebrando, tanquam Definitorem; Patrem vero Magistrum Gabrielem Aqueva in prædicto Capitulo Provinciali in Discretum ad idem Capitulum Generale electum, in eodem tanquam Discretum ad ferendum votum admittendum esse: & ita decernimus, & mandamus, non solum prædicto, verum etiam omni alio meliori modo. Datum Romæ die 26. Maii 1667. J. B. Card. Pallottus Protector, ac Præses, & Delegatus. Prædicti vero Exponentes decretum hujusmodi pro firmiori illius subsistentia apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desiderent.

Pontifex confirmat decretum ut infra.

§.3. Nos specialem ipsis Exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, præinsertum memorati Joannis Baptistæ Episcopi Cardinalis, & Protectoris decretum auctoritate apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiicimus ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Decretum irritans.

§.4. Decernentes ipsas præsentes literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & spectabit, in futurum plenissime suffragari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§.5. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit Ordinis, & Provinciæ hujusmodi, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 11. Augustii 1667. Pontificatus nostri Anno I.

Dat. die 11. Aug. 1667. An. I.

Quod

VI.

Quod Alumni Seminarii Pontificii Brunsbergæ in Prussia ad titulum sufficientis literaturæ, & absque suorum Ordinariorum Dimissoriis, ac non servatis Interstitiis promoveri possint.

CLEMENS PAPA NONUS

Ad futuram rei memoriam.

Procœmium.

§.1. Dilectos filios Alumnos Seminarii Pontificii Brunsbergæ in Prussia specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium, dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus illorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ejusd; Seminarii Alumnis a Superioribus eligendis, ut absque literis dimissorialibus suorum Ordinariorum, ac etiam sine titulo Beneficii Ecclesiastici, aut Patrimonii, sed ad titulum tantum sufficientis literaturæ a quocumque quem maluerint Catholico Antistite, gratiam, & communionem Apostolicæ Sedis habente in propria Diœcesi residente, vel in aliena de Diœcesani loci consensu Pontificalia exercente, ad quatuor minores etiam unico festivo, vel feriato, necnon ad Sacros etiam Presbyteratus Ordines tribus Dominicis, seu aliis festivis etiam continuis, vel interpolatis diebus, extra tempora ad id a jure statuta, & non servatis interstitiis a Sacro Concilio Tridentino designatis, annique curriculo non expectato, etiamsi antequam de uno ad alium Ordinem promoveantur, in primo quoq; suscepto se minime exercuerint, aut alicujus Ecclesiæ servitio adscripti non sint, dummodo tamen ad id prævio examine reperiantur idonei, nec eis aliud Canonicum obstet impedimentum, promoveri, & promoti in illis etiam in Altaris ministerio ministrare libere, & licite possint, & valeant ad septennium proximum tantum, apostolica auctoritate tenore præsentium, licentiam concedimus, & impartimur, necnon Antistiti prædicto ipsos ordines illis conferendi facultatem tribuimus. Præterea cum ejusdem Seminarii Alumnis, qui alias hæretici aut hæreticorum filii fuerint, dummodo hæreticorum Ministri non fuerint, & Ministrorum filii non sint, ut prævia hæresium, & errorum suorum in scriptis coram Notario, & Testibus abjuratione, quatenus antea non abjuraverint, ad eosdem omnes, etiam Sacros, & Presbyteratus Ordines modo, & forma prædictis promoveri, & ulterius cum eisdem Alumnis forsan ob non servata interstitia a Sacro Concilio Tridentino designata male promotis, ut in susceptis Ordinibus ministrare, ac ad alios etiam Sacros, & Presbyteratus Ordines, ut præfertur, promoveri similiter possint, eadem auctoritate gratiose dispensamus.

Concredit Pontifex prout in rubr.

Derogatio contrariorum.

§.2. Non obstantibus quibusvis apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, & synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 16. Aug. 1667. Pontificatus nostri Anno I.

Dat. die 16. Aug. 1667. An. I.

VII.

Privilegia, Exemptiones, & Indulta Dapiferis, qui in Conclavi suæ Assumptionis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus inservierunt, concessa.

CLEMENS PAPA NONUS

Motu proprio &c.

Causa hujus Indulti.

Nos volentes dilectos filios nostros, dum Cardinalatus honore fungebamur, & Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Dapiferos, qui Conclavi, in quo Divina favente Clementia ad Summi Apostolatus apicem assumpti fuimus, inservierunt, quique ea de causa labores, vigilias, & incommoda plura subierunt, habita ratione obsequiorum hujusmodi favoribus, gratiis, & privilegiis pro cujuscumque meritis exornare, ac eosdem Dapiferos, & eorum singulos.

§.1. Motu proprio, non ad ipsorum Dapiferorum, vel alterius pro ipsis Nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de mera liberalitate, certaque scientia nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine in veros, indubitatos, & non fictos familiares continuos Commensales nostros & eos, qui ex illis Clerici existunt, seu militiæ Clericali adscribi desiderant, quosque res ex præfatis Cardinalibus in quolibet ordine antiquiores gradu, Nobilitate, & aliis meritis dignos tali dignitate judicaverint, in nostros, & Apostolicæ Sedis Notarios, sine tamen præjudicio dilectorum filiorum Notariorum de numero participantium, tenore præsentium recipimus, & tam illos, quam alios Dapiferos singulos qui singillatim ab eisdem tribus Cardinalibus digni tali honore approbati fuerint, Sacri Palatii, & Aulæ Lateranensis Comites, & Milites, ac tam illos, quam alios omnes quoscumque Dapiferos indistincte, qui Nobiles non sunt, Nobiles; quique Urbis, vel alicujus alterius ex Civitatibus temporali dominio dictæ Romanæ Ecclesiæ mediate, vel immediate subjectis, Cives esse voluerint, singulos in ea ipsa Civitate, quam singillatim quisque eorum elegerit, & ad quam ab eisdem Cardinalibus se admitti petierit, veros Cives ad instar, & nulla

pror-

prorſus differentia inter eos, & ſingulos alios veros Originarios, & antiquiſſimos, & nobiles participantes Cives ipſius Urbis, vel Civitatis.

Jus Civitatis in eorum hæredes tranſfert.

§.2. Itaut ipſum jus Civitatis ad quoſcumque eorum hæredes eodem modo tranſeat, creamus, conſtituimus, & deputamus, ac Nobilitatis, & Civilitatis titulo, honore, & inſignibus decoramus, aliorumque Familiarum continuorum Commenſalium Nobis actu in Palatio noſtro Apoſtolico ſervientium, & in illius Tinello comedentium, & bibentium noſtrorum, & Sedis Apoſtolicæ Notariorum Palatiique, & Aulæ præfatæ Comitum, Militum, & Nobilium, & Civium hujuſmodi Originariorum numero, & conſortio favorabiliter aggregamus, & pro veris, indubitatis, & non fictis Familiaribus continuis commenſalibus, ac Notariis noſtris, Comitibuſque, Militibus, Nobilibuſque, ac Civibus deinceps haberi, & reputari volumus, & mandamus, eiſque in quibuſcumque impetrationibus, ac conceſſionibus, & literis, tam gratiam, quam juſtitiam ſeparatim, ſeu utramque mixtim concernentibus, ſe Familiares, continuos commenſales noſtros, & Comites, Milites, Nobiles, ac Cives, & originarios nominare, nec propterea impetrationes, conceſſiones, & literæ ipſæ ſubreptionis vitio ſubjaceant, ſed validæ, & efficaces exiſtant, ac ex nunc deinceps, & in perpetuum omnibus, & quibuſcumque, & prorſus ſimilibus antelationibus antelationum, prærogativis, privilegiis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, decretis, declarationibus, derogationibus, mandatis, ſuſpenſionibus, favoribus, gratiis, privilegiis, indultis, ac juribus, quibus alii noſtri Familiares tempore dictæ aſſumptionis noſtræ ad Summi Apoſtolatus apicem, ac quibus alii ejuſdem Sedis Notarii, etiam de numero participantium exiſtentes, etiamſi habitum, & Rocchettum Notariorum ipſius Sedis non deferant Palatiique, & Aulæ prædictæ Comites, & Milites, ac Nobiles originarii, & antiquiſſimi Cives ejuſdem Urbis, vel Civitatis, quam, ut præfertur, elegerint quicumque ex utroque Parente vere Nobili, ac Cive Civili, & originario antiquiſſimo procreari de jure, ſtatuto, conſuetudine, vel alias ex aliquo ſpeciali Privilegio, ſeu alias etiam per quaſcumque literas, ſeu Conſtitutiones Apoſtol. pro tempore editas utuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, frui, potiri, & gaudere poſſunt, & poterunt quomodolibet in futurum, ubique locorum in judicio, & extra, ſine tamen eorumdem Notariorum de numero participantium præjudicio, uti, frui, potiri, & gaudere libere, & licite valeant realiter, & integre in omnibus, & per omnia, etiamſi in Urbe, & Civitate hujuſmodi non habitaverint, perinde ac ſi de vero nobili genere ex utroque Parente originario, & antiquiſſimo Cive procreati forent, & hujuſmodi prærogativæ, privilegia, exemptiones, gratiæ, favores, conceſſiones, Indulta, & jura, quæ pro aliis Nobilibus, & Civibus originariis emanarunt, & quæ ratione Nobilitatis, & Civilitatis naturalis, & originariæ aliis competunt pro eiſdem Dapiferis in ſpecie emanaſſent, ſeu emanarent & eiſdem naturaliter de jure, ſtatuto, conſuetudine, fundatione, vel alias competerent, vigore præſentium indulgemus.

Comites, & Milites creat.

A Gabellis aliiſque oneribus liberat.

§.3. Ac ſingulos Dapiferos præfatos a ſolutione, & exactione Decimarum Eccleſiaſticarum ubique locorum, & ex quacumque, quantumvis urgentiſſima, & inexcogitabili cauſa, & occaſione, etiam ad inſtantiam Imperatoris, Regum, Rerumpublicarum, etiam Venetorum, & quorumcumq; aliorum Principum impoſitarum, & imponendarum pro tempore liberamus, & eximimus, liberoſque, & exemptos fore, & eſſe decernimus, ipſis Dapiferis, eorumq; ſingulis quoſcumque fructus, & proventus Eccleſiaſticos, tam occaſione Penſionum annuarum ipſis, vel eorum alicui reſervatarum, quam ratione omiſſionis recitationis horarum canonicarum indebite perceptos, cujuſcumque quantitatis fuerint, gratioſe remittimus, & condonamus, ac cum eis ſuper inhabilitate per eos propterea quomodolibet contracta, vel etiam ex eo, quod cenſuris hujuſmodi ligati Miſſas, & alia Divina officia, non tamen in contemptum Clavium, celebraverint, aut alias in Divinis ſe immiſcuerint, ut illa, & eiſd; præmiſſis non obſtantibus, ad omnes etiam Sacros, & Presbyteratus ordines, alias tamen rite promovere, & in illis etiam ſuſceptis alias rite per eos Ordinibus etiam in Altaris Miniſterio miniſtrare etiam libere, & licite valeant, diſpenſamus.

Illegitimos legitimis naturalibus reſtituit.

§.4. Ac eoſdem Dapiferos, ſi qui eorum defectum Natalium patiuntur ex quocumque damnato, & illicito coitu, etiamſi ex nobiliſſimis Parentibus, ac viribus fœminis forſan procreati ſint, etiamſi legitimati alias exiſtant, legitimamus, omnemq; ab illis genituræ hujuſmodi maculam, ſive notam abſtergimus, & abolemus, ac legitimis Natalibus reſtituimus, ac cum eorum ſingulis, ut in quibuſcumque bonis paternis, & maternis, & aliorum conſanguineorum, ſeu cognatorum, vel aliorum quorumcumque, non tamen feudalibus, & emphyteuticis, aut eccleſiaſticis, vel ab Eccleſia acquiſitis, ac ſine præjudicio venientium ab inteſtato, vel ex fideicommiſſo, ſeu alias de jure valida diſpoſitione ſuccedere, & illa donationis, ſeu alio quovis titulo conſequi, & habere, ac ad æquales portiones cum legitimis ſuccedere, eos ad omnia jura legitima, & ſucceſſiones ex teſtamento, vel ab inteſtato, hæreditates, legata, libertates reſtituendo, & reintegrando realiter, & cum effectu.

Ad dignitates & officia admittit.

§.5. Necnon ad dignitates, honores, & quæcumque alia officia ſecularia, publica, vel privata, etiam aſſumi, illaque gerere & exercere in omnibus, & per omnia ac ſi de legitimo matrimonio procreati forent, ac eodem defectu non obſtante, ſi aliud

aliud canonicum eis non obſiſtat impedimentum, ac clericali charactere, qui illo nondum inſigniti ſunt, inſigniri, & ad omnes etiam Sacros, & Presbyteratus ordines ſi ad illos nondum promoti ſunt, promoveri, & poſtmodoum charactere, & Ordinibus hujuſmodi, illorumque Privilegiis uti, ac in eiſdem ordinibus etiam in Altaris miniſterio miniſtrare, ac quæcumque, & qualiacumque cum cura, & ſine cura beneficia eccleſiaſtica, etiamſi perſonatus, adminiſtrationes, & officia etiam curata, & electiva in Cathedralibus, & Metropolitanis, vel Collegiatis Eccleſiis, ſeu ſi Parochiales Eccleſiæ, vel earum perpetuæ Vicariæ, ac Canonicatus, & Præbendæ, non tamen in Cathedralibus, ac dignitates, non tamen in eiſdem Cathedralibus, poſt Pontificalem majores, nec principales in Collegiatis Eccleſiis hujuſmodi fuerint, ſi ſibi alias canonice conferantur, aut ipſi eligantur, præſententur, vel alias aſſumantur ad illa, & inſtituantur in illis recipere, & dummodo plura ſimul non ſint, quam quæ a Concilio Tridentino permittuntur, quoad vixerint, retinere libere, & licite valeant ſimiliter diſpenſamus.

A penſionibus diſpenſat.

§.6. Quodque omnes, & quæcumque gratiæ, proviſiones, Commendæ, ac præſentes, & quævis aliæ Literæ Apoſtolicæ, ac etiam in forma Brevis pro illis expediendæ gratis ubique expediantur, tam de capienda poſſeſſione nomine Camerę Apoſtolicæ, quam in favorem Literarum Apoſtolicarum, ubi illis ſuper proviſionibus quorumcumque Beneficiorum Eccleſiaſticorum dari poterunt, prout noſtris Familiaribus, & continuis Commenſalibus etiam gratis dantur, ac conceduntur, ac dari, & concedi debent, præcipimus, & mandamus, ac Dapiferis præfatis, & eorum ſingulis, ut ubicumque loci Ordinarii, vel Canonici Metropolitanarum, aut aliarum Eccleſiarum, aut perſonæ quæcumque Eccleſiaſticæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ, tam in Romana Curia, quam extra eam ad id per eos, & eorum ſingulos eligendi, ſeu eligendæ, quaſcumque Penſiones annuas eis, eorumque ſingulis ſuper fructibus, redditibus, proventibus, juribus, obventionibus, & emolumentis univerſis, certis, & incertis, ac diſtributionibus quotidianis quarumcumque menſarum Epiſcop. Archiep. & Abbatialium, ac Dignitatum, & Canonicatuum, & Præbendarum, cæterorumque Beneficiorum Eccleſiaſticorum etiam per S. R. E. Cardinales obtentorum, & impoſterum obtinendorum, cum cura, & ſine cura, Sæcularium, aut quorumvis Ordinum Regularium, ſeu fructus, redditus, & proventus, aliaque emolumenta, & diſtributiones hujuſmodi reſervatas, ſeu reſervatos, ac reſervandas, ſeu reſervandos, etiamſi alias ſemel, vel pluries translatæ, ſeu translati fuerint, uſque ad ſummam centum ducatorum in toto, vel in parte, ac etiam in mortis articulo caſſare, & extinguere, ac poſtquam caſſatæ, & extinctæ fuerint, alias ſimiles penſiones annuas, ſeu fructus, redditus, & proventus, & alia emolumenta, & diſtributiones hujuſmodi uſque ad ſummam prædictam, uni, vel pluribus aliis perſonis eccleſiaſticis per eoſdem Dapiferos, & eorum ſingulos, nominandis, quotcumque, quæcumque, & qualiacumque Beneficia Eccleſiaſtica obtinentibus, & expectantibus, alias tamen penſionum hujuſmodi capacibus, ſimiliter eis quoad vixerint, vel eorum Procuratoribus legitimis eiſdem modo, & forma, quibus eiſdem Dapiferis reſervatæ, ſeu reſervandæ fuerint, etiam abſque beneficia hujuſmodi obtinentium conſenſu, integre perſolvendas, ſeu perſolvendos, & per eos percipiendas, exigendas, levandas, ac percipiendos, exigendos, levandos reſervare, conſtituere, & aſſignare valeant, ipſique Translatitii in poſſeſſionem dictas Penſiones exigendi, in qua ipſi Dapiferi tempore translationis per eos vigore præſentium faciendæ exiſtebant, in omnibus, & per omnia ſubrogati eſſe cenſeantur, etiam concedimus, & indulgemus, & etiam ſi ſimilem gratiam a Prædeceſſoribus noſtris alias forſan obtinuerint, ſeu quilibet eorum obtinuerit, illius effectu cumulative eos gaudere, & potiri volumus.

Translationes penſionū concedit prout in Conſtitut.

§.7. Decernentes ipſas translationes, & novas reſervationes, conſtitutiones, & aſſignationes Penſionum, ſeu fructuum, reddituum, & proventuum, aliorumque hujuſmodi plenam roboris firmitatem obtinere, ipſoſque, Beneficia ſuper quorum fructibus, redditibus, & proventibus reſervatæ fuerint, obtinentes, ad illas perſolvendas efficaciter obligatos fore, ac eiſdem Dapiferis, ut ratione quarumcumque Penſionum eis, & eorum cuilibet ſuper quibuſcumque Beneficiis Eccleſiaſticis, ut præfertur, vel alias quomodolibet qualificatis, non tamen ultra ſummam ducentorum ducatorum auri de Camera pro quolibet, tunc, & pro tempore reſervatarum, ac reſervandarum, habitum, & tonſuram clericales geſtare, & in illis, dummodo ipſi habitum decentem, & honeſtum deferant, incedere minime debeant, nec ad id a quoquam cogi, ſeu compelli, minuſque aliquas ſententias, aut cenſuras, etiam privationis, ſeu caſſationis ipſarum Penſionum ad prædictam ſummam ducentorum ducatorum aſcendentes, & reſervatas, ut præfertur, etiamſi matrimonium contraxerint cum unica tantum, & virgine, recipere, & retinere.

Ad teſtandum habilitat.

§.8. Poſtremo quod bona quæcumque ad dictos Dapiferos, & eorum quemlibet ſpectantia, & per eos etiam ratione quorumcumque Beneficiorum Eccleſiaſticorum, etiam Canonicatuum, & Præbendarum, ac dignitatum quarumcumque per eos alias obtentorum, & obtinendorum, aut alias quomodolibet, & quovis quæſito colore, vel ingenio, ſeu eorum induſtria, legitime tamen, & licite acquiſita, & acquirenda, etiam in Urbe, ejuſque diſtrictu, ac ubicumque exiſtentia, ſpoliis minime ſubjaceant: ſed ipſi Dapiferi, etiamſi Religioni

gioni alicujus Militiæ, etiam S. Joannis Hierosolymitani adscripti fuerint, de illis in favorem quarumcumque Personarum, de jure tamen capacium, etiamsi Curiales esse desierint, & in quocumque loco, quantumvis remoto, eos decedere contigerit, testari, & alias disponere, eisque ab intestato decedentibus eorum hæredes quicumque succedere libere, & licite valeant, simili modo concedimus, & indulgemus.

A molestiis hac de causa incumbendis ligatos liberat.

§.9. Præcipientes, & mandantes dilectis filiis nunc, & pro tempore existentibus S.R.E. Camerario, Thesaurario, Præsidentibus, Clericis Cameræ nostræ Apostolicæ, & quibuscumque aliis spoliorum hujusmodi Collectoribus, & Militiarum prætatarum Officialibus, aut Procuratoribus, ne in hujusmodi bonis manus apponant, neque hæredes dictorum Dapiferorum desuper molestare audeant, seu præsumant, ac etiam decernentes donationes, etiam per viam Testamenti, & Codicillorum per ipsos Dapiferos de eorum bonis hujusmodi, servatis de jure servandis, faciendas semper, & perpetuo validas, & efficaces fore, nec eosdem Dapiferos, eorumque aliquem ad literas super præsentibus conficiendas in dicta Camera insinuandum, aut admitti, & registrari petendum teneri, nec illas, etiamsi intra tempus legitimum insinuatæ, admissæ, seu registratæ non fuerint, propterea minus validas censeri, sed suos plenarios effectus sortiri debere, easdemque præsentes, & in eis contenta quæcumque sub quibusvis revocationibus, limitationibus, suspensionibus, modificationibus, decretis, Constitutionibus Apostolicis similium gratiarum revocatoriis, vel quæ eas limitarent, aut moderarent, quæ a Nobis, & dicta Sede pro tempore, & de quibusvis causis, etiam urgentissimis, etiam in Divini cultus augmentum, etiam consistorialiter, vel alias quavis auctoritate hactenus, vel imposterum emanaverint, minime comprehendi, sed quoties illæ emanabunt, toties in pristinum statum repositas, & reintegratas esse, & censeri. Sicque per quoscumque Judices, etiam Commissarios quavis auctoritate fungentes in quavis causa, & instantia, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, ubique judicari, & definiri debere, irritum quoque, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Expeditionē gratiosam mādat.

§.10. Et insuper dilectis filiis Rescribendario, & Computatori Collegii Scriptorum Literarum Apostolicarum, & aliis, ad quos earumdem literarum expeditio spectat, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna indignationis nostræ motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus mandamus, ut easdem præsentes, & forsan alias literas super præmissis omnibus, tam conjunctim, quam divisim, ac pro singulis quibuscumque derogationibus, decretis, & clausulis in eis contentis, gratis de mandato nostro ubique in omnibus Officiis etiam Abbreviatorum, Solicitatorum, Secretariorum Plumbi, & Registri, absque aliqua pecuniarum exactione, etiam per viam compositionis faciendas, omni contradictione, & dilatione cessantibus, signent, expediant, & expediri faciant.

Contrariis derogat.

§.11. Non obstantibus eisdem præmissis ac de certo Notariorum numero, etiamsi ad illum non sit deventum, quibus alias per præsentes non intendimus derogare, ac regula nostra de præstando consensu in Pensionibus, ac fel. rec. Pii Papæ IV. Prædecessoris nostri, de similibus, vel dissimilibus gratiis in Camera Apostolica infra tres menses præsentandis, & registrandis, ac rec. mem. Pii Papæ V. etiam Prædecessoris nostri contra illegitimos, ac Pistavien. sis Concilii, & aliis Apostolicis, ac etiam in universalibus, provincialibusque Conciliis editis specialibus, vel generalibus Constitutionibus, & Ordinationibus, & Monasteriorum, Ecclesiarum, Ordinum, etiam S. Joannis Hierosolymitani, ac etiam Urbis Romæ, & aliarum Civitatum, Oppidorum, & Terrarum, ac Cameræ prædictæ, ac quarumvis Universitatum, etiam juramento, confirmatione - vel quavis firmitate alia roboratis statutis, stabilimentis, usibus, & naturis, decretis, ac etiam novis reformationibus, ac etiam legibus, tam Pontificiis, quam Imperialibus, Regiis, & Ducalibus, etiam Sacris Canonibus: Privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis Superioribus, ac personis, & locis quibuscumque in genere, vel in specie sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibus, & aliis decretis, etiam vim contractus, & statuti perpetui continentibus, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, ac etiam Consistorialiter, ac alias forsan in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis, inter alia disponentibus, quod beneficia Urbis non nisi personis certis modo, & forma qualificatis, & oriundis ex certis locis, ac trium Ordinum Militiarum expresse professis conferri, & commendari soleant, quibus omnibus, etiamsi alias pro eorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio seu quævis alia expressio habenda foret, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum tenores, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata inserti forent, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse harum serie motu pari derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque, cum clausulis opportunis.

Fiat motu proprio I.

Et cum absolutione a censuris ad effectum, &c., & in casibus regulæ de inforde-

descentibus, eum opportuna illius, necnon alterius regulæ de non tollendo jure quæsito, aliisque necessariis, & opportunis derogationibus, quatenus opus sit, & quod indultorum, concessorum, gratiarum, derogationum, aliorumque præmissorum omnium, & singulorum major, & verior specificatio, & expositio fieri possit in literis, in quibus singulorum Dapiferorum nomina, & cognomina, ordines, qualitates, gradus, Diœceses, Patriæ, & alia requisita exprimi, & describi, seu pro expressis, & descriptis haberi possint, juxta notulam per ipsos, seu eorum Deputatos confectam simul, vel ad partem, etiam in una, non facta mentione de illa, vel aliis, prout videbitur expedire, expediendarum, &c.

Transumptorum fides.

§.12. Volumus autem, quod literarum super præsentibus conficiendarum transumptis, etiam impressis, & sigillo, ac manu alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, & subscriptis eadem fides, tam in judicio, quam extra illud adhibeatur, quæ originalibus literis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

§.13. Volumus autem, quod sola præsentis motus proprii nostri Signatura sufficiat, & ubique fidem faciat in judicio, & extra illud, regula quacumque contraria non obstante.

FIAT I.

Dat. die 19. Aug. 1667. An.I.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem quartodecimo Kal. Septembris Anno I.

Nomina autem ipsorum Dapiferorum sunt hæc, quæ sequuntur.

PAulus Strada Romanus Clericus Conjugatus, noster dum Cardinalatus honore fungebamur. Gentilius Fidelis Clericus Camerinensis, Francisci Ostiensis Barberini. Joannes Gamba I. V. D. Sacerdos Ravennatensis, Martii Portuensis Ginetti. Abbas Carolus Vainus Commendatarius Sanctorum Mauritii, & Lazari Romanus, Antonii Prænestini Barberini: Joannes Baptista Vannius Clericus de Caldarola, Joannis Baptistæ Tusculani Palotti. Baldus Corradus Clericus Macratensis, Francisci Mariæ Sabinensis Brancatii. Canonicus Guidus Mucciolus Sacerdos de Burgo Pacis Urbanensis, Ulderici Albanensis Carpinei. Antonius Talentius Canonicus Romanus, Ernesti Adalberti S. Praxedis Harrach. Franciscus Botius Sacerdos, & Canonicus Genuensis, Stephani S. Laurentii in Lucina Duratii. Joseph Lampanus Clericus I. V. D. a Monte Flascone, Julii S. Priscæ Gabriellii. Paulus Nicola Vinerius Laicus Recanatensis, Virginii S. Mariæ Angelorum Ursini. Cæsar Sega Clericus Bononiensis, Cæsaris Sanctorum quatuor Coronatorum Facchenetti. Alexander Libicinius Clericus, & Prior S. Siffoini Diœcesis Lixmo, Hieronymi Sanctissimæ Trinitatis in Monte Pincio Grimaldi. Comes Joannes Baptista Laverchius Laicus Faensis, & Eques S. Stephani, Caroli S. Stephani in Capite Rossetti. Antonius Maria Petronius I. V. D. Sacerdos a Monte Reale Diœcesis Reatinæ, Nicolai S. Mariæ Transtiberim Ludovisii. Joannes Baptista Tamphanus Sacerdos Forosempronien sis, Alderani Sanctæ Pudentianæ Cybo. Hieronymus Lancettus Clericus Cesenatensis, Federici Sancti Petri ad Vincula Sfortia. Felix Bonafides Clericus Firmanus, Benedicti S. Hunuphrii Odescalchi. Joannes Baptista Pellegrinus Clericus Mediolanensis, Laurentii Sanctorum Quirici, & Julitæ Raggii. Joannes Rennius Ambianensis Diœc. Laicus, Francisci Pauli S. Mariæ super Minervam de Retz. Carolus Visimara Laicus Mediolanensis, Aloysii S. Alexii Homodei. Benedictus Mazzinus Clericus Romanus, Petri S. Marci Otthoboni. Fulvius Augustinus Venetianellus Clericus I.V.D. Urbinatensis, Laurentii S. Chrysogomi Imperialis. Angelus Clanellonus Laicus Reatinus, Giberti Sanctorum Joannis, & Pauli Borromei. Julius Gualcus Clericus Romanus, Marcelli S. Stephani in Monte Cælio Sanctacrucii: Joannes Baptista Buccata Clericus Bergomensis, Joannis Baptistæ S. Marcelli Spadæ. Angelus Vignatus Laicus Lodegianus, Francisci S. Mariæ in Via Albicii. Franciscus Horatius Speculus Clericus Romanus, Octavii S. Cæciliæ de Aquaviva: Antonius Theodosius Senensis Clericus, Flavii S. Mariæ de Populo Chisiii. Thomas Claudius Clericus Conjugatus Pergulensis, Scipionis S. Sabinæ Delcii. Franciscus Salundocius Clericus Florentinus, Hieronymi S. Agnetis extra mœnia Farnesii. Michael Bizzottus Sacerdos Canonicus Eccl. Collegiatæ SS. Paulini, & Donati Lucensis, Hieronymi S. Hieronymi Illiricorum Bonvisii. Hieronymus Piccolomineus Clericus Senensis, Antonii Sancti Augustini Bichii. Dominicus Venantius Clericus Nepensis, Petri S. Calixti Vidoni. Hieronymus de Dominicis Sacerdos Belfortis Camerinensis Diœcesis, Gregorii S. Thomæ in Parione Barbarici. Franciscus Antonius Scarincius Clericus Romanus, Hieronymi SS. Marcellini, & Petri Boncompagni. Hieronymus Mucciolus Clericus Pisaurensis, Alphonsi S. Crucis in Hierusalem Littæ. Joseph Fiduccius Clericus de Monte Pulciano, Nerii Sanctorum Nerei, & Achillei Corsini. Philippus Argentus Laicus a Civitate Vetere, Caroli Sancti Anastasii Bonelli. Ludovicus Gabutius Sacerdos Firmanus, Cœlii S. Petri in Monte Aureo Piccolominei. Joannes Antonius Fiducius Clericus Conjugatus de Monte Pulciano, Caroli S. Susannæ Caraffæ. Dominicus Minutius Sacerdos a Montealbotto Senogallien sis Diœcesis, Palutii Sanctorum duodecim Apostolorum Albertonii. Petrus Franciscus Jandinus Sacerdos Forolivien sis, Cæsaris S. Joannis ante Portam Latinam Rasponi. Lelius Bertonus Clericus Rolanus, Nicolai S. Mariæ Transpontinæ de Comitibus. Comes Fabritius

tius Torglionus Clericus Anconitanus, Jacobi S. Mariæ de Pace Nini: Petrus Valtronius Monſavinienſis I. V. D. Clericus Diœc. Aretinæ in Etruria, Caroli Roberti Victorii. Julius Puttius Sacerdos a Spetia Diœceſis Sarſanenſis. Julii Spinulæ. Abbas Didacus Tabaſſus Diœc. Sulmonen., Innici S. Clementis Caraccioli. Thomas Berterra Clericus a Saxoferrato, Joannis Delphini. Julius Florinus Regienſis Conjugatus, Rinaldi S. Nicolai in Carcere Tulliano Eſſenſis Camillus Cerronius Canonicus Cathedralis Ferrarienſis, Joannis Stephani S. Agathæ Donghii. Adrianus Corromanus Clericus Conjugatus Peruſinus, Pauli Emilii S. Mariæ in Coſmedin Rondinini. Marcus Mellinus Romanus Clericus Conjugatus Franciſci S. Mariæ in Vialata Maidalchini. Joſeph Danzaert de Beveren, Clericus Flandrenſis. Frederici S. Cæſarei de Haſſia. Antonius Comes Clericus Camerinenſis, Caroli S. Angeli in foro Piſcium Barberini. Petrus Carolus Capellettus Clericus Conjugatus Reatinus, Caroli S. Euſtachii Pii. Franciſcus Gentilutius Clericus Lauretanæ Diœceſis Caroli Sancti Euſtachii Gualterii. Antonius Favonius Canonicus Cathedralis S. Severini, Decii S. Adriani Azzolini. Hieronymus Valentinus Sacerdos Hortenſis, Odoardi SS. Coſmæ, & Damiani Vecchiarelli. Dominicus Ranconius Laicus Ferrarienſis, Iacobi Sanctæ Mariæ in Aquiro Franſoni. Gaſparus Plantanidus Clericus Romanus, Franciſci Mariæ SS. Viti, & Modeſti Mancini. Joannes Hieronymus Roſolinus I. V. D. Romconus, Angeli S. Georgii ad velum aureum Celſi. Anibal Benignus Clericus Camerinenſis, Pauli S. Mariæ de Scala Sabelli Peretti. Paſcaſius de Forneriis Gallus Marſicenſis Clericus conjugatus, Ludovici de Vandoſme Diaconorum S. R. E. nuncupat.

VIII.

Facultas Duci Bavariæ tradendi octo ex decem Monaſteriis Palatinatus Superioris dudum per hæreticos occupatos, Religioſis eorum reſpective Ordinum, & reliqua duo Monaſteria, quæ erant Monialium, in erectionem novi Monaſterii Monialium in Oppido Bamberge faciendum.

Dilecte filio nobili Viro Ferdinando Mariæ Bavariæ Duci S.R.I. Principi Electori.

CLEMENS PAPA NONUS

Dilecti fili nobilis Vir ſalutem, & apoſtolicam benedictionem.

Exordium. SAcroſancti Apoſtolatus Miniſterium humilitati noſtræ, nullo licet meritorum noſtrorum ſuffragio, ab Eterno Paſtore creditum exigit, ut circa ea, per quæ Eccleſiæ decori, & utilitati, Catholicæque fidei propagationi, & Religionis incremento conſultur propenſis ſtudiis intendentes, datæ Nobis a Domino poteſtatis partes deſuper interponamus, ſicut pia Catholicorum Principum avitæ Religionis tuendæ, & propagandę zelo eximiæ conſpicuorum vota poſtulant, & Nos matura, prudentique deliberatione prævia, ad Omnipotentis Dei gloriam, & animarum ſalutem, ac Eccleſiarum ære alieno oppreſſarum levamen, piorumque operum proveſtionem cognoſcimus in Domino ſalubriter expedire.

§.1. Exponi ſiquidem Nobis nuper feciſti, quod cum Monaſteria de Reichenbach, de Enſdorff, de Weiſſenhoe, & de Michelfelt virorum Ordinis S. Benedicti, ac de Walderbach, & de Walſaſſen etiam virorum, & de Selingenpon, Mulierum Ordinis Ciſtercien., necnon de Schontal, ſive Vallis Speciosæ virorum Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, ac de Speiſſart, etiam virorum Ordinis Præmonſtraten., & de Gnaderberg nuncupata Monialium Ordinis S. Brigittæ Ratisbonen., Bambergen., & Eiſtetten. Diœceſum reſpective in Palatinatu Superiori exiſtentia cum omnibus eorum bonis, pertinentiis, & juribus, dudum ab hæreticis occupata, & tandiu detenta fuerint, donec a cl. mem. Ferdinando II. dum vixit Romanorum Rege Illuſtri in Imperatorem electo opera, præcipue ope, conſiliis, & fortitudine bellica bon. mem. Maximiliani dum vixit Bavariæ Ducis Sacri Romani Imperii Principis Electoris genitoris tui ab illorum manibus vindicata & recuperata fuerunt; Tu ad Catholicam Religionem in dicto Palatinatu, qui a memorato Ferdinando Rege eidem Maximiliano Duci ceſſus, & traditus fuit, & in cujus tu poſſeſſione uti ipſius Maximiliani Ducis Hæres, & Succeſſor exiſtis, ſtabiliendam atque augendam plurimum conferre poſſe exiſtimas, ſi eadem Monaſteria, eorumque bona, videlicet de Reichenbach, cujus bonorum, ſeu reddituum certa portio dilectis filiis Fratribus Conventus, qui eſt in Civitate Neoburgi Ordinis Fratrum Sancti Franciſci de Paula minimorum nuncupatorum aſſignata reperitur, ac de Ensdorff de Weiſſenhoe, & de Michelfelt dicto Ordini S. Benedicti, ejuſque Monachis ejuſdem Provinciæ, in qua ea ſita ſunt, ac de Walderbach, & Walſaſſen. Ordini Ciſtercien. ejuſque Abbati Generali, & Monachis, necnon de Schontal, ſeu Vallis Speciosę Ordini Eremitarum S. Auguſtini, ejuſque Fratribus, ac de Speiſſart Ordini Præmonſtraten., ejuſque Canonicis Regularibus, de Selingenpont vero Monialium Ciſtercien., & de Gnaderbergh Monialium Sanctæ Brigittæ Ordinum hujuſmodi Monaſteria in erectionem unius novi Monaſterii pariter Monialium illius Ordinis, qui magis placuerit in Oppido Civitate nuncupato Ambergæ ejuſdem Palatinatus Superioris, in quo alia Monialium Monaſteria non reperiuntur, reſpective tradantur, tribuantur, & aſſignentur, prout tradi, tribui, & aſſignari ſummopere deſideras, nullo tamen tibi deſuper acquiſito, Poſtulatio.

ſito, vel reſervato Jurepatronatus, aut alio quocumque jure, itaut in Ordines prædictos, eorumque perſonas reſpective, quarum opera, vita, & exemplo Fides Catholica in illis partibus benedicente Domino ſtabiliri, propagarique poſſit, libere tranſeant.

Concedit Pontifex prout in Conſtitut. §.2. Quare Nobis humiliter ſupplicari feciſti, ut in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur piis, religioſiſque nobilitatis tuæ votis hujuſmodi favorabiliter quantum cum Domino poſſumus annuere, ſpecialemque tibi, de cujus pietate, ac in Nos, & hanc Sanctam Sedem devotione plurimum in Domino confidimus, gratiam facere volentes teque a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtis, ad effectum præſentium dumtaxat conſequen. harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, huſuſmodi ſupplicationibus inclinati, de Congregationis a Nobis ſuper hoc negotio ſpecialiter deputatæ conſilio, Tibi tenore præſentium benigne indulgemus, ut noſtra, & dictæ Sedis Apoſtolicæ, ad quam bonorum prædictorum diſpoſitio pertinere dignoſcitur, auctoritate prædicta de Reichenbach, de Enſtorff, de Weiſſenhoe, & de Michelfelt memorato Ordini S. Benedicti, ejuſque Monachis ejuſdem Provinciæ, in qua ſita ſunt, de Walderbach vero, & de Walſaſſen Ordini Cistercien. eiuſque Abbati Generali, & Monachis, de Schontal autem, ſive Vallis Speciosæ Ordini Eremitarum Sancti Auguſtini, ejuſque Fratribus, ac de Speiſſart Ordini Præmonſtraten. ejuſque Abbati Generali, & Canonicis Regularibus, necnon de Selingenpont, & de Gnaderbergh Monialium Monaſterii hujuſmodi in erectionem novi Monialium Monaſterii in dicto Oppido Ambergæ, ut præfertur, faciendam reſpective cum omnibus, & ſinguli ipſorum reſpective Monaſteriorum bonis, pertinentiis, membris, redditibus, & juribus univerſis ſicut præmittitur perpetuo tradere, tribuere, & aſſignare cum interventu tamen, & aſſiſtentia dilecti filii noſtri, & Sedis prædictæ Nuncii apud charisſimum in Chriſto Filium noſtrum Leopoldum eorumdem Romanorum Regem Illuſtrem in Imperatorem Electum pro tempore reſidentis, vel alterius Eccleſiaſticæ perſonæ ab eodem Nuncio deputandæ poſsis, & valeas, nullo tamen tibi deſuper acquiſito, aut reſervato jurepatronatus, aut alio quocumque jure, & ſalva remanente ſupradicto Conventui Fratrum Minimorum Ordinis S. Franciſci de Paula pro eorum alimentis portione bonorum, ſeu redditum dicti Monaſterii de Reichenbach penes ipſos exiſtente, quam portionem eiſdem Fratribus concedimus, & ab eis retineri volumus, donec de æquivalenti annuo redditu, & æque opportuno proviſum illis fuerit. Volentes inſuper, & auctoritate Apoſtolica decernentes Ven. Fratrem Marquardum Epiſcopum Eiſtetten ad effectum inſtituendi juxta Decreta Concilii Tridentini, Seminarium Eccleſiaſticum in ſua Civitate, ſeu Diœceſi Eiſtetten, & non ad alios uſus accipere per triennium a data præſentium literarum computan. de manu illius, penes quem erit adminiſtratio ſupradictorum duorum Monaſteriorum Monialium de Selingenpont, & de Gnaderbergh omnes fructus ex eorumdem duorum Monaſteriorum bonis provenientes; Dilectum vero filium noſtrum Guidobaldum S. R. E. Cardinalem de Thun nuncupatum Eccleſiæ Ratisbonen. ex conceſsione, & diſpenſatione Apoſtolica Præſulem accipere pariter per triennium de manu prædictorum Monachorum, ac Canonicorum Regularium, & Fratrum Ordinis Eremitarum Sancti Auguſtini reſpective dimidiam partem annuorum fructuum ex aliorum primodictorum octo Monaſteriorum virorum bonis proventurorum ut in extinctionem debitorum ejuſdem Eccleſiæ Ratisbonen. cum interventu, & conſenſu dilectorum filiorum Capituli, & Canonicorum ipſius Eccleſiæ, & non in alios uſus convertantur, idque ſive effectum habuerit ſive non habuerit aliud Indultum percipiendi per triennium omnes fructus omnium decem Monaſteriorum prædictorum bon. mem. Epiſcopis Ratisbonen. de defunctis a fel. rec. Alexandro Papa VII. Prædeceſſore noſtro conceſſum. Nos enim tibi præmiſſa omnia modo, & forma prædictis peragendi, & exequen., necnon memorato Nuncio novum Monaſterium Monialium, ejus cui magis placuerit Ordinis in prædicto Oppido Ambergæ ad Omnipotentis Dei Gloriam, & animarum ſalutem, ac Religionis incrementum, auctoritate noſtra Apoſtolica, perpetuo erigendi, & inſtituendi, ac prædicta duo Monialium Monaſteria de Selingenpont, & de Gnaderbergh eorumque titulos, denominationes, ſtatum, & eſſentiam regulares penitus, & omnino itidem perpetuo ſupprimendi, & extinguendi, ipſorumque Monaſteriorum ſic ſuppreſſorum, & extinctorum bona, proprietates, redditus, proventus, obventiones, jura, & emolumenta univerſa eidem novo Monaſterio pro illius dote, ejuſque Monialium ſuſtentatione, ac onerum eis pro tempore incumbentium ſupportatione itaut liceat ipſis Monialibus novi Monaſterii hujuſmodi ſuo, & ejuſdem Monaſterii nomine illorum omnium corporalem, realem, & actualem poſſeſſionem, ſeu quaſi poſſeſſionem per ſe, vel alium, ſeu alios apprehendere, & apprehenſam perpetuo retinere, fructus quoque redditus, proventus, & emolumenta quæcumque ex eis proventura, poſtquam tamen triennium ad quod eoſdem fructus a memorato Marquardo Epiſcopo accipi voluimus, ut præfertur, elapſum fuerit, percipere, exigere, levare, ac in ſuos communes, & dicti Monaſterii uſus, neceſſitates, & utilitatem convertere, Diœceſani loci, ſeu cujuſvis al terius

alterius licentia desuper minime requisita etiam perpetuo, dicta auctoritate, concedendi, applicandi, appropriandi, & assignandi, cæteraque desuper necessaria, & quomodolibet opportuna faciendi, gerendi, & exequendi quamcumque necessariam, & opportunam facultatem, & auctoritatem earumdem tenore præsentium tribuimus, & impartimur.

Decretum irritans.

§.3. Decernentes ipsas præsentes literas, & in eis contenta, ac inde juxta earum formam, & tenorem secutura quæcumque nullo unquam tempore sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, limitationibus, suspensionibus, aliisque contrariis dispositionibus etiam per Nos, & Successores nostros Romanos Pontifices sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, etiam motu proprio, & de apostolicæ potestatis plenitudine pro tempore faciendis comprehendi, vel comprehensa censeri, sed ipsas præsentes literas tanquam ad divini cultus, ac Religionis, bonorumque, & piorum operum incrementum concessas semper ab illis excipi, & exceptas, ac quoties illæ emanaverint, toties in pristinum, & validissimum statum restitutas, repositas, & plenarie reintegratas, ac de novo etiam sub posteriori data per eos, ad quos pro tempore spectabit quandocumque eligenda concessas intelligi, firmasque, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari; Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, ac dictæ Sedis Nuncios, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§.4. Non obstantibus præmissis, ac quatenus opus sit nostris, & Cancellariæ Apostolicæ Regulis de jure quæsito non tollendo, ac de unionibus, dismembrationibus, suppressionibus, & applicationibus perpetuis committendis ad partes, vocatis quorum interest, exprimendoque in eis vero valore, necnon Lateranen. Concilii novissime celebrati, uniones perpetuas nisi in casibus a jure permissis fieri prohiben., aliisque Apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, ac prædictorum Monasteriorum, & Ordinum, aliisve quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis, etiam dictis Ordinibus, & Monasteriis, eorumque Superioribus, & personis quibuscumque sub quibusvis verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in specie etiam consistorialiter, & alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumq; totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi præsentibus pro sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die vigesimaquarta Augusti 1667. Pontificatus nostri Anno I. Dat. die 29. Aug. 1667. An.I.

IX.

Confirmatio Concordiæ inter Archiepiscopum Toletan., ac Priorem, & Fratres Conventus S. Bartholomæi de Lupiano Ordinis S. Hieronymi Toletan. Diœces. per quam modus colligen. Decimas stabilitur.

Ven. Fratri Episcopo Conchen.

CLEMENS PAPA NONUS

Venerabilis Frater salutem, & Apostolicam benedictionem.

Motiva hujus constitutionis.

NUper pro parte dilectorum filiorum nostri Paschalis tituli S. Balbinæ Sanctæ R. E. Presbyteri Cardinalis de Aragonia nuncupati Ecclesiæ Toletan. ex concessione, & dispensatione Apostolica Præsulis ac Prioris, & Fratrum Conventus S. Bartholomæi Oppidi, seu loci de Lupiana Ordinis S. Hieronymi Toletan. Diœces. Nobis expositum fuit, quod alias lite, & causa, seu quæstionis materia inter ipsos Paschalem Cardinalem Præsulem ex una, ac Priorem, & fratres ex altera partibus de, & super proprietate Decimarum ex infrascriptis Terris, & possessionibus ad dictum Conventum spectantibus provenientium ab Archiepiscopo Toletan. prætensa coram certis illarum partium Judicibus competentibus introducta, & in gradu appellationis in secunda, seu alia veriori Instantia coram Apostolicæ Sedis Nuncio in illis partibus commorante indecisa pendente, iidem Paschalis Cardinalis, & Præsul, ac Prior, & fratres provide considerantes graves litium expensas, illarumque dubios eventus, & propterea ulterioribus expensis

fis hujusmodi parcere volentes, ac pro bono pacis, & quietis ad infrascriptam sub nostro, & Sedis Apostolicæ beneplacito devenerunt inter se concordiam, videlicet: Quod bona, possessiones, & terræ in locis, seu Oppidis de Pitrilla, Lupiana, Orche, Balberdæ, Latanzon territorio de Alcoete Valbueno, Cabanillas, Quer, Alobera, Marchamalo, Romanones, Baldeabervelo, Usanos, Chisveches, Lauzena, & Civitat. nuncupat. de Guadalajara existentia, & in terminis, & Decimalibus ad dictum Conventum tam ex antiqua fundatione, quam ex emptione, hæreditatibus, aut legatis piis, sive alio quocumque titulo quomodolibet spectan., dummodo propriis dicti Conventus expensis curentur, & colantur a Decimarum solutione prædicto Archiepiscopo facien. ad præsens, & deinceps omnino libera sint, quodque si contigerit dictum Conventum aliquas ex dictis Terris, seu possessionibus ipsius Conventus Subditis, seu familiaribus, vel quibusvis aliis personis in administrationem assignare, tunc Decimæ exinde provenientes pro medietate dividantur, quarum altera Archiepiscopo, reliqua vero Conventui prædictis æqualiter solvantur juxta ratam per Parochos locorum, seu Oppidorum hujusmodi designandam. Quodque si Conventus hujusmodi aliquas ex supradd. Terris, seu possessionibus cuiquam pro medietate responsionis fructuum concesserit, Decimæ a participantibus medietatem fructuum hujusmodi integraliter ipsi Archiepiscopo solvantur, dictoque Conventui decimæ eorum medietatis tantū proveniant. Ex Terris vero, seu possessionibus in dictis terminis, & decimatibus hujusmodi quas dictus Conventus in censum perpetuum hactenus concessit, & in posterum concederet. Decimæ dicto Archiepiscopo integraliter solvantur exceptis tamen ex illis quodam horto del Peral nuncupato, & quadam Vinea a Joanne Garzia ad præsens obten., & in loco de Lupiana existen. quorum Decimæ d. Conventui solvi debent. Quodque si Terrarum, seu possessionū hujusmodi in censum perpetuum, ut præfertur, concessarum, & in posterum conceden. exceptis horto, & Vinea prædictis quavis de causa concessio hujusmodi in favorem dicti Conventus cessaverit, & illas Conventus hujusmodi in affictum concedet, Decimæxinde provenientes pro medietate Archiepiscopo, & Conventui prædictis solvantur, & si denuo per Conventum aliqua alia concessio perpetuo fiet, tunc Decimę hujusmodi integraliter Archiepiscopo persolvantur; si vero dictus Conventus in futurum aliquas alias Terras, seu possessiones in supradictis Terris, & Decimatibus ex emptionibus, seu hæreditatibus, aut legatis piis, vel alias quomodolibet acquisierit, Decimæ exinde provenientes licet terræ, seu possessiones hujusmodi sic acquisitę propriis dicti Conventus expensis curentur, & colantur dicto Archiepiscopo integraliter persolvantur. Decimæ quoque ex fructibus Olivarum in terminis de Pitrilla, & Lupiana existen. & ad medietatem a dicto Conventu, ut præfertur, concessarum provenien. ad eumdem Archiepiscopum pro anno proxime præterito spectent, prout superius dictum fuit, dictusque Conventus ratione fructuum per eum in terminis de Pitrilla, & Lupiana a die incepta super præsentibus litis usque ad concordiæ hujusmodi transactionem perceptorum, eidem Archiepiscopo summam duorum millium regalium monetæ de Vellon in die festo Nativitatis Domini nostri Jesu Christi an. proxime venturi in Oppido de Alcala de Henares, ac potestate Joannis Canpuzano Jurium dicti Oppidi Receptoris propriis sumptibus sub pœna sexcentorum morapetinorum pro salario quotidiano tam eundo, stando, & redeundo personæ pro exactione hujusmodi transmittendæ assignando persolvere debeat, & teneatur, ac sub nonnullis aliis pactis, & ordinationibus licitis tamen, & honestis prout in Instrumento per acta Gregorii del Castillo Notarii publici Apostolici illarum partium desuper confecto, plenius dicitur contineri,

Confirmat Pontifex pro ut in rubrica.

§.2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, exponentes prædicti præmissa pro firmiori illorum subsistentia Apostolicæ Confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desiderent; Nos specialem ipsis Exponentibus gratiam facere volentes, dictorumque Prioris, & fratrum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Fraternitati tuæ Frater Episcope, qui ut asseritur, Ordinarius vicinior existis per præsentes committimus, & mandamus, ut constito Tibi de narratis, transactionem, seu concordiam inter partes prædictas initam, ut præfertur, confectamque desuper instrumentum hujusmodi, cum omnibus, & singulis in eo contentis, alias tamen licitis, & honestis, auctoritate nostra apostolica confirmes, & approbes, illisque inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adjicias, ac omnes, & singulos tam juris, quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint suppleas.

Contrariis derogat.

§.3. Non obstantibus fel. rec. Pauli II. & aliorum Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum de rebus Ecclesiæ non alienandis, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit Ecclesiæ Toletan., ac Ordinis, & Monasterii hujusmodi etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis,

firmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 27. Aug. 1667. And.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die vigesimaseptima Augusti 1667. Pontificatus nostri Anno I.

X.

Constitutio super Reformatione Jurisdictionis Tribunalis Burgi.

CLEMENS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium. IN hoc primo Nostri Pontificatus ingressu id a Nobis nostri muneris ministerium exigit, ut in remotos æque, ac proximos paternæ charitatis officium extendatur: nulli tamen invidiosum fore credimus, si a dilectis filiis Almæ Urbis nostræ habitatoribus, iisque potissimum, qui illius Regionem Burgi vocabulo nuncupatam nostro Vaticano Palatio propinquam sub oculis fere nostris inhabitant, nostra beneficia initium capere conspiciantur.

§.1. Propterea cum fel. rec. Julius Papa III. Prædecessor noster per suas sub Annulo Piscatoris, die 22. Febr. anni 1550. Pontificatus sui primo expeditas literas Gubernatori utriusque Burgi S. Petri privativam, & particularem Jurisdictionem civilem, & criminalem, merumque, & mixtum Imperium, ac gladii potestatem concesserit, cum facultate deputandi Judices, Procuratorem Fiscalem, Notarios, & Executores, eaque Jurisdictio postmodum a nonnullis ex Prædecessoribus nostris, in similium Gubernatorum electione, per alias eorum literas sub plumbo, seu Annulo Piscatoris, ut præfertur, expeditas, renovata, & declarata, & forsan consuetudine ampliata extiterit.

Motiva reformationis. §.2. Nos considerantes, quod multa etiam ab initio mature discussa, & ad optimum finem instituta tractu temporis diversimode regenda, & gubernanda sunt, experientia, & successiva rerum mutatione sic docentibus, certioresque insuper facti, quod eidem Burgi Tribunali pro congrua Officialium ejusdem sustentatione non aliter provisum sit, quam ex taxis majoribus, & gravioribus excedentibus taxas aliorum Tribunalium, & præcipue Gubernii Urbis: atque hinc dispendia, & querimoniæ oriantur illorum, quorum beneficio erectum fuit; quodque ex Tribunalium multiplicitate frequenter contentiones super Jurisdictione insurgunt, necnon inter sese discrepantes processus, quæ omnia, & reis molestias aggravant, & causarum expeditioni impedimento sunt.

§.3. Proinde subditorum nostrorum commodo, & recto justitiæ cursui consulentes, nonnullorum Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium ad hoc a Nobis specialiter deputatorum desuper auditis sententiis, hac nostra perpetuo valitura Constitutione præfatam Julii, aliasque quascumq; Prædecessorum nostrorum Constitutiones, ac literas (quarum tenores hic pro expressis, & insertis haberi volumus) ut præfertur emanatas, in ea tantum parte, cui hæc nostra Constitutio adversatur, revocamus, & annullamus, quas tamen in reliquis in suo robore permanere volumus. Et in futurum dilectum filium nunc, & pro tempore existentem Almæ Urbis nostræ Gubernatorem ejusdem Burgi Vicegubernatorem privative pro causis civilibus, criminalibus, & mixtis, cum omnibus facultatibus sibi in aliis dictæ Urbis Regionibus, etiam vigore literarum, seu chirographorum, de quibus specialis, seu specialissima mentio habenda foret, competentibus, per præsentes deputamus, ac deputatum esse volumus, & decernimus. Ita quod pro Burgi causis hujusmodi nobis, Successoribusque nostris tantum, & non aliis rationem reddere, aut parere teneatur. Et cum jam ex speciali nostro chirographo indemnitati possessoris officii Notariatus dicti Burgi consultum sit, mandamus eidem Gubernatori Vicegubernatori, ut præfertur deputato, quatenus pro exercitio Jurisdictionis Burgi hujusmodi eisdem Judicibus, Exequutoribus, carcerumque Custodibus, quibus in gubernio Urbis utitur, ac iis Notariis, qui de mandato nostro pro prædictis causis ejusdem Burgi deputati fuerint, utatur, & ab omnibus supradictis, aliisque Officialibus in eisdem causis civilibus, criminalibus, & mixtis, Urbis Gubernii taxas servari faciat.

§.4. Declarantes, quod Edicta, Decreta, Sententiæ, & Acta, quæ ab ejusdem Urbis Gubernatore, sive ejus Locumtenentibus, aliisque Officialibus pro tempore emanabunt, in Burgo, & ab ejus habitatoribus (vigore Jurisdictionis, quam nos eidem Urbis Gubernatori, uti Vicegubernatori Burgi per præsentes tribuimus) observari debeant, etiamsi in Edictis, decretis, sententiis, aliisque actis prædictis talis titulus non exprimatur, ac Locumtenentes, Substitutos, Exequutores, aliosque Officiales pro gubernio dictæ Urbis deputatos eo ipso, etiam pro eisdem causis Burgi deputatos esse, & censeri debere: privativam tamen Notario tam criminali, quam civili, ac Mandatario pro causis ad dictam Regionem Burgi pertinentibus deputandis reservantes.

§.5. Injungentes eidem Urbis Gubernatori, ut omnes scripturas, omniaque acta usque in præsens in officio Burgi extantes, & extantia ad officium Gubernii Urbis asportari, illasque, & illa, prout causas civiles, criminales concernunt, Notariis civilibus, & criminalibus pro causis Burgi deputandis separatim, & respective consignari faciat, prævio tamen illarum, & illorum inventario, ad hoc ut de eisdem rationem reddere teneantur.

Recursum in civilibus A.C. reservat. §.6. Recursum autem in civilibus causis Burgi, Cameræ nostræ Apostolicæ Generali Auditori, prout antea competebat, reservamus.

§.7. Injungimus præterea eidem Urbis pro tempore Gubernatori, ut in Burgo pro bono ipsius gubernio, & Incolarum securitate tot Birruarios sub uno vigili Conductore, quot sibi prudentia prævia suaserit, & exegerit necessitas, morari curet.

Jurisdictioni Judicis Burgi derogare non intendit. §.8. Declarantes etiam in locis, & causis civilibus, & criminalibus, & mixtis, in quibus Burgi Judex jurisdictionem privativam habebat, nullam deinceps Jurisdictionem acquirere, seu exercere posse alia Tribunalia, Judices, & Exequutores Urbis, quæ, & qui ante præsentium emanationem in eisdem eam non exercebant: volentes, ut supra dictum est, quod præfata Jurisdictio Urbis tantum Gubernatori, tamq; Burgi Vice-Gubernatori, ejusque Curiæ privative concessa censeatur. Quodque in reliquis, iis tantum exceptis, de quibus in præsentibus dispositum est, Burgi Gubernatori a Nobis, Successoribusque nostris pro tempore pariter eligendo, eædem prærogativa, honores, emolumenta, etiam ex pœnis, confiscationibus, ac Notariorum, & Mandatariorum responsionibus provenientia, commodaque omnia remaneant, quibus Burgi Gubernatores, qui pro tempore fuerunt, hactenus fruiti sunt, & frui consueverunt. Cum Burgi gubernium nequaquam extingnere, seu supprimere, sed tantummodo normam, & quibus ministris illud regendum, & administrandum sit, præscribere intendamus.

§.9. Verum, quia Conclavis Gubernator in Burgo Jurisdictionem exercere solitus est: Volumus, & ordinamus, quod idem Conclavis Gubernator a Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Collegio pro tempore eligendus, Sede Apostolica vacante, in eodem Burgo, hoc est, in situ, qui a Burgi mœnibus includitur, & a flumine prope portam S. Spiritus incipiendo, ad portam Equitum levis armaturæ, ad portam Fabricam, & deinde ad Portam Angelicam, Portam Castelli vulgo nuncupatam, ad Pontem usque Sancti Angeli inclusive decurrit, comprehensis ex parte Burgi ripis fluminis, earumq; annexis, eamdem Jurisdictionem civilem, & criminalem, merumque, & mixtum Imperium habeat, prout in præteritis Sedis prædictæ vacationibus habebat, sed in aliis locis extra Burgi mœnia hujusmodi remanentibus, in quibus Burgi Judex Jurisdictionem privativam exercebat, eamdem Urbis Gubernator prædictus tanquam Burgi Vice-Gubernator tam plena, quam vacante Sede hujusmodi exerceat. Declaramus insuper, quod Jurisdictio præfata Conclavis Gubernatori concessa, causas tantum comprehendit, quæ post ejus electionem inceperint, relictis aliis, quæ ante ejus electionem hujusmodi inchoatæ fuerint, absque ulla suspensione, & impedimento dictæ Urbis Gubernatori, ad quem, & illæ devolvantur, quas prædictus Conclavis Gubernator, antequam expiret ejus Jurisdictio, quam nos initio sequentis post Summi Pontificis electionem diei terminare decernimus, absolvere non potuerit.

§.10. Volumus etiam, quod pro dicta Jurisdictione exercenda Conclavis Gubernator in causis criminalibus deputet unum ex substitutis Locumtenentibus in Urbis Gubernio: pro causis vero civilibus civilem Gubernatoris Urbis Locumtenentem, & in utrisque causis Exequutoribus Gubernatoris Urbis utatur, Notariosque, & respective Mandatarium assumat illos, per quos acta, & Civiles, ac criminales causæ Burgi respective in futurum agentur, & ab omnibus servari omnino curet taxas, quibus utitur Urbis Gubernator, cui stricte præcipimus, & mandamus, ut eosdem Locumtenentes, Notarios, & Exequutores, & alios Ministros necessarios Gubernatori Conclavis prompte, & sine difficultate subministret.

§.11. Mandamus insuper Custodibus qualiumcumque Urbis carcerum, quod recipiant, custodiant, & relaxent delinquentes ad eorum carceres transmissos a Tribunali Gubernii Conclavis, juxta illius Gubernatoris ordinationes, & mandata: dantes facultatem eidem Gubernatori Conclavis mittendi ejus Locumtenentem criminalem, & Ministros, ad actus opportunos faciendos pro causis ad eum spectantibus, ad quoscumque carceres, & alia loca Urbis, ubicumque opus fuerit.

Venditionem domorum pro Official. Burgi, & Carceribus Thesaurario Camerę committit. §.12. Denique committimus dilecto filio nostro, & Cameræ nostræ Apostolicæ præfatæ Generali Thesaurario, ut pro eadem Camera vendat, seu vendere faciat domum, seu domos, quæ antea pro officialibus Burgi, & carceribus ejusdem Tribunalis inserviebant, & venditione facta pretium recipiat, sive, si ipsi ita videbitur, eas ad usum privatarum domorum reductas locet, locandasque curet, cui proinde necessariam, & opportunam facultatem concedimus.

§.13. Decernentes præsentes literas semper, & perpetuo validas, & efficaces existere, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere debere, nec eas sub quibusvis revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, & Cancellariæ Apostolicæ Regulis editis, & edendis comprehendi, nec per eas revocatas esse, aut fore, vel censeri posse: sed quoties eas comprehendi, aut revocari contigerit, toties ex nunc, prout ex tunc, in pristinum statum restitutas, & de novo concessas esse; Sicque, & non aliter per quoscumque Judices ordinarios, vel delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, ac Palatii nostri Apostolici,

stolici, & dictæ Cameræ Auditores, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, judicari, & definiri debere, irritum quoque, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§.14. Non obstantibus, quatenus opus sit, nostra, & Cancellariæ præfatæ Regula de jure quæsito non tollendo, ac prædicti Julii III. aliisque Prædecessorum hujusmodi Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Tribunalis Burgi, & Urbis hujusmodi, quatenus in aliquo obstent, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum forsan quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi alias pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata inserti forent, eisdem præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat harum serie derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio pœnalis.

§.15. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostram revocationis, annullationis, voluntatis, deputationis, mandati, injunctionis, reservationis, declarationis, intentionis, commissionis, concessionis, ordinationis, derogationis, & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Dat. die 1. Sept. 1667. An.I.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ 1667. Kal. Septemb. Pontificatus nostri Anno I.

XI.

Confirmatio quorumdam Decretorum editorum in Capitulo Generali Fratrum Minorum Ordinis Sancti Francisci Capuccinorum.

CLEMENS PAPA NONUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

DEbitum Pastoralis Officii, quo Ecclesiæ Catholicæ regimini divina dispositione præsidemus exigit, ut paternam Christifidelium divinis obsequiis sub suavi arctioris Religionis jugo mancipatorum, uberesque bonorum operum fructus benedicente Domino proferre jugiter satagentium curam gerentes, illa, quæ pro felici, prosperoque eorum regimine provide constituta esse noscuntur, ut firma atque illibata persistant, Apostolici muniminis patrocinio roboremus.

Causa approbationis decretorum.

§.1. Exposuit siquidem Nobis nuper dilectus filius noster Hieronymus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis Farnesius nuncupatus, Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Capuccinorum nuncupatorum, apud Nos, & Sedem Apostolicam Protector, quod in nupero Capitulo Generali dicti Ordinis cum consensu, & approbatione omnium Vocalium in eo congregatorum facta, & stabilita fuerunt pro felici ejusdem Ordinis gubernio decreta, seu capitula tenoris qui sequitur, videlicet.

Decreta referuntur.

§.2. Primo. Cum non possit Pater Generalis complere totam Religionis visitationem decursu sexennii, expedit differre officium Generalatus usque ad septennium & quod si durante septennio, non completa visitatione decedat, primus Definitor sub nomine Vicarii Generalis perficiat visitationem, & maneat in officio usque ad complementum dicti septennii: ipso autem impedito, vel non valente, succedat alius Definitor gradatim juxta Constitutiones. Secundo. Cum Capitula Provincialia modo sint annualia, expedit, ut in posterum fiant tantum de triennio in triennium, & singulis annis fiat Congregatio intermedia, in qua subrogentur novi Guardiani illis, qui tempus jam compleverunt: sicut etiam illis, qui licet tempus non compleverint, minus tamen apti reputabuntur, in eadem etiam fiat syndicatus Procuratoris Provincialis per quatuor Definitores ad hoc specialiter Definitorio congregandos, ubi dicat suam culpam, configet, & deponat Sigilla in signum humilitatis, quamvis ipse non sit depositus, salva tamen facultate Patri Generali convocandi prædicta Capitula occasione suæ Visitationis, vel alias, si, & quando judicaverit necessarium. Tertio. Procurator Generalis non concurrat ad Generalatum in Capitulis in posterum celebrandis dumtaxat. Quarto. Definitores actuales in posterum (durante eorum officio) non possint eligi in Guardianos: habebunt tamen vocem in Capitulo Provinciali, dum actu sint Diffinitores, vel Custodes ad Capitulū Generale, etiamsi non concurrant ad Discretatum. Ex provincialis vero post annum poterit eligi in Guardianum juxta Constitutiones. Quinto Definitores completo Definitoriatus officio nullam habeant præcedentiam, sed illum tantum locum obtineant, qui ipsis non ex officio jam completo, sed ex antiquitate professionis debetur. Sexto. Patres Generalis, & Provinciales completo eorum officio sedeant (durante Capitulo,) in ultimo loco Sacerdotum, & per aliquot dies abluant utensilia: similiter in Processionibus, quæ fiunt durante Capitulo, occupent ultimum locum Sacerdotum. Septimo.

mo. Guardiani tempore Adventus nullo modo concionentur extra locum suæ Guardianiæ, quod etiam servetur tempore Quadragesimæ, nisi agatur de Concionatoribus insignibus, vel urgens necessitas suaserit P. Generali eos in casibus particularibus dispensandi, & tunc idem Generalis provideat Conventui de Vicario gravi, & idoneo. Concionatores vero prædicti non mittantur nisi ad Provincias, & loca viciniora. Octavo. Non prædicent Lectores tempore Quadragesimæ, sed per totum anni cursum lectionibus incumbant. Studentes non mutentur in aliam ab alia familia, in qua studeant: nulli concedatur Lector particularis: studeant per septennium integrum, super quibus dispensari non possit. Nono. Concionatores non concionentur extra suas Provincias, nisi sint Prædicatores insignes, & concionari debeant in Cathedralibus, seu aliis conspicuis Ecclesiis. Decimo. Confessores non admittantur ad audiendas confessiones Fratrum, & Lectores ad lecturam, nisi approbati fuerint prævio rigoroso examine, ac per vota secreta Examinatorum. Undecimo. Definitores Generales resideant Romæ, quibus pro urgentibus, & gravioribus negotiis Religionis sit communis commissio generalis facta Patri Procuratori Generali a P. Generali: ita ut procedant insimul, & conjunctim usque ad Capitulum Generale, in quo singuli habebunt vocem electivam tamquam unus ex Custodibus suarum Provinciarum. Duodecimo. Provinciales qui nondum compleverunt triennium, durent donec compleant. Oratio mentalis quæ tempore æstivo fiebat post meridiem, fiet mane ad primam. Hieronymus Cardinalis Farnesius Protector. Fr. Fortunatus Minister Generalis. Fr. Bonaventura a Recineto Procurator Generalis. Fr. Aloysius a Verona Definitor Generalis. Fr. Lucas Maringuis Definitor Generalis. Fr. Franciscus de Xeres Definitor Generalis. Fr. Claudius Bituricensis Definitor Generalis.

Concedit prout in rubr.

§.3. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dictus Hieronymus Cardinalis Decreta, seu Capitula hujusmodi, quo firmius subsistant, & serventur exactius, Apostolicæ confirmationis nostræ robore communiri summopere desideret: Nos piis ejusdem Hieronymi Cardinalis votis favorabiliter, quantum cum Domino possumus, annuere cupientes, supplicationibus ipsius Hieronymi Cardinalis Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decreta, seu Capitula prænserta auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

§.4. Mandantes propterea, & præcipientes in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub privationis vocis activæ, & passivæ pœna per transgressores ipso facto incurrenda omnibus, & singulis memorati Ordinis Superioribus, Fratribus, & personis ceteris quæ ad quos spectat, & pro tempore spectabit, ut Decreta, seu Capitula præinserta inviolabiliter observent. Ac decernentes ipsas præsentes Literas, & Capitula, seu Decreta præinserta semper firma, valida, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & in futurum quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia pleniſſime suffragari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Decretum irritans.

Derogatio contrariorum.

§.5. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac dicti Ordinis, & aliis quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumpto, cui fides.

§.6. Volumus autem, ut præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 9. Sept. 1667. An.I.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 9. Sept. 1667. Pontificatus nostri Anno I.

XII.

Prævia ratificatione Investituræ Regni Siciliæ, & Hierusalem cum tota Terra citra Pharum Regi Catholico ab Alexandro VII. factæ eumdem Regem quatenus Ducatus Mediolanen. majorem partem Lombardiæ comprehendat, absolvit, & dispensat ad obtinen. dictum Regnum cum supradicto Ducato Mediolanen.

Ex Regest. in Secr. Brev.

Charissimo in Christo filio nostro Carolo Hispaniarum Regi Catholico.

CLEMENS PAPA NONUS

Charissime in Christo fili noster salutem, & apostolicam benedictionem.

Proœmium.

PRæclara Prædec. tuorum in hanc Sanctam Sedem merita, sinceraque fides

& eximia pietas, ac fervens devotio tua, quibus in noſtro, & dictæ Sedis conſpectu clarere dignoſceris, merito nos inducunt, ut Te ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequamur.

Motivâ præſentis Conſtit.

§.1. Sane licet claræ memoriæ Philippo IV. Hiſpaniarum Rege Catholico genitore tuo rebus humanis, ſicut Deo placuit exempto, Regnum Siciliæ, & Hieruſalem cum tota Terra citra Pharum una cum aliis Regnis, Provinciis, & Ditionibus univerſis, ad Te uti ejus filium, & hæredem jure ſucceſſionis, modoque, & forma infra ſcriptis legitime pervenerit, & fel. rec. Alexander Papa VII. Prædeceſſor noſter ipſum Regnum Siciliæ, & Hieruſalem cum tota Terra, quæ eſt citra Pharum uſque ad confinia Terrarum S. R. E. (excepta Civitate Beneventana cum ejus Territorio, & pertinentiis, necnon Terra, ſive loco Pontiſcurvi Aquinaten. Diœceſis, ejuſque Territorio, quæ dictus Alexander Prædeceſſor ſibi, & eidem Eccleſiæ reſervavit) Tibi pro Te, tuiſque Hæredibus, & Succeſſoribus Aragoniæ Regibus tam maſculis, quam fœminis ex te recta linea deſcendentibus natis, & naſcituris, ac aliis tunc expreſſis perſonis in feudum perpetuum de Venerabilium Fratrum ſuorum ejuſdem S. R. E. Cardinalium, de quorum numero tunc eramus, conſilio pariter, & aſſenſu pro ſolito annuo cenſu, ac alias ſub certis modo, & forma tunc expreſſis conceſſerit, & elargitus fuerit, ac Regnum ipſum Tibi modo, & forma hujuſmodi infeudaverit, Teq; de illo inveſtiverit, nihilominus quia alias rec. mem. Julius Papa II. ſimiliter Prædeceſſor in conceſſione Regni Siciliæ hujuſmodi, & Hieruſalem cum tota Terra, quæ eſt, ut præfertur, citra Pharum uſque ad confinia Terrarum S. R. E. excepta Civitate Beneventana, & ejus Territorio, ac pertinentiis per ipſum Julium Prædeceſſorem clar. mem. Ferdinando Aragoniæ, & utriuſque Siciliæ Regni dicti Philippi Genitoris tui Atavo pro ſe, & ſuis in Regno Aragoniæ Succeſſoribus tam maſculis, quam fœminis ex recta linea deſcenden. natis, & naſcituris in feudum perpetuum facta ſimiliter de Ven. Fratrum ſuorum S. R. E. Cardinalium conſilio, & forſan ante eum diverſi alii Romani Pontifices Prædeceſſores noſtri tunc ſui voluerunt jure jurando firmari, quod tam ipſe Ferdinandus Rex, quam ejus in dicto Regno Siciliæ, & Hieruſalem cum tota Terra citra Pharum, Hæredes, & Succeſſores nunquam procurarent eligi, vel nominari in Regem Romanorum, aut Theutoniæ, vel Dominum Lombardiæ, ſeu Tuſciæ, aut majoris partis earum, nec electioni, vel nominationi aſſenſum præſtarent neque ſe intromitterent ullo modo in regimine ipſius Regni Romani, ſeu Theutoniæ vel Dominii Lombardiæ, aut Tuſciæ, ſeu majoris partis earum, ad quodcumque eorum ipſi nominati fuiſſent, vel electi, & ſi poſt talem electionem de Regno Romano ſeu Theutoniæ, aut Dominio Lombardiæ, vel Tuſciæ, ſeu majoris partis earum manifeſte ſe intromitterent, ſine expreſſo Romani Pontificis mandato, eo ipſo a jure Regni Siciliæ citra Pharum hujuſmodi caderent ex toto, prout in ipſorum Julii ſub dat. quinto nonas Julii pontificatus ſui anno VII. ac Alexandri Prædeceſſorum ſub dat. Romæ apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ 1666. tertiodec. Kalen. Julii Pontificatus ſui anno XII. necnon forſan aliorum Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum confectis literis, quarum omnium, & ſingularum tenores, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur, preſentibus haberi volumus pro expreſſis plenius continetur, a nonnullis hæſitari poſſit an Ducatus Mediolani, cujus Tu etiam Dux exiſtis, majorem partem Dominii Lombardiæ hujuſmodi comprehendat, ac Tu Regnum Siciliæ, & Hieruſalem cum tota Terra citra Pharum hujuſmodi cum dicto Ducatu obtinere poſſis, nec ſuper hæſitatione, ſive dubio, aut poteſtate hujuſmodi ulla declaratio, ſive ullum Indultum, aut quælibet alia gratia ab eodem Alexandro Prædeceſſore tibi forſan conceſſa, & expedita, ſeu alias literæ Apoſtolicæ deſuper confectæ fuerint: Nos etſi cognoſcamus prohibitiones hujuſmodi non ſine magna, & rationabili cauſa a Julio, & forſan aliis Prædeceſſoribus prædictis emanaſſe, nihilominus ſperantes, & pro certo tenentes, quod Tu ſcies, & voles commiſſos tibi Populos in pacis amœnitate, & juſtitiæ cultu confovere, Noſque, & Romanam Eccleſiam ipſius Regni proprietarios, & directos Dominos grata devotione, & fide ſincera recognoſcere, & quanto potentior eris, tanto magis eidem Eccleſiæ favere, eamque contra improbos perverſorum conatus defendere, & adjuvare procurabis, Te a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſq; Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtis, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, necnon conceſſionem, & elargitionem, infeudationemque, & inveſtituram de eodem Regno per dictum Alexandrum Prædeceſſorem tibi, ut præfertur factas, ratas, & gratas habentes, motu proprio, non ad tuam, vel alterius pro Te Nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de mera liberalitate, & certa ſcientia noſtris, Te quatenus dictus Ducatus majorem partem Lombardiæ hujuſmodi comprehendat, Tuque relaxatione juramenti, & diſpenſantione ad obtinendum Regnum Siciliæ citra Pharum, & Ducatum hujuſmodi indigeas, ſeu alias relaxatione, & diſpenſatione prædictis opus ſit, a quibuſvis reatu periurii, ac ſententiis cenſuris, & pœnis ſi quas forſan Regnum Siciliæ citra Pharum hujuſmodi ante, vel poſt acceptationem d. Ducatus acceptando, aut Te illius regimini immiſcendo, vel illius Regem inſcribendo, aut Dominum Lombardiæ denominando jam forſan incurriſti, aut incurrere poſſes

Inveſtitura à prom. in tubrica ratificat Pontifex.

tes auctoritate Apoſtolica tenore præſentium abſolvimus, & liberamus, abſolutumque, & liberatum eſſe decernimus, ac dumodo alia, quæ in literis conceſſionis Regni Siciliæ citra Pharum hujuſmodi in feudum, necnon Capitulis inter piæ memoriæ Leonem Papam Decimum etiam Prædeceſſorem noſtrum, & inclitæ mem. Carolum Imperatorem tunc Regem Romanorum ſub die 3. Menſis Junii anni 1621. initii contenta ad Te, & alios ipſius Caroli Imperatoris Succeſſores pertinentia, & quorum remiſſio per prædictam Sedem facta non apparet, quorum omnium tenores acſi de verbo ad verbum inſererentur ſimiliter præſentibus haberi volumus pro expreſſis, quoad vixeris inviolabiliter obſerves, quodcumque Juramentum per Te, aut alium, nomine tuo ſuper non obtinendo Dominio Lombardiæ hujuſmodi, aut illius majori parte cum ipſo Regno Siciliæ citra Pharum hactenus forſan præſtitum, & in futurum per Te, vel Procuratorem tuum præſtandum, ex nunc, prout poſtquam præſtitum fuerit, ad hoc dumtaxat, ut Ducatum, & Regnum Siciliæ citra Pharum, & Ducem Mediolani nominare, & inſcribere, & ab aliis denominari, & inſcribi poſſis auctoritate, & tenore prædictis relaxamus, Teque eo non teneri, nec aſtringi pariter decernimus, Tibique quod Ducatum, & Regnum Siciliæ citra Pharum, ut præfertur, tenere, & poſſidere poſſis auctoritate, & tenore prædictis, de ſpeciali gratia concedimus, & indulgemus, ac perſonam tuam, ſi expediat, & opus ſit, tuq; indigeas, ad prædicta omnia habilitamus.

Contrariis derogat.

§.2. Non obſtantibus premiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon omnibus illis, quæ Julius, & Leo ac alii Romani Pontifices Prædeceſſores prædicti in literis, & Capitulis prædictis voluerunt non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Non intendit tamen præjudicare juribus Sedis Apoſt.

§.3. Volumus autem, & declaramus, quod per hujuſmodi relaxationem, Decretum, conceſſionem, Indultum, & habilitationem nullum præjudicium noſtris, & dictæ Sedis, ac S. R. E. Juribus in quibuſcumque Civitatibus, Terris, & locis ipſius Lombardiæ inferatur, ſed jura ipſa in ſuo robore ſalva, & illæſa remaneant, quodque ſi, quod abſit, Te a noſtra, & d. Eccleſiæ Romanæ ratione dicti Regni Siciliæ citra Pharum fidelitate retraxeris, præſentes literæ nullius ſint roboris, vel momenti, dictumque Regnum Siciliæ citra Pharum ad Nos, & dictam Romanam Eccleſiam devolvatur, & devolutum eſſe cenſeatur, ad eamque libere revertatur eo ipſo.

Dat. die 9. Sept. 1667. Ann. I.

Datum Romæ apud S. Mariam Majo[illegible] ſub Annulo Piſcatoris, die 9. Sept. 1667. Pontificatus noſtri Anno I.

XIII.

Renovatio Indulti nominandi ad Canonicatus, & Præbendas Eccleſiarum Colonien. Rectori, Decanis, & Proviſoribus Univerſitatis Studii Generalis Colonien. conceſſi,

Ex Regeſt. in Sect. Brev.

Dilectis filiis nobilibus viris conſulibus, & Senatui Civitatis, & Reipublicæ Colonien.

CLEMENS PAPA NONUS

Dilecti filii nobiles viri ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem,

Recenſentur aliæ Conſtit.

§.1. Alias piæ mem. Paulo PP.V. Prædeceſſori noſtro pro parte veſtra expoſito, quod pridem fel. rec. Clemens PP. VIII. ſimiliter Prædeceſſor noſter, cum accepiſſet quod antea recol. mem. Paulus Papa IV. etiam Prædeceſſor noſter certis tunc expreſſis cauſis adductus Rectori, & Decanis quatuor facultat. videlicet Theologiæ, Juridicæ, Medicinæ, & Artium, quæ conſiſtit in tribus Gymnaſiis Montano Laurentiano, & trium Coronarum Univerſitatis ſtudii Generalis Colonien., Conſilioque illius facultatis, ex qua perſona nominanda eſſet, Apoſtolica auctoritate indulſerat, ut cum Proviſoribus ejuſdem Univerſitatis perſonas aſſumere poſſent in eadem Univerſitate promotas, ac in publicis ſcholis legentes, & lecturas, quas ipſi Rector, & Decani, ac Proviſores præſtito juramento, unanimi conſilio illius facultatis, in qua legerent, vel legere deberent, ad id more ſolito congregati idoneas, & Catholicas eſſe, ac ad laudem, & fructum ſtudioſorum profiteri poſſe cognoſcerent, eaſque dilectis filiis majoris, ac aliarum Eccleſiarum dictæ Civitatis Capitulis, ad quos Canonicatuum, & Præbendarum in eiſdem Eccleſiis conſiſtentium collatio, proviſio, præſentatio, electio, inſtitutio, ſeu quævis alia diſpoſitio communiter, vel diviſim, aut alias quomodolibet pertineret, dictæ videlicet majoris, & Sancti Gereonis Colonien. ad Presbyterales tantum, ad reliquas vero aliarum Eccleſiarum prædictarum Canonicatus, & Præbendas, qui inde ad triennium tunc venturum in ſingulis Martii, Julii, & Novembris menſibus Sedi Apoſtolicæ per concordata Germaniæ cum ipſa Sede inita, reſervatis vacaſſent nominare valerent, eis, ad quos illorum collatio, præſentatio, electio, & diſpoſitio hujuſmodi ſpectaret, & deinde dictum triennium ſemel, atque iterum piæ mem. Pius Papa IV., & Pius V. etiam Prædeceſſores noſtri ad ſimile triennium prorogaverant, & indultum prædictum etiam ad majorem poſt Pontificalem, & principales, aliaſque dignitates, perſonatus, adminiſtrationes, & officia etiam curata necnon Vicarias, & Cappellanias perpetuas Majoris, & Collegiatarum, aliarumque Eccleſiarum Colonien. quæ in prædictis menſibus

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

bus intra ipsum tempus vacarent, ampliaverant, & successive rec. mem. Gregorius Papa XIII. similiter Prædecessor noster triennium a prædicto Pio V. Prædecessore prorogatum, vel concessum ad aliud triennium primo, & deinde ad quinquennium alias juxta formam literarum Indulti Pauli IV. Prædecessoris prædicti dumtaxat extenderat, vel etiam concesserat, & deinde idem quinquennium ab eo prorogatum vel concessum ad aliud quinquennium ab illius fine numerandum, extenderat, & ampliaverat; Si vero lapsum esset novum quinquennium hujusmodi, ad hoc, ut prædicto novo quinquennio durante, Rector, Decani, ac Provisores prædicti, ad Presbyterales Majores, & Sancti Gereonis tantum, ad omnes vero alios reliquarum Ecclesiarum Colonien. Canonicatus, & Præben. dumtaxat personas nominare possent, de novo concesserat, & successive similis mem. Sixtus Papa V. etiam Prædecessor noster quinquennium ab eodem Gregorio Prædecessore ultimo prorogatum, seu concessum ad quadriennium a fine ultimo prorogati, seu concessi quinquennii hujusmodi inchoandum, extenderat, & ampliaverat; Si vero lapsum esset novum quadriennium hujusmodi, ad hoc, ut ipso durante, Rector, Decani, & Provisores, ad Presbyterales Majoris, & Sancti Gereonis, ad omnes vero alios reliquarum Ecclesiarum Colonien. Canonicatus, & Præben. dumtaxat, qui interim in aliquo ex tribus mensibus prædictis extra Romanam Curiam vacarent, & alias juxta formam, & tenorem literarum Pauli Prædecessoris prædicti tantum personas, ut præfertur, qualificatas nominare, & aliam literis dicti Pauli IV. Prædecessoris contenta facere possent indulserat, ita tamen, ut personæ sic nominatæ intra sex menses a die provisionis, collationis, seu alterius cujusvis dispositionis de dictis Canonicatibus, & Præbendis in vim nominationis hujusmodi factæ numerandos novas provisiones de eisdem Canonicatibus, & Præbendis a dicta Sede petere, & Literas Apostolicas sub Plumbo in totum expedire, ac jura Cameræ Apostolicæ, & aliis propterea debita persolvere omnino tenerentur, & nisi præmissa adimplerent, ipso semestri elapso, iidem Canonicatus, & Præbendæ vacent, eo ipso, & sic vacantes per Sedem Apostolicam dumtaxat aliis quibusvis personis conferri libere possent. Volens, ut Rector, & alii prædicti hujusmodi jus nominandi habentes sive Ecclesiastici, sive laici forent, fidem Catholicam juxta articulos ab eadem Sede propositos in manibus Archiepiscopi, seu Officialis Colonien. pro tempore existentis annis singulis profiteri tenerentur, alioquin nominationes ab eis faciendæ, & inde secuta omnia nullius essent roboris, vel momenti; Ipse etiam Clemens Prædecess. certis tunc expressis de causis tempus quadriennii per dictum Sixtum Prædecessorem prorogati seu de novo concessi. de consilio tunc existentium S. R. E. Cardinalium Congregationis Germaniæ bis ad aliud quinquennium extenderat, & prorogaverat, et quatenus lapsum esset idem Indultum de novo concesserat juxta formam literarum Pauli IV. Prædecessoris prædicti ita tamen ut Prioris Indulti hujusmodi prorogatio, seu concessio non extenderetur ad Canonicatus, et Præbendas Ecclesiæ Metropolitanæ, ad Vicarias vero tam d. Metropolitanæ, quam aliarum Ecclesiarum omnium dictæ Civitatis, etiam ad alios, qui in alia, quam Colonien. Academia gradum suscepissent illud extensum esse voluerat, et extenderat, ac ampliaverat, volens, et inhibens si aliquis nominatus Beneficium, ad quod nominatus fuisset resignare vellet, ne ullo modo, nisi in manibus Romani Pontificis, aut Nuncii Apostolici in dicta Civitate Colonien. pro tempore degentes, hujusmodi Beneficium ad favorem alterius a Rectore, et Decanis prædictis nominandi, nec per resignationem illud, nec per permutationem dimittere posset, quodque nonnisi servato inter competitores concursu a Sacro Concilio Tridentino in Collationibus Parochialium Ecclesiarum præscripto ad Canonicatus, et Præbendas prædictos nominare, et conferre deberent, et nominationes jurare, se digniorem, et ad profitendum munus magis aptum prolaturos, et vicissim eum quem præferri contigisset, jurare se injunctum profitendi officium diligenter præstiturum deinde vero ex causis prædictis dictus Clemens Prædecessor Indultum hujusmodi ad quinquennium iterum prorogaverat, extenderat, seu concesserat, decrevetatque hujusmodi Canonicatus non nisi personis ex aliqua ex dictis Universitatibus idoneis, quæ jure jurando ad profitendum munus diligenter sese adstringerent, dumtaxat conferri. ac Canonicatus, et Præben. prædictos per eos hujusmodi nominationis vigore obtinen. nonnisi in manibus Romani Pontificis pro tempore existentis, cum specifica mentione, quod illos vigore nominationis consequuti essent, resignari, vel alias dimitti nullatenus possent, alioquin Canonicatus, et Præbendæ hujusmodi vacarent, eo ipso, itaut de illis per Sedem Apostolicam dumtaxat disponi posset, idem Paulus V. Prædecessor supplicationibus vestro nomine sibi super hoc humiliter porrectis inclinatus, indultum vobis a prædicto Clemente Prædecessore concessum, et desuper expeditas literas prædictas ad aliud quinquennium a fine quinquennii ultimo dicti a Clemente Prædeces. concessi computan., auctoritate Apostolica extendit, et prorogavit, et nihilominus fine præjudicio tu[illegible], et pro tempore existentis Archiepiscopi Colonien. dilectis filiis Rectori, et Decanis prædictarum quatuor facultatum in dicta Universitate canonice institutarum, et consilio illius ex facultatibus hujusmodi, cujus persona juxta formam literarum Pauli IV. Prædeces. nominanda fuisset, etiam pro tempore existentibus una cum dilectis filiis Provisoribus ipsius Universitatis, ut perso-

personas in ead. Universitate promotas, & legentes, ac lecturas, quas ipsi Rector, & Decani, ac Provisores medio eorum Juramento una cum Consilio facultatis hujusmodi in qua personæ ipsæ legerent, & legere deberent, ad hoc more solito convocato idoneas, & Catholicas esse, ac cum laude, & fructu inibi pro tempore studentium profiteri posse affirmarent, itaut si controversia in nominando inter Rectorem & Decanos, necnon Provisores, & consiliū hujusmodi exorta fuisset, ille quem major pars votis suis præferendum putasset, præferretur, dilectis filiis Majoris, ac S. Gereonis & aliarum Ecclesiarum Capitulis, ad quos Canonicatuum, & Præbendarum in eisdem Ecclesiis consisten. collatio, provisio, præsentatio, electio, institutio, seu quævis alia dispositio conjunctim, vel separatim, vel alias quomodolibet cessantibus, reservationibus, & affectionibus Apostolicis pertinebat, videlicet ad Presbyterales tantum Majoris, & S. Gereonis, itaut nominandæ personæ secundum eorum statuta, & privilegia eorum Capitulis concessa, ut præfertur qualificatæ essent, ad omnes vero, & singulos alios Canonicatus, & singulas Præbendas reliquarum Ecclesiarum hujusmodi, quæ ex tunc ad quinquennium tunc proxime futurum a fine ultimi quinquennii per Clementem Prædecessorem prorogati seu concessi computan. in singulis Martii, Julii, & Novembris mensibus pro tempore vacassent, & vacare contigeret nominare libere, & licite valerent, dicta auctoritate concessit, & indulsit, ac statuit, & ordinavit, quod ii, ad quos collatio, provisio, præsentatio, electio, & institutio, vel quævis alia dispositio Canonicatuum, & Præbendarum hujusmodi pro tempore spectaret: Canonicatus, & Præbendas quos personæ ad illos sic nominatæ per se, vel Procuratorem suum ad hoc ab eis specialiter constitutum infra unius mensis spatium, postquam eis, vel Procuratori suo illorum vacatio innotuisset duxissent acceptan. cum omnibus juribus, & pertinentiis suis eisd; nominatis personis conferre, & de iis etiam providere, seu eas ad illos præsentare, aut eligere, aut in illis instituere, vel alias de illis in earumdem personarum nominatarum favorem disponere tenerentur, quodq; iis permissa facere recusantibus, vel negligentibus, aut differentibus etiam pro tempore Abbas S. Martini Colonien., ac Decanus Ecclesiæ S. Pauli Leodien., & qui hæreticæ pravitatis Inquisitor in illis partibus, Apostolica auctoritate deputatus existeret, Prior Domus Ordinis Fratrum Prædicatorum etiam Colonien., & eorum quilibet Canonicatus, & Præbendas sic vacantes personis ad illos, ut præfertur nominatis pro ea vice tantum eadem auctoritate conferre, & de illis etiam providere pariter libere, & licite possent, & quod ab eisdem personis sic pro tempore nominatis in actu nominationis de eis pro tempore factæ, in qua facultate, in quo Gymnasio, & qua hora illa docere, seu legere deberent expr i-meretur, & si a præmissis defecissent post primam, & secundam monitiones eis desuper factas a perceptione fructuum, reddituum, et proventuum Præbendarum quas vigore nominationum, et collationum hujusmodi tunc assequuti fuissent, per Abbatem, et Decanum Ecclesiæ S. Pauli Leodien., ac Priorem prædictos, aut aliquem ex eis ad requisitionem illis per Rectorem, & Decanos facultatum, & Provisores Universitatis hujusmod facien. suspenderentur & si suspensionem hujusmodi per mensem animo sustinuissent indurato, iisdem Præbendis ipso facto, & cum effectu privarentur, & pro privatis haberentur, & statim de illis, aliis personis modo, & forma præmissis provideretur: Verum si persona nominata prædicta in aliquam suspicionem hæresis incidisset, in eas per Inquisitores hæreticæ pravitatis in illis partibus eadem auctoritate deputatos absque ulla mora inquireretur, & si illæ compertæ fuissent hæresi hujusmodi infectæ, alii Catholici ad Beneficia per illos obtenta simili modo nominarentur, & subinde quinquennium hujusmodi ad aliud quinquennium a fine ultimodicti quinquenii computan. semel, atq; iterum extendit, & prorogavit, seu concessit, & indulsit. Postmodum autem postquam fel. rec. Gregorius Papa XV. similiter Prædecessor noster per suas in simili forma Brevis expeditas literas Indultum prædictum vobis, ut præfertur, prorogatum, ac desuper confectas literas, & in eis contenta, ita tamen, ut hujusmodi Indultum Canonicatus, & Præben. Metropolitanæ Ecclesiæ Colonien. minime comprehenderet neque ad eos se extenderet, ac sine præjudicio dicti tunc, & pro tempore existentis Archiepiscopi Colonien. ac alias sub certis modo, & forma tunc expressis, ad aliud quinquennium de novo concesserat, & subinde rec. etiam me: Urb. PP VIII. pariter Prædecessor noster attendens, quod Indultum hujusmodi per Cancellariæ Apostolicæ Regulas revocatum fuerat, & sicut eidem Urbano Prædecessori tunc exponi feceratis causæ propter quas idem Indultum a prædicto Paulo IV. primo loco concessum, & ab aliis Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris prædictis ut supra prorogatum, & expresse de novo concessum fuerat, conservationis nimirum Catholicæ Religionis in ista Civitate Colonien. eo usque vigebant, vosq; cupiebatis ad Catholicorum virorum studia in iis partibus alenda, & alliciendа hujusmodi indulto diutius frui posse; Idem Urbanus Prædecessor per alias suas in simili forma Brevis expeditas literas Indultum prædictum Vobis per dictum Gregorium Prædecessorem ad quinquennium, ut præfertur de novo concessum, ac desuper confectas literas prædictas, et in eis contenta, ad aliud quinquennium Apostolica auctoritate sub certis modo, et forma tunc expressis de novo concessit, ipsumque quinquennium ad aliud pariter quinquennium, ac deinde secundo dictum quinquennium ad aliud similiter quinquennium exten-

tendit, et prorogavit: ac deinceps eidem Urbano Prædecessori per vos expositio, seu subjuncto, quod quinquennium tunc per eum ultimo loco extensum, seu concessum brevi erat expiratum, et causæ propter quas Indultum hujusmodi tam a prædictis Romanis Pontificibus, quam ab eo ultimo concessum fuerat, eatenus vigebant, dictus Urbanus Prædecessor Indultum prædictum per eum ultimo loco ad quinquennium, ut præfertur, extensum, seu de novo concessum, ac desuper confectas literas, & in eis contenta, ita tamen, ut provisiones hujusmodi servata dictarum literarum forma, fierent, ipsumque Indultum Canonicatus, & Præbendas Ecclesiæ Metropolitanæ Colonien. minime comprehenderet, nec ad eos se extenderet, ac alias sub certis modo, & forma etiam tunc expressis ad aliud quinquennium extendit, & prorogavit. Et postmodum similis rec. Innocentio Papæ X. Prædecessori etiam nostro per vos expositio, quod causæ propter quas Indultum hujusmodi tam ab eodem Urbano tunc novissime, quam ab aliis Prædecessoribus concessum fuerat etiam eatenus vigebant, ipse Innocentius Prædecessor Indultum prædictum vobis per eumdem Urbanum Prædecessorē ultimo loco ad quinquennium, ut præfertur, extensum, & seu de novo concessum, ac desuper confectas literas, & in eis contenta sub certis pariter conditionibus, modoque, & forma tunc expressis, ad aliud quinquennium pariter concessit, quinquenniumque hujusmodi postmodum ad aliud etiam quinquennium a die 20. Februarii 1650. computandum, extendit, & prorogavit. Ac demum similem. Alexander Papa VII. etiam Prædecessor noster supplicationibus vestro nomine sibi super hoc humiliter porrectis inclinatus, per ternas suas in simili forma Brevis literas, unas die 28. Augusti 1655., & alteras die 8. Januarii 1661. & reliquas die 14. Martii 1664. expeditas Indultum prædictum vobis concessum, & prorogatum, ut præfertur, sub certis modo, & forma tunc expressis primo quidem ad quinquennium, subinde vero ad triennium, & novissime ad quadriennium de novo concessit, & alias prout in singulis mem. Prædec. in eadem forma Brevis desuper expeditis literis, quarum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis haberi volumus, uberius continetur.

Prorogatio Indulti de quo in rubr.

§.2. Cum autem, sicut Nobis nuper exponi fecistis Indultum hujusmodi de præsenti cessat; causæ vero propter quas idem Indultum per prædictos Romanos Pontifices Prædecessor, nostros pluries concessum & prorogatum respective fuit, etiamnum vigeant, Vosque propterea Indultum hujusmodi ad effectum suprascript. per Nos Vobis de novo concedi summopere desideretis: Nos specialem Vobis gratiam facere volentes, & vestrum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, supplicationibus vestro nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Indultum prædictum, Vobis sicut præmittitur, pluries, et novissime a dicto Alexandro Prædecessore concessum cum omnibus, et singulis contentis in literis prædictis, ita tamen, ut provisiones hujusmodi, servata dictarum literarum forma fiant, quacumq; pretensa praxi, consuetudine, seu tollerantia contraria non obstante, quam potius abusum esse, et proinde præsens Indultum in omnibus, et per omnia juxta ejus tenorem et proprietatem, prout verba illius sonant & non aliter, nec alio modo servari debere decernimus, & cum hoc, quod indultum hujusmodi Canonicatus, & Præbendas Ecclesiæ Metropolitanę Colonien. minime comprehendat, nec ad eos se extendat, ac sine præjudicio Venerabilis Fratris moderni, & pro tempore existentis Archiepiscopi Colonien. necnon cum omnibus, & singulis aliis facultatibus, concessionibus, & Ordinationibus, clausulis, & Decretis appositis in dictis literis, ac servata in illis & per omnia earumdem literarum forma ad quinquennium a data præsentium computandum, auctoritate Apostolica, tenore præsentium de novo concedimus; Sicque, & non aliter per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S.R.E. Cardinales etiam de latere Legatos, & Sedis Apostolicæ Nuncios quavis auctoritate fungentes, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus

Decretum irritans.

§.3. Decernentes etiam Vos quinquennio prædicto per Nos concesso durante hujusmodi Indulto, ac desuper confectis literis prædictis libere, & licite uti posse, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Ecclesiarum servientium præscribit.

§.4. Volumus autem, & earumdem tenore præsentium ordinamus, ne Ecclesię in quibus personę nominatæ hujusmodi vigore vacationum, aut collationum prædictarum, eosdem Canonicatus, & Præben. obtinuerint, ob earum impedimentum in legendo debitis defraudentur obsequiis, aut cultus divinus in illis minuatur, ut eædem personæ si illis ea hora, qua ipsa divina officia celebrabuntur, legendum fuerit, tunc per idoneos substitutos inibi deservire facere possint, & ita deserviendo, pro residentibus, & inservientibus habeantur, ac distributiones quotidianas lucrentur in omnibus, & per omnia perinde ac si personaliter deservirent, die us Dominicis, & festivis principalioribus videlicet D. N. Jesu Christi, ac gloriosissimæ Virginis, & Beatorum

torum Apostolorum, & in quorum honorem dedicatæ sunt Ecclesiæ prædictæ, aliorumque Sanctorum, quorum dies in singulis eisdem Ecclesiis solemnes, & celebres habentur exceptis, quibus eis non per substitutos, sed per se ipsos personaliter deservire teneantur; quodque hujusmodi Canonicatus, & Præben. personis ad profitendum in aliqua ex d. Universitatibus idoneis repertis, qui jure jurando ad profitendi munus diligenter, ac immediate post Canonicatus, & Præben. ademptionem exercendum se adstringant, dumtaxat conferantur, ipsæque personæ prædictos Canonicatus, & Præben. per eas hujusmodi nominationis vigore obtentos, nisi in manibus nostris, & pro tempore existentis Romani Pontificis cum specifica mentione, quod illos vigore nominationis hujusmodi consequuti sunt, resignare, aut alias dimittere nullatenus possint, alioquin Canonicatus, & Præbendæ hujusmodi vacent eo ipso, itaut de illis per Sedem Apostolicam dumtaxat disponi possit, utque personæ sic nominatæ prædictæ intra sex menses a die collationis, & provisionis, aut cujusvis alterius dispositionis de Canonicatibus, & Præbendis, ad quos illas nominari contigerit sibi facien., ut præfertur, novas provisiones super illis a dicta Sede impetrare, & Literas Apostolicas desuper in totum expedire, ac jura Cameræ Apostolicæ, & aliis propterea debita omnino persolvere teneantur, alioquin dictis sex mensibus elapsis, Canonicatus, & Præbendæ hujusmodi vacent eo ipso, itaut aliis per eamdem Sedem tantum libere conferri possint.

Contrariis derogat.

§.3. Non obstan. præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Ecclesiarum prædictarum etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis eisdem Ecclesiis, & Capitulis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis, etiam iteratis vicibus concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ac hoc servanda foret, tenores hujusmodi, acsi de verbo ad verbum insererentur præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 9. Sept. 1667. An.I.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die nona Septembris 1667. Pontificatus nostri Anno I.

Bull. Rom. Tom.VI. Par.VI.

XIV.

Confirmatio Decreti Alexandri Papæ VII. approbantis nonnulla Capitula ad reformationem Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci Conventualium nuncupatorum, inservientia.

CLEMENS PAPA NONUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

DEbitum Pastoralis officii quo Ecclesiæ Catholicæ adstringimur, Nos admonet, ut paternam virorum Religiosorum curam gerentes, ea quæ pro felici reformationis inter eos institutæ progressu provide facta esse noscuntur, ut firma, atque illibata permaneant, Apostolici præsidii robore muniamus.

Causa Decreti.

§.1. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii Fratres Reformati Ordinis Minorum S. Francisci Conventualium nuncupatorum, quod alias circa transitum Fratrum Conventualium Ordinis hujusmodi ad reformationem facta fuerunt nonnulla Capitula tenoris, qui sequitur, videlicet.

Referuntur capitula ad reformationē, conducentia

§.2. Primo che tutti quelli Conventuali quali vorranno passare a vivere in detta riforma siano tenuti, & obligati chiedere licenza, & ottenere l'assenso dal P. Generale pro tempore, ovvero dal P. Provinciale della sua Provincia di far tal passaggio & esli Generale, e Provinciale conosciuto però che haveranno detto transito desiderarsi per buon fine siano tenuti concederlo a proportione però della capacità de Conventi tenuti da essi Riformati. Secondo che quelli Conventuali che vorranno passare a detta riforma dopo ottenuto l'assenso del Generale, o Provinciale della loro Provincia siino anco tenuti riportar l'assenso del Guardiano, o Superiore locale di quel Convento dove vorranno entrare. Terzo che a quelli Conventuali quali canonicamente cioè, offervare le sopradette condizioni, saranno entrati à detta Riforma à loro voglia per il tempo d' un anno cominciando dal loro Ingresso in essa Riforma, ma quello passato non possino uscire da detta Riforma senza licenza inscriptis del Padre Generale, e fede fattagli dal Superiore locale di quei Conventi dove saranno vissuti, che essi partano per causa legitima, e non per eccessi commessi in detta Riforma. Quarto, che se alcun Conventuale legitimamente entrato in detta Riforma passato un anno doppo il suo ingresso in essa, uscirà, e tornerà alla detta Conventualità non offervate le sopradette condizioni sia irremissibilmente punito con la pena di un' anno di carcere formale, della privazione di voce attiva, e passiva, nella quale non possa essere reintegrato se non dal Sommo Pontefice. Quinto, che quelli Conventuali quali entraranno in detta Riforma per tutto il tempo nel quale viveranno in essa siino tenuti offervare l' Instituto di Riformati, & i Superiori

locali possino forzarli all' osservanza in caso che premesse molte correzzioni gli detti Superiori locali non riportassero dall' Inosservanti l'osservanza desiderata debbano avvisarne il Padre Generale quale conosciuta la verità punisca li transgressori con pene opportune, e persa ogni speranza all' emendazione possino punirli etiam con l' espulsione da detta Riforma, rimettendoli alla Conventualità. Sesto, il Padre Generale, ò per se stesso, ò richiestone da alcuni Provinciali volendo servirsi per publico beneficio d' alcuni Conventuali quali saranno passati a vivere tra Riformati, etiã che frà essi vi siano stati molti anni possa chiamare qualunque gli parerà atto per il suo fine, acciò passi a vivere come prima fra essi Conventuali in quel Convento che a esso Padre Generale piacerà, & il chiamato sii tenuto obedire, e ritornare frà Conventuali. Settimo, che il Padre Generale presa informazione del più zelante, & osservante, che sia frà Riformati in ciascheduna Provincia, nelle quali si trovano i loro Conventi, lo deputi per osservare con particolar cura il vivere dell' altri Riformati affinchè avvisi subito trovando, che alcuni di essi deviino dall' Instituto loro il Padre Provinciale acciochè trovata l' inosservanza restino puniti, e non bastando per ridurli all' osservanza sia tenuto avisarne il Padre Generale, e da esso aspettare il rimedio opportuno. Ottavo, che nell' elezzione de Guardiani nelli Conventi d' essi Riformati, si osservi nell' altre Provincie, quanto di presente si osserva nella Provincia di Napoli cioè, che abbino facoltà i stantianti in ciaschedun Convento di essi Riformati capitolarmente congregati con il loro Superiore locale proporre al Definitorio in Capitolo, o Congregazione Provinciale due de loro Riformati acciò da esso Definitorio uno de due proposti sii eletto Guardiano per l' anno corrente.

§.3. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, fe:re: Alexander PP. VII. Prædecessor noster subscripta Capitula ad se relata per Decretum die 21. Sept. 1657. emanatum approbaverit, & ab omnibus ad quos pertinet, inviolabiliter observari præceperit, dicti vero Exponentes eadem Capitula, quo firmius subsistant, & serventur exactius, etiam apostolicæ nostræ confirmationis munimine roborari summopere desiderent,

Confirmat prout in rub.

§.4. Nos specialem ipsis Exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium tantum consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes: supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, audita relatione status hujus Reformationis, ejusque Conventuum necessitate perspecta, omnia, & singula Capitula præinserta, emanatumque super eorum approbatione dicti Alexandri Prædecessoris decretum hujusmodi auctoritate apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Decretum firmans.

§.5. Decernentes easdem præsentes literas, ac Capitula præinserta, & decretum hujusmodi semper firma, valida, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum

§.6 Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit, dicti Ordinis, ejusque Provinciarum, & Conventuum quorumvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§.6. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur ubique, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 16. Sept. 1667. An. I.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris. die 16. Sept. 1667. Pontificatus nostri Anno I.

XV.

Confirmatio Patentium Magistri Generalis Ordinis Prædicatorum ad favorem Fratrum Provinciæ Hiberniæ emanatarum per quas eisdem Fratribus conceditur facultas fundandi Conventus in Oppido Matriti, aliisque Mundi partibus cum diversis Ordinationibus.

Ex Regest. in Secr. Brev.

CLEMENS PAPA NONUS
Ad futuram rei memoriam.

Proœmium.

CReditæ Nobis cœlitus dispensationis ratio exigit, ut paternam virorum Religiosorum, eorum præsertim, qui Evangelicæ prædicationi addicti, labores, & pericula pro fide Catholica alacriter subeunt, curam

curam gerentes, illa quæ pro eis sublevandis, piisque, & laudabilibus eorum studiis fovendis, & promovendis ab eorum Superioribus regularibus pie prudenterq; facta, & constituta esse noscuntur, ut firma, atque illibata perfistant apostolici muniminis patrocinio libenter roboremus.

Supplicatio

§.1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Magister Generalis Ordinis Fratrum Prædicatorum quod ipse pro manutentione Instituti Evangelicæ prædicationis, cui dictus Ordo eximie incumbit, ac pro sublevandis Religiosis Provinciæ Hiberniæ, & aliarum ejusdem Ordinis, qui laboribus, carceribus, minis, & opprobriis pro Catholica Fide vexantur, literas patentis expedivit tenoris, qui sequitur videlicet: Fr. Joan: Baptista de Marinis Sacræ Theologiæ Professor Ord. Prædicatorum humilis Magister Generalis, & Servus, In Dei filio sibi dilecto R. P. Fr. Joanni Cnojur a S. Dominico ejusdem Ord., & Provinciæ nostræ Hiberniæ Procuratori Generali salutem. Hibernia re, & nomine quondam florentissima Sanctorum Insula, sed postremo hoc nostro Seculo avitæ Religionis tristi passim excidio miserrime deformata tanto solicitiorem meretur omnium ubique Christifidelium commiserationem quanto periculosius hodie sub novo quodam persecutionis genere ibidem orthodoxa fides laceratur. Neque hic Nobis eumdem per singula, dum in paradigma sufficiunt nostrorum illic Fratrum (quas exposuisti) calamitates, & clades nimirum ipso eorum Provinciali ob fidem retruso in sequestrum, aliis alibi in vincula conjectis, Missionariis dispersis, Communitatibus dissipatis &c. quibus nisi aliunde per novorum identidem operariorum quotidiana supplementa provide succurratur, brevi de Provincia actum erit. Porro (ut prudenter suggessisti) iis succurri non poterit nisi extra Insulam in aliis Catholicorum Principum Regnis, ac Ditionibus multiplicentur nationalia Religiosorum istorum domicilia, & Literarum Collegia in quibus tum Exules nostri Missionarii ob fidem proscripti asylum inveniant, tum vernacula Hibernorum juventus studiis controversiarum, & Sacrarum Linguarum jugiter ad Apostolicam Missionem erudiatur. Hoc igitur extremum istius desolationis remedium, ut suo tandem potiatur usu, & effectu, in quem una tecum undique plurium Magnatum vota, instantiæ promissa munifice pientissimeque conspirant, ampliusque in aliis pariter Regionibus conspiratura putantur, Nos harum serie, ac suprema officii nostri auctoritate in primis tibi supranominato, tuisque in officio Successoribus potestatem facimus acceptandi, erigendi, ac formandi apud Matritum Hispaniæ unicum tuæ nativæ Provinciæ Collegium, quale confidis illic ex piorum eleemosynis, ac liberali fundatione te obtenturum ad effectum præcipue ibidem sub regulari disciplina educandi Missionarios Hibernicæ nationis indiscriminatim, ita tamen, ut etiam Angli, & Scoti in eodem Collegio recipiantur, sustententur, & instruantur cum potestate etiam ibidem recipiendi ad habitum, & professionem juvenes supradictarum trium nationum, illosque educandi in proprio novitiatu sub exacta observantia regulari simili ratione, fine, ac modo in aliis quibuscumque locis tum Hispaniarum, tum cæterorum per Europam Catholicorum Regnorum, Statuum, & Ditionum ubicumque Patronos, Fautores, ac Fundatores potueris reperire, atque ad tantæ pietatis opus inducere, tibi, tuisque Successoribus in officio amodo liceat hujusmodi Collegia procurare suscipere, eorumdem Regnorum nationalibus consignare ad effectum ut supra, & cum iisdem facultatibus. Volumus autem, ac declaramus, quod omnia, & singula ejusmodi Collegia ubicumque Dei ope fidelium munificentia, tuaque, & Successorum industria excitabuntur, ipso facto sint, & permaneant vera membra solius nostræ Provinciæ Hiberniæ, ita quod nulli alteri Ordinis Superiori subsint, præterquam suo Provinciali Hiberniæ, & Magistro Ordinis pro tempore. Interim donec Fratres nostri proprias seorsim fundationes, & domicilia, ut supra, possideant, ne stante hac eorum notoria paupertate adigantur ad solvendas in Provinciarum Conventibus, aut Hospitiis taxatas contributiones, quas utique extorres, & egeni solvere nequeunt instar cæterorum, qui pacatas Provincias habent, mandamus, quod Præsides istorum Conventuum, & Hospitiorum in hujusmodi alienis Provinciis nihil a Fratribus nostris Anglis, Hibernis, Scotis apud se hospitaturis exigant ultra quotidianæ Missæ celebrationem tantum, ubicumque vero iidem Fratres in Hospitiis, aut Conventibus sub ea conditione non recipientur, licebit ipsis hospitari apud alios quoscumque benevolos receptores ecclesiasticos, sive ii sint regulares, sive seculares, ne ob temporales respectus ullibi Sanctum istud procurandarum fundationum impediatur negotium a quo tot animarum salus dependet. Denique in virtute Spiritus Sancti, sanctæ obedientiæ sub formali præcepto, necnon sub pœna majoris excommunicationis ipso facto incurrenda, aliisque pœnis nobis arbitrariis ex nunc strictissime prohibemus universis, & singulis nostræ curæ subjectis quacumque dignitate, gradu, officio, aut qualitate censeantur, ne ullibi supradictas Collegiorum Hibernicorum pro nostris, fundationes, acquisitiones, incrementa per se, vel per alios directe, vel indirecte, clam, vel palam, sub quocumque motivo, colore, aut immaginabili prætextu, impediant, retardent, aut disturbent, quin potius enixe hortamur A.RR.PP. tum Hispan. tum cæterarum Prov. Priores Prov. quatenus per se, & suos, ubique tam sanctum, & pium opus magno studio, & connisu promoveant, juvent, & foveant, Fratres nostros Hibernos in suis Provinciis, & Congregationibus libenter, paterneque complectantur, ipsorum

rum solatio, & profectibus sincere saveant, ipsos benefactoribus commendent, omnique opportuno subsidio, consilio, affectu eis opitulari non dedignentur. Et quia charitati nulla præfixa est mensura, aut limes, hortamur eosdem Priores Provinciales in Visceribus Jesu Christi, quod his Fratribus ad missiones, & martyria pro fide auctoratis sponte, & liberaliter ex suismet propriis Conventibus, unum, aut plures in suis Provinciis cedant, ac resignent. Tales autem Conventus hoc modo resignatos ex nunc pro tunc iisdem Fratribus, ipsorumque Provinciæ applicamus, & incorporamus apostolica auctoritate speciali, qua in hoc fungimur. Item supradictam facultatem procurandi, fundandi, acceptandi, & formandi hæc nationalia Collegia, Domos, atque Conventus pariter extendimus ad acquirenda monialium Cœnobia, seu Monasteria pro Hibernis, Anglis, & Scotis Deo ubivis locorum consecrandis, siquidem hæ in propria sua Patria hanc relinquendi sæculi commoditatem sperare nullibi possunt. Quodsi etiam in aliarum Missionum (præsertim Orientalium) solatium tibi, vel tuis Successoribus in officio placuerit, ac sine incommodo propriorum nationalium posse fieri videbitur, concedimus pariter, quod in præfatis vestris Domibus, Collegiis, & Conventibus recipiantur etiam nostri Fratres Armeni, sive ad hospitandum, sive etiam ad commorandum pro studio, & institutione, idemque concessum est, quoad alios Religiosos nostros de terris infidelium adventantes. Porro, ut omnibus his, quæ sperantur novellis Cœnobiorum plantationibus de optima, & stabili forma regiminis prospiciatur, ex nunc harum serie, te, tuosque in hoc tuo Procuratoris Generalis officio Successores omnibus hujusmodi Cœnobiis, Collegiis, ac Domibus præficimus cum titulo Vicarii Provincialis Hiberniæ pro tempore cumque omni in temporalibus, ac spiritualibus Jurisdictione, ac potestate quam Priores Provinciales in suis Provinciis habere debent, ac solent, etiam cum facultate subdelegandi, ita ut quando contigerit te, tuosve Successores longius distare, aut alio impedimento detineri ab adeundo loco, ubi Collegium, aut Cœnobium, seu Fratrum, seu Monialium plantandum, acceptandum, formandum, aut visitandum fuerit, possis (iique successive possint) eo destinare Commissarium, ac Visitatorem quoties, & quando opus fuerit cum plena, aut limitata auctoritate, prout videbitur, talemque, seu Commissarium, seu Visitatorem a te, vel a tuis Successoribus missum possis (illique possint) revocare, aliumq; subrogare ad effectum ea omnia, & singula agendi, disponendi, atque præstandi, quecumque ipsemet ageres, si personaliter eo accessisses. Item quantum in Nobis est, Tibi, tuisque Successoribus plenariam concedimus facultatem destinandi Prædicatores, & Missionarios ad terras infidelium, & hæreticorum pro conversione, & lucro animarum seu pereuntium, seu periclitantium. Insuper Tibi, & Successoribus tuis potestatem damus imponendi præcepta formalia, fulminandi censuras, condemnandi ad pœnam carceris, & exercendi omnes illos actus Jurisdictionis, quos Provinciales ex ordinaria sua auctoritate exercere possunt in personas sibi subjectas: Præterea si contingat supradicta Collegia, Cœnobia, Monasteria, vel aliquod eorum ab ipso Provinciali Hiberniæ personaliter visitari, ipso præsente, quiescet ibidem tua, tuorumque Successorum auctoritas; verum illo inde digresso, eadem auctoritas ipso facto redibit ad usum ut antea, sic, quod ea non censebitur expirasse per adventum Provincialis, neque illam tunc, aut alias tibi possit auferre Provincialis Hiberniæ in toto, vel in parte, nisi de expresso consensu Magistri Ordinis: Te vero per mortem sublato, ad Provincialem Hiberniæ pertineat subrogare alium Procuratorem Provinciæ cum iisdem facultatibus, ut supra, & cum præfinitione termini quoad durationem officii, quem tamen semel, ac pluries poterit prorogare, prout necessitas postularit. Ulterius ex apostolica auctoritate Nobis specialiter indulta concedimus Tibi, & tuis Successoribus plenariam facultatem, qua in præmemoratis novis Conventibus, Collegiis, ac Monasteriis institutas, & præficias Priores, Rectores, Prioressas donec ad eum perveniant numerum personarum, qui ad electionem canonicam sufficiat; eadem facultate possis electiones approbare, & confirmare; ipsis vero institutis, aut electis terminum officii sui quatenus expedire judicaveris semel, ac pluries prorogare, vel ut reeligantur habilitare. Similiter possis ubique in Domibus tibi subjectis instituere Subpriores, Vicarios, Præsides, Magistros Novitiorum, Lectores, Officiales, ac Studiorum Moderatores; eademque proportionaliter, ac respective circa Monasteria Monialium tibi concessa sunt, & quidquid facultatis, aut jurisdictionis tibi in his nostris literis patentibus conceditur, id totum pariter tuis in eodem officio futuris Successoribus concessum intelligatur: Et ut omnia obstacula quantum fieri potest removeantur, denuo sub formali præcepto, & anathemate quo supra, necnon sub pœna privationis utriusque vocis, & graduum, perpetuaque inhabilitate ad ea recuperanda interdicimus universis, & singulis tam Superioribus, quam Subditis in quacumque Ordinis Provincia, aut Congregatione degentibus, ne hujic per Nos tibi, & Successoribus tuis collatæ jurisdictioni, titulo, & facultati quispiam sese apponat, eamve judicialiter, vel extrajudicialiter impugnet, aut impediat; Ipsis vero Fratribus, & Sororibus prædicta nova Collegia, Conventus, atque Monasteria respective inhabitaturis, aut in iis quoquo modo, vel occasione commoraturis præcipimus sub eodem formali præcepto, iisdemque pœnis, quod tibi, & tuis Successoribus tanquam legitimis suis Præ-

latis, ac veris Superioribus exactam præstent obedientiam, reverentiam, & honorem. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Quibuscumque in contrarium non obstantibus. In fidem his officii nostri Sigillo munitis propria manu subscripsimus. Romæ 6. Julii 1667.

Confirmat Pontifex. §.2. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat præfatus Magister Generalis literas hujusmodi, quo firmius subsistant, & serventur exactius apostolicæ nostræ confirmationis præsidio communiri plurimum desideret: Nos ipsum Magistrum Generalem specialis favore gratiæ prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Ven. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, attentis narratis, visisque, & diligenter per eosdem Cardinales, consideratis literis patentibus præinserti tenoris, easdem literas auctoritate apostolica tenore præsentium benigne confirmamus, suumque effectum sortiri mandamus; salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis præfatorum Cardinalium.

Decretum irritans. §.3. Decernentes ipsas præsentes, & præinsertas literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, ac illis ad quos spectat, & spectabit in futurum in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab illis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum §.4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit dicti Ordinis, ejusque Provinciarum, & Conventuum, & Locorum Regularium quorumcumque etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo, ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumpto rum fides. §.5. Volumus autem ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides ubique tam in judicio, quam extra adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 16. Sept. 1667. Pontificatus nostri Anno I. Dat. die 16. Sept. 1667. Ann. 1.

XVI.

Quod Presbyteri Societatis Jesu Officium cum Octava de præcepto, & Missam Conceptionis B. Mariæ Virginis recitare, & celebrare valeant.

CLEMENS PAPA NONUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. AUgustissimæ, atque Gloriosissimæ Virginis Dei Genitricis Mariæ, cujus virtutem, & pulchritudinem Sol, & Luna mirantur, natura obstupescit, Infernus contremiscit, cultum, & venerationem in terris quanto possumus studio promovere satagentes, pia fidelium, eorum præsertim, qui Altissimi obsequiis sub suavi Religionis jugo mancipati, aliis ad opera pietatis exemplo prælucent, & salubri directione viam monstrant, vota in id ipsum tendentia libenter exaudimus, ac favoribus, & gratiis prosequimur opportunis.

Concedit pro ut in rubr. §.1. Supplicationibus itaque dilecti filii Joannis Pauli Olivæ Præpositi Generalis Societatis Jesu, tam suo, quam totius Societatis prædictæ nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ut in eadem Societate ab omnibus illius Presbyteris, & Clericis Regularibus, qui horas canonicas recitare tenentur, Officium, & Missa Conceptionis ejusdem Beatæ Mariæ Virginis Immaculatæ cum Octava in posterum de præcepto recitetur, cum lectionibus in Octavario Romano a Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Sacris Ritibus Præpositorum approbato contentis, & a die octava ad decimam quintam Decembris rite dispositis, auctoritate Apostolica tenore præsentium mandamus, & decernimus, Idemq; Officium ad usum dictæ Societatis seorsim ab Octavario Romano imprimi posse concedimus.

Contrariis derogat. §.2. Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumpto rum fides. §.3. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici, vel Secretarii dictæ Societatis subscriptis, & sigillo memorati Præpositi Generalis, aut alterius personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Da-

Dat. die 17. Sept. 1667. An. I.

Datum Romę apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 17. Sept. 1667. Pontificatus nostri Anno I.

XVII.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Separatio quorumdam Conventuum a Provincia S. Dionysii in Gallia Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia Recollectorum cum eorum erectione in novam Provinciam sub titulo S. Antonii de Padua.

CLEMENS PAPA NONUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

CRediteæ Nobis divinitus dispensationis ratio postulat, ut paternam Christifidelium, qui e fluctibus seculi in religiosæ vitæ portum confugerunt, curam gerentes, prospero, felicique eorum regimini, & gubernio consulere satagamus, sicut rerum, locorum, personarum, & temporum qualitatibus mature perpensis, salubriter expedire in Domino arbitramur.

Supplicatio.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii Constantius Legrand, & Potentianus Ozon Procuratores specialiter deputati Provinciæ S. Dionysii in Gallia Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observ. Recollectorum nuncupatorum, quod cum dilectus filius Minister Generalis dicti Ord. ad instantiam, & petitionem charissimi in Christo filii nostri Ludovici Francorum Regis Christianissimi, multos Conventus tam Fratrum, quam Monialium ejusdem Ordinis in iis Artesiæ, ac Annoniæ, & Flandriæ locis, quæ per ultimum pacis fœdus inter utrumque Regem initum Ditioni Gallicæ acquisita remanserunt, sitos in novam custodiam cum aggregatione ad dictam Provinciam S. Dionysii, & dependentia ab illa erexerit; Per hanc autem aggregationem, & incorporationem ita ampliata, & extensa reperiatur eadem Provincia, ut quadringenta milliaria excedens, ab uno Ministro Provinciali modo in regula præscripto non possit amplius visitari, nec emergentibus difficultatibus sufficienter ab ipso provideri; unde disciplina regularis sentim prolabitur, pietas religiosa tepescit, totaque Provincia in sui detrimentum pedetentim vergit: In Capitulo Provinciali Provinciæ hujusmodi communi consensu decretum fuit, id etiam desiderante memorato Ludovico Rege, hanc Sanctam Sedem Apostolicam pro seperatione dictorum Conventuum a Provincia præfata, eorumq; erectione in novam Provinciam sub titulo S. Antonii de Padua esse consulendam.

§. 2. Quare Constantius, & Potentianus præfati memoratæ Provinciæ nomine Nobis humiliter supplicari fecerunt, ut dictos Conventus, qui Fratrum quidem sunt numero tredecim, Monialium vero prope octodecim, ab eadem Provincia separare, ac in novam Provinciam, ut præfertur, erigere de benignitate apostolica dignaremur.

Concedit ut in rubrica.

§. 3. Nos igitur ipsos Constantium, & Potentianum specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum, consilio attentis narratis, & consensu a præfato Ministro Generali Ordinis hujusmodi præstito, præfatos Conventus, tam Fratrum, quam Monialium a supradicta Provincia S. Dionysii auctoritate apostolica tenore præsentium excorporamus, & in novam Provinciam sub titulo S. Antonii de Padua cum omnibus privilegiis, & juribus aliarum dicti Ordinis Provinciarum erigimus, & instituimus; Ac ejusdem Provinciæ S. Dionysii Definitorio committimus electionem Ministri Provincialis, Custodis, Definitorum, aliorumque Superiorum, & Officialium dictæ novæ Provinciæ sic erectæ.

Decretum irritans.

§. 4. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus fortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, plenissime suffragari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit Ordinis, & Provinciæ, & Conventuum hujusmodi etiä juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum inlertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 19. Sep. 1667. An. I.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 19. Sept. 1667. Pontificatus nostri Anno I.

De-

XVIII.

Ex Regest. in Secr. Brev.

Decernit Visitationem Apostolicam Ecclesiarum, & Locorum Piorum Urbis a fel. rec. Alexandro VII. institutam, & inchoatam continuari, & absolvi debere.

CLEMENS PAPA NONUS

Ad futuram rei memoriam.

Motiva hujus constitutionis.

CUM fel. rec. Alexander PP. VII. Prædecessor noster circa Pontificatus sui primordia, pastoralem Cleri Romani, omniumque Almæ hujus Urbis Ecclesiarum, piorumque locorum, & operum visitationem instituerit, eamq; ipsemet in Patriarchalibus ejusdem Urbis Ecclesiis, inchoaverit, ac sibi in eo munere Adjutores nonnullos ex Sacro Venerabilium Fratrum nostrorum tunc suorum S. R. E. Cardinalium Collegio delegerit, & assumpserit, eisque quosdam Romanæ Curiæ Prælatos, & alios subinde Cardinales de quorum numero tunc eramus, adjunxerit, qui visitationem ipsam peragerent, & negotia illam concernentia expedirent; ac Secretarium, Judicem, Cancellarium, seu Actuarium, Commissarium, & Fiscalem, aliosque forsan Officiales, & Ministros Sacræ Visitationis hujusmodi deputaverit, variasque eisdem Cardinalibus, ac eorum, & dictorum Prælatorum Congregationi, necnon Officialibus, & Ministris præfatis, facultates, præeminentias, & indulta concesserit, & impertitus fuerit, & alias prout in diversis ipsius Alexandri Prædecessoris literis desuper in simili forma Brevis expeditis, quarum tenores, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus uberius continetur: Et sicut accepimus memorati, quidem Cardinales, Visitatores una cum Prælatis Coadjutoribus suis, visitationem hujusmodi tam in eisdem Patriarchalibus, quam in aliis Collegiatis, & fere omnibus Parochialibus Ecclesiis, ac in multis Monasteriis regularium tam virorum, quam Mulierum, necnon Collegiis, Hospitalibus, Confraternitatibus, & aliis Locis Piis dictæ Urbis postea prosecuti fuerint, salutaribusque monitis, & decretis, ubi opus fuit provideriut; Visitatio tamen ipsa in omnibus Ecclesiis, ac locis, & operibus piis præfatis nondum sic peracta, sed multa negotia eam concernentia adhuc pendeant indecisa. Hinc est quod Nos pastorali studio considerantes quantopere visitatio hujusmodi utilis, & necessaria sit, non modo ad tollendos abusus, sed etiam ad præcavendum ne deinceps introducantur, quantumque boni ex illa hactenus provenerit, & benedicente Domino proventurum sit, si visitatio ipsa continuetur, & absolvatur, ac in ea, quæ ad Dei cultum, & gloriam, animarumq; salutem, opporna, & conducibilia sunt sicut hactenus factum est imposterum quoque pie prudenterque statuantur; motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine memoratam Visitationem continuari, & absolvi, causasque indecisas in Congregatione præfata pendentes, prout æquitatis, atque justitiæ ratio suaserit, terminari, visitationes particularium Eccl., & locorum, & operum piorum jam inchoatas absolvi, necnon Ecclesias, & loca, & opera pia nondum visitata visitari, cæteraque omnia, & singula visitationem hujusmodi quomodolibet concernentia fieri, geri, statui, & ordinari, ac executioni demandari debere tenore præsentium decernimus, & mandamus, Ac omnes, & singulas facultates, privilegia, gratias, præeminentias, prærogativas, & indulta quæcumque præfatis Cardinalibus, & Prælatis, eorumque Congregationi, necnon omnibus, & singulis Officialibus, & Ministris supradictis a memorato Alexandro Prædecessore per suas literas præfatas quovis modo respective concessa, & attributa, per obitum ejusdem Alexandri Prædecessoris minime cessasse, nec cessare, sed in suis robore, & firmitate permanere, omnibusque, & singulis præfatis respective adhuc competere, & suffragari debere decernimus pariter, & declaramus.

Renovatio privilegia con gteg concessa

§. 1. Et quatenus opus sit facultates, privilegia, gratias, præeminentias, prærogativas, & indulta hujusmodi, eisdem Cardinalibus, & Prælatis, eorumque Congregationi, ac Officialibus, & Ministris præfatis in omnibus, & per omnia, prout eis respective a dicto Alexandro Prædecessore concessa, & attributa fuerunt, motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus denuo concedimus, tribuimus, & impartimur.

Decretum irritans.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas, & in eis contenta quæcumque etiam ex eo, quod quicumque in præmissis, seu eorum aliquo interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, cujuscumq; status, gradus, ordinis, præeminentiæ, & dignitatis existant, etiam Cardinalatus honore fulgentes, aut alias specifica, & individua mentione, & expressione digni illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, neque causæ propter quas præsentes emanarunt, adductæ, verificatæ, vel justificatæ fuerint, aut ex alia quacumque quantumvis juxta, ria, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite etiam in corpore juris clauso, etiam enormis enormissimæ, & totalis læsionis nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam quantumvis magno, & substantiali, ac individuam expressionem requirente defectu notari, impugnari, invalidari, infringi, retractari, ad terminos juris reduci, seu in controversiam revocari, aut adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, vel intentari, seu impetrato, aut etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine

Mandat continuari visitationem prædictam.

dine paribus concesso, seu emanato quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare posse, sed ipsas præsentes literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, nosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & spectabit in futurum plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari; sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, necnon ejusdem S.R.E. Cardinales etiam de latere Legatos, & alios quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & autoritate, judicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§.3. Non obstantibus præmissis, ac omnibus, & singulis illis, quæ memoratus Alexander Prædecessor in suis literis supradictis voluit non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§.4. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides, ubique tam in judicio, quam extra adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 10. Sept. 1667. An. I.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 20. Sept. 1667. Pontificatus nostri Anno I.

XIX.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Confirmatio Brevis Alexandri VII. cum diversis aliis Ordinationibus pro Monasteriis Monialium Excalceatarum Regni Franciæ.

CLEMENS PAPA NONUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

DEbitum pastoralis officii, quod ineffabilis divinæ sapientiæ, atque bonitatis Altitudo humilitati nostræ, nullo licet meritorum nostrorum suffragio, imponere dignata est, exigit, ut præcipuam Sacrarum Virginum, & devotarum Mulierum Altissimi obsequiis sub suavi Religionis jugo mancipatarum) quarum quo sublimior gloria est, major, & cura, sollicitudinem gerentes, ea, quæ a Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris pro felici illarum regimine, pie salubriterque constituta esse noscuntur, quo firmiora, atque stabiliora persistant, Apostolici patrocinii præsidio muniamus, si quæ vero aliquantum mutanda, seu adiicienda, aut aliter disponenda esse magistra rerum experientia suadeat, in iis paternæ nostræ charitatis, atque providentiæ partes desiderari minime patiamur, ut illustrior illa portio gregis Christi, præcisis quorumcumque dissidiorum, quæ amabilis concordiæ, religiosæque tranquillitatis serenitatem obnubilare possent, occasionibus majora in dies decoris, atque ornamenti gratiæ Spiritualis Domino donante suscipiat incrementa, omnibusque recte, atque ordine dispositis flos ille ecclesiastici germinis bono semper Christi odore de bona conversatione fragrans gloriosam S. Matris Ecclesiæ fecunditatem amplioribus lætificet cumulis gaudiorum.

Refert aliud Breve.

§.1. Alias siquidem emanarunt a fe. re. Alexandro Papa VII. Prædecessore nostro literæ in simili forma Brevis tenoris, qui sequitur videlicet Alexander Papa VII. ad perpet. rei memoriam. Sacrosancti Apostolatus officii cura &c. Reliqua ut in suo ordine sub die 26. Sept. 1661. à septimo.

Motiva hujus confirmationis.

§.2. Cum autem sicut nomine charissimi in Christo filii nostri Ludovici Francorum Regis Christianissimi nobis nuper expositum fuit, licet per præinfertas Alexandri Prædecessoris literas felici, prosperoque prædictorum Monasteriorum Monialium Carmelitanarum Excalceat. Regni Franciæ gubernio sapienter consultum fuerit, aliqua tamen supersint, quæ ad majorem earundem literarum dilucidationem, & explicationem, atque ad recidendas dubietates jam exortas, excludendasque; controversias, quæ progressu temporis suboriri possent, ac ad sublevandas duorum Visitatorum prædictorum curas, pacemque, & animorum concordiam inter memoratas Moniales, earumque Superiores, & Visitatores firmius solidandam Apostolica auctoritate secundum æquitatis, & prudentiæ regulas declarari, atque de novo statui debere videantur: Nobis propterea idem Ludovicus Rex humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Confirmat Pontifex.

§.3. Nos igitur piis ipsius Ludovici Regis votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere, ac salubri prædictarum Monialium, quæ Christianæ pietatis, aliarumque religiosarum virtutum studiis eximie florere noscuntur, directioni pro peculiari nostro in eas charitatis affectu consulere cupientes, hujusmodi supplicationibus inclinati, præinsertas Alexandri Prædecessoris literas, ac omnia, & singula in eis contenta, in his tamen, quæ infra stabiliendis non adversantur, auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illisque omnibus, & singulis perpetuæ, & inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adiicimus; Ac omnibus dictorum Monasteriorum Prioristis, Superioristis, Monialibus, & personis quibuscumque ut eisdem literis, omnibusque, & singulis in illis contentis prompte, & sincere sine ulla oppositione, vel protestatione pareant, & obediant, in virtute sanctæ obedientiæ, ac etiam sub excommunicationis ipso facto incurren. pœna præcipimus, & mandamus.

Declarat tertium Visitatorem, atque statuit, ut in Rubric.

§.4. Statuentes, & declarantes, quod deinceps juxta tenorem Constitutionis recol. mem. Gregorii Papæ XV. Prædecessoris pariter nostri die 12. Sept. 1622. editæ, nullum Monialium dicti Ordinis in Regno Franciæ Monasterium ab alio dependeat, aut alterius membrum censeatur, salva honoris prærogativa Monasterio Parisien. nunc Incarnationis in suburbio Sancti Jacobi nuncupato; quodque memorati Alexandri Prædecessoris literæ in simili forma Brevis, die 5. Octobris 1666. in favorem Monasteriorum Monialium dicti Ordinis Civitatis Bisuntin., & loci Grajacensis in Comitatu Burgundiæ expeditæ, quarum tenorem præsentibus pro expresso & inserto haberi volumus, locum habere non debeant in administratione Monasteriorum Regni Franciæ, nec ad consequentiam trahi possint. Ac dilectis filiis Rectoribus, seu Superioribus immediatis, & Visitatoribus prædictorum Monasteriorum Monialium Regni Franciæ, ne ipsi limites facultatum, & potestatis sibi respective concessarum extendant, interdicimus; Visitatoribus autem prædictis, ut statuta pro salubri Monasteriorum hujusmodi regimine ab ipsis edita, Superioribus eorumdem Monasteriorum communicent, seu nota faciant, ad hoc, ut dicti Superiores eorum observationi pro muneris sui ratione diligentius, & cautius invigilent, dummodo illa Constitutionibus dicti Ordinis non adversentur, præcipimus. Insuper attenta multitudine, & distantia dictorum Monasteriorum in variis Regni prædicti partibus dispersorum, in subsidium, & levamen prædict; duorum Visitatorum jam existentium, dilectum pariter filium Martialem Chanut Monasterii d'Iffoire Ordinis S. Benedicti Claromonten. Diœces. Abbatem, seu perpetuum Commendatarium, qui, ut accepimus, doctrinæ, & virtutum meritis conspicuus existit, in tertium eorumd; Monasteriorum Monialium, Visitatorem perpetuum auctoritate, & tenore prædictis constituimus, & deputamus. Volentes, & eadem auctoritate decernentes, ut in posterum tres sint Monasteriorum hujusmodi Visitatores perpetui, hac tamen lege, ut in casu mortis, vel recessus unius ex tribus, duo Superstites Visitatores duos ætate graves, ac vitæ, & probitatis spectatæ Viros nostro, & Sedis prædictæ Nuncio pro tempore in Regno prædicto commoranti nominent, qui unum ex illis in tertium Visitatorem deputet; salva, illæsa, & inviolabili in omnibus aliis remanente memorati Alexandri Prædecessoris literarum circa eosdem Visitatores dispositione.

§.5. Ut autem omnis controversiæ, & contentionis occasio inter prædictos Visitatores, & Rectores, seu Superiores Ordinarios immediatos tollatur, supradictis literis inhærendo, stricte prohibemus, ne Rector, seu Superior immediatus ullo unquam tempore directe, vel indirecte, privative, vel cumulative, seu alias quomodolibet sese ingerere præsumat in visitatione, aut alia quavis functione, quæ ad peculiare Officium Visitatoris Monasteriorum hujusmodi spectet; neve dicti Visitatores in functionibus, quæ memoratis Rectoribus, seu Superioribus immediatis peculiariter attributæ sunt, & in præinsertis literis latius continentur, se ullatenus ingerant, etiam in cursu visitationis, nisi in casibus in supradictis Alexandri, & aliorum Prædecessorum nostrorum literis expresse contentis, & in iis, in quibus iidem Superiores excederent, aut concessis sibi facultatibus abuterentur.

§.6. Statuentes pariter, & ordinantes, ut in omni electione Rectorum, seu Superiorum immediatorum cujuscumque Monasterii præter Prioristam, seu Superioristam, quæ ad hunc effectum dupliciis voti prærogativa gaudebit, Superioristam, & Moniales Depositarias duæ aliæ Moniales per suffragia Communitatis cujuscumque Monasterii eligendæ possint, & debeant votum, & suffragium ferre. Præterea cum sicut pariter accepimus omnes, & singulæ Prioristæ, seu Superioristæ, & Moniales omnium Monasteriorum dicti Ordinis in Regno Franciæ consistentium plenam, & perfectam supradictis Alexandri Prædecessoris die 2. Octobris 1659. & die 13. Januarii, & 11. Aprilis, necnon præinsertis die 26. Septembris 1661. respective emanatis literis obedientiam exhibuerint ab eisdem omnibus, & singulis Prioristis, seu Superioristis, & Monialibus omnem, & quamcumque inhabilitatem, quam ob denegatam dictis literis obedientiam incurrisse prætendi possent, auctoritate, & tenore prædictis abstergimus, easque, & earum quamlibet ab inhabilitate hujusmodi totaliter liberamus, ac illas ad omnia dicti Ordinis munia, & officia rehabilitamus nec non omnibus, & singulis perpetuum super his silentium imponimus, & ne dictæ inobedientiæ prætextu quisquam eas d; Prioristas, seu Superioristas, & Moniales inquietare, & molestare quoquo modo præsumant, expresse prohibemus; Mandantes insuper, & præcipientes omnibus, & Superioribus, Visitatoribus, Prioristis, seu Superioristis, & Monialibus Monasteriorum hujusmodi sub excommunicationis, ac inobedientiæ, & privationis officiorum pœnis eo ipso, si contravenerint absque alia declaratione incurrendis, ut præsentibus nostris literis, singulisque in eis contentis prompte, & sine ulla oppositione, vel protestatione obediant; alioquin si contigerit (quod non est credendum) aliquam ex dictis Prioristis, seu Superioristis, & Monialibus inobedientem fieri, illa in Prioristam cujuscumque ex prædictis Monasteriis eligi, vel assumi, aut prius electa, vel assumpta confirmari nullo unquam tempore possit.

Decretum firmant.

§.7. Ac decernentes pariter eadem præsentes literas, & in eis contenta quæcumque

que etiam ex eo quod quicumq; in præmissis, seu eorum aliquo jus, vel interesse habentes, seu habere quovis modo prætendentes cujuscumque status, gradus, ordinis, præeminentiæ, & dignitatis, seu alias specifica, & individua mentione digni existant, illis non consenserint, nec ad ea vocati, & auditi, neque causæ propter quas ipsæ præsentes emanarint, adductæ, specificatæ, & justificatæ fuerint, aut ex quacumque alia etiam quantumvis justa, pia, & privilegiata causa, prætextu, colore, & capite, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium, consensus, aliove quolibet etiam substantiali, ac de necessitate specifice exprimendo defectu impugnari, redargui, infringi, notari, restringi, seu in controversiam vocari, aut adversus illas quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, seu impetrato, aut etiam motu proprio, ac ex certa scientia, & de Apostolicæ potestatis plenitudine emanato, vel concesso quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare nullatenus umquam posse, sed eastem præsentes literas semper, & perpetuo firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & spectabit quandocumque in futurum inviolabiliter observari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S.R.E. Cardinales etiam de latere Legatos, & Apostolicæ Sedis Nuncios, & alios quoscumque, etiam quavis præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum

§.8. Non obstantibus quoad ea quæ præsentibus adversantur præinsertis Alexandri Prædecessoris Literis, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis necnon omnibus, & singulis illis, quæ in eisdem literis concessa sunt non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§.9. Cæterum volumus pariter, ut ipsarum præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique habeatur, quæ præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 26. Sept. 1667. An.I.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 26. Sept. 1667. Pontificatus nostri Anno I.

XX.

Confirmatio Privilegiorum omnium concessorum, tam Guardiano Sacri Montis Sion, quam Fratribus, necnon locis Terræ Sanctæ.

CLEMENS PAPA NONUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Pliis Christifidelium votis, ex quibus Sacrorum locorum venerationem, & animarum salutem provenire conspicimus libenter annuimus, & illa quantum Nobis ex alto conceditur, favoribus Apostolicis confovemus.

Supplicatio.

§.1. Cum itaque sicut dilectus filius Ludovicus a Justitia Frater expresse professus Provinciæ Granatensis Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum, ac Prædicator Verbi Dei, necnon Commissarius, ac Procurator Generalis in Romana Curia totius Familiæ Terræ Sanctæ Nobis nuper exponi fecit, ipse ad ejusdem Terræ S. subsidium, eorumdemque Fratrum inibi vineam Domini assidue, excolentium, sacraque loca venerantium subventionem, necnon ad spiritualem Catholicorum in illis partibus degentium, eoque devotionis causa peregrinantium consolationem, & profectum omnia, & singula gratias, privilegia, & indulgentias hucusque sacris ejusdem Terræ Sanctæ locis apostolica auctoritate etiam confirmari, & approbari plurimum desideret.

Concedit Pontifex.

§.2. Nos desiderio hujusmodi annuere, ipsumque Ludovicum specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus illius nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnia, & singula privilegia, concessiones, facultates, indulta, indulgentias, cæteraque gratias spirituales, & temporales eisdem locis, & illa visitantibus, necnon dicti Ordinis Guardiano, & Fratribus in dictis partibus degentibus per quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores nostros, ac Sedem Apostolicam in genere, vel in specie, aut alias quomodolibet, concessa, quatenus sint in usu, & non sint revocata, aut sub aliquibus revocationibus comprehensa existant, sacrisque Canonibus, Constitutionibus Apostolicis, ac Concilii Tridentini decretis non adversentur Apostolica auctoritate tenore præsentium confirmamus, & approbamus, ac perpetuæ inviolabilis apostolicæ firmitatis robore communimus, ac omnes, & singulos, tam juris, quam facti defectus, si qui desuper in eis quomodolibet intervenerint, supplemus.

Nec

Indulgentia in mortis articulo concedit

§.3. Necnon insuper omnibus, & singulis eorumdem Fratrum interpretibus nunc Hierosolymis Bethlehem, & Nazareth existentibus, & viventibus in cujuslibet eorum mortis articulo, si vere pœnitentes, & confessi, ac Sacra Communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint, saltem contriti nomen Jesu ore, si potuerint, sin minus corde devote invocaverint, plenariam omnium peccatorum, suorum indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus, & elargimur.

Derogatio contrariorum

§.4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 30. Sep. 1667. An. I.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 30. Sept. 1667. Pontificatus nostri Anno I.

XXI.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Quod Officium Sancti Ignatii Societatis Jesu Fundatoris sub ritu duplici in posterum recitetur ab omnibus, qui ad horas canonicas tenentur.

CLEMENS PAPA NONUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Creditæ Nobis divinitus dispensationis ratio postulat, ut Sanctorum in Cœlis regnantium, quorum egregia constant in Ecclesiam Catholicam merita, cultum, & venerationem in terris condignis honorum incrementis ampliare studeamus.

Mandat celebrari Festum sub ritu duplici.

§.1. Itaque cultum, & venerationem Sancti Ignatii Societatis Jesu Fundatoris de Universali Ecclesia adeo benemeriti, ubique terrarum augere volentes, auctoritate apostolica tenore præsentium mandamus, ut ejus festum, quod sub ritu semiduplici ad hunc usque diem celebratum est, perpetuis futuris temporibus sub ritu duplici celebretur. Præcipientes propterea, ut omnes tam seculares, quam regulares utriusque sexus, qui ad horas canonicas tenentur, eas in posterum de memorato Sancto Ignatio sub prædicto ritu duplici recitent. Ac ipsius Sancti Ignatii festum sic sub ritu duplici celebrandum in Romano Breviario apponi debere decernimus.

Contrariis derogat.

§.2. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§.3. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici, vel Secretarii dictæ Societatis subscriptis, & sigillo Præpositi Generalis ejusdem Societatis, vel alterius personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 11. Oct. 1667. An.I.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 11. Octob. 1667. Pontificatus nostri Anno I.

XXII.

Extensio Literarum Pauli V. super erectione Monasterii Ursulinarum Burdagalen. emanatarum, & Concessionum, & Indultorum eidem Monasterio in eis facto. rum, ad omnia ejusdem Regulæ, & Instituti Monasteria in utraque Germania.

Ex Regest. in Secr. Brev.

CLEMENS PAPA NONUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

Militantis Ecclesiæ regimini per ineffabilem divinæ sapientiæ, atque bonitatis abundantiam, nullo licet meritorum nostrorum suffragio, præpositi, sacrarum Virginum, quæ oblitæ populum suum, & Domum Patris sui, divinis obsequiis, & beneplacitis sese sub suavi Religionis jugo manciparunt, regimini, progressui, & commodis consulere jugiter studemus, sicut in Domino salubriter expedire arbitramur.

Supplicatio.

§.1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit Ven. Frater Archiepiscopus Cameracen., quod dudum fel. rec. Paulus Papa V. Prædecessor noster Monasterium Sacrarum Virginum sub Regula S. Augustini, & patrocinio S. Ursulæ in Civitate Burdagalen. in Gallia, quarum institutum est juventutem sui sexus bonis artibus, & præsertim christianis moribus instruere, & quæ certas Constitutiones a bo: mem. Francisco dum vixit S.R.E. Cardinale de Sourdis nuncupato Ecclesiæ Burdagalen. ex concessione, & dispensatione Apostolica Præsidet, ex commissione Sedis Apostolicæ confirmatas servare deberent, auctoritate apostolica erexit, & instituit; ipsisque Monialibus, & Monasterio hujusmodi nonnulla privilegia, immunitates, exemptiones, prærogativas, gratias, & indulgentias, quibus Ordo S. Augustini, ejusque personæ, ac bona de jure, usu, consuetudine, aut alias quomodolibet utuntur, fruuntur, & gaudent, concessit, & alias prout in ejusdem Pauli Prædecessoris literis anno 1618. expeditis, quarum initium est: *In Supremo militantis Ecclesiæ Solio, &c.* uberius dicitur contineri.

§.2. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, hoc pium Virginum Ursulinarum nuncupatarum institutum ex Gallia in semotas Regiones etiam transmarinas novæ Galliæ, ac in utramque Germaniam benedicente Domino feliciter propagatum fuerit, dictæque Virgines pro earum ferventi zelo utilem, laboriosamque operam Puellis edocendis cum magno Religionis, & divini cultus incremento navent, ac non solum propriæ, sed etiam alienæ saluti procurandæ sedulo incumbant; præfatus vero Archiepiscopus Cameracen., ac dilecti filii Superiores Monasteriorum Monialium Ursulinarum hujusmodi, in utraque Germania consistentium præfatas Pauli Prædecessoris literas ad omnia ejusdem cum præfato Monasterio Burdagalen. Instituti Monasteria tam erecta, quam imposterum be-

nedicente Domino erigenda extendi plurimum desiderent; Nobis propterea dictus Archiepiscopus Cameracen. eorumdem Superiorum nomine humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Concedit Pontifex.

§.3. Nos igitur ipsos Archiepiscopum, ac Superiores, & Moniales specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quo modolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, necnon dictarum Pauli Prædecessoris literarum tenorem, præsentibus pro plene, & sufficienter expresso habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Ven. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, attentis narratis, supradictas Pauli Prædecessoris literas, ac Concessiones, & Indulta Monasterio præfato Burdagaleu. in ipsis facta, ad omnia ejusdem Regulæ, & Instituti Monasteria in utraque Germania tam hucusque erecta, quam in posterum erigenda, auctoritate apostolica tenore præsentium extendimus, & ampliamus, salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis præfatorum Cardinalium.

Decretum irritans.

§.4. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus fortiri, & obtinere, ac illis, ad quos, & quas spectat, & pro tempore spectabit pleniſſime suffragari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum

§.5. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon omnibus, & singulis illis, quæ memoratus Paulus Prædecessor in suis literis prædictis, concessit non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumpto eum fides.

§.5. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarū transumptis, seu exemplis etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur quæ præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 12. Oct. 1667. An. I.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 12. Octob. 1667. Pontificatus nostri Anno I.

XXIII.

Confirmatio literarum Generalis Ordinis Prædicatorum pro Religiosis Provinciæ Hiberniæ, & aliarum ejusdem Ordinis sublevandis, novisque nationalibus Collegiis, & Domibus in Hispania, & alibi erigendis.

Ex Regest. in Secr. Brev.

CLEMENS PAPA NONUS

Ad futuram rei memoriam.

Recensentur similes aliæ concessiones.

NUper emanarunt a Nobis ad favorem dilectorum filiorum Fratrum Provinciæ Hiberniæ Ordinis Prædicatorum literæ in simili forma Brevis tenoris, qui sequitur, videlicet.

§.1. Clemens PP. IX. Ad futuram rei memoriam. Creditæ Nobis cœlitus dispensationis ratio exigit, ut paternam virorum, Religiosorum eorum præsertim, qui Evangelicæ prædicationi addicti labores, & pericula pro fide Catholica alacriter subeunt, curam gerentes, illa, quæ pro eis sublevandis, piisque, & laudabilibus eorum studiis fovendis, & promovendis ab eorum Superioribus Regularibus pie, prudenterque facta, & constituta esse noscuntur, ut firma, atque illibata persistant, Apostolici muniminis patrocinio libenter roboremus.

Supplicatio

Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Magister Generalis Ordinis Prædicatorum, quod ipse pro manutentione instituti Evangelicæ prædicationis, cui dictus Ordo enixe incumbit, ac pro sublevandis Religiosis Provinciæ Hiberniæ, & aliarum ejusdem Ordinis qui laboribus, carceribus, minis, & opprobriis pro Catholica Fide vexantur, literas patentes expedivit tenoris, qui sequitur, videlicet: Frater Joannes Baptista de Marinis Sacræ Theologiæ Professor Ord. Prædicatorum humilis Magister Generalis, & Servus in Dei Filio sibi dilecto R. P. Fr. Joan. Cnosur a Sancto Dominico ejusdem Ordinis, & Provinciæ nostræ Hiberniæ Procurat. Generali salutem.

Hibernia re, & nomine quondam floridissima SS. Insula, sed postremo hoc nostro sæculo avitæ Religioni tristi passim excidio miserrime deformata, tanto solicitiorem meretur omnium Christifidelium ubique commiserationem, quanto pericu. losius hodie sub novo quodam persecutionis genere ibidem orthodoxa fides laceratur: neque hic nobis eumdem per singula, dum in paradigma sufficiunt nostrorum illic fratrum, quas exposuisti calamitates, & clades, nimirum ipso eorum Provinciali ob fidem retruso in sequestrum aliis alibi in vincula conjectis, Missionariis dispersis, Communitatibus dissipatis & cquibus nisi aliunde per novorum identidem operariorum quotidiana supplementa provide succurratur, brevi de Provincia actum erit'.

Porrò, ut prudenter suggessisti, iis succurri non poterit, nisi extra Insulam in aliis

aliis Catholicorum Principum Regnis, ac ditionibus multiplicentur nationalia Religiosorum istorum domicilia, & Literarum Collegia, in quibus tum exules nostri Missionarii ob fidem proscripti asylum inveniant, tum vernacula Hibernorum juventus studiis controversiarum, & sacrarum linguarum jugiter ad Apostolicam missionem erudiatur. Hoc igitur extremum istius desolationis remedium, ut suo tandem potiatur usu, & effectu, in quem una tecum undique plurium Magnatum vota, instantiæ, promissa munifice, pientissimeque conspirant, ampliusque in aliis paribus Regionibus conspiratura putantur.

Nos harum serie, ac suprema officii nostri auctoritate in primis tibi supranomi, nato, tuisque in Officio Successoribus potestatem facimus acceptandi, erigendi, ac formandi apud Matritum Hispaniæ unicum tuæ nativæ Provinciæ Collegium, quale confidis illic ex piorum eleemosynis ac liberali fundatione te obtenturum, ad effectum præcipue ibidem sub regulari disciplina educandi Missionarios Hibernicæ nationis indiscriminatim, ita tamen, ut etiam Angli, & Scoti in eodem Collegio recipiantur, sustenentur, & instruantur cum potestate etiam ibidem recipiendi ad habitum, & professionem Juvenes supradictarum trium nationum, illosque educandi in proprio novitiatu sub exacta observantia regulari. Simili ratione, fine, ac modo in aliis quibuscumque locis, tum Hispaniarum, tum cæterorum per Europam Catholicorum Regnorum, Statuum, ac ditionum, ubicumque Patronos, fautores, ac fundatores potueris reperire, & ad tantæ pietatis opus inducere, tibi, tuisque Successoribus in officio amodo liceat hujuscemodi Collegia procurare, suscipere, eorumdem Regnorum nationalibus consignare, ad effectum, ut supra, & cum iisdem facultatibus.

Volumus autem, ac declaramus, quod omnia, & singula ejusmodi Collegia ubicumque Dei ope, fidelium munificentia, tuaque, & Successorum industria excitabuntur, ipso facto sint, & permaneant vera membra solius nostræ Provinciæ Hiberniæ, ita quod nulli alteri Ordinis Superiori subsint præterquam suo Provinciali Hiberniæ, & Magistro Ordinis pro tempore interim donec fratres nostri proprias seorsim fundationes, ac domicilia, ut supra possideant, ne stante hac eorum notoria paupertate adigantur ad solvendas in Provinciarum Conventibus, aut Hospitiis taxatas contributiones, quas utique extorres, & egeni solvere nequeunt instar cæterorum, qui pacatas Provincias habent, mandamus, quod Præsides istorum Conventuum, & Hospitiorum in hujusmodi alienis Provinciis nihil a Fratribus nostris Anglis, Hibernis, Scotis apud se hospitaturis exigant, ultra quotidianæ missæ celebrationem tantum, ubicumq; vero iidem fratres in Hospitiis, aut Conventibus sub ea conditione non recipientur, licebit ipsis hospitari apud quoscumque alios benevolos receptores Ecclesiasticos, sive seculares, ne ob temporales respectus ullibi sanctum istud procurandarum fundationum impediatur negotium, a quo tot animarum salus dependet.

Denique in virtute Spiritus Sancti, Sanctæ Obedientiæ, sub formali præcepto necnon sub pœna majoris excommunicationis ipso facto incurrenda, aliisque pœnis Nobis arbitrariis ex nunc strictissime prohibemus, universis, & singulis nostræ Curæ subjectis, quacumque dignitate, gradu, officio, aut qualitate censeantur, ne ullibi supradictas Collegiorum Hibernicorum pro nostris fundationes, acquisitiones incrementa, per se, vel per alios directe, vel indirecte, clam, vel palam sub quocumque motivo, colore, aut imaginabili pretextu impediant, retardent, aut disturbent, quin potius enixe hortamur A.RR.PP. tum Hispaniarum, tum cæterarum Provinciarum Priores Provinciales, quatenus per se, & suos ubique tam Sanctum, & pium opus magno studio, & connisu promoveant, juvent, ac foveant, fratres nostros Hibernos in suis Provinciis, & Congregationibus libenter, paterneque complectantur, ipsorum solatio, & profectibus sincere faveant, ipsos benefactoribus commendent, omnique opportuno subsidio, consilio, effectu eis opitulari non dedignentur, & quia charitati nulla præfixa est mentura, aut limes, hortamur eosdem Priores Provinc. in visceribus Jesu Christi quod his Fratribus ad missiones, & martyria pro fide auctoritatis sponte, ac liberaliter ex suismet propriis Conventibus unum aut plures in suis Provinciis cedant, ac resignent. Tales autem Conventus hoc modo resignatos ex nunc pro tunc iisdem Fratribus, ipsorumque Provinciæ applicamus & incorporamus Apostolica auctoritate, speciali, qua in hoc fungimur.

Item supradictam facultatem procurandi, fundandi, acceptandi, & formandi hæc nationalia Collegia, Domos, atque Conventus pariter extendimus ad acquirenda Monialium Cœnobia, seu Monasteria pro Hibernis, Anglis, & Scotis Deo ubivis locorum consecrandis, siquidem hæ in propria sua Patria hanc relinquendi seculi commoditatem sperare nullibi possunt.

Quod si etiam in aliarum Missionum, præsertim orientalium solatium tibi, vel tuis Successoribus in officio placuerit, ac sine incommodo propriorum nationalium pie fieri videbitur, concedimus pariter, quod in prædictis nostris Domibus, Collegiis, & Conventibus recipiantur etiam nostri Fratres Armeni, sive ad hospitandum, sive etiam ad commorandum pro studio, & instructione: idemque concessum esto quoad alios Religiosos nostros de terris infidelium adventantes.

Porro ut omnibus his, quæ sperantur in novellis Cœnobiorum plantationibus de optima, & stabili forma regiminis, prospi-

ſpiciatur, ex nunc harum ſerie te, tuoſque in hoc tuo Procuratoris generalis officio Succeſſores omnibus hujuſmodi Cœnobiis Collegiis, ac Domibus præficimus cum titulo Vicarii Provincialis Hiberniæ pro tempore, cumque omni in ſpiritualibus, ac temporalibus juriſdictione, ac poteſtate, quam Priores Provinciales in ſuis Provinciis habere debent, ac ſolent, etiam cum facultate ſubdelegandi, ita ut quando contigerit te, tuoſve Succeſſores longius diſtare, aut alio impedimento detineri ab adeundo loco, ubi Collegium, ſeu Cœnobium, aut Fratrum, ſeu Monialium, plantandum, acceptandum, formandum, aut viſitandum fuerit, poſſis, illique ſucceſſive poſſint eo deſtinare Commiſſarium, ac Viſitatorem quotics, & quando opus fuerit, cum plena, aut limitata auctoritate, prout videbitur, talemque ſeu Commiſſarium, ſeu Viſitatorem a te, ſeu tuis Succeſſoribus miſſum poſſis (illique poſsint) revocare, aliumque ſubrogare ad effectum ea omnia, & ſingula agendi, diſponendi, atque præſtandi quæcumque ipſemet ageres, ſi perſonaliter eo acceſſiſſes. Item quantum in Nobis eſt, tibi, tuiſque Succeſſoribus plenariam concedimus facultatem deſtinandi Prædicatores, & Miſſionarios ad terras Infidelium, & hæreticorum pro converſione, & lucro animarum, ſeu pereuntium, ſeu periclitantium. Inſuper tibi, & Succeſſoribus tuis poteſtatem damus imponendi præcepta formalia, fulminandi cenſuras, condemnandi ad pœnam carceris, & exercendi omnes illos actus juriſdictionis, quos Provinciales ex ordinaria ſua auctoritate exercere poſſunt in perſonas ſibi ſubjectas. Præterea ſi contingat ſupradicta Collegia, Cœnobia, Monaſteria, vel aliquod eorum ab ipſo Provinciali Hiberniæ perſonaliter viſitari, ipſo præſente quieſcet ibidem tua, tuorumque Succeſſorum auctoritas: verum illo inde digreſſo, eadem auctoritas ipſo facto redibit ad uſum ut antea, ſic quod ea non cenſebitur exſpiraſſe per adventum Provincialis, neque illam tunc, aut alias tibi poſſit auferre Provincialis Hiberniæ in toto, vel parte, niſi de expreſſo conſenſu Magiſtri Ordinis; te vero per mortem ſublato, ad Provincialem Hiberniæ pertineat ſubrogare alium Procuratorem Provinciæ cum iiſdem facultatibus, ut ſupra, & cum præfixione termini quoad durationem officii, quem tamen ſemel, ac pluries poterit prorogare, prout poſtulabit neceſſitas. Ulterius ex Apoſtolica auctoritate Nobis ſpecialiter indulta concedimus tibi, & tuis Succeſſoribus plenariam facultatem, qua in præmemoratis novis Conventibus, Collegiis, ac Monaſteriis inſtituas, & præficias Priores, Rectores, & Prioriſſas, donec ad eum perveniant numerum perſonarum, qui ad electionem canonicam ſufficiat, & eadem facultate poſſis electiones approbare, & confirmare, ipſis vero inſtitutis, aut electis terminum officii ſui, quatenus expedire judicaveris, ſemel, & pluries prorogare, vel ut reeligantur, habilitare. Similiter poſſis ubique in domibus tibi ſubjectis inſtituere Subpriores, Vicarios, Præſides, Magiſtros Novitiorum, Lectores, Officiales, ac ſtudiorum Moderatores: eadem proportionaliter, ac reſpective circa Monaſteria Monialium tibi conceſſa ſunto, & quidquid facultatis, aut juriſdictionis tibi in his noſtris literis patentibus conceditur, id totum pariter tuis in eodem officio futuris Succeſſoribus conceſſum intelligatur.

Et ut omnia obſtacula, quantum fieri poteſt, removeantur, denuo ſub formali præcepto, & anathemate, quo ſupra, necnon ſub pœna privationis utriuſque vocis, & graduum, perpetuaque inhabilitate ad ea recuperanda interdicimus univerſis, & ſingulis, tam Superioribus, quam ſubditis in quacumque Ordinis Provincia, aut Congregatione degentibus, ne huic per Nos tibi, & Succeſſoribus tuis collatæ juriſdictionis titulo, & facultati quiſquam ſeſe opponat, eamve judicialiter, vel extrajudicialiter impugnet, aut impediat, ipſis vero fratribus, & ſororibus prædicta nova Collegia, Conventus, atque Monaſteria reſpective inhabitaturis, aut in iis quoquo modo, vel occaſione commoraturis præcipimus ſub eodem formali præcepto, iiſdemque pœnis, quod tibi, & tuis Succeſſoribus tamquam legitimis ſuis Prælatis, ac veris Superioribus exactam præſtent obedientiam, reverentiam, & honorem. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: quibuſcumque in contrarium non obſtantibus. In fidem his officii noſtri ſigillo munitis propria ſubſcripſimus. Romæ 6. Julii 1667.

Confirmat Pontifex literas Generalis prout in rub.

Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, prædictus Magiſter Generalis literas hujuſmodi, quo firmius ſubſiſtant, ac ſerventur exactius, Apoſtolicæ noſtræ confirmationis præſidio communiri plurimum deſideret. Nos ipſum Magiſtrum Generalem ſpecialis favore gratiæ proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium tantum conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes. Supplicationibus ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati. De Venerabilium Fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſitorum conſilio, attentis narratis, viſiſque, & diligenter per eoſdem Cardinales conſideratis literis patentibus præinſerti tenoris, eaſdem literas auctoritate Apoſtolica tenore præſentium benigne confirmamus, ſuumque effectum ſortiri mandamus, ſalva tamen ſemper in præmiſſis auctoritate Congregationis prædictorum Cardinalium.

Decernentes ipſas preſentes, & preinſertas literas firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ac illis, ad quos ſpectat, ſtat, & ſpectabit in futurum in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari, & ab illis reſpective inviolabiliter obſervari: Sicque in præmiſſis per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Decernitur irritum.

Derogatio contrariorum

Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac quatenus opus ſit, dicti Ordinis, & Provinciarum, ac Conventuum, & locorum Regularium quorumcumque, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Fides tranſumptis danda.

Volumus autem, ut earumdem præſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis eadem prorſus fides adhibeatur ubique, quæ præſentibus ipſis adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud S. M. Majorem, ſub Annulo Piſcatoris, die 16. Sept. 1667. Pontificatus noſtri Anno I.

Extentio Superiori indulti

§. 2. Nunc autem eoſdem fratres amplioris favore gratiæ proſequi volentes, eorumque ac dilecti pariter filii Joan. Oconchovair a Sancto Dominico Procuratoris dictæ Provinciæ Hiberniæ, ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium tantum conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cententes, Supplicationibus ejuſdem Joannis nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati: Venerabili Fratri Archiepiſcopo Toletano, ac dilectis etiam filiis Inquiſitoribus hæreticæ pravitatis in quacumque Provincia, ſeu loco auctoritate Apoſtolica deputatis per præſentes committimus, & mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum per ſe, vel alium, ſeu alios, ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte fratrum prædictorum, ſeu alicujus eorum fuerint requiſiti, ſeu aliquis eorum requiſitus fuerit, ipſas præſentes, & præinſertas literas, ac in eis contenta quæcumque ſolemniter publicantes, illiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra illos, & eorum quemlibet earumdem literarum, & in eis contentorum hujuſmodi commodo, & effectu pacifice frui, & gaudere, non permittentes eos deſuper a quoquam quavis auctoritate quomodolibet indebite moleſtari, perturbari, vel inquietari. Contradictores quoslibet, & rebelles per ſententias, cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia appellatione poſtpoſita compeſcendo, legitimiſque ſuper his habendis ſervatis proceſſibus cenſuras, & pœnas ipſas etiam iteratis vicibus aggravando invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit auxilio brachii ſecularis.

Contrariis derogat.

§. 3. Non obſtantibus fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. Prædeceſſoris noſtri de una, & Concilii generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate præſentium in judicium non trahatur, aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon omnibus, & ſingulis illis, quæ in literis præinſertis conceſſimus non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Tranſumptis credi mandat

§. 4. Cæterum volumus pariter, ut earumdem præſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem fides adhibeatur ubique, quæ præſentibus ipſis adhiberetur ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Dat. die 14. Oct. 1667. An. I.

Datum Romæ apud S. M. Majorem, ſub Annulo Piſcatoris, die 14. Octobris 1667. Pontificatus noſtri Anno I.

XXIV.

Ex Regeſt. in Secr. Brev.

Mittitur Nuncius Coloniæ ad Congreſſum Pacis inter Reges Catholicum, & Chriſtianiſſimum tractandæ in aliqua Germaniæ, aut alia Civitate, vel loco deſtinando.

Ven. Fratri Auguſtino Archiepiſcopo Trapezuntio noſtro, & Apoſtolicæ Sedis ad tractum Rheni, & partes inferiores Germaniæ Nuncio.

CLEMENS PAPA NONUS

Ven. Frater ſalutem, & apoſtolicam benedictionem.

Motiva præſentis Conſt.

§. 1. CUM ſicut accepimus, Chriſtianiſſimus in Chriſto filius noſter Ludovicus Francorum Rex Chriſtianiſſimus ob aliquas prætentiones, quas in nonnullas Belgii ditiones habet, quaſdam Provincias ibidem Chariſſimo in Chriſto filio noſtro Carolo Hiſpaniarum Regi Catholico ſubjectas armis adortus ſit: Nos, quibus nihil deſiderabilius contingere poteſt, quam, ut pax, & amabilis animorum concordia noſtris temporibus in Orbe Chriſtiano regnet, quique id ab Omnipotentis Dei benignitate accuratis precibus quotidie poſcimus, & publicis votis in ipſo Pontificatus noſtri primordio flagitandum curavimus; ſperantes utrumque Regem paternis noſtris cohorta-

tio-

tionibus filiali reverentia morem gerendo, suos respective Plenipotentiarios ad aliquã Germaniæ, aut aliam Civitatem, vel locum ad id destinandum propediem benedicente Domino missurum esse, aut quidquid hactenus turbatum est, illo, in cujus manu sunt corda Regum, operante, & illa ad pacis consilia suaviter inclinante, amice componatur, quietque, & tranquillitas Populis restituatur, & fermissime solidetur; ne autem dum de aliquo viro hinc ad locum qui congressibus destinatus fuerit allogando cogitamus, interea desit, qui eisdem congressibus, in eisque habendis tractatibus nostro nomine interveniat, providere volentes, ac de spectata fraternitatis tuæ fide, prudentia, ac in rebus arduis agendis dexteritate, bonique publici zelo plurimum in Domino confisi; motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine, eidem fraternitati tuæ per præsentes committimus, & mandamus, ut ad Civitatem, vel locum, ut præfertur, destinandum te conferas, ac Congressibus, & Tractatibus Pacis ibidem habendis una cum utriusq; Regis Plenipotentiariis, aliorumque Principum Catholicorum, si qui illuc fuerint legatis nostro, & hujus S. Sedis nomine, & tanquam mediator interfis, teque interponas, ac omnia facias, dicas, geras, & exequaris, quæ ad consequendum operis tam boni, atq; optati effectum quovis modo conducibilia fuerint super quibus tibi quamcumque necessariam, & opportunam facultatem harum serie tribuimus, & impartimur. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

§.2. Cæterum Te in Domino hortamur, ut injunctum Tibi per præsentes munus alacri animo suscipiens, illud ad Dei gloriam, & S. R. E. honorem, Regum, & Principum concordiam, Populorumque quietem, & tranquillitatem sic gerere studeas, ut Tu quidem de præclaris gestis tuis non solum apud omnes commendationem, & laudem in terris, sed etiam a bonorum operum Retributore præmium in Cœlis consequi merearis: Nos vero Te votis, atque de Te expectationi nostris respondere lætemur.

Dat. die 21. Oct. 1667. An.I. Datum Romæ apud S.Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 21. Octob. 1667. Pontificatus nostri Anno I.

XXV.

Constitutio ut Officium, & Missa Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis Immaculatæ cum octava in Urbe, ac universa S. R. E. temporali ditione de præcepto recitetur.

CLEMENS PAPA NONUS
Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. SIncera nostra erga Gloriosissimam Virginem Dei Genitricem Mariam patronam, & advocatam nostram, devotio plane exigit, ut piis nonnullorum ex Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, aliorumque Antistitum, qui Ecclesiis in temporali nostra, & Sedis Apostolicæ ditione consistentibus præsunt, ac Christifidelium tam Almæ Urbis nostræ, ex qua bonorum operum exempla in omnes Christiani Orbis partes assidue promanant, quam cæterarum Civitatum, Oppidorum, & locorum Nobis, & dictæ Sedi in temporalibus subditorum votis paterno affectu annuentes, ejusdem Augustissimæ Cœli Reginæ venerationem in terris quantum Nobis ex alto conceditur, ampliare studeamus.

Officium, & Missa Conceptionis cũ Octava de præcepto mandat §.1. Itaque ut tam in Urbe prædicta, quam in cæteris Civitatibus, & Diœcesibus, Oppidis, Terris, & locis, etiam nullius Diœcesis, Nobis, & Sedi prædictæ in temporalibus mediate, vel immediate subjectis tum a Secularibus, tum a Regularibus utriusque Sexus, qui horas Canonicas recitare tenentur, Officium, & Missa Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis Immaculatæ cum octava in posterum de præcepto recitetur, cum lectionibus in Octavario Romano a Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum ejusdem S. Rom. Ecclesiæ Cardinalium sacris Ritibus Præpositorum approbato contentis, & a die octava ad 15. Decembris rite dispositis, auctoritate Apostolica, tenore præsentium mandamus, & decernimus.

Jubet imprimi. §.2. Idemque Officium ad usum Cleri Urbis, ac Civitatum, Diœcesum, Oppidorum, Terrarum, & locorum prædictorum seorsim ab Octavario Romano imprimi posse concedimus.

Contrariis derogat. §.3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumpto cum fides. §.4. Volumus autem, ut earumdem præsentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostentæ.

Dat. die 21. Oct. 1667. An. I. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 21. Oct. 1667. Pontificatus nostri Anno I.

XXVI.

Quod Provinciales Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum Discalceatorum in fine triennii sui Officii Provincialatus, Administrationis, & gubernii rationem Vicario Generali reddere teneantur.

CLEMENS PAPA NONUS
Ad perpetuam rei memoriam.

Causa hujus Constitut. ALiàs pro parte dilecti filii Procuratoris Generalis Fratrum Ordinis Beatæ

tæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum Discalceatorum nuncupatorum Congregationi Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ expositio, quod propter minus rectam administrationem quorumdam Provinciarum dicti Ordinis interdum notabile Conventibus, tam in spiritualibus, quam in temporalibus præjudicium sequebatur; ipseq; Procurator Generalis propterea cupiebat committi Vicario Generali ejusdem Ordinis, ut per seipsum, vel per suos Commissarios, & Visitatores unumquemque Provincialem in fine sui triennii visitaret, emanavit ab ea dem Congregatione Decretum tenoris, qui sequitur videlicet.

Decretum S. Congreg. §.1. Sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, attentis narratis, & ne Conventus Ordinis hujusmodi ex mala administratione, seu minus accurato gubernio in spiritualibus, aut temporalibus detrimentum patiantur, censuit committendum, prout præsenti Decreto committit Vicario Generali nunc, & pro tempore existenti ejusdem Ordinis, ut in posterum singulos Provinciales in fine triennii eorum officii Provincialatus, per se, vel per suos Commissarios, aut Visitatores visitet, eosdemque Provinciales quemlibet eorum suæ administrationis, & gubernii rationem reddere compellat. Contrariis quibuscumque non obstantibus. Romæ prima Aprilis 1667.

M. Card. Ginettus.

Approbat, & confirmat. §.2. Cum autem, sicut dictus Procurator Generalis Nobis nuper exponi fecit, ipse Decretum hujusmodi pro firmiori illius subsistentia apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desideret: Nos ipsum Procuratorem Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum auctoritate apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adjicimus. Salva tamen semper in præmissis auctoritate prædictæ Congregationis Cardinalium.

Decernit irritum. §.3. Decernentes ipsas præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat. §.4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit, dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum, quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumq;

Dat. die 22. Oct. 1667. An.I. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 22. Octob. 1667. Pontificatus nostri Anno I.

XXVII.

Revocatio, & annullatio Constitutionis Urbani VIII. Eremitas Camaldulenſium Etruriæ, sive Provinciæ Aretinæ cum Congregatione Montis Coronæ ejusdem Ordinis incorporantis.

CLEMENS PAPA NONUS
Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. ILlius, qui charitas est, & Deus pacis, vices licet immeriti gerentes in terris, ad ea peculiares vigilantiæ nostræ curas libenter convertimus, per quæ religiosæ Christi fidelium, qui abnegantes semetipsos divinis obsequiis sese sub suavi arctioris, atque severioris disciplinæ jugo devoverunt, quieti consulitur, prout matura deliberatione adhibita salubriter expedire in Domino arbitramur.

Motiva. §.1. Dudum siquidem fel. rec. Urbanus Papa VIII. Prædecessor noster, certis tunc expressis causis adductus Eremum Camaldulensem Etruriæ, sive Provinciæ Aretinæ, ac Congregationem Montis Coronæ Ordinis Camaldulensium, eorumque respective Eremos, Monasteria, Membra, & alia Loca Regularia ab eis dependentia invicem perpetuo univit, annexuit, & incorporavit, ac ex eis omnibus sic unitis, annexis, & incorporatis unicam dumtaxat Congregationem, non amplius Montis Coronæ, sed Eremitarum Camaldulensium de cætero nuncupandam, cujus caput esset prædicta Eremus Camaldulensis Etruriæ, similiter perpetuo erexit, & instituit: ac insuper idem Urbanus Prædecessor unionem, & incorporationem Eremi Camaldulensium in Montibus prope Civitatem Taurinensem sitæ, una cum aliis Eremis, & Domibus, seu locis ab ea dependentibus, sive quoquo modo ad illam pertinentibus, prædictæ Congregationi Camaldulensium Montis Coronæ sub certis tunc expressis

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

conditionibus factas auctoritate apostolica approbavit, & confirmavit, & alias, prout in binis ipsius Urbani Prædecessoris literis desuper in simili forma Brevis die 8. Octobr. 1633., & die 8. Augustii 1635. respective expeditis, quarum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, uberius continetur.

Revocatio de qua in rubr.

§. 2. Cum autem (sicut accepimus) subinde inter dilectos filios Eremitas Camaldulenses, illos nimirum Nationis Etruriæ, qui militant sub nomine Congregationis Eremi sactæ ex una, & illos Nationum Status nostri Ecclesiastici Dominii Veneti, Regni Neapolis, Poloniæ, & Germaniæ, qui olim militabant sub nomine Congregationis Montis Coronæ ex altera, ac illos Nationis Pedemontanæ ex alia respective partibus variæ controversiæ, & differentiæ exortæ, ac suscitatæ fuerint.

§. 3. Nos pro commissa Nobis cœlitus Pastoralis officii cura opportunum ejusmodi dissidiis remedium adhibere, ac fraternæ charitatis amœnitatem inter Eremitas prædictos, quantum cum Domino possumus, restituere, atque firmiter solidare cupientes, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium Præpositorum, qui controversias, & differentias prædictas ex commissione rec. mem. Alexandri Papæ VII. Prædecessoris pariter nostri mature, ac diligenter examinarunt, & perpenderunt, consilio: Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine unionem, annexionem, & incorporationem Eremi Camaldulensium Etruriæ, sive Provinciæ Aretinæ, ac Congregationis Montis Coronæ, earumq; respective Eremorum, Monasteriorum, Membrorum, & aliorum Locorum Regularium prædictorum invicem, uniusque Congregationis ex illis sic unitis, annexis, & incorporatis erectionem, & institutionem a memorato Urbano Prædecessore factas, necnon aliam unionem, sive incorporationem Eremi Camaldulensis in Montibus prope Taurinum sitæ una cum aliis Eremis, domibus, & locis ab ea dependentibus, sive quoquo modo ad illam pertinentibus ad prædictam Congregationem Camaldulensium Montis Coronæ factam, & ab eodem Urbano Prædecessore confirmatam, ut præfertur, & prout illas respective concernunt, emanatas desuper ipsius Urbani Prædecessoris literas prædictas ex nunc tenore præsentium revocamus, dissolvimus, irritamus, & annullamus, viribusque, & effectu penitus, & omnino vacuamus, ac ex nunc revocatas, dissolutas, irritas, & annullatas, viribusque, & effectu vacuas esse, & fore decernimus, & declaramus, necnon Nationes prædictas ab invicem separamus, easque ad formam regiminis, quo ante uniones respective gubernabantur, reducimus.

§. 4. Præterea dilecto filio nostro Petro S. R. E. Cardinali Vidono nuncupato Ordinis hujusmodi apud Nos, & Sedem Ap. Protectori per easdem præsentes motu pari committimus, & mandamus, ut cuilibet ex dictis Nationibus leges, & consuetudines antiquas ex laudabili earum instituto auctoritate nostra Apostolica statuat, exacteque observari faciat, jus unicuique tribuat, causas, & lites decidat, & terminet, cæteraque faciat, quæ ad majorem Dei cultum, & gloriam, ac dictarum Nationum tranquillitatem conducere arbitrabitur. Nos enim ipsi Petro Cardinali, & Protectori quamcumque necessariam, & opportunam ad præmissa facultatem harum serie, motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus tribuimus, & impartimur.

Executores deputat.

§. 5. Decernentes easdem præsentes literas, & in eis contenta qnæcumque, etiam ex eo, quod Eremitæ prædicti, & alii quilibet in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes etiam. si cujusvis status, ordinis, conditionis, præeminentiæ, & dignitatis, aut alias speciali, & individua mentione digni existant, illis non consenserint, seu ad ea citati, vocati & auditi, aut causæ propter quas ipsæ præsentes emanarint, adductæ, verificatæ, & justificatæ non fuerint, vel ex alia quacumque, quantumvis legitima, pia, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis nullo unquam tempore de subrep. vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, vel interesse habentium consensus, aliove quolibet quantumvis magno, & substantiali defectu notari, impugnari, infringi, retractari, ad terminos juris reduci, aut in controversiam revocari, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, seu impetrato, aut etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concesso, vel emanato quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare posse, sed ipsas præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari.

Decretum irritans.

§. 6. Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ prædictæ Cardinales etiam de Latere Legatos, dictæq; Sedis Nuncios, & alios quoslibet quacumque præeminentia & potestate fungentes, & functuros sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausula sublata.

Non

Contrariis derogat.

§. 7. Non obstantibus prædictis Urbani Prædecessoris literis, ac quatenus opus sit nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula de non tollendo jure quæsito, iisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon dictarum Eremorum, & Congregationum, aliisve quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis etiam eisdem Eremis & Congregationibus, earumque personis quibusvis, sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisq; efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie etiam iteratis vicibus concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumq; totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum inserrentur, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisq; contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§. 8. Volumus autem, ut earumdem præsentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 24. Oct. 1667. An. I.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 24. Oct. 1667. Pontificatus nostri Anno I.

XXVIII.

Ex Regest. in Secr. Brev.

Revocatio Unionis factæ ab Alexandro VII. Congregationum Monachorum Vallis Umbrosæ, & Silvestrinorum Ord. Sancti Benedicti, &c.

CLEMENS PAPA NONUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

ROmanus Pont. in sublimi Sedis Apostolicæ solio a Domino constitutus, ea quæ a Prædecessoribus suis, pia quidem intentione, atque laudabili promovendæ Monasticæ disciplinę studio constituta fuerunt, si postmodum non eum qui ab initio sperabatur effectum inde consequi, sed potius multum exinde incommodi subnasci conspicit, in melius reformare studet, sicut matura deliberatione prævia, rationi arbitratur esse consentaneum.

Recenset literas de unione de qua in Rubric.

§. 1. Alias siquidem fel. rec. Alexander Papa VII. Prædecessor noster certis tunc expressis causis adductus, Congregationes Monachorum Vallis Umbrosæ, & Silvestrinorum nuncupatorum Ordinis S. Bene-

dicti, ac omnia, & singula utriusque illorum Monasteria, Grancias, Conventus, Membra, & alia Loca Regularia quæcumque ad illas quovis modo spectantia, & ab ipsis Congregationibus, earumque Monasteriis, & Locis Regularibus quomodocumque, & qualitercumque dependentia in unam Congregationem, quæ Congregatio Vallis Umbrosæ, & Silvestrina Ordinis Sancti Benedicti nuncupati, & conjunctis ambarum Congregationum hujusmodi insignibus uti deberet, perpetuo conjunxit, & univit, cum diversis Ordinationibus, statutis, & Decretis, prout in ipsius Alexandri Prædecessoris literis desuper in simili forma Brevis die 29. Martii 1662. expeditis, quarum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur.

Motiva revocationis.

§. 2. Cum autem, sicut accepimus, ex dd. Congregationum unione, & in unum corpus conjunctione hujusmodi non solum spiritu alis, temporalisque illarum utilitas, quam memoratus Alexander Prædecessor unice spectabat, consecuta non sit, sed etiam varia inter utriusque Congregationis Monachos dissidia sint exorta, quæ eorum religiosæ quieti, ipsarumque Congregationum statui, & felici directioni non modicum adferre noscuntur detrimentum. Hinc est, quod Nos pro commissa Nobis cœlitus Pastoralis Officii cura felici, prosperoque earumdem Congregationum regimini, & gubernio, earumque respective Professorum tranquillitati salubriter quantum Nobis ex alto conceditur consulere cupientes, Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deq; Apostolicæ potestatis plenitudine, unionem, & conjunctionem præfatarum duarum Congregationum Monachorum Vallis umbrosæ, & Silvestrinorum, ac illarum utriusque Monasteriorum, Grancliarum, Conventuum, Membrorum, & locorum Regularium hujusmodi in unam Congregationem a præfato Alexandro Prædecessore factas, ut præfertur, emanatasque desuper ipsius Alexandri Prædecessoris literas supradictas tenore præsentium ex nunc revocamus, dissolvimus, irritamus, & annullamus, viribusque, & effectu penitus, & omnino vacuamus, ac revocatas, dissolutas, irritas, & annullatas, viribusq; & effectu vacuas esse, & perpetuo fore decernimus, & declaramus, ipsasque Congregationes, & illorum respective Monasteria, Grancias, Conventus, membra, & loca Regularia præfata abinvicem separamus, ac in pristinum, & eum, in quo antequam præfatæ Alexandri Prædecessoris literæ emanassent, quovis modo erant statum, itaut deinceps pristinis respective nominibus, atque insignibus nuncupari, & uti debeant restituimus, reponimus, & plenarie reintegramus, necnon ad eam regiminis normam, qua ante unionem, & conjunctionem hujusmodi respective gubernabantur reducimus.

In pristinum statum Congregationes reponit.

Decretum irritans.

§.3. Decernentes easdem præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo quod Monachi prafati, aliique quilibet in præmissis, seu eorum aliquo jus, vel interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes cujusvis status, gradus, præeminentiæ, ordinis, superioritatis, & dignitatis existant, etiamsi Cardinalatus honore fulgeant, aut quavis alia Ecclesiastica, vel mundana dignitate præditi, seu alias speciali, & individua mentione, & expressione digni sint, illis non consenserint, aut ad ea vocati, citati, & auditi, seu causæ propter quas præsentes emanarunt, adductæ, verificatæ, & justificatæ non fuerint, aut ex alia qualib; quantumvis justa, pia, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu inteentionis nostre aut interesse habentium consensus, aliove quocumque etiam quantumvis magno, & substantiali, ac incogitato, & inexcogitabili, specificamque expressionem requirente defectu notari, infringi, retractari, impugnari, redargui, limitari, in controversiam vocari, seu ad viam, & terminos juris reduci, aut adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, vel intentari, aut impetrato, seu etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concesso, vel emanato quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare posse, sed ipsas præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari; Sicque & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Card. etiam de Latere Legatos, & Apostolicæ Sedis Nuncios, aliosve quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausula sublata.

Derogatio contrariorum.

§.4. Non obstantibus præfatis Alexandri Prædecessoris literis, ac quatenus opus sit nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula de non tollendo jure quæsito, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon omnibus, & singulis illis quæ dictus Alexander Prædecessor in eisd; suis literis voluit non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumpto. gum fides.

§.5. Volumus autem, ut earumdem præsentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiast. dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in judicio, quam extra adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 24. Oct. 1657. Pontificatus nostri Anno I.

Dat. die 24. Oct. 1667. An. I.

XXIX.

Confirmatio Decretorum pro felici regimine Conventus, & Collegii Majoris Parisien. Ordinis Eremitarum Sancti Augustini.

Ex Regest. in Secr. Brev.

CLEMENS PAPA NONUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

ROmanus Pontifex in sublimi Apostolicæ Sedis specula a Domino constitutus, omnium quidem Christifidelium, spiritualibus commodis pro commisso sibi munere consulere jugiter satagit; peculiarem tamen gerit eorum curam, qui divinis obsequiis sub suavi religionis jugo mancipati, pietatis, & sacrarum literarum studiis laudabiliter incumbunt. Quocirca illis quæ pro eorum religiosis, studiosisque progressibus juvandis tum ab eorum superioribus regularibus, tum ab Apost. Sede salubriter constituta esse conspicit, novum apostolici patrocinii robur libenter adjungit, ac emanata inter eos dissidia, ne recte constitutorum effectum impediant, aut retardent, fraternæque charitatis amenitatem diutius conturbent secundum æquitatis, atque prudentiæ regulas dirimere studet, sicut ad Dei gloriam, religionis incrementum, pacisque, & religiosæ quietis bonum expediri in Domino arbitratur.

Recensentur aliæ literæ.

§.1. Alias siquidem fel. rec. Alexander Papa VII. Prædecessor noster diversa Decreta a quondam Paulo Luchino dum vixit Priore Generali Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Augustini in visitatione Conventus Majoris nuncupati Civitatis Parisien. dicti Ordinis pro felici ejusdem Conventus regimine, regularisque disciplinæ conservatione edita, & a Capitulo Generali ejusdem Ordinis approbata Apostolica auctoritate confirmavit, & approbavit per quasdam suas desuper in simili forma Brevis expeditas literas tenoris qui sequitur videlicet: Alexander Papa VII. Ad perpetuam rei memoriam. Pastoralis officii, quo divina dispositione &c. reliqua omittuntur quia jam sunt in suo ordine sub die 10. Junii 1662.

§.2. Et subinde Ven. Frater Petrus Lanpanconius Episcopus Interamnen. tunc Prior Generalis dicti Ordinis, considerans quod pro faciliori Decretorum præinserto rum executione, regularis disciplinæ observantia, & pacis stabilimento sexdecim Fratrum ex diversis Galliæ Provinciis assumptorum, & assumendorum quos memoratus Paulus Prior Generalis in præfato Majori Conventu, & Collegio Parisien. perpetuo affiliaverat, seu affiliandos decreverat, nemerus non videretur sufficiens aliisque rationabilibus causis adductus facultatem concessit dilecto filio Thomæ Guichens Galliæ Assistenti absoluto ejusdem Ordinis, & tunc Priori dicti Majoris Conventus, & Collegii Parisien., ut præfato sexdecim Fratrum numero, alios quatuor Fratres sibi benevisos ex Provinciis Galliæ hujusmodi ad beneplacitum suum pro ea vice tantum adscribere valeret, quos ipse Petrus Episcopus tunc Prior Generalis ex tunc constituit filios ejusdem Conventus, & Collegii cum omnibus juribus, prærogativis, privilegiis, gratiis, præeminentiis, cæterisque aliis, quibus per Constitutiones dicti Ordinis fieri, & gaudere solent filii aliorum Conventuum Generalium: ea tamen lege, ut ipsis, vel aliquo ipsorum quatuor Fratrum per mortem aut alio quocumque modo deficientibus, nunquam posset suppleri locus vacans, neque imposterum augeri præfatus sexdecim Fratrum primo affiliatorum numerus, & alias prout in ejusdem Petri Episcopi tunc Prioris Generalis literis patentibus desuper die 11. Septembris 1572. emanatis, quarum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur.

Motiva confirmationis.

§.3. Cum autem, sicut accepimus licet post emanata decreta, seu statuta præinserta, factaque affiliationes hujusmodi, præfatus Conventus, & Collegium multum in spiritualibus, & temporalibus acceperit emolumenti, cultus Divinus ibidem melius servetur, pax & concordia inter Fratres stabilita, devotio in eorum Ecclesia a secularibus magis frequentata, ac debita ipsius Conventus, & Collegii pro majori parte soluta, redditus illius aucti multæque confiderabiles reparationes factæ fuerint, nihilominus a nonnullis Fratribus dicti Ordinis variæ lites, & controversiæ contra eadem decreta, seu statuta, & affiliationes, sive super ipsorum decretorum, seu statutorum existentia, realitate, subsistentia, validitate, & intellectu motæ, recursusque ad diversa Tribunalia habiti extiterunt, ex quibus nova incommoda, & scandala in detrimentum Religionis, ac damnum ipsius Conventus, & Collegii nasci possent, nisi desuper de opportuno, atque efficaci remedio provideretur, quod quidem novissime celebratum Ordinis præfati Capitulum Generale facere studuit, in quo die 7. Julii proxime præteriti Decreta, seu statuta hujusmodi a præfato Paulo Priore Generali in visitatione dicti majoris Conventus, & Collegii Parisien. vere, & realiter, ac legitime facta fuisse, legitimaque, & substantialia, ac uti talia ab omnibus tenenda esse decretum, & declaratum, enasque in præmissis, & circa ea dubia e lucidata, & declarata fuerunt. Hinc est, quod Nos firmiori, atque stabiliori eorumdem Decretorum, seu statutorum, & affiliationum robori, & efficaciæ, prosperoque, & felici dicti Conventus, & Collegii regimini, & progressui, ac Fratrum præfatorum quieti, & religiosæ tranquillitati salubriter, quantum cum Domino possumus, providere cupientes, motu proprio, & ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, omnia, & singula Decreta, seu statuta præinserta a dicto Paulo Priore Generali edita, & a memorato Alexandro Prædecessore per suas literas præinsertas confirmata, & approbata, ipsasque Alexandri Prædecessoris literas, necnon affiliationes præfatas tam per eadem Decreta, seu Statuta sive illorum vigore, aut in eorum executionem, quam a dicto Petro Episcopo tunc Priore Generali, die 2. Septembris 1662. factas, ut præfertur, emanatasque desuper illius patentes literas supradictas, cum omnibus, & singulis in eis respective contentis & inde legitime secutis, tenore præsentium perpetuo confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis, atque irrefragabilis apostolicæ firmitatis vim, robur, & efficaciam adjungimus, ac omnes, & singulos juris, & facti, ac solemnitatum quarumcumque tam ex juris communis, & Constitutionum Apostolicarum, quam ex Ordinis, & Conventus, & Collegii hujusmodi, aliorumve quorumvis Statutorum, consuetudinum, & Privilegiorum præscripto usu, & stylo in similibus etiam de necessitate servandarum, aliosve quoslibet etiam formales, & substantiales defectus, etiamsi tales forent, ut non nisi facta de eis specifica mentione sanari possent, si qui in præmissis, vel eorum aliquo principaliter, vel accessorie, aut alias quomodolibet intervenerint, seu interveniss dici, censeri, vel prætendi possent, plenissime, & ampliss supplemus, & sanamus, ac penitus, & omnino tollimus, & abolemus.

Confirmat Pontifex.

Decretum irritans.

§.4. Decernentes ipsas præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod Fratres prafati, & alii quilibet etiam specifica, & individua mentione, & expressione digni in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes illis non consenserint, seu ad ea vocati, citati, & auditi, vel causæ propter quas præsentes emanarint, adductæ, & verificatæ non fuerint, aut ex alia quacumq; quantumvis legitima, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite etiam in corpore juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, vel interesse habentium, aut habere prætendentium consensus, aliove quolibet etiam substantiali, ac incogitato, & inexcogitabili defectu notari, impugnari, infringi, retractari, ad viam, seu terminos juris reduci, aut in controversiam revocari, seu adversus illas, & illa quodcumque juris facti,

cti, vel gratiæ remedium impetrari, vel intentari, aut impetrato, seu etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concesso, vel emanato quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare posse; sed ipsas præsentes literas, & in eis contenta decreta, seu statuta, & alia præfata semper firma, valida, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit plenissime suffragari, & ab eis respective in omnibus, & per omnia inviolabiliter, & inconcusse observari, & adimpleri; Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, & Apostolicæ Sedis Nuncios, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausula sublata.

Contrariis derogat.

§.5. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit, Ordinis, & Conventus, & Collegii hujusmodi, aliisve quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in specie, aut aliis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, & exprimerentur, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 29. Oct. 1667. An.I.

Datum Romæ apud S. M. Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 29. Octobr. 1667. Pont. nostri Anno I.

XXX.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Suspensio pœnæ excommunicationis latæ sententiæ per Breve Alexandri VII. super Reformatione Monasteriorum Monialium Hispaniæ emanati impositæ, in omnibus iis casibus, in quibus eadem pœna a jure communi, vel aliis Constitutionibus Apost. imposita non reperitur.

CLEMENS PAPA NONUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

INjunctæ Nobis divinitus apostolicæ servitutis ratio exigit, ut conscientiarum quieti consulere satagentes, ea, quæ a Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris pie quidem, ac rationabilibus ex causis constituta fuerunt, si ex nimio illorum rigore aliquid nascatur incommodi, unde animabus labes inferri posset, prudenti moderatione lenire studeamus, sicut cognoscimus in Domino salubriter expedire.

Literæ Alexandri VII.

§.1. Aliàs siquidem emanarunt a fe:re: Alexandro Papa VII. Prædecessore nostro ad supplicationem claræ mem. Philippi IV. dum vixit Hispaniarum Regis Catholici literæ in simili forma Brevis tenoris, qui sequitur videlicet: Alexander Papa VII. ad perpetuam rei memoriam. Pastoralis officii, qua Ecclesiæ Catholicæ per universum, &c. reliqua invenies in suo loco sub die 30. Januarii 1665.

Motiva.

§.2. Cum autem, sicut nomine Charissimi in Christo filii nostri Caroli earumdem Hispaniarum Regis Catholici per dilectum filium nobilem virum modernum Marchionem de Astorga ipsius Caroli Regis apud Nos, & Sedem Apostolicam Oratorem Nobis nuper expositum fuit, ex pœna excommunicationis latæ sententiæ, quæ per literas præinsertas earum contraventoribus inter alias imposita reperitur, diversæ difficultates oriantur, & tam Moniales præfatæ, quam eorum Superiores variis angantur conscientiarum scrupulis, aliaque sequantur incommoda, quæ experientia rerum magistra quotidie demonstrat. Nobis propterea memorati Caroli Regis nomine per præfatum Marchionem humiliter supplicatum fuit, ut in præmissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Suspendit pœnam excommunicationis, prout in rub.

§.3. Nos igitur piis hujusmodi supplicationibus paterno affectu annuentes, pœnam excommunicationis latæ sententiæ hujusmodi per præinsertas Alexandri Prædecessoris literas impositam in omnibus iis casibus, in quibus eadem pœna a jure communi, vel aliis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis imposita non reperitur, salva tamen, & in suo vigore quoad reliqua omnia, & singula remanente earumdem Alexandri Prædecessoris literarum dispositione auctoritate apostolica tenore præsentium suspendimus.

Decretum firmans, & clausula sublata.

§.4. Decernentes ipsas præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos, & quas spectat, & pro tempore spectabit, plenissime suffragari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apo-

stolici Auditores, ac S. R. E. præfatæ Cardinales, & de latere Legatos, dictæque Sedis Nuncios, & alios quoscumque qualibet præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§.5. Non obstantibus quoad ea, quæ præsentibus adversantur, præinsertis Alexandri Prædecessoris literis, necnon omnibus, & singulis, quæ in eisdem concessa sunt non obstare, cæterisq; contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§.6. Cæterum volumus pariter, ut ipsarum præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 29. Oct. 1667. An.I.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 29. Octob. 1667. Pontificatus nostri Anno I.

XXXI.

Ex Regest. in Secr. Brev.

Nova concessio facultatis cognoscendi causas Universitatum, & Hominum S. Benigni, Montanarii, Filetti, Lombardorii, & aliorum locorum nullius Provinciæ Taurinen. Nuncio Sabaudiæ.

CLEMENS PAPA NONUS

Ad futuram rei memoriam.

Recensentur aliæ literæ.

§.1. ALiàs pro parte dilectorum filiorum Universitatum, & Hominum S. Benigni, ac Montanarii, & Filetti, necnon Lombardorii, & aliorum locorum Jurisdictionis Monasterii Abbatiæ nuncupati Sedi Apostolicæ subjecti ejusdem S. Benigni Ordinis S. Benedicti nullius Diœces. Provinciæ Taurinen. fel. rec. Paulo PP. V. Prædecessori nostro exposito, quod dudum rec. mem. Pius Papa IV. similiter Prædecessor noster dictis Universitatibus, & hominibus qui propter eorum paupertatem, magnamque dictorum locorum a Sede prædicta distantiam, causas ad dictam Sedem pro tempore devolutas prosequi nequibant tunc, & pro tempore existentem ejusdem Sedis in illis partibus Legatum, seu Nuncium Judicem, qui quascumque causas in secunda Instantia a quibuscumque sententiis, summam quinquaginta scutorum auri in auro non excedentes per ipsius Monasterii Abbatem, aut ab eo deputatos pro tempore latis, cognoscere, decidere, & fine debito terminare, ac debitæ executioni demandare valeret, ad ipsius Prædecessoris, & Sedis prædictæ beneplacitum constituerat, & deputaverat; Et subinde pro eo, quod Universitatibus, & Hominibus prædictis propter eorum paupertatem, & distantiam hujusmodi valde difficile erat pro singulis causis dictam summam quinquaginta scutor. excedent. ad Sedem eamdem recursum habere piæ mem. Clemens Papa VIII. etiam Prædecessor noster facultatem cognoscendi quascumque causas in secunda instantia usque ad summam quinquaginta scutorum Nuncio prædicto concessam, ad omnes, & quascumque causas in secunda instantia civiles, criminales, & mixtas, ac Beneficiales, ac Matrimoniales, & alias quascumque cujusvis qualitatis existentes, & ad quamcumque summam ascendentes pro tempore moven. ad certum tunc expressum tempus extenderat, ipsumque tempus pluries, & ultimo ad quinquennium prorogaverat; idem Paulus Prædecessor quinquennium hujusmodi ter successive singulis vicibus ad quinquennium prorogavit. Postmodum vero similis recordationis Urbanus Papa VIII. pariter Prædecessor noster, attento quod quinquennium ultimo, ut præfertur prorogatum expiraverat, facultatem prædictam ad aliud quinquennium sub certis modo, & forma tunc expressis, concessit, ipsumque quinquennium, etiam ter successive singulis vicibus ad quinquennium extendit, & prorogavit: Ac demum similis rec. Alexander Papa VII. etiam Prædecessor noster eamdem facultatem ad aliud quinquennium itidem concessit, & alias prout in diversis memoratorum Prædecessorum in simili forma Brevis literis, novissimis quidem dicti Alexandri Prædecessoris die 10. Novembris 1659. expeditis, quarum tenores præsentibus pro expressis haberi volumus uberius continetur.

Motiva.

§.2. Cum autem, sicut Universitates, & Homines prædicti Nobis nuper exponi fecerunt, quinquennium novissime, sicut præmittitur concessum, jam expiraverit, ipsi vero eisdem necessitate, & paupertate ac incommodo præmantur, & propterea opportune sibi a Nobis in præmissis provideri summopere desiderent: Nos specialem eisdem Exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ut quinquennio proximo durante dictaxat dilectus filius nunc, & pro tempore existens in illis partibus noster, & dictæ Sedis Nuncius, quascumque Universitatum, & Hominum prædictorum causas in secunda instantia civiles, criminales, & mixtas, ac Beneficiales, & Matrimoniales, & alias cujuscumque qualitatis existentes, & ad quamcumque summam ascendentes juxta literarum prædictarum tenorem, audire, cognoscere, decidere, & fine

Concedit Pontifex, ut in rubrica.

& fine debito terminare, ac prout juris fuerit exequutioni demandare possit, & valeat, Apostolica auctoritate tenore præsentium concedimus, & indulgemus, Nuncioque prædicto plenam, & omnimodam in præmissis facultatem tribuimus, & impartimur.

Contrariis derogat.

§.3. Non obstantibus omnibus illis quæ in prædictis Prædecessorum nostrorum literis concessa sunt non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Jubet credi transumptis.

§.4. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra habeatur quæ præsentibus haberetur si forent exhibitæ vel ostensæ.

Dat. die 31. Oct. 1667. An.I.

Datum Romæ apud S. M. Majorem. sub Annulo Piscatoris die 31. Octobris 1667. Pont. nostri Anno I.

XXXII.

Ex Regest. in Sect. Brev.

Confirmatio statuti a Capitulo Ecclesiæ Lexovien. conditi, & ab Episcopo confirmati circa fundationem Anniversariorum Canonicorum decedentium.

CLEMENS PAPA NONUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Supplicatio.

§.1. EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Decanus, & Capitulum Ecclesiæ Lexovien. quod cum quodam dictæ Ecclesiæ statuto, Apostolica auctoritate, dudum inter alia, ut asseritur, confirmato cavetur, quod Canonicus distributivus decedens postquam per annum integrum, & continuum interfuisset servitio dictæ Ecclesiæ, quod stagium, vel annum rigoris vocant, & debite approbatum fecisset, secundum consuetudinem ejusdem Ecclesiæ, gauderet per annum integrum post suum obitum tam grossis fructibus Præbendæ, quam distributionibus Ecclesiæ, manualibus tamen exceptis, ac deducta primitus, & ante omnia summa quadraginta librarum Turonen. pro emendis quadraginta solidis redditus annui, ad obitum, seu Anniversarium dicti Canonici decedentis fundandum, & celebrandum in dicta Ecclesia, Dignitatum autem, & Canonicorum non distributivorum, & volantium dictorum, ac etiam Canonicorum distributivorum, qui dictum stagium, aut annum rigoris non fecissent, redditus Præbendæ dicti le Gros, vacatione adveniente per mortem, cessionem, resignationem, permutationem, aut alio quovis modo, ac etiam si lis super possessione alicujus dignitatum, seu Præbendarum mota esset, donec sopita fuisset pertinerent, pro anno sequente vacationem ad fabricam Capituli destinatam pro manutentione, & vestitu Puerorum chori, & reparatione Ecclesiarum, exceptis procurationibus Archidiaconorum ratione visitationis, & distributionis Ecclesiæ, quæ ad Canonicum distributivum Successorem pertinent, pro ratione lucri, & deductis viginti libris Turonen. pro emendis viginti solidis redditus annui ad effectum fundandi eorum obitum, seu Anniversarium: Ipsi Exponentes considerantes valorem reddituum Præbendarum Eccles. præfatæ multum succrevisse, uberioresque modo esse fructus, quos grossos vocant, quàm dum statuta præfata condita fuerunt, in eorum Capitulo Generali novum statutum, reservato tamen tam Vener. Fratris Moderni Episcopi Lexovien. quam dictæ Sedis Apostolicæ beneplacito fecerunt, ut imposterum deducantur centum libræ Turonen. pro constituendo, & celebrando obitu, seu Anniversario cujuslibet Canonici Ecclesiæ hujusmodi pro tempore decedentis, & alias prout in scripturis desuper confectis uberius dicitur contineri.

Confirmat statutum prædecessum.

§.2. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat dicti Exponentes novum statutum hujusmodi a præfato Episcopo confirmari obtinuerunt, illudque etiam apostolici muniminis patrocinio communiri summopere desiderent: Nos specialem ipsis Exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, novum statutum ab eisdem Exponentibus conditum, & a memorato Episcopo Lexovien. confirmatum, ut præfertur, confectasque desuper scripturas cum omnibus, & singulis in eis contentis, alias tamen licitis, & honestis, auctoritate Apostolica, tenore præsentium, confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes & singulos juris, & facti defectus si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus.

Decretum irritans.

§.3. Decernentes ipsas præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab illis respective inviolabiliter observari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausula sublata.

Derogatio contrariorum.

§.4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus, Apostolicis necnon dictæ Ecclesiæ etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 31. Oct. 1667. An.I.

Datum Romæ apud S.M. M. sub Annulo Piscatoris, die 31. Octobris 1667. Pontificatus nostri Anno I.

XXXIII.

Constitutio, in qua injungitur Fratribus Ordinis Eremitarum S. Augustini Officium & Missam Conceptionis B.M.V. ex præcepto recitare, idemque Officium ad usum d. Ordinis seorsim imprimi posse conceditur.

CLEMENS PAPA NONUS

Ad futuram rei memoriam.

Proœmium.

EXigit commissæ Nobis cœlitus dispensationis ratio, ut piis religiosorum virorum propriæ, alienæque saluti laudabiliter incumbentium votis ad augendam in terris Gloriosissimæ Virginis Deiparæ Mariæ, quæ super Choros Angelorum exaltata, pro populo Christiano sedula exoratrix apud Regem quem genuit, assidue intercedit, venerationem tendentibus, favorabiliter annuamus.

Supplicatio.

§.1. Supplicationibus itaque dilecti filii Hieronymi Valvasorii Prioris Generalis Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini tam suo, quam totius Ordinis prædicti nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ut in eodem Ordine ab omnibus illius Fratribus, qui horas Canonicas recitare tenentur, Officium, & Missa Conceptionis ejusdem B.M.V. Immaculatæ cum octava imposterum de præcepto recitetur, cum Lectionibus in Octavario Romano a Congregatione Ven. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus præpositorum approbato contentis, & a die octava ad decimamquintam Decembris rite dispositis, auctoritate apostolica, tenore præsentium mandamus, & decernimus.

Concedit Pontifex.

§.2. Idemque Officium ad usum dicti Ordinis seorsim ab octavario Romano imprimi posse concedimus.

Contrariis derogat.

§.3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi mandat.

§.4. Volumus autem, ut earumdem præsentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 31. Oct. 1667. An. I.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 31. Octobris 1667. Pontificatus nostri Anno I.

XXXIV.

Ex Regest. in Sect. Brev.

Suppressio Regularitatis Vice-Prioris, & Canonicorum Regular. Prioratus Conventualis S. Georgii Ordinis Canonicorum Regularium S. Augustini Gratianopolitan. Diœc. a parte Ducatus Sabaudiæ cum eorum reductione ad statum Presbyterorum secularium.

Ven. Fratri Episcopo Gratianopolitan.

CLEMENS PAPA NONUS

Venerabilis Frater salutem, & Apostolicam benedictionem.

Supplicatio.

§.1. EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Vice-Prior, & Canonici Regulares Prioratus Conventualis Sancti Georgii Ordinis Canonicorum Regularium Sancti Augustini Gratianopolitan. Diœcesis a parte Ducatus Sabaudiæ, quod dudum in loco Tononi dictæ, seu alterius Diœcesis a fel. rec. Clemente Papa VIII. Prædecessore nostro motu ejus proprio erecta fuit Congregatio Presbyterorum Secularium Oratorii nunc *Domus Sanctæ* nuncupat. sub titulo, seu invocatione Beatæ Mariæ Virginis sive septem dolorum, quæ ab uno Præfecto, qui primus fuit Sanctus Franciscus Salesius, & Septem Presbyteris secularibus sub Ritibus, & Institutis Presbyterorum secularium Congregationis Oratorii de Urbe regi deberet, in eaque tamquam in publica Universitate scientiæ, & præsertim Theologia Scholastica, controversiæ, casus conscientiæ, & Sacra Scriptura publice legi, & doceri deberent; Ac ipsi Congregationi sic erectæ, seu Domui Sanctæ pro illius, ejusque Alumnorum & Habitatorum manutentione, & sustentatione mensa commendatitia trium Prioratuum Conventualium in illis partibus consistentium, & commendari solitorum, ex quibus unus est præfatus Prioratus S. Georgii, qui a memorato loco Tononi parum distat, unita, & incorporata fuit, idque in perpetuum, unde Fidei Catholicæ negotia magnopere promota fuerunt, prout hodieque promoventur, cum habitatores totius Ducatus Chablesis, ac Balliviæ de Ternier prope Genevam, qui sexaginta, & amplius annorum spatio hæresi infecti fuerant, ad gremium Sanctæ Ecclesiæ Catholicæ redierint, quinimo eorum exemplo multi ex ipsa Civitate Geneven. repudiatis erroribus, in quibus vivebant, relictisque eorum facultatibus sese in dictum locum Tononi una cum eorum familiis ad vitam ibidem Cathol. more ducendam receperint.

§.2. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat in præfato Prioratu Sancti Georgii unus Vice-Prior, & tredecim Canonici de præſenti vivant ex eorum Præbendis, quas eis ſolvit dicta Congregatio, ſeu Domus Sancta quemadmodum a Priore Commendatario antiquitus ſolvebantur ac ex aliis redditibus infraſcriptis, illique nihil habeant regulare præter nomen, nullam obſervent Regulam, nihil agant, quo a Presbyteris ſecularibus diſtinguantur, ne quidem quoad habitum, niſi, quoad ſuper habitum faſciolam ex tela alba duos digitos latam collo appenſam geſtant, a nullo monaſterio dependeant, nec ullum Superiorem agnoſcant, & ſolum apparentem quamdam obedientiam præſtent eorum Vice-Priori, qui unus eſt ex ipſis Canonicis a præfata Congregatione, ſeu Domo Sancta electus, a quo habitum recipiunt, de conſenſu tamen ejuſdem Congregationis, ſeu Domus Sanctæ, & in cujus manibus aſſertam eorum profeſſionem emittunt ſecreto, & cum modica edificatione ſeu conſolatione ſui ipſorum nec ullam propriam habeant profeſſionis formulam, unde multi nunquam profiteri voluerunt, prout noviſſime unus licet in ætate ſeptuaginta quatuor annorum conſtitutus eſſet, & forſan quinquaginta, & amplius annorum ſpatio ibidem Canonicus fuiſſet, quinimo bona temporalia, & alia cujuſvis generis poſſideant, emant, vendant, negocientur, contrahant, donent irrevocabiliter, aliiſque negociis ſecularibus quibuſvis dent operam, ſine ulla licentia, quemadmodum meri ſeculares facerent, & eorum aliqui, quibus nihil eſt præter Præbendam etiam rebus mechanicis incumbant, cant obſonatum, aliaque vilia miniſteria obeant, eaque de cauſa non ſine gravi ſcandalo perſepe abſint a Choro, quod etiam alii cujuſvis etiam minimi negocii cauſa quandoque ad longum tempus faciunt, idque impune: Cumque ſi iidem Canonici ad ſtatum Presbyterorum ſecularium reducerentur, & membra capiti conformando, ſub inſtitutis ſupradictæ Congregationis, ſeu Domus Sanctæ viverent, ac eorum Præbendæ Canonicales Sacriſtæ, Infirmarii, & Cantoris Officia, quibus nonnulla bona ſtabilia a menſa Conventuali ejuſdem Prioratus Sancti Georgii dependentia, ab immemorabili tempore applicata fuerunt, aliaque Beneficia ab eodem Prioratu dependentia ſupprimerentur, & illorum, cæterorumque bonorum ad menſam Conventualem hujuſmodi ſpectantium fructus, redditus, & proventus, qui ad ſummam ſeptingentorum, & viginti, vel circiter ſcutorum monetæ Romanæ annuatim aſcendunt, pro Præfecti, & Alumnorum vitam communem in dicto Prioratu ductorum ſuſtentatione, eorumque miniſtrorum, & inſervientium manutentione applicarentur, inde procul dubio quieti, & conſcientiæ ſecuritati dictorum Exponentium opportune conſuleretur, & operarii, ad ſtrenue laborandum in Vinea Domini, Fidemque Catholicam in illis partibus benedicente Domino propagandam multiplicarentur, atque ita operariorum in præfata Congregatione, ſeu Domo Sancta de præſenti exiſtentium paucitas, quæ tantæ meſſi non ſufficit, hoc incremento utiliter ſuppleretur. Nobis propterea dictorum Vice-Prioris, & Canonicorum, ac etiam tuo nomine humiliter ſupplicatum fuit, ut in præmiſſis opportune providere, & ut infra indulg re debeniguitate Apoſtolica dignaremur.

Annuit ſuppli cationi Pont.

§.3. Nos igitur votis tuis hac in re quantum cum Domino poſſumus benigne annuere, ac Vice-Priorem, & Canonicos præfatos ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, fraternitati tuæ per præſentes committimus, & mandamus, ut conſtito tibi de narratis, in præfato Prioratu Sancti Georgii, omnibuſque, & ſingulis officiis, portionibus, & Præbendis Canonicalibus, membris, & Beneficiis Regularibus tam perpetuis, quam amovibilibus ab illo dependentibus, Ordinem ſupradictum, omnemque ſtatum, eſſentiam, ac dependentiam, ac inſtituta regularia, necnon titulum collativum Beneficiorum, Præbendarum, & Officiorum hujuſmodi, ſi aliquod illorum in ſimilem titulum conferri ſoleat, auctoritate itidem perpetuo reducas: Et de præſenti quidem Præfectum Prioratus hujuſmodi, eum qui illius eſt Vice-Prior, Alumnos autem eos, qui ibidem ſunt Canonici Regulares reſpective eſſe debere; In futurum vero Præfecti ejuſdem Prioratus, ac Presbyterorum ſecularium in illum acceptandorum, & ex illis magis idoneorum ad Beneficia infraſcripta nominationem ad Præfectum dictæ Congregationis, ſeu Domus Sanctæ pro tempore exiſtentem ſpectare, & pertinere debere, remanente tamen eorumdem Beneficiorum adminiſtratione penes illos, qui ea de præſenti poſſident, dicta auctoritate ſtatuas, & decernas. Præterea pro eorumdem Præfecti, Alumnorum, Miniſtrorum, & inſervientium Prioratus hujuſmodi ſuſtentatione, & manutentione, omnes, & ſingulos tam Præbendarum Canonicalium & Sacriſtæ, Infirmarii, & Cantoris Officiorum hujuſmodi, ac bonorum ſtabilium a menſa Conventuali ipſius Prioratus dependentium, & dictis officiis ab immemorabili tempore, ut præfertur, aſſignatorum, necnon ad eamdem menſam ſpectantium inter Canonicos Regulares de Capitulo ipſius Prioratus dividi conſuetos, quam Parrochialis Eccleſiæ ejuſdem Prioratus ab uno ex dictis Canonicis per præfatam Congregationem, ſeu Domum Sanctam nominato

nato adminiſtrari ſolitæ, ac alterius Parochialis Eccleſiæ loci de Altavillar ab eodem Prioratu dependentis, & inde parum diſtantis, quæ ad Vice-Priorem præfatum, prævia nominatione hujuſmodi ſpectare aſſeritur, & cujus cura per Vicarium amovibilem ab eo deputatum exerceri ſolet, necnon unius perpetuæ Cappellaniæ in Eccleſia Prioratus hujuſmodi erectæ, & ab uno ex eiſdem Canonicis per Congregationem, ſeu Domum Sanctam præfatam nominato obtineri conſuetæ fructus, redditus, & proventus, qui ad ſummam ſeptingentorum, & viginti vel circiter ſcutorum monetæ hujuſmodi, ut præfertur, annuatim aſcendunt, auctoritate præfata pariter perpetuo applices, & appropries. Ac demum omnibus, & ſingulis Presbyteris, & Clericis, aliiſque perſonis in Prioratu præfato pro tempore degentibus, ut omnibus, & ſingulis privilegiis, prærogativis, exemptionibus, gratiis, favoribus, & indulgentiis, quibus Presbyteri, Clerici, aliæque perſonæ dictæ Congregationis Oratorii, ſeu Domus Sanctæ tam de jure, uſu, & conſuetudine, quam alias quomodolibet utuntur, fruuntur, & gaudent, ac uti frui, & gaudere poſſunt, & poterunt in futurum, pari modo, uti, frui, & gaudere libere, & licite poſſint, & valeant, dicta auctoritate concedas, & indulgeas; Nos enim tibi ſuper omnibus, & ſingulis præmiſſis quamcumque neceſſariam, & opportunam facultatem, eadem auctoritate tenore præſentium tribuimus, & impartimur.

Derogatio contrariorum

§.4. Non obſtantibus præmiſſis ac noſtra, & Cancellariæ Apoſtolicæ Regula de non concedendis Indulgentiis ad inſtar, aliiſque Apoſtolicis, ac in univerſalibus, provincialibuſque, & ſynodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, ac quatenus opus ſit Prioratus, & Ordinis hujuſmodi etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores, præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris ad præmiſſorum effectum, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Dat. die 3. Nov. 1667. An.I.

Datum Romæ apud S.M.M. ſub Annulo Piſcatoris, die 3. Nov. 1667. Pont. noſtri Anno I.

XXXV.

Ex Recell. in Secret. Brev.

Impoſitio Decimarum ſuper fructibus Eccleſiaſticis pro Republica Venetorum.

Ven. Fratri Stephano Archiepiſcopo Adrianopolitan. moderno, & pro tempore exiſtenti noſtro, & Sedis Apoſtolicæ in Dominio Venetorum Nuncio.

CLEMENS PAPA NONUS

Ven. Frater ſalutem, & apoſtolicam benedictionem.

Exordium.

SAcroſanctæ militantis Eccleſiæ regimini per abundantiam Divinæ gratiæ nullo licet meritorum ſuffragio præpoſiti, inter graves ſolicitudines, quibus pro credito Nobis, Apoſtolicæ ſervitutis officio, aſſidue premimur, ea eſt præcipua, quam continua pericula, atque diſcrimina, quæ a nefario Chriſti nominis hoſte Turcarum tyranno Principibus, & Populis Chriſtianis nunquam non impendent, Nobis conficiunt. Quapropter & ſi Domini Dei exercituum, qui Sponſam ſuam Eccleſiam Sanctam protegit, præſidio potiſſimum confidamus, cogimur tamen pro debito paſtoralis muneris in id omni cogitatione, omnique cura incumbere, ut proviſionis noſtræ miniſterio adhibitis Catholicorum Principum viribus, mala hujuſmodi procul a Populo Chriſtiano arceantur.

§.1. Cum vero plus ſatis conſtet eumdem impium Turcarum tyrannum nihil avidius quærere, quam Chriſtianos Populos invadere, & Chriſtianam Religionem exterminando, abominationem ſuam plantare, & propagare, ejuſque vires noſtris facientibus peccatis malo noſtro admoniti cogamur timere, omnique cura, & ſolicitudine præcavere, multo magis caſtra Domini cuſtodire, & præmunire Nos oportet, hoc præſertim tempore, cum idem Turcarum tyrannus ingentibus Mari, Terraque copiis ditiones Nobiliſſimæ Reipublicæ Venetorum invaſerit, quæ, ut improbis ejus conatibus reſiſtere poſſit, cum magnos ſumptus jugiter facere debeat; Idcirco fel. rec. Clementis VIII., & Pauli V., necnon Gregorii XV., & Urbani VIII., Innocentii X., & Alexandri VII., aliorumque Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum veſtigiis inhærentes, Rempublicam id enixe flagitantem Eccleſiaſticis auxiliis prompto, libentique animo adjuvandum decrevimus: attendentes non ſolum Nos ejus unius ſaluti, verum etiam multorum, ac omnium Italiæ Populorum incolumitati conſulere, cum ipſa ſit magnum totius Italiæ munimentum, ac firmiſſimum Maris Adriatici propugnaculum. Quamobrem æquum, & rationi conſentaneum eſſe duximus eidem Reipublicæ eorumdem Clementis, ac Pauli, necnon Gregorii, & Urbani, ac Innocentii, & Alexandri Prædeceſſorum exemplo, ſubſidio decimarum ex fructibus, & redditibus totius Cleri ejuſdem Status Venetorum pro eiſdem uſibus ad certum tempus attribuendo ſubvenire, firmam in Domino fiduciam habentes fore, ut ea Reſpublica teſtificatione paternæ voluntatis erga ſe noſtræ non ſolum ſeſe munitam, & ad reſiſtendum communi hoſti paratam in dies magis conſervet, ſed etiam illum a ſuis finibus animoſe detrudat.

Sestuitur ſubſidium ſuper fructibus ecclesiaſticis pro ut in rubrica.

§.2. Nos igitur iſtis, aliiſque graviſſimis,

mis, & juſtiſſimis de cauſis moto, motu proprio, ac ex certa ſcientia, ac de apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, tenore præſentium indicimus, & imponimus ſexdecim integras decimas omnium, & quorumcumque fructuum, reddituum, & proventuum quarumcumque Eccleſiarum Patriarchalium, Archiepiſcopalium, Epiſcopalium, Abbatialium, Capitularium, & Conventualium, Prioratuum quoque, Præpoſiturarum, Præpoſitatuum, Præceptoriarum, Canonicatuum, & Præbendarum, Dignitatum Majorum, & Principalium, Perſonatuum, Adminiſtrationum, & Officiorum, cæterorumque Beneficiorum Eccleſiaſticorum cum cura, & ſine cura ſecularium, ac S. Benedicti, S. Auguſtini, Cluniacen., Ciſtercien., Præmonſtraten., S. Baſilii, Sylveſtrinorum, & qui proprietates, reddituſque certos ex privilegio Apoſtolico, vel aliàs poſſident. Mendicantium, & quorumvis aliorum Ordinum utriuſque ſexus, & Congregationum, non tamen earum, quæ inferius deſcriptæ ſunt, ac Militiarum regularium in univerſo dominio dictæ Reipublicæ Venetorum exiſtentium. Ac inſuper alias ſexdecim decimas omnium, & quarumcumque penſionum annuarum ſuper fructibus, redditibus, & proventibus ſupradictis aſſignatarum, & aſſignandarum ab omnibus, & quibuſcumque Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis Eccleſiarum Prælatis, cæteriſque cujuſcumque ſtatus, gradus, dignitatis, & conditionis perſonis (exceptis dumtaxat Ven. Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus, necnon dilectis filiis Fratribus Hoſpitalis S. Joannis Hieroſolymitani, ac Fratribus Mendicantibus prædictis, & inſuper Beneficiis Eccleſiaſticis Officio Sanctæ Inquiſitionis hæreticæ pravitatis in dicto Dominio inſtituto unitis, annexis, & applicatis, quos Cardinales, ac Fratres Hoſpitalis prædicti, ac Beneficia prædicto Inquiſitionis officio unita in totum; Fratres vero Mendicantes pro medietate dumtaxat ab eiſdem Decimis, & illarum ſolutione, immunes, & exemptos eſſe volumus, & decernimus. Eccleſias, Monaſteria, & Beneficia, ac penſiones, ſeu fructus, aut illorum partem hujuſmodi in eodem Dominio quocumque jure, ac titulo obtinentibus, & obtenturis, necnon ab univerſis etiam Œconomis, Commendatariis, atque Adminiſtratoribus perpetuis, & temporalibus, uſufructuariis ſimiliter fructus omnes, vel illorum partes loco penſionum annuarum, vel penſiones, & alia hujuſmodi jura ex quacumque auctoritate apoſtolica in toto, vel in parte reſervata habentibus, & habituris, ſive ſecularibus, ſive quorumcumque Ordinum, Congregationum, & Militiarum prædictorum Regularibus, & ab ipſis etiam Eccleſiis, Capitulis, Conventibus, Ordinibus, Congregationibus, Perſonis, Collegiis, Militiis, Matlis, & Locis prædictis quacumque ampliſſima, & firmiſſima exemptione, & immunitate, reali, perſonali, vel mixta antiqua, & immemorabili, pacifica, & continua etiam ex titulo quantumvis oneroſo ſuffultis, integraliter, & cum effectu numerandas perſolven., & conſignan. Ulterius ſupradictis ex cauſis, ac exemplo Clementis, & Pauli, ac Gregorii, necnon Urbani, ac Innocentii, & Alexandri Prædeceſſorum prædictorum adducti, motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus imponimus, & indicimus novem Decimas omnium, & quorumcumque fructuum, reddituum, & proventuum, ad Caſſinen. alias Sanctæ Juſtinæ de Padua, Lateranen., Carthuſien., Montis Oliveti, S. Salvatoris, Camaldulen. Sanctæ Mariæ Vallis Umbroſæ, Sancti Georgii in Alga Venetiarum, Cœleſtinorum, Ciſtercien. Provinciæ Lombardiæ, Cruciferorum, ac Sancti Hieronymi Congregationes, earumque Monaſteria, Abbatiales, vel Conventuales, aut alias menſas Prioratus, Præceptorias, Præpoſituras, Beneficia, & Officia cum cura, & ſine cura, membra, Grangias, & alia Beneficia illis annexa in dicto Dominio conſiſten. quovis modo pertinentia ſolven. etiam per ipſas Congregationes, earumque Superiores, Abbates, Priores, Præpoſitos, Conventus, Capitula, & perſonas ultra ſubſidia Montis Religionis. ſeu quadringentorum millium ſcutorum, & quartæ partis eorumdem fructuum, reddituum, & proventuum, & alia onera, quæ per Sedem Apoſtolicam eis impoſita aut alias perſolvunt, ſeu perſolvere promiſerunt ſimiliter numerandas, perſolven., & conſignan. ſecundum verum annuum valorem fructuum, reddituum, & proventuum prædictorum, & ad hunc effectum licet fel. rec. Pius V. nonnullis tunc cauſis adductus, & Clemens, necnon Paulus, ac Gregorius Prædeceſſores prædicti, etiam ex aliis tunc expreſſis cauſis eaſdem Congregationes a Decimis ſuper fructibus, & redditibus Eccleſiaſticis deinceps ubivis etiam in Dominio Venetorum, & ex quacumque cauſa imponendis, liberas, & immunes fecerint, pari motu, ſcientia, auctoritate, & de apoſtolicæ poteſtatis plenitudine quoad fructus, redditus, & proventus ad ipſas Congregationes, & quamlibet earum in Dominio Venetorum ſpectantes immunitates, exemptiones, ac omnes, & quoſcumque contractus, ſcripturas, conventiones, tranſactiones, concordias, pacta, inſtrumenta, obligationes etiam in forma Cameræ Apoſtolicæ, & juramento, vel alia quavis firmitate roborata præſertim inter Pium, & Clementem, ac Paulum, necnon Gregorium Prædeceſſores noſtros, & Cameram Apoſtolicam, & pro ea S. R. E. Camerarium, vel Theſaurarium Generalem, aliosve quoſcumque tunc exiſtentes, & ejuſdem Cameræ Miniſtros quantumvis ampla, & ſufficienti facultate ad præmiſſa facien. ſuffultos ex una, & Congregationes ultimo dictas, illarumque Procuratores ex altera partibus inita, ac omnia, & quæcumque privilegia, indulta, libertates, exemptiones, immunitates hac de cauſa in hunc uſque

que diem eiſdem Congregationibus etiam ex cauſa, & titulo oneroſo conceſſa, hac vice dumtaxat, & ex cauſis ſupradictis ſuſpendimus, ac ipſis Congregationibus quoad novem Decimas prædictas hac vice, ut præfertur, ſuffragari nolumus, illa vero alias in ſuo robore permanere decernimus, ipſaſque Congregationes ex graviſſimis cauſis prædictis novem Decimis hujuſmodi oneramus, & cum cæteris ſecularibus, ac Regularibus Clericis, perſonis ejuſdem Dominii Venetorum, ſexdecim, ut præfertur, indixerimus, tali noſtræ impoſitioni acquieſcere ac tacitas, & contentas eſſe volumus. Univerſas vero, & ſingulas perſonas quavis Dignitate, vel auctoritate fungentes, tam ſupradictas Eccleſias, Monaſteria, & Beneficia quomodolibet obtinentes, ac penſiones, ſeu fructus, aut eorum partem ſibi, ut præfertur, reſervatos percipientes, quam ultimodictas Congregationes, & eorum unamquamque tam conjunctim, quam diviſim ad hujuſmodi Decimas in octo annis, binas videlicet decimas dumtaxat quolibet anno, & quoad ultimodictas Congregationes ſingulas tantum Decimas cum una octava parte alterius Decimæ, quoad dictos autem Fratres Mendicantes, ſingulas ſimiliter Decimas quot annis durante octennio a die, quo ultima ſimilis conceſſio a prædicto Alexandro Prædeceſſore facta expiraverit, inchoando, & ut ſequitur finien. in certis terminis per Te præfigendis integre perſolven. efficaciter teneri, & vere obligatos eſſe, iiſdemque penſionariis, aut eorum alicui penſiones annuas prædictas quantumlibet exemptas, & ſub quibuſvis obligationibus etiam in forma Cameræ, & juramento etiam de non contraveniendo. & forſan de non impetrando gratias noſtras contra eos, & de non utendo conceſſis firmitas aut alias vallatas, & forſan aliis cautelis, & Decretis munitas, cauſam donationis ſuper iiſdem fructibus, & penſionibus etiam medio Cedularum Banchi, ſeu in forma Depoſiti habentibus, & intra octo annos prædictos habituris, etiamſi ipſi a quibus penſiones hujuſmodi ſolvendæ ſunt, juri, & actioni petendæ vel retinen. portionis, aut ratæ partis penſionarios tangen. jure jurando renunciaverint, ulla privilegia, aut Indulgentias ſub quacumque verborum forma, aut expreſſione concepta quoad hoc nullatenus ſuffragari volumus; Sicque & non aliter in prædictis univerſis, & ſingulis per quoſcumque Judices, & Commiſſarios, & cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, & S. R. E. Cardinales in quavis cauſa, & inſtantia, ſublatis eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus. Ut autem hujuſmodi Decimæ facilius exigantur, fraternitatem tuam, ac Ven. Fratres Patriarchas Venetiarum, & Aquilejen. ad dictas Decimas exigendas, Ducique, & Dominio prædicto ſive ejus miniſtris ad id ſpecialiter deputatis, ſtatim nulla interpoſita mora, & ſine aliqua prorſus diminutione, retentione, aut detractione, etiam non detractus quinque pro centenario Cameræ noſtræ prædictæ in exactione talium Decimarum applicari conſuetis, integre conſignandas, earumdem Decimarum Collectores, & exactores conſtituimus, & deputamus, ac Tibi, & Patriarchis Venetiarum, & Aquilejen. prædictis pro onere quod in exactione Decimarum hujuſmodi ſuſtinebitis, quatuor millia ſcuta auri in auro ex eiſdem Decimis detrahenda, & illorum medietatem inter vos pro æquali portione, & quolibet anno ejuſdem octennii pro rata diſtribuen. & dividen., reliquam vero medietatem Subcollectoribus, & aliis Exactoribus, ac Procuratoribus ad eaſdem Decimas colligendas deputatis etiam quolibet anno pro rata, habita ratione laboris, & amplitudinis cujuſcumque Civitatis, & Diœceſ., loco ſalarii, ſeu ſtipendii, & mercedis aſſignan., & diſtribuen., ita tamen, ut non quotannis hujuſmodi quatuor millia ſcuta, ſed in toto octennio integra ſumma eorumdem quatuor millium ſcutorum pro rata quolibet anno detrahatur, ac tam vos, & quilibet veſtrum, quam ipſi Subcollectores, & alii prædicti ratione fructuum Eccleſiarum quibus nunc præeſſe dignoſcimini, aut inpoſterum præfici, vel Beneficiorum obtentorum, aut quæ obtinere, necnon fructuum, & penſionum reſervatorum, & aſſignatarum, ac quos, & quas vobis aſſignari poſthac contigerit, decimas ipſas pro veſtra, & illorum rata, & illorum quemlibet tangente integre, & realiter perſolvere omnino teneamini; & dicta aſſignatione, & diſtributione contenti eſſe debeatis, nec quidquam aliud vos, & veſtrum quilibet prætendere poſſitis; Tibi, & aliis prædictis a dictis Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Electis, Adminiſtratoribus, Commendatariis, Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Capitulis, Conventibus, & aliis perſonis ſupra expreſſis exceptis, eaſdem Decimas, ut præfertur, per Nos impoſitas peten., exigen., & colligen., eiſque tam in genere, quam nominatim, & in ſpecie, ut illas ſolvant, ſub privationis Beneficiorum Eccleſiaſticorum per eos quomodolibet obtentorum, aliiſque prout Nobis videbitur pœnis etiam pecuniariis, ac demum per ſententias, & cenſuras Eccleſiaſticas mandandi, & percipiendi, ac pro earumdem Decimarum faciliori exactione unum, vel plures Subcollectores, qui ſi in dignitate Eccleſiaſtica conſtituti ſint pari actu vigore præſentium facultate fungantur per locorum Ordinarios in quacumque Civitate, & Diœceſi, & loco ſibi ſubjecto pro tempore deputatos approban., & ſi quis ex ipſis Ordinariis intra aliquem brevem terminum veſtro arbitrio præfigendum viros idoneos ad id deputare neglexerit, tibi etiam ſine illorum conſenſu tuo arbitrio illos libere deputan., & deputatos amoven. alioſ-

Decretum irritans, & clauſula ſublata.

Exequutores deputat.

alioſque eorum loco toties quoties tibi videbitur ſubſtituendi, & ſubrogandi, ac ſolvere recuſantes, & differentes, & generaliter contradictores quoslibet, & rebelles, & ne Decimæ hujuſmodi ſolvantur perſuadentes directe, vel indirecte per ipſas cenſuras Eccleſiaſticas, & alia opportuna juris, & facti remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendi, auxiliumque brachii ſecularis contra eos ad hoc ſi opus fuerit invocandi; Solventes vero de ſolutis quietandi, & liberandi, a cenſuriſque, & pœnis, quas dicta occaſione quomodolibet incurrerint abſolvendi, & generaliter omnia, & ſingula in præmiſſis, & circa ea neceſſaria, ſeu quomodolibet opportuna facien., ordinan., mandan., & exequendi plenam, & liberam, auctoritate, & tenore prædictis facultatem concedimus, & poteſtatem.

Contrariis derogat:

§.3. Non obſtantibus Regula noſtra de non tollen. jure quæſito, ac aliis quibuſvis Apoſtolicis, ac etiam in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

§.4. Aut ſi ipſis Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Electis, Adminiſtratoribus, Commendatariis, Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Capitulis, Conventibus, Congregationibus, & aliis perſonis prædictis, vel quibuſvis aliis communiter, vel diviſim ab Apoſtolica ſit Sede Indultum, quod ad ſolutionem alicujus Decimæ non teneantur, & ad id compelli, aut quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari ſeu extra, vel ultra certa loca ad judicium avocari non poſſint per Literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de Indulto hujuſmodi mentionem, & quibuslibet aliis privilegiis, & exemptionibus etiam in corpore juris clauſis, ac Literis Apoſtolicis quibuſcumque Dignitatibus, ſeu Ordinibus ſpecialiter vel generaliter ſub quacumque verborum forma expreſſis, etiamſi motu proprio, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, & conſiſtorialiter, ac etiam in vim contractus emanaverint, etiamſi pro ſufficienti eorum derogatione de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio habenda eſſet, quæ eis quoad præmiſſa nolumus in aliquo ſuffragari.

Vetat diſtractionem rerum Eccleſiaſticarum & tranſumpta fieri mandat.

§.5. Volumus autem, quod juxta ordinationem a Concilio Viennen. ſuper hoc editam, calices, libri, & alia ornamenta Eccleſiarum, Monaſteriorum, Beneficiorum, & aliorum piorum locorum divino cultui dedicata ex cauſa pignoris, vel alia occaſione ſolutionis Decimarum hujuſmodi nullatenus capiantur, diſtrahantur, vel occupentur, quodque præſentium literarum tranſumptis tuo, vel alterius Prælati Eccleſiaſtici ſigillo, ac publici Notarii ſubſcriptione munitis, eadem prorſus fides in judicio, vel extra adhibeatur, quæ præſentibus ipſis adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, ſub Annulo Piſcatoris, die 4. Novembris 1667. Pontificatus noſtri Anno Primo.

Dat. die 4. Nov. 1667. An. I.

XXXVI.

Commiſſio Magno Magiſtro Hoſpitalis S. Joannis Hieroſolymitani ſuper notificatione Præcepti accedendi ad Urbem quibuſdam Fratribus Militibus Linguæ Italiæ facienda.

Ex Regeſt. in Secr. Brev.

Dilecto filio Nicolao Cottoner Magno Magiſtro Hoſpitalis Sancti Joannis Hieroſolymitani.

CLEMENS PAPA NONUS

Dilecte fili noſter ſalutem, & apoſtolicam benedictionem.

Mandat aliquibus Militibus, ut infra bimeſtre perſonaliter in Urbe compareant ſub pœnis prout in Rubrica.

§.1. Juſtis ex cauſis Nobis notis addncti, motu proprio, ac ex certa ſcientia, & matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, Tibi tenore præſentium committimus, & mandamus quatenus ſtatim viſis eiſdem præſentibus, cures, & mandes per legitimum Curſorem, ſive Executorem de ſpeciali noſtro, & hujus Sanctæ Sedis Apoſtolicæ mandato notificari dilectis filiis Præceptoribus, ſeu Commendatariis Gaſpari Cabuccino, Joanni Mariæ Innocentio Caravitæ, Fabio Gorio Panolino, Auguſtino Morando, & Andreæ Majorano, ac Vecchietto de Vecchiettis, & Bernardino Sardino Fratribus Militibus Linguæ Italiæ iſtius Hoſpitalis S. Joannis Hieroſolymitani perſonaliter quidem, ſi eorum perſonæ commode poterunt haberi, ſin minus in Domibus eorum ſolitæ habitationis, & in manibus Domeſticorum reſpective dimiſſa copia, ut ipſi debeant, & unuſquiſque eorum debeat intra decem dies ab hujuſmodi notificatione computandos diſcedere ab Inſula Melitenſi, & recta via ſe ad Almam Urbem noſtram, & Romanam Curiam conferre, & intra bimeſtre a die diſceſſionis hujuſmodi ad eam perſonaliter, & cum effectu perveniſſe, ad effectum audiendi juſſiones, & mandata noſtra, illiſque parendi, ſub pœnis quatenus in termino præfixo non acceſſerint, & perſonaliter, non comparuerint in dicta Curia, privationis omnium, & ſingularum Præceptoriarum, ſeu Commendarum, membrorum, aliorumque Beneficiorum, & munerum quorumcumque dicti Hoſpitalis per eos, & eorum quemlibet reſpective obtentorum, ac penſionum quarumvis ſuper fructibus, redditibus, & proventibus Præceptoriarum, ſeu Commendarum, aliorumque Beneficiorum, & bonorum quorumlibet Hoſpitalis prædicti eis, & eorum cuilibet reſpective quavis auctoritate reſervatarum, conſtitutarum,

tarum, & aſſignatarum, ſeu in eos, & eorum quemlibet translatarum, necnon perpetuæ inhabilitatis ad illa, & alia ſimilia, ſeu majora, vel minora impoſterum obtinenda, aliiſque pœnis etiam grauioribus, quam ſint ſupradictæ expreſſæ arbitrio noſtro declarandis, itaut, ſi præcepto hujuſmodi non paruerint, illico ipſo jure, & ipſo facto privati ſint eiſdem Præceptoriis, ſeu Commendis, ac membris, aliiſque Beneficiis, & muneribus hujuſmodi, quæ per Te aliis Fratribus ejuſdem Hoſpitalis, & Linguæ Italiæ, arbitrio tuo conferri, & concedi poſſint. Quod ſi tu illas, & illa intra duos menſes a die non paritionis hujuſmodi numerandos, aliis Fratribus, ut præfertur, non conſuleris, ſeu conceſſeris, illarum, & illorum omnium, & ſingulorum collatio, conceſſio, proviſio, & omnimoda diſpoſitio ad Nos, & Sedem præfatam devolvatur, Notificari quoque curabis, & mandabis ſimul, & ſemel ſupranominatis Præceptoribus, ſeu Commendatariis, & Fratribus Militibus, & eorum cuilibet perſonaliter, ſeu Domi, & in Domeſticorum manibus, dimiſſa copia, ut præfertur, quod eiſdem, ſeu eorum aliquo contumacibus exiſtentibus, ſi opus fuerit contumaces ulterius citari, & moneri, contra ipſos procedetur per Edictum, ſeu Citationes affigendas ad loca conſueta Urbis præfatæ juxta ſtylum Romanæ Curiæ, quæ ſic affixæ, ipſos, & eorum quemlibet afficiant, & arctent perinde acſi eorum ſingulis perſonaliter factæ, atque intimatæ fuiſſent,

De executione facta mandati ſuſcepti a M. Magiſtro atteſtationem

§.2. De executa autem notificatione hujus noſtri mandati, & præcepti, toto illius tenore inſerto publicam atteſtationem ad Nos quantocitius tranſmittere curabis, conſignatis tuis ſuper hoc literis dilecto filio Moderno Inquiſitori hæreticæ pravitatis in Inſula ſupradicta auctoritate Apoſtolica deputato. Ceterum Tibi, ut eaſdem præſentes literas etiam abſque dilectorum filiorum Conſilii memorati Hoſpitalis conſenſu, ac omni, & quacumque mora, tergiverſatione, contradictione, proteſtatione, & reclamatione penitus, & omnino remotis, & poſtpoſitis, in Cancellaria ejuſdem Hoſpitalis confeſtim regiſtrari, & annotari auctoritate noſtra Apoſtolica cures, & facias, motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus jungimus; Irritum decernentes, & inane quidquid ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Decretum irritans.

Contrariis derogat.

§.3. Non obſtantibus quatenus opus ſit noſtra, & Cancellariæ noſtræ Apoſtolicæ regula de jure quæſito non tollendo, aliiſque Apoſtolicis, ac in univerſalibus, provincialibuſque, & ſynodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, necnon dictorum Hoſpitalis, & Linguæ, aliiſve quibuſvis etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, ſtabilimentis, uſibus, & naturis, ac Ordinationibus Capitularibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apoſtolicis tam a felic. record. Pio Papa IV. quam a quibuſvis aliis Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus noſtris, & Sede prædicta etiam eiſdem Hoſpitali, & Linguæ, eorumque Magno Magiſtro, & Conventui, ac fratribus, & perſonis quibuslibet, ſub quibuſcumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & aliis decretis in genere, vel in ſpecie, etiam conſiſtorialiter, ac motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, aut alias quomodolibet in contrarium præmiſſorum conceſſis, confirmatis, & quantiſcumque vicibus approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illorum tenores, formas, cauſas, & occaſiones præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac inſertis, ſervatis, & ſpecificatis, reſpective habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris ad præmiſſorum effectum, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, ſub Annulo Piſcatoris, die 5. Novembris 1667. Pontificatus noſtri Anno I.

Dat. die 5. Nov. 1667. An.I.

XXXVII.

Ut in natione Germano-Belgica Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci de Obſervantia, ſervetur Breve Urbani VIII. circa abrogationem privilegiorum perſonalium.

Ex Regeſt. in Secr. Brev.

CLEMENS PAPA NONUS

Ad futuram rei memoriam.

Motivo.

§.1. Exponi Nobis nuper fecit, dilectus filius Bonaventura Vanden. Sande Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Strictioris Obſervantiæ nuncupator. profeſſor, ac in Curia Belgica Commiſſarius, & ad Romanam Curiam, ut aſſerit deputatus, quod cum fel. rec. Urbanus Papa Octavus Prædeceſſor noſter per quaſdam ſuas in ſimili forma Brevis die 23. Jul. 1639. expeditas literas omnia privilegia perſonalia Fratribus dicti Ordinis conceſſa abrogaverit, & tam per Concilium Tridentinum ſeſſ. 25. cap. 4. de Regularibus, quam per Statuta Generalia Barcinonenſia Ordinis prædicti de Electionibus cap. 71. prohibitum reperiatur, ne Superiores titulares admittantur ad electiones: Ipſe Bonaventura pro communi bono, pace, & ædificatione quibus Natio Germano-Belgica, & annexæ Provinciæ ejuſdem Ordinis hactenus

nus gaviſæ ſunt, ejuſmodi privilegiis perſonalibus, quæ in eadem Natione nunquam ad uſum deducta fuerunt, nec ſine inconvenientibus, turbationibus, atque confuſionibus introduci poſſent, aditum præcludi, & alias opportune in præmiſſis a Nobis provideri, ac ut infra, indulgeri ſummopere deſiderat.

Prohibet concedi poſt Fratribus prædictis privilegia prout in Rub.

§.2. Nos igitur dictum Bonaventuram ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, de Ven. Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negociis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſitorum conſilio, attentis narratis, inhærendo præfatis Urbani Prædeceſſoris literis, auctoritate apoſtolica, tenore præſentium mandamus per quoſcumque quavis auctoritate fungentes inhibentes impoſterum expediri, ſeu concedi Fratribus Ordinis hujuſmodi Nationis præfata privilegia, exemptiones, gradus, & familia prout in dictis literis continetur.

Et mandat ſervari dispoſitionem Concilii Tridentini.

§.3. Præterea mandamus in eadem Natione omnino ſervari diſpoſitionem Concilii Tridentini, & Statutorum Barcinonenſium ejuſdem Ordinis nimirum, Fratres ſuperiores titulares non admitti, nec habere locum in electionibus; ſalva tamen ſemper in præmiſſis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Decretum irritans.

§.4. Decernentes ipſas præſentes literas firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab illis ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit inviolabiliter obſervari; ſicque in præmiſſis per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§.5. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Tranſumpto tum fides.

§.6. Volumus autem, ut præſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides ubique adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Dat. die 8. Nov. 1667. An. I.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, die 8. Nov. 1667. Pontificatus noſtri Anno I.

XXXVIII.

Confirmatio Decreti trium Cardinalium a Congregatione Epiſcoporum, & Regularium ſpecialiter deputatorum, quo reſolvuntur Dubia Mulieres Pizzocheras nuncupat. Conſervatorii Venetiarum concernentia.

Ex Regeſt. in Secret. Brev.

CLEMENS PAPA NONUS

Ad futuram rei memoriam.

Motiva.

§.1. Alias propoſitis pro parte dilecti filii Plebani Eccleſiæ Parochialis S. Martini Civitatis Venetiarum nonnullis dubiis dilectas in Chriſto filias Mulieres Conſervatorii ſub habitu S. Dominici ejuſdem Civitatis vulgo Pizzocheras nuncupatas concernentibus; Congregatio Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſitarum tres ex iiſdem Cardinalibus ad examinanda, & reſolvenda dubia hujuſmodi deputavit, a quibus emanavit decretum tenoris, qui ſequitur, videlicet.

Decretum S. Congreg.

Sacra Congregatio Eminentiſſimorum S.R.E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita, cui a Sacra Congregatione Concilii remiſſus fuerat ſupplex libellus nomine Plebani Eccleſiæ Parochialis S. Martini Civitatis Venetiarum pro reſolutione infraſcriptorum dubiorum porrectus. Primo nimirum, an Mulieres Conſervatorii ſub habitu S. Dominici ejuſdem Civitatis vulgo Bizzocheræ nuncupat. de ſervanda Regula Fratrum, & Sororum de Pœnitentia votum emittentes ad formam Conſtitutionum dictorum Fratrum, & Sororum licite utantur Velo ſupra caput, quod ſuprajectum nuncupant, necnon Pectorali, quod vulgo dicunt Sottogola, ac Patientia in habitu. Secundo. An liceat ad eorum hujuſmodi habitum Mulieres recipere, quæ ſaltem quadraginta annorum ætatem non attigerint. Tertio. Quatenus hoc non liceat cumque de facto in conſortio earum Pizzocherarum receptæ fuerint aliquæ adoleſcentulæ tenerioris ætatis, ex quibus exortura ſcandala pertimeſci poteſt, utrum eædem adoleſcentulæ ab earumdem Pizzocherarum cœtu admitti debeant. Quarto. An dictis Pizzocheris liceat propriam Cappellam, ſeu Oratorium habere, in qua Miſſæ Sacrificium offeratur. Quinto. Utrum interdicenda ſit Cappella hujuſmodi quam ſibi adſtruxerunt eædem Pizzocheræ, & ex eo potiſſimum, quod vergat (ut aſſeritur) in præjudicium vicinæ Parochialis præfatæ, & indecenter maneat. Sexto. An quatenus liceat dictam Cappellam retinere, liceat parvam feneſtram ad Sacrum e Domo ipſarum Pizzocherarum abſque Sedis Apoſtolicæ indulto audien., & Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſuſcipiendum aptam retinere. Septimo demum: An eædem Pizzocheræ Cratibus Par-

latorii, ac Rotis ad inſtar ſanctimonialium clauſtralium licite uti valeant. Pro iiſdem inſertis dubiis examinandis, acreſolvendis deputavit ſub Julii proxime præteriti Congregationem particularem Eminentiſſimor. Cardinalium Brancatii, Sanctacrucii, & Carafæ, qui attenta informatione Domini Patriarchæ Venetiarum, reque diligenter examinata, viſis videndis, & conſideratis conſiderandis reſponderunt: Ad Primum. Licere. Ad Secundum. Libere poſt decimumoctavum annum juxta præfatas Conſtitutiones a ſan. mem. Clemente VII. confirmatas. Ad Tertium. Eſſe dimittendas illas, quæ hujuſmodi ætatem decem & octo annorum non expleverint, ad formam dictarum Conſtitutionum. Ad Quartum. Licere in caſu de quo agitur, cum ſit Eccleſia publica. Ad Quintum. Negative. Ad Sextum. Licere ſalvis juribus Eccleſiæ Parochialis. Ad Septimum denique remittendum eſſe, prout harum vigore remittit, arbitrio, & prudentiæ ejuſdem Patriarchæ. Romæ 30. Auguſti 1667.

M. Card. Ginnettus.

Loco † Sigilli.

E. Epiſc. A. Secretar.

Confirmat Pontifex Decretum.

§.1. Cum autem, ſicut Pizzocheræ præfatæ Nobis nuper exponi fecerunt, ipſæ decretum hujuſmodi pro firmiori illius ſubſiſtentia, confirmationis noſtræ patrocinio communiri ſummopere deſiderent. Nos ipſas Exponentes ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & earum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus earum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinſertum, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adiicimus, ſalva tamen ſemper in præmiſſis auctoritate præfatæ Congregationis Cardinalium.

Decretum irritans.

§.2. Decernentes præſentes literas firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit in futurum pleniſſime ſuffragari; Sicque in præmiſſis per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum

§.3. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Dat. die 10. Dec. 1667. An. I.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, die 10. Dec. 1667. Pontificatus noſtri Anno I.

XXXIX.

Abſolvit Diœceſanos, ac Capitulum, & Canonicos Eccleſiæ Portalegren. a cenſuris, & pœnis Eccleſiaſticis, quas reſpective incurrerunt, dicti quidem Diœceſani, quia ad minores ordines promoti fuerunt a quibuſdam Abbatibus, quibus Capitulum Sede vacante ordines hujuſmodi conferendi facultatem conceſſerat, dicti vero Canonici, & Capitulum quia eamdem facultatem conceſſerunt.

Ex Regeſt. in Secr. Brev.

Dilecto filio Vicario Capitulari Eccleſiæ Portalegren. illius Sede Epiſcopali vacante legitime deputato.

CLEMENS PAPA NONUS

Dilecte fili ſalutem, & apoſtolicam benedictionem.

Expoſitio.

§.1. Nuper pro parte dilectorum filiorum Capituli, & Canonicorum Eccleſiæ Portalegren. Nobis expoſitum fuit, quod cum ipſi Sede Epiſcopali Portalegren. vacante aliquorum Doctorum ſententiam ſequuti, pluribus ſubditis Diœceſanis Portalegren. literas dimiſſoriales conceſſerint, ut ordines minores a quibuſdam Abbatibus Monaſteriorum Sancti Benedicti, ſeu Ciſtercien. Ordinis in Diœceſi Portalegren. conſiſtentium ſuſcipere poſſent, conceſſa pariter eiſdem Abbatibus facultate minores ordines hujuſmodi conferendi non ſolum Diœceſanis Portalegren. ſed etiam quibuſvis aliis tam ſecularibus, quam regularibus, qui literas dimiſſoriales ab habentibus poteſtatem ad eas concedendas ſecum ferrent, quinimo iidem Exponentes facultatem quoque conceſſerint memoratis Abbatibus adminiſtrandi Sacramentum Confirmationis omnibus qui eo indigerent; Aliqui tamen ex capitularibus non fuerint ejuſdem ſententiæ, immo illis contradicentibus conceſſa fuerit dicta facultas; Exorta inter hos, & reliquos capitulares non mediocri controverſia circa poteſtatem Abbatum, & conſequenter circa id quod agendum eſſet circa jam ordinatos, habitoque ſuper his ad hanc Sanctam Sedem Apoſtolicam recurſu; Congregatio Ven. Fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum per Decretum die 26. Junii 1665. juſſu, & cum approbatione felicis rec. Alexandri Papæ VII. Prædeceſſoris noſtri editum, cenſuit dictos Abbates nullis ſibi non ſubditis potuiſſe tales ordines conferre; promotos autem ab illis non indigere alia collatione dictorum ordinum, ſed abſolutione, & diſpenſatione, ſive rehabilitatione ab eadem Sede Apoſtolica obtinenda, hujuſmodi vero Abbates non potuiſſe conferre Sacramentum Confirmationis, & ab illis confirmatos indigere nova confirmatione, & alias prout in dicto Decreto uberius dicitur contineri.

§.2. Cum autem, ſicut eadem expoſi-

tio subjungebat, fere innumeri sint, qui fuerunt ordinati a dictis Abbatibus, & deinde ad sacros ordines bona fide promoti, qui hodie non quidem in contemptum clavium Altari deserviunt, & Beneficia Parochialia, Canonicatus, & Pensiones possident, difficillimum vero, moraliter impossibile sit, singulos pro absolutione, & reliabilitatione ad Sedem Apostolicam recurrere: Nobis propterea dicti Exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut tam sibi, quam præfatis subditis Diœcesanis Portalegren. ad minores ordines, ut præfertur, promotis in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere, de benignitate Apostolica dignaremur.

Proviso Pontificis.

§.3. Nos igitur illos specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis præterquam præmissorum occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati de memoratorum Cardinalium consilio, & attento, quod dicta Sedes Episcopalis Portalegren. adhuc de præsenti vacat, discretioni tuæ per præsentes committimus, & mandamus, ut verificatis coram te precibus, præfatos omnes, & singulos subditos Diœcesanos Portalegren. a supradictis Abbatibus ad minores ordines promotos, ut præfertur, dictosque Exponentes si hoc a te humiliter petierint, imposita eis respective pro præmissis arbitrio tuo aliqua pœnitentia salutari a censuris, & pœnis Ecclesiasticis quibuslibet, quas propter eadem præmissa quovis modo incurrerunt, seu incurrisse dici, censeri, vel prætendi possent respective, auctoritate nostra apostolica pro tuo arbitrio, & conscientia gratis absolvas, & totaliter liberes, dictasque pœnas eis gratiose remittas, & condones; Ac cum ipsis omnibus, & singulis super irregularitate per eos, quia censuris hujusmodi propter præmissa innodati in suis respective ordinibus, non tamen in contemptum clavium, ministrarunt, seu alias divinis se ingesserunt, quomodolibet contracta, itaut illa, & iisdem præmissis non obstantibus, dummodo nullum aliud canonicum eis obstet impedimentum, clericali charactere, quo alias rite fuerunt insigniti, illiusque privilegiis, ac susceptis per eos pariter alias rite minoribus, & sacris etiam Presbyteratus ordinibus uti, & quatenus eos nondum susceperint, ad illos, si ad id idonei reperiantur, servatis alias servandis, promoveri, & promoti in illis, etiam in Altaris ministerio ministrare libere, & licite possint, & valeant, respective auctoritate, & arbitrio præfatis dispensès, eosque, & eorum quemlibet ad clericalis characteris, & ordinum hujusmodi exercitium adversus premissa eadem auctoritate rehabilites.

Tam Ordinatos, quam Ordinantes a censuris absolvi mandat.

§.4. Non obstantibus quatenus opus sit nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula de promotis, aliisque Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Contrariis derogat.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die decimasecunda Decembris 1667. Pontificatus nostri Anno I.

Dat. die 12. Dec. 1667. An.I.

XL.

Confirmatio Definitionum duorum Capitulorum Generalium Congregationis Hispaniæ Monachorum Ordinis Sancti Benedicti circa electiones intermedias ad Abbatias, quæ inter celebrationem unius, & alterius Capituli Generalis vacant factarum cum decreto, quod nullatenus mutari possint absque Sedis Apostolicæ speciali facultate.

Ex Regest. in Secret. Brev.

CLEMENS PAPA NONUS

Ad perpetuam rei memoriam.

§.1. NUper pro parte dilectorum filiorum Monachorum Congregationis Hispaniæ Ordinis Sancti Benedicti Nobis expositum fuit, quod in Capitulo Generali dictæ Congregationis Anno 1661. celebrato facta fuit Definitio tenoris, qui sequitur videlicet: Insuper Capitulum Generale decrevit electiones intermedias contingentes inter Capitulum, & Capitulum Generale fieri a Reverendissimo P.N. Generali juxta priorem, & dispositam Constitutionis Ordinationem, quas a Summo Pontifice Paulo V. confirmatas tanquam jus regulare commune veneratur, & servat, contrariasque huic Constitutioni auctoritate Ordinaria, & Apostolica Urbani VIII. qua in hac parte fungi decrevit, irritas, & inanes effecit; Iterumque rediviam legem electionis disposuit, taliter ut Electio vacantis Abbatiæ fiat a Reverendissimo P. Generali simul cum Abbate viciniori loco, ubi notitia vacantiæ pervenerit cum tribus etiam Definitoribus vicinioribus Monasterio prædicti Abbatis, qui cum ipsis vocem activam in supradicta obtinent electione, servata in omnibus, & per omnia forma eligendi præscripta in nostra Constitutione Priori. Hæc autem Definitio non mutat, neque tollit electiones intermedias Collegiorum, vel Conventuum minorum, in quibus saltim tres vocales concurrunt: Nam prædictæ vacantiæ ad Reverendissimum P. N. Generalem unice, & insolidum electio, sicut antea pertinuit, & pertinet sine concursu Abbatis, & Definitorum. Et subinde aliud Capitulum Generale ejusdem Congregationis anno 1665. habitum aliam Definitionem in eadem materia fecit tenoris sequentis: Item attento, quod in casu vacationis Abbatiarum Inter-

Referuntur Capitula Generalia.

Intermediarum contingit, & ut plurimum necesse est prorogari electionem ob magnam distantiam qua absunt Patres Definitores, determinatum fuit, ut pro electione dictarum Abbatiarum, votum habeant quatuor Patres Abbates propinquiores Monasterio, ubi Reverendissimus Generalis fuerit, de vacatione certioratus, cum declaratione quod in æquali distantia extare Definitorem, qui octo tantum leucis plusquam Abbas distat, & absentibus a suis Monasteriis Patribus Abbatibus idem votum habere pro electione dictarum vacationum Patres Capitulares dictorum proximiorum Monasteriorum qui habeantur in antelationibus juxta suos gradus. Expensæ autem, quas facerint Patres Definitores a Monasterio, cujus fuerint Conventuales, usque ad aliud, ubi fiet electio, incumbent oneri Congregationis, & quæ fient in Monasterio, ubi est facienda dicta electio, oneri Monasterii, cujus erit novus Abbas eligendus. Et statuit Sacra Congregatio esse pro hoc puncto obtinendum Breve a sua Sanctitate interim vero observanda dispositа per Definitionem præteriti Capituli Anni 1661.

§.2. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, observatio Definitionum hujusmodi dictæ Congregationi perutilis futura sit, cupiantque propterea dicti Exponentes primodictam Definitionem cum clausulis, & declarationibus in secundodicta contentis Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri, & ne eædem Definitiones unquam etiam vigore privilegiorum eidem Congregationi a Sede Apostolica, ut asseritur, concessorum, quibus caveri dicitur, ut ipsi Congregationi liceat propria statuta etiam per Sedem Apostolicam præfatam confirmata, mutare, & alterare, sine expressa, & speciali ejusdem Sedis facultate, ac præsentium literarum derogatione mutari, vel alterari valeant, a Nobis ordinari: Nos specialem ipsis Exponentibus gratiam facere volentes & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Ven. Fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, attentis narratis, visisque, & diligenter per eosdem Cardinales consideratis Definitionibus factis in Capitulis Generalibus Congregationis hujusmodi, de Annis 1661. & 1665. respective tenoris præinserti, easdem definitiones auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & perpetuis futuris temporibus in-

Definitiones Capituli generalis confirmat & ratificat.

violabiliter observari, & nullatenus mutari, seu alterari absque dictæ Sedis Apostolicæ speciali facultate cum præsentium expressa derogatione mandamus, salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis memoratorum Cardinalium.

Decretum irritans.

§.3. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§.4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis necnon quatenus opus sit Congregationis, & Ordinis hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 15. Decembris 1667. Pontificatus nostri Anno I.

Dat. die 15. Dec. 1667. An. I.

XLI.

Concedit licentiam Abbatibus communis observantiæ Ordinis Cistercien. recipiendi Novitios ad habitum, & professionem, & noviter professis collocandi in Monasteriis, quæ in ultimo Capitulo generali pro Novitiatibus, & Professoriis respective designata fuerunt: Abbatibus vero Monasteriorum Germaniæ, Belgii, Poloniæ, Aragoniæ, Valentiæ, & Cathaloniæ ejusdem Observantiæ indulget, ut Novitios ad habitum, & professionem ut supra admittere, & noviter professos collocare possint in illis Monasteriis in quibus actu degunt, & aluntur vigintiquinque Monachi.

Ex Regest. in Secr. Brev.

CLEMENS PAPA NONUS

Ad futuram rei memoriam.

§.1. EXponi Nobis nuper fecit, dilectus filius Procurator Generalis Ordinis Cistercien., quod cum per quasdam fel. rec. Alexandri Papæ VII. Prædecessoris nostri in simili forma Brevis die decimanona Aprilis 1666. emanatas literas pro refor-

Supplicatio.

reformatione generali dicti Ordinis prohibitum, & interdictum fuerit omnibus Abbatibus, & Superioribus Monasteriorum communis Observantiæ, sive in Gallia, sive in aliis Regnis, & Provinciis existentium ejusdem Ordinis, ne quemquam ad habitum suæ Religionis, aut impositorum contra hujusmodi prohibitionem forsan recipiendos ad professionem admitterent, donec designationes pro Novitiatibus, & Professoriis in Capitulo Generali in vim dictarum litterarum Cistercii celebrando factæ, & ad Procuratorem Generalem Ordinis hujusmodi transmissæ, ac huic Sanctæ Sedi realiter, & cum effectu exhibitæ, atque ab illa approbatæ fuissent; Capitulum Generale dicti Ordinis die 9. Maii proxime præteriti, & sequentibus juxta formam supradictarum litterarum celebratum, in eoque factæ fuerunt designationes sequentes, videlicet.

In Burgundia, & Insula Franciæ pro Novitiatu, & Professorio Cistercium.

In Delphinatu, Bituricensi, & Lugdunen. Provinciis pro Novitiatu, & Professorio Monasterium de Firmitate.

Pro Monasteriis Caroli loci, Noæ, Quinciaci, Boniradii, Sigillarium, Rupium, Fontis Joannis, Stratæ, & Calivoii, pro Novitiatu, & Professorio Monasterium de Pontigniaco.

In Campania, & Picardia, pro Novitiatu, & Professorio, Monasterium de Claravalle.

In Lothavingia pro Novitiatu, & Professorio Monasterium de Morimundo.

In Occitania pro Novitiatu, & Professorio Monasterium de Grandi-Silva.

In Provincia Ruthenensi, & Provinciæ pro Novitiatu, & Professorio Monasterium de Bonacumba.

In Arvenia pro Novitiatu, & Professorio Monasterium de Bonavalle.

In Burdegalensi, & Pictavien. Provinciis pro Novitiatu, & Professorio Monasterium de Obatina.

Pro Andagavensi, Turonen., & Cenomanen. Provinciis pro Novitiatu, & Professorio Monasterium de Claritate.

In Normannia pro Novitiatu, & Professorio Monasterium de Bonoportu.

In Brittania pro Novitiatu, & Professorio Monasterium de Reliquiis.

Pro Calabria designatum fuit Monasterium de Succursu pro Novitiatu, & Professorio Monasterium de S. Joanne in Flore.

Pro Sicilia designatum fuit Monasterium de Raccomadia pro Novitiatu, & Professorio Monasterium de Altofonte.

Pro Silesia designatum fuit Monast. Grissovicense pro Novitiatu, & Professorio Lubense.

§.2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat dilecti filii Abbates Monasteriorum Germaniæ, Belgii, Poloniæ, Aragoniæ, Valentiæ, & Cathaloniæ dicti Ordinis in propriis Monasteriis Novitiatus, & Professoria secundum Regulam sibi continuari plurimum desiderent: Nobis propterea præfatus Procurator Generalis etiã jam dictorum Abbatum nomine humiliter supplicari fecit, ut præmissis opportune providere, & ut infra indulgere, de benignitate apostolica dignaremur.

§.3. Nos igitur eosdem Procuratorem Generalem, & Abbates specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Congregationis nonnullorum Ven. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, & dilectorum filiorum Romanæ Curiæ Prælatorum super reformatione Ordinis Cistercien. hujusmodi deputatæ consilio, auctoritate apostolica, tenore præsentium concedimus licentiam Abbatibus communis Observantiæ ejusdem Ordinis recipiendi Novitios ad habitum, & professionem, & noviter Professos collocandi in omnibus Monasteriis, quæ in prædicto Generali Capitulo pro Novitiatibus, & Professoriis respective, ut præfertur, designata fuerunt, servatis tamen Constitutionibus Apostolicis, ac dicti Ordinis statutis. Abbatibus vero Monasteriorum Germaniæ, Belgii, Poloniæ, Aragoniæ, Valentiæ, & Cathaloniæ ejusdem communis observantiæ indulgemus, ut Novitios ad habitum, & professionem, ut supra admittere, ac noviter Professos collocare possint in illis Monasteriis dumtaxat, in quibus actu degunt, & aluntur saltem vigintiquinque Monachi. Concedit Pontifex prout in Rubrica.

§.5. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficacies existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Decernens irritans.

§.6. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit, dicti Ordinis, & Monasteriorum hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Derogatio contrariorum.

Vo-

§.6. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique tam in judicio, quam extra adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Transumptorum fides.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 20. Dec. 1667. Pontificatus nostri Anno I. Dat. die 20. Dec. 1667. An. I.

XLII.

Confirmatio Literarum diversorum Romanorum Pontificum super Investituris Principatus Messerani, & Comitatus Crepacorii. Ex Regest. in Sect. Brev.

CLEMENS PAPA NONUS

Ad perpetuam rei memoriam.

CONstantis, & eximiæ devotionis affectus, quo Nos, & Romanam dilectus filius Nobilis Vir Franciscus Ludovisius Ferrerius Fliscus modernus Princeps Messerani, & Marchio Crepocorii Vercellen. Diœces. reveretur Ecclesiam, promeretur, ut his quæ pro ejus utilitate, commodo, & tranquillitate concessa fuerunt, quo firmius persistant, Apostolici muniminis præsidium impartiamur. Exordium.

§.1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dictus Franciscus Ludovicus quod alias fel. rec. Paulus Papa III. Prædecessor noster Comitatum Messerani dictæ Diœcesquem quon. Philibertus etiam Ferrerius Fliscus ab eodem Prædecessore, & Camera Apostolica in feudum recognoscebat in perpetuum, & Nobilem Marchionatum cum jurisdictione, Imperio, & gladii potestate, privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, facultatibus, libertatibus, præeminentiis, prærogativis, indultis, gratiis, signis quoque, & insigniis aliis perpetuis Nobilibus Marchionibus, tam in specie, quam in genere concedi solitis, & quibus alii Marchiones perpetui, & Nobiles, eorumque Marchionatus de jure, vel consuetudine, aut alias quomodolibet utebantur, potiebantur, & gaudebant, ac uti, potiri, & gaudere poterant quomodolibet in futurum pro ipso Philiberto quamdiù in humanis ageret, & quondam Besso ipsius Philiberti primogenito, & sic de cætero de primogenito in primogenitum, & illis deficientibus pro secundogenito, & ejus primogenito, ac Successoribus primogenitis, motu proprio, & ex ejus certa scientia erexit, & instituit, ac perpetui, & Nobilis Marchionatus nomine, & titulo decoravit, Philibertumque, & Bessum, ac Successores prædictos in perpetuos Marchiones Messerani creavit, ac eis, & pro tempore existenti Marchioni hujusmodi, quod jurisdictione, imperio, & gladii potestate, necnon privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, facultatibus, libertatibus, præeminentiis, prærogativis, indultis, & gratiis, signisque & insigniis prædictis, necnon facultate cudendi, & cudi faciendi monetas, modis, & formis tunc expressis uti, potiri, & gaudere, ac alia per alios Marchiones in eorum Marchionatibus fieri solita, ut præfertur, facere, & exercere libere, & licite valerent concessit, & indulsit, ac deinde ex certis aliis tunc expressis causis Crepocorii Quirini, Flecchiæ, & Rino, Castra, Terras, seu Loca dictæ Diœces. in feudum a dicta Sede teneri solita cum omnibus illorum Territoriis, districtibus, Villis, Vassallis, hominibus, incolis, & habitatoribus, fortalitiis, franchitiis, & homagiis, aliisque juribus, & pertinentiis, ac omnimoda, alta, bassa, civili, & criminali jurisdictionibus mero, & mixto Imperio, ac gladii, & necis potestate, aliisque honoribus, oneribus, salariis, & regalibus consuetis quatenus ad Prædecessorem, & Sedem prædictam, ac Cameram Apostolicam spectarent, Philiberto tunc Marchioni quamdiù in humanis ageret, & deinde Besso, & dicto Francisco Philiberto ejusdem Bessi primogenito, ita quod ex tunc de cætero perpetuis futuris temporibus de primogenito in primogenitum masculum tantum, & de legitimo Matrimonio procreatum transiret, ac primogenito deficiente, secundogenitus, ut præfertur, etiam in Castris, Terris, & Locis hujusmodi succederet in feudum nobile, honorificum, & antiquum pro annuo censu unius Crateris Argentei ponderis unius libræ dictæ Cameræ in Vigilia, seu Festo Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum in Urbe solvendo, & alias certis modo, & forma tunc expressis concessit, & assignavit, ac Terras, & Loca hujusmodi cum prædicto Marchionatu, prout antea etiam Comitatus Messerani erat, reintegravit, illaque ad Philibertum, & Bessum Marchionem, eorumque futuros Successores prædictos transtulit, & de illis etiam investivit, erectionemque, investituram, concessionem, reintegrationem, & translationem hujusmodi piæ mem. Julius III. Paulus IV., Pius etiam IV., Pius V., Gregorius XV., & Sixtus V. Romani Pontifices etiam Prædecessores nostri per suas desuper confectas liter. respective confirmaverunt, & approbaverunt, ipsique Pius IV., & Pius V. potiori pro cautela Castra, Terras, & Loca prædicta Besso Marchioni, ejusque descendentibus masculis prædictis, & idem Sixtus V. etiam quond. Francisco Philiberto modo, & forma præmissis concesserunt, & assignaverunt, & cum Crepacorii, & Comitatus pertinentiarum præfatarum bon. mem. Emanuel Philibertus Sabaudiæ Dux, & Pedemontium Princeps Possessionem diù occupasset, juribus ipsius Francisci Philiberti, & suorum antecessorum prædictorum visis, & cognitis, Gregorii XV. Prædecessoris prædicti assensu, & beneplacito accedente, illam dicto Besso Marchioni dimisit, & relaxavit, cumque ra-

ratione dicti Marchionatus Messerani ipse Franciscus Philibertus censum unius accipitris singulo biennio Cameræ præscriptæ solvere solitus esset idem Sixtus Prædecessor censum accipitris hujusmodi in decem ducatos auri dictæ Cameræ singulis annis eidem Cameræ Apostolicæ per eumdem Franciscum Philibertum, & Successores prædictos persolvendos commutavit, illosque ab ulteriori solutione dicti accipitris perpetuo liberavit; Omnia vero, & singula præmissa fel. etiam rec. Clemens VIII. & Urbanus VIII. Romani Pontifices similiter Prædecessores nostri approbarunt, & confirmarunt, prout in singulis dictorum Prædecessorum literis continetur.

Petitur confirmatio Pontificis.

§. 2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat dictus Franciscus Ludovicus prædictum annuum censum decem ducatorum auri de Camera, & Crateris Argentei ponderis unius libræ Cameræ prædictæ persolverit, & in futurum solvere paratus sit, & firmiora illa existant, quæ sepius a Sede prædicta confirmantur, & approbantur. Cupit propterea dictus Franciscus Ludovicus Ferrerius Fliscus Princeps singulis literis Pauli III., ac Julii III. Pauli IV., Pii V., Greg. XIII., Sixti V., Clementis VIII., & Urbani VIII. Prædecessorum hujusmodi, omnibusque aliis, & singulis præmissis nostrum, & dictæ Apostolicæ firmitatis robur adiici, sibique, & Successoribus prædictis in præmissis provideri. Quare Nobis humiliter supplicari fecit dictus Franciscus Ludovicus quatenus sibi in eisdem præmissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur.

Confirmat Pontifex.

§. 3. Nos igitur singularum literarum, investiturarum, & præmissorum omnium, & singulorum etiam veriores, & totos tenores, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, dictumque Franciscum Ludovicum specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, singulas prædictas literas Pauli III., Julii III., Pauli IV. Pii IV, Pii V., Greg. XIII., Sixti V., Clementis VIII., & Urbani VIII., Prædecessorum prædictorum ac omnia, & singula in eisdem literis contenta, & inde secuta quæcumque, licita tamen, & honesta, omnesque, & singulas investituras prædictas, Marchionatum Messerani, & Comitatum Crepacorii, concernentia sine tamen Sedis, & Cameræ Apostolicæ præjudicio, ita quod nullum novum jus dicto Francisco Ludovico Ferrerio Fisco Moderno Principi Messerani, & Marchioni Crepacorii, nec ejusdem Principis primogenito, aut cuicumque alteri per præsentes accrescat, nec quicquam de juribus Sedis, & Cameræ earumdem etiam contra literas piæ memoriæ Pii Papæ V. de non infeudandis, & alienandis rebus Ecclesiæ, & aliorum Romanorum Pontificum, ac etiam nostris decedat, verum omnia in statu, in quo erant ante præsentem confirmationem, remaneant, Apostolica auctoritate, tenore præsentium perpetuo confirmamus, & approbamus, ac illis plenariæ, & inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adiicimus.

Contrariis derogat.

§. 4. Non obstantibus præmissis, necnon Cameræ Apostolicæ, Marchionatusque, & Principatus, ac Comitatus, Villarumque prædictarum juramento, confirmatione, Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, usibus, & naturis, ac legibus etiam Imperialibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis, illis, eorumque Superioribus, & personis, ac quibusvis aliis in genere, vel in specie sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis etiam vim contractus, & statuti etiam perpetui, seu legis inducentibus etiam motu proprio, ac ex certa scientia, & de Apostolicæ potestatis plenitudine etiam consistorialiter, & alias quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis, ac imposterum concedendis, & approbandis. Quibus omnibus, & singulis etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 24. Dec. 1667. Pontificatus nostri Anno I.

Dat. die 24. Dec. 1667. An. I.

XLIII.

Constitutio revocatoria exemptionum a vectigalibus, aliisque publicis oneribus.

CLEMENS PAPA NONUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

PAterna, quam de nostris, & Apostolicæ Sedis in temporalibus subditis gerimus, cura Nos urget, ut in gravissimis rerum difficultatibus, quibus Camera nostra Apostolica, ac Communitates, & Universitates Civitatum, Terrarum, & Locorum nostræ, & dictæ Sedis ditionis temporalis propter multa onera antehac imposita premuntur, aliquod eis levamen, sublatis immunitatibus, atque exemptionibus ab onerum publicorum supportatione per nonnullos Romanos Pontifices Prædecessores nostros, & Sedem prædictam, ac forsan illius de latere Legatos, aliosque earumdem Sedis, & Cameræ Officiales, & Ministros ad importunas supplicantium preces, & alias quomodolibet concessis, quæ dum aliquibus, iisque ut plurimum locupletioribus favent, in cæterorum, & quidem plerumq. pauperiorum detrimentum

tum vergunt, eorumque inopiam prægravant, adferre satagamus, sicut publicæ utilitati, atque æquitati, & justitiæ rationi consentaneum esse in Domino arbitramur.

Revocatio de qua in Rubr.

§. 1. Itaque Cameræ, ac Communitatum, & Universitatum, subditorumque nostrorum prædictorum indemnitati, & levamento, quantum Nobis ex alto conceditur, æque principaliter consulere cupientes, ac fel. rec. Sixti V., Pauli etiam V., Urbani VIII., Innocentii X., & Alexandri VII. aliorumque Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum, qui Constitutiones similium exemptionum, & immunitatum revocatorias ediderunt, vestigiis inhærentes, necnon quarumcumque concessionum, immunitatum, & exemptionum hujusmodi, literarumque Apostolicarum sub plumbo, ac in simili forma Brevis cedularum Motus proprii, & Chirographorum cujusvis Romani Pontificis Prædecessoris nostri manu subscriptorum, ac aliarum literarum, & scripturarum desuper quomodolibet emanatarum tenores, etiam veriores, & datas, ac occasiones, & alia, etiam speciali, ac individua expressione digna, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & verbatim insertis respective habentes, Motu proprio, non ad cujusquam Nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine, hac nostra perpetuo valitura Constitutione omnes, & quascumque exemptiones, & immunitates a solutione subsidii triennalis, necnon quartisilli adjuncti, quatrinorum carnis, taxarum equorum, tallearum, censuum, archivii, fogliettæ, triremium, utensilium, dohanarum, gabellarum, taxæ Portus Anconæ, quatrinorum, tractarum, pedagiorum, vectigalium, collectarum, exactionum, & quorumlibet onerum, & munerum personalium, realium, & mixtorum, ordinariorum, & extra ordinariorum, solitorum, & insolitorum Cameralium quorumcumque, ac etiam eorum, quæ per Communitates, & Universitates directe, vel indirecte pro eorumdem onerum Cameralium solutione, publicorumque munerum supportatione, ac provisis, & pontibus construendis, instaurandis, muniendis, & manutenendis, aliisque indigentiis, & usibus quibuscumque tam Cameræ, quam Communitatum, & Universitatum prædictarum, seu alias indicta, & imposita, ac exigi solita sunt, nec non ab obligatione recipiendi, & hospitandi Milites, & Sedis prædictæ Officiales, Barigellos, Exequutores, aliosque Justitiæ Ministros, eisque utensilia, & alia necessaria subministrandi per Romanos Pontifices Prædecessores nostros, ac eandem Sedem Apostolicam, & quosvis Sedis, & Cameræ prædictarum Officiales, & Ministros, quacumque auctoritate, & potestate fungentes, etiam S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, etiam Camerarios, cæterosque etiam speciali nota, & expressione dignos, ac specialem ad id facultatem habentes, quibusvis Communitatibus, Universitatibus, Civitatibus, Terris, Oppidis, & Locis ditionis temporalis S. R. E. prædictæ, ac etiam quibuscumque Feudatariis, Censuariis, Dominis locorum, Familiis Nobilibus, Baronibus, Comitibus, Marchionibus, Ducibus, Principibus, & aliis cujusvis status, gradus, conditionis, & præeminentiæ existentibus, ac quavis dignitate, & auctoritate præditis, etiam Cardinalatus honore fulgentibus, qui castra, & jurisdictiones intra limites dictæ ditionis temporalis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ possident, etiam qui nihil ratione Castrorum, & Jurisdictionum hujusmodi Sedi prædictæ annuatim, seu alias persolvunt, & tam Incolis, quam extraneis, & forensibus bona stabilia, seu mobilia, vel se moventia habentibus, & tenentibus, seu possidentibus, omniumque supradictorum colonis, & laboratoribus, etiam in recompensam laborum, damnorum passorum, expensarum, vel meritorum, seu illorum intuitu, & contemplatione, ac ex alia quacumque, quantumvis favorabili, ac urgentissima, & de necessitate specialiter exprimenda causa, sub quibuscumque verborum formis, & expressionibus, etiamsi in appaltuum, & locationum Cameralium instrumentis promissum, & cautum sit eas observari debere, ac cum quibusvis clausulis, & decretis, etiam motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus, etiam consistorialiter, et alias quomodocumque, et qualitercumque in genere, vel in specie, ad vitam, vel ad tempus, sive in perpetuum concessas, et datas, ac pluries, et iteratis vicibus confirmatas, approbatas, revalidatas, et innovatas, et inde etiam Judicis auctoritate sequuta quæcumque, necnon quasvis literas, etiam Apostolicas, sub plumbo, vel in simili forma Brevis Motus proprii cedulas, chirographa, et scripturas hujusmodi ex nunc perpetuo revocamus, cassamus, tollimus, abrogamus, irritamus, abolemus, et annullamus, viribusque, et effectu penitus, ac omnino evacuamus, ac revocata, cassata, sublata, et abrogata, irritata, et abolita, et annullata, viribusque, et effectu penitus, ac omnino vacua esse, nec ulli prorsus in petitorio, aut possessorio, etiam summarissimo, contra præsentium literarum tenorem, et dispositionem suffragari posse, sed prædictos omnes, et singulos exemptos ad omnium, et singulorum onerum prædictorum solutionem, et supportationem pro rata eos tangente imposterum realiter, et cum effectu teneri in omnibus, et per omnia, perinde ac si dictæ exemptiones, et immunitates eis nullatenus concessæ fuissent, nec literæ, ac cedulæ motus proprii, chirographa, et scripturæ hujusmodi unquam emanassent, motu, scientia, deliberatione, et potestatis plenitudine prædictis decernimus, statuimus, et declaramus.

Privilegia Ecclesiastica quo modo intelligenda explicat.

Præ-

§.2. Præterea omnia, et quæcumque privilegia, et indulta perſonis eccleſiaſticis tam ſecularibus, quam cujuſvis Ordinis, Congregationis, et Inſtituti, ac Societatis Jeſu regularibus ſuper ſimilibus immunitatibus, et exemptionibus per quoſcumque Romanos Pontifices Prædeceſſores noſtros conceſſa ad limites juris communis motu, ſcientia, deliberatione, poteſtatis plenitudine, et tenore prædictis reducimus: Illa vero quæ nonnullis Collegiis in Alma Urbe noſtra exiſtentibus per dilectos filios Clericos regulares dictæ Societatis Jeſu, ſive alios quoſcumque admiſtrari conſuetis ſimiliter a Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus noſtris conceſſa fuerunt, quoad victum, et veſtitum dumtaxat, non autem, ut vulgo dicitur, a Fundaco, et Magazzeno, prout antehac obſervatum fuit, ſuffragari volumus, et decernimus.

Privilegia nepotibus Prædeceſſorum data revocat.

§.4. Ac demum ſimilia privilegia, & indulta nepotibus, & aliis conſanguineis, vel affinibus quorumcumque Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum pro tempore viventium ab illis reſpective conceſſa itidem revocamus, & abolemus, ac revocata, & abolita eſſe, ac cenſeri debere volumus, & ſtatuimus. Declarantes illa nemini eorumdem nepotum ſive conſanguineorum, vel affinium a die noſtræ ad ſummi Apoſtolatus apicem aſſumptionis ſuffragari poſſe, & debere, ſeu potuiſſe, ac debuiſſe.

Immunet declarat.

§.5. Per præmiſſa autem non intendimus revocare exemptiones, & immunitates quibuſcumque perſonis Eccleſiaſticis, tam ſecularibus, quam regularibus de jure competentes, neque Theſaurariis, Appaltatoribus, & Conductoribus bonorum, introitnum, & jurium dictæ Cameræ noſtræ ab ipſa Camera, ſeu aliis illius nomine in appaltuum, & locationum Inſtrumentis, & illorum ratione ex contractu, tituloque vere oneroſo conceſſas. Ac inſuper a revocationibus, & aliis ſupradictis excipimus, et exceptas eſſe volumus, et declaramus immunitates, et exemptiones quibuſvis Univerſitatibus, et perſonis datas, et conceſſas in vim contractus ex cauſa vere oneroſa, videlicet congruæ, et effectualis pecuniarum ſolutionis, et non alias, eidem Cameræ Apoſtolicæ, vel ipſis Communitatibus legitime factæ, vel ex aliis rationabilibus cauſis per Nos cognoſcendis, & approbandis, ac etiam declarandis, quas omnes cauſas oneroſas nonniſi legitimas, ac licitas, & honeſtas prout de jure approbare intendimus.

§.6. Et propterea quicumque illas obtinent, eas in dicta Camera, citato dilecto filio ipſius Cameræ Commiſſario Generali, verificare, & in ipſa Camera examinari, & admitti facere teneantur, etiamſi conceſſiones earumdem immunitatum, & exemptionum, ac literæ, cedulæ motus proprii, Chirographa, & aliæ ſcripturæ deſuper emanatæ, & emanata alias in Camera prædicta admiſſæ, & admiſſa, ac in illa ejuſque libris regiſtratæ, & regiſtrata fuerint, & ſint, quatenus tamen cauſæ oneroſæ hujuſmodi pro vere oneroſis, & legitimis, ut ſupra alias in eadem Camera verificatæ, & approbatæ, ac prævia judiciali diſcuſſione non ſint legitimæ habitæ: quo caſu ad indicationem tantum, non autem ad aliam verificationem eoſdem obtinentes teneri volumus, interim vero quamdiu non fuerint verificatæ, minime ſuffragari, & præſentis revocationis effectum retardare non poſſe declaramus.

§.7. Præterea noſtræ intentionis non eſt ſub revocationibus, & aliis ſupradictis comprehendere immunitates, & exemptiones ejuſdem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus ratione dignitatis Cardinalatus, nec non Cameræ prædictæ Clericis Præſidentibus, aliiſque Cameralibus, qui in eadem Camera ſederunt, & ſedent, concedi, ſeu admitti ſolitas; nec illas, quibus Prælati, & Officiales Romanæ Curiæ, ac Prælati domeſtici, Cubicularii ſecreti, ac Secretarii, & alii Familiares, & continui Commenſales noſtri, & Romani Pontificis pro tempore viventis, in rotulo deſcripti gaudent, & gaudere conſueverunt, neque illas ob numerum duodecim filiorum a Prædeceſſoribus noſtris, & aliis ſupra expreſſis conceſſas, quas tamen ad terminos Conſtitutionis rec.mem. Pii IV. Prædeceſſoris pariter noſtri, et aliarum Conſtitutionum Apoſtolicarum ſuper ſimilium exemptionum declaratione editarum, et ad illas tantum, et pro eo tempore, et perſonis, ac eo modo, et forma, quibus de jure communi illis competunt, ac alias juxta ipſius juris communis, ac ſupradictarum, et aliarum Conſtitutionum Apoſtolicarum diſpoſitionem reducimus, neque aliter, quam, ut præfertur, ſive in poſſeſſorio, ſive in petitorio ſuffragari volumus, et decernimus.

Exemptiones Cardinalium, & aliorum officialium ad minus Conſtit. reducit.

§.8. Cæterum Appaltatoribus, Theſaurariis, Depoſitariis, Commiſſariis, Exequtoribus, & cæteris Agentibus, & Miniſtris dictæ Cameræ, ac Communitatum, & Univerſitatum prædictarum, earumdem ſerie præſentium diſtrictius inhibemus, ne contra ipſarum præſentium diſpoſitionem, immunitates, exemptiones, niſi ut ſupra exceptas, ac eas quas ex cauſa vere oneroſa conceſſas, in Camera prædicta, ut præfertur, admitti contigerit, ullatenus admittant: & ſi ſecus fecerint, id nemini eorum in ſuis computis, ſeu rationibus per eandem Cameram admitti volumus, ſed eorum damno ceſſurum eſſe declaramus.

§.9. Poſtremo lites quaslibet occaſione privilegiorum, ac indultorum, necnon immunitatum, & exemptionum hujuſmodi quomodolibet ſuſcitatas, & in quibuſvis Tribunalibus pendentes (illarum omnium, & ſingularum ſtatum, et merita, nominaque, et cognomina Judicum, et Colligantium quorumvis, etiam ſpeciali mentione dignorum, et alia etiam de neceſſitate ſpecialiter exprimenda preſentibus pro

pro plene, & ſufficienter expreſſis habentes) a quibuſcumque Tribunalibus hujuſmodi ad Nos earumdem ſerie præſentium avocamus, illaſque penitus, & omnino perpetuo ſupprimimus, & extinguimus, & pro ſuppreſſis, & extinctis haberi volumus, & declaramus, ac partibus perpetuum deſuper ſilentium imponimus.

Superadditis robur adiit.

§.10. Decernentes præſentes literas, ac omnia, & ſingula in illis contenta, etiam ex eo quod quicumque in præmiſſis, ſive eorum aliquo intereſſe habentes, ſeu habere quomodolibet prætendentes, illis non conſenſerint, aut ad ea vocati, & auditi, ſeu cauſæ, propter quas ipſæ præſentes emanarunt, adductæ, verificatæ, ſeu alias ſufficienter, aut etiam ullatenus juſtificatæ non fuerint, aut ex alia quavis, quantumlibet legitima, pia, juridica, & privilegiata cauſa, colore, prætextu, occaſione, & capite etiam in corpore juris clauſo, etiam enormis, enormiſſimæ, & totalis læſionis, nullo umquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis, nullitatis, aut invalidatis vitio, ſeu intentionis noſtræ, vel quorumvis intereſſe habentium conſenſus, aut alio quovis, quamtumvis magno, & ſubſtantiali ac inexcogitato defectu notari, impugnari, invalidari, reſtringi, retractari, in jus vel controverſiam revocari, ſuſpendi, limitari, aut ad terminos Juris reduci, ſed adverſus illas aperitionis oris, reſtitutionis in integrum, aut aliud quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, aut impetrato, ſeu etiam motu ſimili conceſſo quempiam in judicio, vel extra illud uti, ſeu ſe juvare poſſe, neque eaſdem præſentes ſub quibuſvis ſimilium, vel diſſimilium Conſtitutionum, ac revocationum, & ordinationum revocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, & aliis contrariis diſpoſitionibus pro tempore quomodolibet factis comprehendi, aut comprehenſas cenſeri, ſed ſemper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum, & validiſſimum ſtatum reſtitutas, repoſitas, & plenarie reintegratas, ac etiam ſub poſteriori data, quatenus opus ſit, de novo conceſſas, perpetuoque validas, firmas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab omnibus ad quos ſpectat, & quandocumque ſpectabit, inviolabiliter obſervari.

Clauſula ſublata.

§.11. Sicque in præmiſſis per quoſcumque Judices, & Commiſſarios, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac ejuſdem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, etiam de latere Legatos, & quoſvis Sedis, & Cameræ prædictarum Officiales, & Miniſtros, & alios quoſcumque quavis auctoritate, & poteſtate fungentes nunc, & pro tempore exiſtentes, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Executores deputat.

§.12. Quocirca dilectis filiis noſtro, ac Sanctæ Romanæ Eccleſiæ prædictæ Camerario, ſeu Procamerario, necnon Vicecamerario, Theſaurario, ac Clericis præſidentibus, Commiſſario, & aliis Cameræ prædictæ Officialibus, ad quos ſpectat, præcipimus, & mandamus, ut præſentem noſtram Conſtitutionem, & in ea contenta quæcumque in omnibus, & ſingulis firmiter, & inviolabiliter obſervent, & faciant ab aliis obſervari.

Contrariis derogat.

§.13. Non obſtantibus ſupradictarum litium pendentia, aliiſque omnibus, & ſingulis præmiſſis, necnon noſtra, & Cancellariæ Apoſtolicæ Regula de non tollendo jure quæſito, ac quatenus opus ſit, prædicti Pii Prædeceſſoris de gratiis qualecumque intereſſe dictæ Cameræ concernentibus in eadem Camera præſentandis, & regiſtrandis, ita ut præſentes in ea præſentari, aut regiſtrari nunquam neceſſe ſit, aliiſque Apoſtolicis, ac in univerſalibus, provincialibuſque Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, necnon quibuſvis etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus; etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, conceſſionibus, immunitatibus, exemptionibus, chirographis, cedulis motuum propriorum, & aliis ſcripturis, & literis etiam Apoſtolicis prædictis, & quibuſvis aliis etiam, ut præfertur, qualificatis, ac ſpeciali nota, & mentione dignis, etiamſi nominatim eſſent exprimendi, ſub quibuſcumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, ac irritantibus, & aliis decretis, etiam inexcogitabilibus, & neceſſario exprimendis, etiam contractus jurati cum Camera noſtra Apoſtolica initi, & Camerali obligatione vallati, & quovis alio robore, & cautela firmatis, editis, ſeu factis, ac alias quomodolibet in contrarium præmiſſorum conceſſis, confirmatis, & pluries innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi in eis caveatur expreſſe, quod nullo umquam tempore ſub ſimilium, vel diſſimilium exemptionum, & immunitatum revocationibus, abrogationibus, annullationibus, aut aliis quibuslibet contrariis diſpoſitionibus, & Conſtitutionibus pro tempore edendis comprehendantur, ſed ſemper ab illis excepta, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum, eumque validiſſimum ſtatum reſtituta, repoſita, & reintegrata, ac etiam ſub poſteriori data per quaſcumque perſonas eligenda de novo conceſſa ſint, & eſſe cenſeantur, necnon pro ſufficienti eorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, individua, & expreſſa, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio facienda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illorum omnium, & ſingulorum tenores, formas, & occaſiones

præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, insertis, ac servatis respective habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, ac derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Publicari jubet.

§. 14. Ut autem eædem præsentes literæ ad omnium notitiam facilius deveniant: Volumus, & auctoritate Apostolica decernimus, illas ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, & Cancellariæ Apostolicæ, ac in acie Campi Floræ de Urbe per aliquem ex Cursoribus nostris publicari, ac illarum exempla ibidem affixa relinqui, quæ sic publicatæ omnes, & singulos, quos concernunt, perinde afficiant, & arctent, ac si illorum unicuique personaliter notificatæ & intimatæ fuissent, utque earumdem præsentium transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra illud adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 29. Dec. 1668. An. I.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die vigesima Decembris 1667. Pontificatus nostri Anno I.

XLIV.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Confirmatio Patentium Generalis Ordinis Eremitarum Sancti Augustini circa Prioratus Indorum Provinciæ Peruntinæ cum diversis Ordinationibus.

CLEMENS PAPA NONUS

Ad futuram rei memoriam.

Supplicatio.

§. 1. EXponi Nobis nuper fecit, dilectus filius Dominicus a Cisuentes Frater, & Procurator Provinciæ Peruntinæ Ordinis Eremitarum Sancti Augustini, quod dilectus filius Hieronymus Valvasorius Prior Generalis dicti Ordinis in vim commissionis sibi a Congregatione Vener. Fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita datæ circa Prioratus Indorum sive Domorum dictæ Provinciæ, in quibus Fratres Doctrinatores, & Sacramentorum Administratores degunt, in pristinum statum restituendos, necnon vocis activæ, suffragiique in Capitulis Provincialibus Provinciæ hujusmodi prærogativam Prioribus Prioratuum, sive Domorum hujusmodi competentem, sive tribuendam, certumque numerum Fratrum Conventualium cuilibet ex Prioratibus, seu Domibus prædictis assignandum, nonnulla æquitati, atque Justitiæ consona, prosperoque Prioratuum, seu Domorum hujusmodi statui, ac Provinciæ præfatæ regimini pro futura statuit, & ordinavit per suas patentes literas desuper emanatas tenoris, qui sequitur, videlicet.

Magister Frater Valvasorius Mediolanen. totius Ordinis Eremitarum Sancti Augustini Prior Generalis licet indignus. Venerabilibus, & dilectis in Christo Patribus, & Fratribus Provinciæ nostræ Peruntinæ ejusdem Ordinis, ac voti salutem.

Sicuti nullus hominum opus aliquod aggreditur, quin ad illud pertractandum ab optato fine impellatur: Ita nemo ad operandum dexteram suam extendit, quin spe propositi præmii alliciatur. Mirandum igitur nostros in Indiis Doctrinatores, qui diuturno labore animas Christo lucrantur, vel jam lucratas instruunt in Catholica Fidei documentis continuo in vinea Domini laborare nullum reportantes præmium ab hominibus; quinimo mirandum magis est, quod etiam privati nomine, & munere Prioratus in Domibus in quibus, aut sparsim, aut collectim degunt, & quandoque etiam facultate suum ferendi suffragium in Capitulis Provincialibus, non solum non desecerint in laboribus, sed alacriori animo magis in dies animas Christo acquirant. Quocirca tot laborum consideratione permotus R. P. Lector Frater Dominicus de Cisuentes, ut operarii in vinea Domini alliciantur, & de bonis operibus aliquod præmium reportent perrexit Sacræ Congregationi Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium negociis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ infrascriptum supplicem libellum tenoris sequentis. Eminentissimi, & Reverendissimi Domini. Exponit humiliter EE. VV. devotus Orator Frater Dominicus a Cisuentes Procurator Generalis Provinciæ Peruntinæ Ord. Eremitarum S. Augustini, quod in dicta Provincia, ab ejus primordio, & fundatione fuerunt aliqui Prioratus Indorum, sive aliquarum Domorum, ubi manent Doctrinatores, & Sacramentorum Administratores, qui quidem Prioratus, & Priores illorum dederunt suffragium omnibus Cap. Provincialibus, sicuti cæteri Priores Provinciæ; Præter in Capitulis de annis 1649. & 1665. celebratis, non habuerunt vocem activam vigore cujusdam decreti, auctoritate Apostolica pro visitatione emanati a bon. mem. P. Luchino de tempore sui Generalatus, in quo Decreto assignavit quemdam numerum præfinitum Conventualium, ad hoc, ut hujusmodi Domus, vel Priores ejus gauderent privilegiis, ac juribus Prioratus, & in consequens possent suffragium ferre in Capitulis. Verum quia prædictum decretum valde præjudicat juri acquisito, & possessioni ipsiusmet Provinciæ, præcipue quia, ob defectum, & omissionem Provincialis immediate præteriti, non fuerunt assignati hujusmodi Conventuales in prædictis Domibus ad formam prædicti Decreti: Ideo Orator nomine suæ Provinciæ supplicat humiliter EE. VV. ut dignentur committere Patri Generali Ordinis, ut restituat d. Domus, ad titulum Prioratus, itaut earum Priores in futurum gaudeant, sicut antea gaudebant omnibus juribus, prærogativis, & exemptionibus Prioratus, præcipiendo simul omnibus Provincialibus, quod perpetuis futuris temporibus assignent numerum Conventualium in dictis Domibus juxta Decretum Patris Luchini: Ut sic operarii in vinea Domini præmium reportent pro eorum laboribus. Quas Deus &c.

Decretum S. Congreg.

Cui a Sacra Congregatione præfata precibus Oratoris humaniter annuente, emanavit sequens Decretum, videlicet. Sacra Congregatio Eminentissimorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, attentis narratis, censuit committendum, prout præsenti Decreto committit Priori Generali Ordinis hujusmodi, ut super expositis, utendo suis jure, & facultatibus, mandet præfatis Domibus, seu Prioratibus assignari numerum Fratrum ab olim Priore Generali Luchino præfixum ad effectum, ut Priores ipsarum Domorum, seu Prioratus suffragium in Capitulis ferre valeant, sicut cæteri Priores. Romæ 2. Decembris 1667.

M. Card. Ginnettus.

E. Episc. Camerinen. Secr.

Decretum P. Generalis.

Ideo Nos auctoritate Nobis tradita, ut supra ab eadem Sacra Congregatione, tenore præsentium decernimus præmemoratos in supplici libello Prioratus Indorum, sive nomine Conventus, sive Domus, & Doctrinæ nomine indicentur loca, ubi nostri Doctrinatores commorantur, & degunt ad pristinum rigorem restituenda præcipimus, ut nulla interposita mora restituantur. Volentes, ut prædictorum Prioratuum, sive præfatarum Domorum, & Doctrinarum Præpositi vocentur Priores, & in Capitulis Provincialibus nostræ Provinciæ Peruntinæ vocem habeant activam suumque suffragium ferant. Mandantes insuper Reverend. P. Provinciali, aut privato cuilibet ex iis Domibus, seu Doctrinis, & Prioratibus tres præter Priorem assignent Conventuales, qui Priori subdantur juxta Decretum 2. §. de bono regimine Reverendissimi Prædecessoris nostri Pauli olim Generalis Luchini, qui una cum Priore ibidem in eadem Domo, seu Prioratu, aut in eodem Territorio (si Domus, aut Prioratus non habeant sufficientes introitus ad congruam illorum sustentationem) vivant, & commorentur. Cæterum autem si non in eadem Domo, sed in eodem Territorio sparsim eos degere contingat, volumus, & præcipimus, ut in aliquibus diebus anni, aut festis saltem solemnioribus subditi teneantur adire superiorem, itaut omnes simul conveniant, & congregentur in unum. Hujusmodi autem determinationem, & distributionem Conventualium pro singula Domo, aut Prioratu a Patre Provinciali, vel Definitorio factam, volumus per Provinciam palam fieri, & publicari, ut omnibus innotescat, quæ quidem omnia, ut supra auctoritate Nobis demandata a Sacra Congregatione statuta, & decreta præcipimus Rev. P. Provinciali, Prioribus Definitorii, seu Provincialis, seu privati, cæterisque omnibus Nobis inferioribus cujuscumque gradus, officii, conditionis, & auctoritatis existentibus, in meritum salutaris obedientiæ, necnon sub rebellionis nostræ, & excommunicationis majoris, quam hac una pro trina canonica monitione præmissa in his scriptis licet inviti ferimus ipso facto incurrendis pœnis, ut observent ad unguem, & debitæ executioni quantocitius mandent. Non obstantibus prædicti Reverendissimi Luchini, aut alterius Reverendissimi Prædecessoris nostri super hoc quomodocumque emanatis Decretis. Datum Romæ in Conventu nostro S. Augustini de Urbe die 9. Dec. 1667.

Fr. Hieronymus Valvasorius Generalis indignus. Nostri muneris firmatæ Sigillo loco † Sigilli Magister Fr. Franciscus Maria Ferragotta Secret. Ordinis.

Confirmatio Pontificis.

§. 2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dictus Dominicus præmissa, quo firmius subsistant, & serventur exactius, apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desideret: Nos ipsum Dominicum specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, præinsertas Hieronymi Prioris Generalis literas patentes cum omnibus, & singulis in eis contentis, auctoritate apostolica, tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Decretum irritant.

§. 3. Decernentes ipsas præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit, plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit, Ordinis, & Provinciæ hujusmodi, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum

rum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Dat. die 13. Jan. 1668. An. I.

Datum Romæ apud Sanctam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 13. Januar. 1668. Pontificatus noſtri Anno I.

XLV.

Breve Beatificationis Roſæ de S. Maria Limanæ in Regno Peruano Indiarum Occidentalium, Tertii Ordinis S. Dominici.

CLEMENS PAPA NONUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

SAnctæ Matris Eccleſiæ, quæ virgo caſta uni viro deſponſata eſt Chriſto, glorioſa fœcunditas in omni quidem prole, quam per Dei gratiam quotidie profert, multipliciter gaudet in ſacris vero Virginibus, quæ ſtudioſa chariſmatum meliorum æmulatione expertem carnalis contagionis integritatem virtutum floribus exornarunt, ineffabiliter exultat, atque floret, illarumque, quæ accenſis lampadibus exierunt obviam ſponſo, & intraverunt cum eo ad nuptias, ſublimem gloriam condignis honoribus in terris celebrari decet: ut quæ ſequuntur Agnum quocumque jerit, luctanti cum ſæculi tentationibus infirmitati noſtræ adjutorii cœleſtis opem, atque præſidium a Sponſo jugiter impetrare dignentur. In hanc curam Nos ex debito paſtoralis officii, quo Catholicæ Eccleſiæ adſtringimur, propenſius incumbentes, piis Catholicorum Regum, aliorumque Chriſtifidelium votis, quibus Ancillarum Dei in cœlis regnantium veneratio in terris promovetur, libenter annuimus, ſicut matura deliberatione adhibita, ad Omnipotentis Dei gloriam, Eccleſiæ honorem, Chriſtianæ Religionis robur, ac ſpiritualem fidelium conſolationem, atque ædificationem ſalubriter in Domino expedire arbitramur.

Motivæ.

§. 1. Cum itaque diligentiſſime diſcuſſis, atque perpenſis per Congregationem Venerabilium Fratrum noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium ſacris Ritibus Præpoſitorum proceſſibus de Sedis Apoſtolicæ licentia confectis ſuper vitæ ſanctitate, & virtutibus in gradu heroico, quibus Serva Dei Roſa de S. Maria Virgo Limana Tertii Ordinis S. Dominici multipliciter claruiſſe, necnon miraculis, quæ ad ejus interceſſionem a Deo patrata fuiſſe aſſerebantur, Congregatio præfata coram Nobis conſtituta unanimiter cenſuerit, quandocumque Nobis videretur ad ſolemnem ejuſdem Servæ Dei Roſæ canonizationem, juxta Ritum ejuſdem S. R. E. tuto poſſe deveniri, interim vero indulgeri, ut in toto Orbe terrarum Beata nuncupetur, hinc eſt, quod Nos piis, atque enixis Chariſſimi in Chriſto filii noſtri Caroli Hiſpaniarum Regis Catholici, ac Chariſſimæ in Chriſto filiæ noſtræ Marianæ Reginæ Viduæ ejus genitricis, & totius Ordinis S. Dominici ſupplicationibus Nobis ſuper hoc humiliter porrectis benigne inclinati: De præfatorum Cardinalium conſilio, & unanimi aſſenſu, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium indulgemus, ut memorata Dei Serva Roſa de S. Maria, in poſterum Beatæ nomine nuncupetur, ejuſque corpus, & reliquiæ venerationi fidelium (non tamen in proceſſionibus circumferenda) exponantur, imaginesque quoque radiis, ſeu ſplendoribus exornentur, atque de ea ſub duplici ritu recitetur Officium, & Miſſa celebretur de Virgine non Martyre ſingulis annis, juxta rubricas Breviarii, & Miſſalis Romani die vigeſimaſexta Auguſti, quæ prima eſt non impedita poſt diem vigeſimam quartam ejuſdem menſis, qua ſpiritum Creatori reddidit: hæc vero in locis dumtaxat infraſcriptis, nempe in Civitate, & Diœceſi Limana, ac in Univerſo Ordine S. Dominici, tam Fratrum, quam Monialium, & quantum ad Miſſas attinet, etiam a Sacerdotibus confluentibus.

Roſam Beatam nuncupari jubet.

Officium cum Miſſa ſub ritu duplici majori permittit.

§. 2. Præterea primo dumtaxat anno a datis hiſce literis, & quoad Indias a die quo eædem præſentes literæ illuc pervenerint inchoando in Eccleſiis Civitatis, & Diœceſis, ac Ordinis præfatorum, necnon in omnibus Cathedralibus, & Metropolitanis Hiſpaniarum, & Indiarum, ſolemnia Beatificationis ejuſdem cum Officio, & Miſſa ſub ritu duplici majori, die ab Ordinariis conſtituta, & intra ſex menſes promulganda, celebrandi facimus facultatem. Romæ vero in Eccleſia S. Jacobi Nationis Hiſpanorum intra bimeſtre: poſtquam tamen in Baſilica Principis Apoſtolorum celebrata fuerint eadem ſolemnia, pariter celebrari permittimus.

Contrariis derogat:

§. 3. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac decretis ſuper non cultu editis, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Tranſumptis credi mandat

§. 4. Volumus autem, ut earumdem præſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu Secretarii præfatæ Congregationis Cardinalium ſubſcriptis, & ſigillo Præfecti ejuſdem Congregationis munitis, eadem prorſus fides ab omnibus, & ubique, tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ præſentibus ipſis haberetur, ſi fuerint exhibitæ, vel oſtenſæ.

Dat. die 12. Febr. 1667. An. I.

Datum Romæ apud S. Sabinam, ſub Annulo Piſcatoris, die 12. Febr. 1668. Pont. noſtri Anno I.

Damna-

XLVI.

Ex Regeſt. in Secret. Brev.

Damnatio, & prohibitio Libri Gallico idiomate impreſſi ſub titulo Ritualis pro Diœceſi Aleten.

CLEMENS PAPA NONUS

Ad futuram rei memoriam.

Proœmium.

CRediræ Nobis divinitus omnium Eccleſiarum ſolicitudinis ratio exigit, ut Eccleſiaſticæ diſciplinæ, cujus cuſtodes a Domino conſtituti ſumus, ubique conſervandæ jugiter incumbentes, omni cura, atque vigilantia præcavere ſtudeamus, ne quid in eam irrepat, quo quomodolibet turbari, aut a præſcriptis Ritibus ab errare, & via erroribus aperiri poſſit.

Motiva hujus Conſtitut.

§. 1. Cum itaque, ſicut Nobis innotuit, anno proxime elapſo Typis impreſſus, ac in lucem Pariſiis editus fuerit Gallico idiomate liber, cui titulus eſt: *Rituel Romain du Pape Paul V. a l'uſage du Dioceſe d' Alet avec les inſtructions, & les Rubriques en François*, in quo non ſolum continentur nonnullæ ab ipſo Rituali Romano juſſu felicis recordationis Pauli Papæ V. Prædeceſſoris noſtri edito, aliena, ſed etiam doctrinæ quædam, & propoſitiones falſæ, ſingulares, in praxi periculoſæ, erroneæ, & conſuetudini in Eccleſia communiter receptæ, atque Eccleſiaſticis Conſtitutionibus oppoſitæ, & repugnantes, quarum ulu, & lectione Chriſtifideles in jam damnatos errores ſenſim induci, ac pravis opinionibus infici poſſent: Nos opportunum huic malo remedium adhibere volentes, motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, librum ſub titulo Ritualis Gallico idiomate editum præfatum, auctoritate apoſtolica, tenore præſentium omnino damnamus, reprobamus, & interdicimus, ac pro damnato, reprobato, & interdicto haberi volumus, ejuſque impreſſionem, lectionem, retentionem, & uſum univerſis, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſtifidelibus, præſertim Civitatis, & Diœc. Aleten. cujuſcumque gradus, conditionis, dignitatis, & præeminentiæ exiſtant, licet de illis ſpecialis, & individua mentio habenda foret, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ ipſo facto incurrendæ perpetuo prohibemus.

Illiuſque combuſtionem jubet.

§. 2. Mandantes, ut ſtatim quicumque illum habuerint, vel in futurum quandocumque habebunt, locorum Ordinariis, vel Inquiſitoribus, qui vero Ven. Fratri Epiſcopo Aleten. ſubſunt, Metropolitano, aut uni ex vicinioribus Epiſcopis realiter, & cum effectu exhibeant, tradant, & conſignent, qui nulla interpoſita mora exemplaria ſibi tradita, & alia quæcumque habuerint, igne comburant, & comburi faciant. In contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque.

Dat. die 20. Febr. 1668. An. I.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 20. Februarii 1668. Pontificatus noſtri Anno I.

XLVII.

Decretum in quo Privilegia Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium teſtandi de bonis, redditibus, & emolumentis Eccleſiaſticis, etiam ad fructus inconſumptos, vel cum aliis ipſorum bonis non commixtos extenduntur.

CLEMENS PAPA NONUS

Motu proprio &c.

Exordium.

CUM a prima noſtræ Divina favente Clementia Aſſumptionis ad Summi Pontificatus Apicem die, impenſe cogitaverimus Sacrum Cardinalium S. R. E. Collegium, quod uti Senatus Univerſalis Eccleſiæ in excolenda vinea Domini nobiſcum aſſiduo collaborat, & ſingulos Cardinales tamquam membra ejuſdem corporis, quorum conſilio, induſtria, ac opere, tam in ſpiritualibus univerſi Orbis Chriſtiani, quam in temporalibus noſtræ Ditionis, aliiſque negotiis, & rebus quibuſcumque Romani Pontificis, uti, & cuncta ſedulo adminiſtrare conſueverunt, amplioribus privilegiis, & gratiis complecti, & communire, præque aliis facultates, & privilegia teſtandi, & diſponendi de bonis, ac juribus ab ipſis dum vivunt, quomodolibet acquiſitis ex bonis, redditibus, emolumentis, & Juribus Eccleſiaſticis, eiſdemque in illis ſuccedendi, tam ſuæ dignitatis intuitu, quam in laborum congruam remunerationem per Sedem Apoſtolicam hactenus ſolita concedi, gratioſe ampliare, & ad fructus etiam inconſumptos, vel cum aliis ipſorum bonis non commixtos, de quibus antehac nullo modo diſponere poterant, extendere.

Extenſio privilegiorum, de qua Rubr.

§. 1. Motu proprio, & ex certa ſcientia, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, & ex mera noſtra, & Sedis Apoſtolicæ liberalitate, qua prædictos S. R. E. Cardinales proſequi volumus, privilegia, & facultates teſtandi prædictorum Cardinalium ad illos etiam fructus extendimus, & ampliamus, qui ſi naturales ſint, & a ſolo in quo ſunt producti legitime juxta rei naturam fuerint ſublati, & a manibus Colonorum, vel aliorum quorumcumque debitorum percepti, licet in horreis Eccleſiarum, vel in quovis alio loco adhuc inconſumpti, vel nullo modo aliis ipſorum Cardinalium Bonis immixti, aut eorum patrimonio incorporati reperiantur; Si vero civiles ſint, poſtquam dies ſolutionis advenerit, fuerint per quoſcumque debitores quomodolibet perſoluti, & ad manus Cardinalium, vel ad eorum Miniſtros pervenerint, ſeu in aliquo loco publico ad eorum creditum fuerint depoſitati, quod etiam ſervari volumus in terminis quomodolibet debitis pro affictibus bonorum, ac jurium quorumcumque, quos in dictis facultatibus comprehendi volumus & mandamus, ſi modo quo ſupra, fructus, tam civiles, quam naturales Conductoribus, & Affictuariis locati, et conceſſi per illos erunt percepti, quamvis termini ſolutio-

lutionis afflictuum per locatores fuerint posticipate conventi.

§.2. Quare distinguendo inter ejusmodi facultates, et privilegia jam concessa Cardinalibus adhuc viventibus, et quandocumque aliis in futurum concedenda, illa favorabiliter ampliamus, et extendimus, ut intelligantur, ac servari præcise debeant æque ac si formaliter emanassent cum omnibus, et singulis extensionibus, et ampliationibus prædictis, eisdemque illa essent de verbo ad verbum inserta. Alia vero quæcumque in futurum concedenda ad eorum limites concipi omnino debeant, et pro ita conceptis intelligi, et observari, etiamsi diversimode, et contra eorum tenorem extenderentur.

Decretum irritans.

§.3. Nos enim ita servandum lege hac perpetuo valitura statuimus, et mandamus. Sicque, et non aliter in præmissis omnibus, et singulis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, et Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de latere Legatos, et Camerarios, ac ejusdem Cameræ nostræ Apostolicæ Thesaurarios, Præsidentes, et Clericos, Collectores, Subcollectores, Ministros, et Officiales quoscumque ipsius Cameræ, in quavis causa, et instantia, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, irritumque, et inane quicquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, vel observari.

Derogatio contrariorum

§.4. Non obstantibus, quatenus opus sit, nostra de jure quæsito non tollendo, cæterisque aliis Cancellariæ Apostolicæ Regulis, Decretis Cameralibus, Apostolica etiam auctoritate confirmatis, et roboratis, necnon quibusvis Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, etiam Julii Tertii, et Urbani Octavi, et aliorum quorumcumque nostrorum Prædecessorum concessis, etiam juramento, et quavis alia firmitate roboratis statutis, usibus, stylis, et consuetudinibus, etiam immemorabilibus. Quibus omnibus, et singulis, etiamsi pro sufficienti derogatione esset opus de illis, eorumque totis, ac integris tenoribus specialem, expressam, et individuam mentionem facere, seu quævis alia exquisita forma necessario servanda foret, eorumque plenos, ac integros tenores pro plene, et sufficienter expressis, et insertis habentes, perinde ac si reipsa præsentibus individualiter, ac de verbo ad verbum expressa, insertaque forent, cæterisque contrariis quibuscumque specialiter, et expresse derogamus.

Dat. die 28 Feb. 1668. An. I.

Datum Romæ apud S. M. M., Anno Incarnat. Dominicæ 1668. Pridie Kal. Martii, Pont. nostri Anno I.

XLVIII.

Licentia conceditur Referendariis Votantibus Signaturæ Justitiæ nunc, & pro tempore existentibus celebrari faciendi Missam Domi cum solitis restrictivis juxta concessam Clericis Cameræ Apostolicæ ab Alexandro VII.

Ex Regest. in Secret. Brev.

CLEMENS PAPA NONUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

EGregiis dilectorum filiorum utriusque Signaturæ nostræ Referendariorum in Signatura nostra Justitiæ votantium in Nos, & Sedem Apostolicam meritis, gravibusque, & assiduis laboribus, quos pro nostro, & dictæ Sedis servitio in administratione Justitiæ laudabiliter sustinent facile adducimus, ut spirituali eorum consolationi, quantum cum Domino possumus, benigne consulamus.

§.1. Volentes itaque dictis Votantibus gratiam facere specialem, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, motu proprio, et ex certa scientia, et matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, omnibus, et singulis Referendariis dictæ Signaturæ Justitiæ Votantibus nunc, et pro tempore quandocumque existentibus, ut in privato Domus cujuslibet eorum habitationis, etiam in hac Almæ Urbe nostra Oratorio ad hoc decenter muro extracto, et ornato, seu extruendo, et ornando, ab omnibus domesticis usibus libero, per dilectum filium nostrum in eadem Urbe Vicarium in spiritualibus generalem, quo ad Oratoria in dicta Urbe, et quoad alia extra eamdem Urbem per Ordinarium loci respective prius visitando, et approbando unam Missam pro unoquoque die, dummodo in domo hujusmodi celebrandi licentia, quæ adhuc duret, alteri concessa non fuerit, per se ipsos, si Sacerdotes fuerint, celebrare, seu per quemcumque Sacerdotem approbatum secularem, vel de Superiorum suorum licentia regularem, sine tamen quorumcumque jurium Parochialium præjudicio, ac Paschatis Resurrectionis, Pentecostes, et Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi, aliisque Solemnioribus anni festis diebus exceptis, in sua, ac cujuslibet eorum familiæ præsentia celebrari facere libere, et licite possint, et valeant, ita tamen, ut familiares eorum servitiis non necessarii ibidem Missæ interessentes ab obligatione audiendi Missam in Ecclesia diebus festis de præcepto liberi minime censeantur, auctoritate Apostolica, tenore præsentium licentiam, et facultatem concedimus, et impartimur.

Conceditur licentia prout in Rubr.

Decer-

Clausula sublata, & decretum irritans.

§.3. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari; Sicque, et non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de latere Legatos, et quosvis alios quacumque præeminentia, et potestate fungentes, et functuros, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat:

§.4. Non obstantibus Apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, et Ordinationibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 14. Martii 1668. An.I.

Datum Romæ apud S.M.M. sub Annulo Piscatoris, die 14. Martii 1668. Pontificatus nostri Anno I.

XLIX.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Super contributione Ecclesiasticorum Regnorum Castellæ, et Legionis 19. millionum cum dimidio Regi Catholico facienda.

Charissime in Christo filio nostro Carolo Hispaniarum Regi Catholico.

CLEMENS PAPA NONUS

Charissime in Christo fili noster salutem, & apostolicam benedictionem.

Proœmium.

ORthodoxæ fidei conservandæ, et propagandæ zelus, ac singularis in hanc Sanctam Sedem devotio, aliaque multiplicia merita, quibus claræ memoriæ Reges Hispaniarum Catholici progenitores tui eximie claruerunt, necnon præclara, quæ in ista tenera ætate tua elucet ad virtutem indoles ex qua firmam concepimus in Domino spem, atque fiduciam, fore, ut succedentibus tibi cum Dei benedictione annis, majorum tuorum vestigiis inhærendo, non minori Regiarum virtutum fulgore resplendeas, plane exigunt, ut subsidia pro ejusdem fidei, et Dominiorum tuorum præsertim adversus hæreticorum conatus defensione a tuis subditis prompte tibi oblata, quantum cum Domino possumus, ac prout postulare videtur temporum conditio adjuvemus.

Supplicatio

§.1. Cum itaque Majestatis Tuæ nomine Nobis super expositum fuit, laici subditi tuorum Regnorum Castellæ, et Legionis in eorum Comitiis, seu Curiis infrascriptum subsidium Majestati Tuæ præstare prompte obtulerint, et ad prædictum effectum consenserint impositioni Gabellarum, seu Sisarum super vino, aceto, oleo, et carne videlicet octavæ partis specierum, vel prætii vini, aceti, et olei, ac ultra sisas super carne antea impositas, et trium regalium pro quolibet capite pecudum, et trium morapetinorum pro qualibet libra carnis, quæ minutatim venditur, sedecimque morapetinorum pro qualibet mensura arroba nuncupata vini sisati, alteriusque morapetini pro qualibet mensura acumbre nuncupata vini etiam sisati, ac sedecim morapetinorum pro qualibet mensura olei arroba nuncupata, et quatuor morapetinorum pro qualibet libra candelarum de Sevo, et Saponis, vel alias verioribus quantitatibus impositarum, et auctarum, quæ sint exigendæ, et percipiendæ durante sexennio, incipiendo a prima die Augusti currentis An. 1668. nempe pro summa decem, et novem millionum cum dimidio alterius millionis ad rationem trium millionum, et ducentorum et quinquaginta millium ducatorum monetæ Hispaniæ quolibet anno prædicti sexennii solvenda ex prædictis gabellis, seu sisis super prædictas rerum species, ut præfertur, impositis, et auctis, itaut omnes tam Laici quam Ecclesiastici prædictorum Regnorum non solum ementes, et vendentes, sed etiam illi, qui prædictas rerum species percipiunt ex propriis terrenis, vel affictibus, aut respective emunt in uvis, vel olivis, seu colligunt pro Decimis, aut etiam dono accipiunt, seu alias ex quovis alio redditu, et introitu habent, et consumunt, itaut omnes laici, cujuscumque status, gradus, et conditionis, ac præeminentiæ ad id subsidium contribuere, ac gabellas, seu sisas hujusmodi solvere deberent, nec ullus laicus immunis, aut exemptus esset, Ecclesiastici quoque eorumdem Regnorum, si et postquam nostra, et hujus Sanctæ Sedis licentia, et approbatio accesserit, in subsidio hujusmodi scilicet in prædictis gabellis super eisdem speciebus impositis, et auctis contribuere, ac gabellas, seu sisas prædictas juxta literarum nostrarum in forma brevis super prædicta licentia, seu approbatione expediendarum formam, continentiam, et tenorem, persolvere deberent. Idcirco pro parte ejusdem majestatis tuæ Nobis fuit humiliter supplicatum pro approbatione oneris Cleri, Ecclesiarum, locorumque piorum, & personarum Ecclesiasticarum ad contribuendum in prædicto sexennio incipiendo a prædicto mense Augusti currentis Anni 1668., & ut sequitur usque ad mensem Augusti 1674. finiendo in prædictis sisis & gabellis jam, ut præfertur, impositis, & auctis pro solutione prædictorum millionum decem, & novem cum dimidio alterius millionis, attento quod ut majestas tua asserit, agatur de communi defensione, et interesse tam Laicorum, quam Cleri, Ecclesiarum, locorum piorum, et personarum Ecclesiasticarum prædictorum Regnorum, quodque facultates laicorum ad summam præ-

Prædictam conficiendam, ea qua expedit celeritate infra tempus opportunum non sufficerent.

Annuit Pontifex petenti in Rubrica.

§.2. Nos igitur nedum promptam, et obsequentem eorumdem laicorum subditorum tuorum erga te oblationem, sed etiam majestatis tuæ erga Fidem Catholicam zelum commendantes,et ad ingentes sumptus quibus majestas tua gravatur ob assidua,quæ pro defensione Fidei Catholicæ, tuorumque Regnorum, et Dominiorum jugiter in pluribus orbis partibus sustinet bella paternæ dirigentes considerationis intuitum,motu proprio, et ex certa scientia, et matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine volentes majestatem tuam favore prosequi gratioso,Clerum,omnesque, et singulas Ecclesias, loca pia, personasque Ecclesiasticas tam seculares,quam cujusvis Ordinis etiam exempti, etiam Societatis Jesu,et Apostolicæ Sedi immediate subjecti regulares, necnon Monasteria utriusque sexus, Conventus, et Collegia, ac Capitula quarumcumque Ecclesiarum, Regnorum Castellæ, et Legionis prædictorum ac in eisdem Regnis commorantes, et commorantia, et respective consistentes, et consistentia ad conferendum, et contribuendum pro eorum rata ad instar laicorum in dictis gabellis seu sisis quoad prædictam summam dumtaxat decem, et novem millionum cum dimidio alterius millionis prædictorum monetæ illorum Regnorum mediante scilicet solutione prædictarum gabellarum, seu sisarum in prædicta quantitate tantum, et super prædictis rerum speciebus dumtaxat in dictis Regnis collegendis, et consumendis, ut præfertur, impositarum durante sexennio dumtaxat a prædicto mense Augusti currentis Anni 1668., ut præmittitur incipiendo, et ut sequitur finiendo, et non ultra teneri, et obligatos esse, non tamen quoad prædictas rerum species, quas Clerus, Ecclesiæ, Locaque Pia prædicta, et personæ Ecclesiasticæ prædictæ ex propriis Terrenis, seu Decimis, et aliis quibuscumque redditibus propriis per se, vel alios, etiam affictuarios suos, vel etiam ex eleemosynis sive ostiatim, sive alio quovis modo pro tempore datis,et erogatis, ac ipsis traditis percipiunt, et pro divino cultu, seu propriis, vel familiarum suarum usibus juxta taxationem ubi super his, partes discordes fuerint, ad instantiam cujuslibet earum,expensis tamen perperam contradicentis, per Ordinarios Locorum Ecclesiasticos, seu ab eis deputatos faciendam consumunt,pro quibus omnino immunes, et exempti sint, et elapso prædicto sexennio, exactio respectu Ecclesiasticorum cesset, et nullatenus quovis prætexu, vel causa continuari possit etiamsi integra summa decem, et novem millionum cum dimidio alterius millionis hujusmodi non fuisset exacta, quodque si ante finem sexennii prædicti, summa decem, et novem millionum cum dimidio alterius millionis duc. hujusmodi confecta fuerit, Ecclesiastici prædicti amplius contribuere, & dictas Gabellas, seu Sisas, ut præfertur, solvere non debeant, sed præsens gratia expiret, nullaque sit eo ipso. Quodque Clerus, Ecclesiæ, Loca Pia, & personæ Ecclesiasticæ prædictæ durante prædicto sexennio non possint gravari ratione cujusvis alterius novi augmenti prædictarum Gabellarum, & Sisarum super eisdem,ac novæ impositionis aliarum Gabellarum, & Sisarum super quibuscumque rerum speciebus, nec etiam pro portionibus juros nuncupatis de laicorum tantum consensu alias erectis, & impositis, eorumque fructibus, nisi si, & postquam beneplacitum nostrum, seu a successoribus nostris concessum fuerit, alias in quolibet casu contraventionis quilibet contraveniens eo ipso absque alia monitione, & declaratione sententiam excommunicationis majoris reservata illius uti infra exprimitur absolutione incurrat,& ad restitutionem illius, in quo excesserit, teneatur, tenore earumdem præsentium decernimus, & declaramus: Volentes etiam, quod omnes, & singuli Ecclesiastici prædicti solvere recusantes, opportunis juris, & facti remediis per Ordinarios locorum Ecclesiasticos tantum ad solutionem hujusmodi cogantur, non autem coram Judicibus laicis,sive Exactoribus earumdem Gabellarum, sive Sisarum, neque coram quibusvis aliis Judicibus laicis, aut Ministris sub pœna excommunicationis majoris,& aliis pœnis a Sacris Canonibus.& Constitutionibus Apostolicis infligendis, & comminatis ipso facto sine alia monitione, & declaratione incurrendis a quibus a nemine præterquam a Nobis, & Romano Pontifice pro tempore existente absolvi, etiam vigore quorumcumque privilegiorum Apostolicorum etiam Cruciatæ Sanctæ nequeant, conveniri ullo modo possint, seu debeant, sed a prædictis Ordinariis Ecclesiasticis tantum ad solutionem hujusmodi compelli valeant, quibus Ordinariis sub interdicti ingressus Ecclesiæ, & suspensionis a divinis, necnon omnibus, & singulis ejusdem Majestatis tuæ Officialibus, & Ministris cujuscumque status, gradus, conditionis, dignitatis, & præeminentiæ fuerint,ac aliis quibuscumque etiam speciali nota dignis, etiam Apostolicæ Sedis Delegatis, & Commissariis etiam Cruciatæ prædictæ, cæterisque omnibus aliis, ad quos quomodolibet spectat, & pro tempore spectabit, sub prædicta excommunicationis majoris pœna, ut præfertur, eo ipso incurrenda, ejus absolutione itidem, ut supra reservata, ac sub obtestatione divini Judicii, & interminatione maledictionis æternæ districte præcipiendo mandamus, ne Ecclesias, & loca prædicta, ac Clerum, et Ecclesiasticos, aliosque prædictos indebite, neque ultra, præter, aut contra continentiam, et tenorem præsentium nostrarom literarum gravent quomodolibet, nec a quoquam gravari permittant, et ne dum contra quoscumque contravenientes, et quomodolibet inobservantes, ad sententiarum

rum, & pœnarum prædictarum declarationem, & promulgationem respective,sed etiam contra eosdem Ecclesiasticos, & Regulares etiam exemptos, nobisque, & Sedi Apostolicæ immediate subjectos, etiam Societatis Jesu,solvere recusantes ad quamcumque simplicem eorumdem Exactorum requisitionem, etiam exequutivè, & quacumque appellatione remota, auctoritate nostra procedent.

Mandat quod subsidium succedat loco aliorum a Prædecessor. ordinat.

§.3. Volumus autem, quod istud subsidium respectu contributionis Cleri, & Ecclesiarum, locorumque piorum, & personarum Ecclesiasticarum prædictorum Regnorum scilicet decem, & novem milliorum prædictorum ducatorum cum dimidio alterius millionis succedat loco quorumcumque onerum, gravaminum, & impositionum, etiam pro militibus, & aliis quibuscumque impositorum, ac etiam loco quorumcumque aliorum subsidiorum super millionibus per fel. rec. Alexandrum Papã VII.,aliosque Prædecessores nostros hactenus approbatorum, & concessorum, ita quod illorum vigore nihil amplius a Clero nec a quoquam Ecclesiarum, locorum piorum,& Ecclesiasticorum prædictorum exigi possit,quodque pecuniæ ex prædictis subsidiis, & gabellis, seu sisis, ut præfertur, a dictis Ecclesiasticis exigendæ in prædictos, & non in alios usus convertantur,super quo ejusdem majestatis tuæ ejusque ministrorum, & officialium quorumcumque conscientias oneramus.

Decretum irritans,& clausula fulcita.

§.4. Decernentes præsentes literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore; Sicque, & non aliter quovis prætextu, ratione, vel causa per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores sublata quacumque omnibus, & singulis cujuscumque gradus, status, conditionis,qualitatis, præeminentiæ, & dignitatis etiam Ecclesiasticæ, etiam individua mentione dignis quomodolibet in contrarium judicandi, definiendi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, interpretari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum

§.5. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, etiam in generalibus conciliis editis,privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis, Ecclesiis, Regnis, Personis, Capitulis, Monasteriis, Conventibus, Collegiis, & aliis prædictis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis,aliisque efficacioribus efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie, ac alias in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis,eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda esset, illorum tenores, acsi de verbo ad verbum, nihil penitus omisso exprimerentur, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§.6. Ut autem præsentes nostræ literæ, cum opus fuerit, ad omnium notitiam facilius devenire possint, decernimus, ut earum exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ sigillo munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ,vel ostensæ.

Dat. die 20 Martii 1668. An.I.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 20. Martii 1668. Pontificatus nostri Anno I.

I.

Ex Regist. in Secret. Brev.

Indultum Regi Christianissimo nominandi ad quæcumque Monasteria, Prioratus, Dignitates, etiam majores, & principales, aliaque Beneficia quæcumque (exceptis curatis) in Civitatibus Meten., Tullen., & Virdunen., eorumque Territoriis dicti Regis Ditioni, & Dominio temporali de præsenti subjectis.

Charissimo in Christo Filio nostro Ludovico Francorum Regi Christianissimo.

CLEMENS PAPA NONUS

Charissime in Christo Fili noster salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Indultum aliàs concessũ Regi Franciæ nominandi beneficia.

§.1. CUM fel. rec. Alexander PP. VII. Prædecessor noster eximiis majestatis tuæ, ac progenitorum, & majorum tuorum Regum Christianissimorum, Principum longe clarissimorum, invictissimorumque Christi Athletarum, ac egregiorum Sedis Apostolicæ cultorum promeritis adductus, majestati tuæ quoad viveres jus nominandi ipsi Alexandro Prædecessori, & pro tempore existentibus Romanis Pontificibus ejus Successoribus personas probatas boni nominis, & secundum Sacrorum Canonum dispositionem idoneas, ad Cathedrales Ecclesias Metten., Tullen. & Virdunen. Civitatum a Te possessarum quoties illas quibusvis modis, & ex quorumcumque personis, non tamen per obitum apud Sedem prædictam, vacare contingeret per eumdem Alexandrum Prædecessorem, ejusque Successores prædictos ad nominationem hujusmodi eisdem Ecclesiis respective præficiendas reservaverit, concesserit, & allignaverit, & alias prout in ipsius Alexandri Prædecessoris literis desuper in simili forma brevis die 11. Decembris 1664. expeditis, quarum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter

expresso haberi volumus uberius continetur, Nos qui majestatem tuam pietate, Religionis zelo, ac in Nos, & Apostolicam Sedem observantia, aliisque Christianissimo Rege dignis virtutibus eximie præfulgentem in visceribus paternæ gerimus charitatis, firmiter in Domino sperantes fore, ut tam tu, quam Successores tui Reges Christianissimi Gloriosis antecessorum Regum vestigiis inhærentes, Religionem Christianam, & Fidem Orthodoxam tueri, & propagare, dictæque Sedis Apostolicæ honorem, & auctoritatem in universis ejusdem majestatis tuæ, & ipsorum Regum Successorum dominiis semper illibatos conservare omni studio curaturi, ac in nominandis ad infrascripta Beneficia personis quæ vitæ integritate, religione, fide, & doctrina præstent, summum studium, summamque diligentiam semper adhibituri, nec conscientiam vestram, ea in re ullo modo lædi passuri sitis, ampliorem tibi, tuisque successoribus prædictis exercendæ erga personas benemeritas regiæ beneficentiæ facultatem Apostolica benignitate duximus concedendam. Itaque motu proprio, ac ex certa scientia nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, eidem majestati tuæ, ac Successoribus tuis Francorum Regibus Christianissimis in unitate Catholicæ Fidei, ac Sedis Apostolicæ prædictæ obedientia perseverantibus jus nominandi Nobis, & pro tempore existentibus Romanis Pontificibus Successoribus nostris personas probatas bonorum nominis, & famæ, ac secundum Sacrorum Canonum, & Concilii Tridentini Decretorum dispositionem idoneas, ad quæcumque, & qualiacumque Beneficia Ecclesiastica secularia, & quorumvis Ordinum, Congregationum, & Institutorum, non tamen Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani, regularia, etiamsi secularia, Canonicatus, & Præbendæ, dignitates etiam post Pontificalem majores in Cathedralibus, ac principales in Collegiatis Ecclesiis, personatus, administrationes, & officia, regularia vero Beneficia hujusmodi Monasteria etiam consistorialia, & in libris Cameræ Apostolicæ taxata, Prioratus etiam Conventuales, Præposituræ, Præpositatus, Præceptoriæ, & Officia (non tamen claustralia) fuerint, & ad illa consueverint, qui per electionem, seu alium quemcumque modum assumi, exceptis tamen Parochialibus Ecclesiis, earumque perpetuis Vicariis, & aliis Beneficiis curam Sacramentalem animarum Parochianorum annexam quomodolibet habentibus omnibus in præfatis Meten., Tullen., & Virdunen. Civitatibus, earumque Territoriis tuæ Ditioni, & Dominio temporali de præsenti subjectis dumtaxat consistentia quæ extra Romanam Curiam quibusvis modis, et ex quorumcumque personis vacare contigerit, et quorum collatio, promissio, et omnimoda dispositio Nobis, et Successoribus nostris prædictis, & dictæ Sedi quomodolibet, non tamen ratione obitus apud Sedem eamdem, reservata existat per Nos et Successores nostros prædictos Monasteriis, Prioratibus, aliisque Beneficiis prædictis ad nominationem hujusmodi præficiendas et quibus eadem Monasteria, Prioratus, et alia Beneficia hujusmodi respective per Nos, dictosque Successores nostros conferri debeant, tenore præsentium reservamus pariter, ac concedimus, et assignamus.

Clausula sublata, & decretum irritans.

§.2. Decernentes jus nominandi hujusmodi ad Monasteria, Prioratus, et alia Beneficia prædicta tibi, tuisque Successoribus Regibus memoratis Civitates Meten. Tullen., et Virdunen., earumque territoria prædicta pro tempore possidentibus competere debere, neque sub quacumque quantumvis speciali derogatione comprehendi, vel ei quovis modo, & ex quacumque causa derogari, & si derogari contingat, id minime suffragari posse, & nihilominus quascumque Monasteriorum, Prioratuum, & aliorum Beneficiorum hujusmodi provisiones, commendas, & alias de eis dispositiones etiam cum juris nominandi hujusmodi derogatione contra earumdem præsentium tenorem etiam per Nos, & Successores nostros prædictos, ac Sedem eamdem absque tuis Successorumque tuorum Regum prædictorum nominationibus, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus quoquo modo pro tempore faciendas, & desuper conficiendas literas, & inde secutura quæcumque, nulla, & invalida, nulliusque roboris, & momenti fore, & esse, Teque, vel memoratos Reges Successores tuos ad docendum de literis prædictis, seu illas ostendendum, & in eis contenta quæcumque justificandum minime teneri, sed eisdem præsentibus tantum uti posse, illisque tam in judicio, quam extra illud stari debere; Sicque, & non aliter per quoscumque Judices, & Commissarios quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S. R. E. Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§.3. Non obstantibus quibusvis generalibus, vel specialibus Monasteriorum, & Prioratuum, aliorumque Beneficiorum, prædictorum reservationibus, seu affectionibus Apostolicis per quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores nostros, ac Nos, & Sedem eamdem quomodolibet factis, seu pro tempore faciendis, necnon Cancellariæ Apostolicæ Regulis editis, & edendis, ac quibusvis aliis Apostolicis necnon in universalibus, provincialibusque Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, ac quarumcumque Ecclesiarum, & Monasteriorum, illorumque Ordinum etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis, etiam quasvis clausulas, & reservationes in se continentibus per eosdem Prædecessores, ac Nos, & Sedem eamdem Ecclesiis, & Monasteriis, illorumque Capitulis, Conventibus, & Ordinibus, aliisque personis quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse, motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus derogamus, & plene derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§.4. Volumus autem, ut tam Tu, quam Successores tui Reges prædicti intra sex menses a die vacationis Monasteriorum, Prioratuum, aliorumque Beneficiorum hujusmodi computandos, personas idoneas Nobis, & pro tempore existenti Romano Pontifici pro collatione, provisione, seu commenda obtinenda, nominare omnino teneamini, & ad Monasteria, seu Prioratus hujusmodi in titulum concedi solita, clerici seculares, vel alterius, quam Monasterii, seu Prioratus ad quod, seu quem eos per te, vel Successores tuos Reges prædictos nominari contigerit, Ordinis regulares nominandi habitum per Fratres, seu Monachos illius Monasterii, seu Prioratus gestari solitum suscipere, & professionem per eosdem Fratres, seu Monachos emitti consuetam expresse emittere, omnesque, & singuli nominati prædicti super Monasteriis, Prioratibus, & aliis Beneficiis quibuscumque præfatis cujuscumque valoris annui etiam minimi existant. Literas Apostolicas, collationis, provisionis, seu Commendæ respective sub Plumbo intra alios sex menses a die factæ nominationis computandos expedire, ac Jura Cameræ Apostolicæ, & aliis propterea debita persolvere omnino teneantur, alioquin dictis sex mensibus respective elapsis de Monasteriis, & Prioratibus, aliisque Beneficiis prædictis, ut præfertur vacantibus per Nos seu pro tempore existentem Romanum Pontificem libere disponi possit.

Dat. die 23. Mar. 1669. An. II.

Datum Romæ apud S.M. M. sub Annulo Piscatoris, die 23. Martii 1668. Pontificatus nostri Anno I.

LI.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Innovatio Constitutionis Pauli V. contra Fratres Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia Provinciæ Aquitaniæ antiquioris favore personarum extra

eumdem Ordinem constitutarum emendicantes, illisque utentes ad obtinen. officia editæ.

CLEMENS PAPA NONUS

Ad futuram rei memoriam.

Motiva.

§.1. ALias emanarunt a fel. rec. Paulo Papa V. Prædecessore nostro literæ in simili forma Brevis tenoris, qui sequitur, videlicet Paulus Papa V. ad perpetuam rei memoriam. Admonemur pastoralis officii &c. *Reliqua ut in suo loco.*

§.2. Cum autem, sicut dilectus filius Simeon Duqua Frater, & Procurator Provinciæ Aquitaniæ antiquioris Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum Nobis nuper exponi fecit, ad ejus munus spectet quietem, & tranquillitatem Capituli Provincialis dictæ Provinciæ propediem celebrandi procurare, pacem vero, & tranquillitatem hujusmodi perturbet ambitio quorumdam Fratrum favores ad obtinenda diversa ejusdem Provinciæ officia undequaque mendicantium, unde variæ inter Fratres controversiæ, multaque scandala oriuntur: Nobis propterea dictus Simeon humiliter supplicari fecit, ut his imminentibus malis occurrere, ambitioni viam præcludere, ac quieti dictæ Provinciæ consulere, eaque de causa censuras, & pœnas in literis præinsertis latas innovare, de benignitate apostolica dignaremur.

Innovat, & confirmat Pœnas.

§.3. Nos igitur ipsum Simeonem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, &a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, præinsertas Pauli Prædecessoris literas, omniaque, & singula in eis contenta, auctoritate apostolica, tenore præsentium confirmamus, & innovamus.

Contrariis derogat.

§.4. Decernentes easdem præsentes, & præinsertas literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis memoratæ Provinciæ Fratribus, & personis inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§.5. Non obstantibus Constitutionibus, Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit, Ordinis, & Provinciæ hujusmodi

di, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 24. Martii 1668. An.I. Datum Romæ apud S.Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 24. Martii 1668. Pontificatus nostri Anno I.

LII.

Ex Regest. in Secret. Brev. Litteræ Processus publicatæ die Cœnæ Domini 1668.

CLEMENS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad futuram rei memoriam.

Exordium. PAstoralis Romani Pontificis vigilantia, & solicitudo, cum in omni Christianæ Reipublicæ pace, & tranquillitate procuranda, pro sui muneris officio assidue versatur, tum potissimum in Catholicæ Fidei sine qua impossibile est placere Deo, unitate, atque integritate retinenda, et conservanda, maxime elucet. Nimirum, ut fideles Christi non sint parvuli fluctuantes, neque circumferantur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, ad circumventionem erroris, sed omnes occurrant in unitatem fidei, & agnitionis filii Dei in virum perfectum, neque se in hujus vitæ societate, & communione lædant, aut inter se alter alteri offensionem præbeant, sed potius in vinculo charitatis conjuncti, tanquam unius corporis membra sub Christo capite, ejusque in Terris Vicario Romano Pontifice Beatissimi Petri Successore a quo totius Ecclesiæ unitas dimanat, augeantur in ædificationem, atque ita divina gratia adjutrice, sic præsentis vitæ quiete gaudeant, ut futura quoque beatitudine perfruantur. Ob quas sane causas Romani Pontifices Prædecessores nostri, hodierna die, quæ anniversaria Dominicæ Cœnæ commemoratione solemnis est, spiritualem ecclesiasticæ disciplinæ gladium, & salutaria justitiæ arma per ministerium summi Apostolatus ad Dei gloriam, & animarum salutem solemniter exercere consueverunt. Nos igitur, quibus nihil optabilius est, quam fidei inviolatam integritatem, publicam pacem, & justitiam, Deo auctore tueri, vetustum, & solemnem hunc morem sequentes,

Excommunicatio prout in Rubrica. I. Excommunicamus, & anathematizamus ex parte Dei Omnipotentis Patris, et Filij, et Spiritus Sancti, auctoritate quoque Beatorum Apostolorum Petri, et Pauli: ac nostra quoscumque Hussitas, Wichephistas, Lutheranos, Quinglianos, Calvenistas, Ugonottos, Anabaptistas, Trinitarios, et a Christiana Fide Apostatas, ac omnes, et singulos alios Hæreticos quocumque nomine censeantur, et cujuscumque Sectæ existant, ac eis credentes, eorumque receptatores, fautores, et generaliter quoslibet illorum defensores, ac eorumdem libros hæresim continentes, vel de religione tractantes, sine auctoritate nostra, et Sedis Apostolicæ scienter legentes, aut retinentes, imprimentes, seu quomodolibet defendentes ex quavis causa publice, vel occulte quovis ingenio, vel colore, necnon Schismaticos, et eos, qui se a nostra, et Romani Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter subtrahunt, vel recedunt.

II. Item excommunicamus, et anathematizamus omnes, et singulos cujuscumque status, gradus, seu conditionis fuerint; Universitates vero, Collegia, Capitula quocumque nomine nuncupentur interdicimus, ab ordinationibus, seu mandatis nostris, ac Romanorum Pontificum pro tempore existentium ad universale futurum Concilium appellantes, necnon eos quorum auxilio, consilio, vel favore appellatum fuerit.

III. Item excommunicamus, et anathematizamus omnes Piratas, Cursarios, ac Latrunculos maritimos, discurrentes mare nostrum præcipue a Monte Argentario usque ad Terracinam, ac omnes eorum fautores, receptatores, et defensores.

IV. Item excommunicamus, et anathematizamus omnes, et singulos qui Christianorum quorumcumque Navibus, tempestate, seu in transversum (ut dici solet) jactatis, vel quoquomodo naufragium passis, sive in ipsis Navibus, sive ex eisdem ejecta in mari, vel in littore inventa cujuscumque generis bona, tam in nostris Tyrreni, et Adriatici, quam in cæteris cujuscumque Maris regionibus, et littoribus surripuerint, ita ut nec ob quodcumque privilegium, consuetudinem, aut longissimi, et immemorabilis temporis possessionem, seu alium quemcumque prætextum excusari possint.

V. Item excommunicamus, et anathematizamus omnes, qui in Terris suis nova Pedagia, seu Gabellas, præterquam in casibus sibi a jure, seu ex speciali Sedis Apostolicæ licentia permillis imponunt, vel augent, seu imponi, vel augeri prohibita exigunt.

VI. Item excommunicamus, et anathematizamus omnes falsarios Literarum Apostolicarum etiam in forma Brevis, ac supplicationum gratiam, vel justitiam concernentium per Romanum Pontificem, vel S. R. E. Vice-Cancellarios, seu gerentes vices eorum, aut de mandato ejusdem Romani Pontificis signatarum, necnon falso fabricantes Literas Apostolicas, etiam in forma Brevis, & etiam falso signantes supplicationes hujusmodi sub nomine Romani Pontificis, seu Vice-Cancellarii, aut gerentium vices prædictorum.

VII. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui ad Saracenos, Turcas, & alios Christiani nominis hostes, & inimicos, vel Hæreticos per nostras, sive hujus Sanctæ Sedis sententias expresse, & nominatim declaratos deferunt, seu transmittunt Equos, arma, ferrum, filum ferri, stamnum, chalybem, omniaque alia metallorum genera, atque bellica instrumenta, lignamina, canapem, funes, tam ex ipso canape, quam alia quacumque materia, & ipsam materiam, aliaque hujusmodi, quibus Christianos, & Catholicos impugnant, necnon illos, qui per se, vel alios de rebus statum Christianæ Reipublicæ concernentibus, in Christianorum perniciem, & damnum, ipsos Turcas, & Christianæ Religionis inimicos, necnon hæreticos in damnum Catholicæ Religionis certiores faciunt, illisque ad id auxilium, consilium, vel favorem quomodolibet præstant; Non obstantibus quibuscumque privilegiis quibusvis personis, Principibus, Rebuspublicis per Nos, & Sedem prædictam hactenus concessis de hujusmodi prohibitione expressam mentionem non facientibus.

VIII. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes impedientes, seu invadentes eos, qui victualia, seu alia ad usum Romanæ Curiæ necessaria adducunt, ac etiam eos, qui ne ad Romanam Curiam adducantur, vel afferantur, prohibent, impediunt, seu perturbant, seu hæc facientes defendunt per se, vel alios cujuscumque fuerint ordinis, præeminentiæ, conditionis, & status, etiamsi Pontificali, seu Regali, aut alia quavis Ecclesiastica, vel mundana præfulgeant dignitate.

IX. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui ad Sedem Apostolicam venientes, & recedentes ab eadem sua, vel aliorum opera interficiunt, mutilant, spoliant, capiunt, detinent: necnon illos omnes, qui Jurisdictionem ordinariam, vel delegatam, a Nobis, vel nostris Judicibus non habentes illam sibi temere vendicantes, similia, contra morantes in eadem Curia, audent perpetrare.

X. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, detinentes, capientes, seu deprædantes Romipetas, seu Peregrinos ad Urbem causa devotionis, seu peregrinationis accedentes, & in ea morantes, vel ab ipsa recedentes, & in his dantes auxilium, consilium, vel favorem.

XI. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes interficientes mutilantes, vulnerantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hostiliter insequentes S. R. E. Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Sedisque Apostolicæ Legatos, vel Nuncios, aut eos a suis Diœcesibus, Territoriis, Terris, seu Dominiis eicientes: Necnon ea mandantes, vel rata habentes, seu præstantes in eis auxilium, consilium, vel favorem.

XII. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui per se, vel per alios, personas ecclesiasticas quascumque, vel seculares ad Romanam Curiam, super eorum causis, & negotiis recurrentes, ac illa in eadem Curia prosequentes, aut procurantes, negociorumque gestores, Advocatos, Procuratores, & Agentes, seu etiam Auditores, vel Judices super dictis causis, vel negociis deputatos, occasione causarum, vel negociorum hujusmodi occidunt, seu quoquo modo percutiunt, bonis spoliant, seu per se, vel per alios directe, vel indirecte, delicta hujusmodi committere, exequi, vel procurare, aut in eisdem auxilium, consilium, vel favorem præstare non verentur, cujuscumque præeminentiæ, & dignitatis fuerint.

XIII. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes tam Ecclesiasticos, quam seculares cujuscumque dignitatis, qui prætexentes frivolam quamdam appellationem a gravamine, vel futura exequutione Literarum Apostolicarum etiam in forma Brevis tam gratiam, quam justitiam concernentium: Nec noc citationum, inhibitionum, sequestrorum, monitoriorū, processuum exequutorialium, & aliorum Decretorum a Nobis, & a Sede prædicta, seu Legatis, Nunciis, Præsidentibus Palatii nostri, & Cameræ Apostolicæ Auditoribus, Commissariis, aliisque Judicibus, & Delegatis Apostolicis emanatorum, & quæ pro tempore emanaverint, aut alias ad Curias seculares, & laicam potestatem recurrunt, & ab ea, instante etiam Fisci Procuratore, vel Advocato, appellationes hujusmodi admitti, ac literas, citationes, inhibitiones, sequestra, monitoria, & alia prædicta capi, & retineri faciunt, quive illa simpliciter, vel sine eorum beneplacito, & consensu, vel examine exequutioni demandari, aut ne Tabelliones, & Notarii super hujusmodi literarum, & processuum exequutione, instrumenta, vel acta conficere, aut confecta, parti, cujus interest, tradere debeant, impediunt, vel prohibent, ac etiam partes, seu eorum Agentes, Consanguineos, Affines, Familiares, Notarios, Exequutores, & Subexequutores literarum, citationum, monitoriorum, & aliorum prædictorum capiunt, percutiunt, vulnerant, carcerant, detinent, ex Civitatibus, Locis, & Regnis eiiciunt, bonis spoliant, perterrefaciunt, concutiunt, & cominantur per se, vel alium, seu alios publice, vel occulte, quive alias quibuscumque personis in genere, vel in specie, ne pro quibusvis eorum negociis prosequendis, seu gratiis, vel literis impetrandis ad Romanam Curiam accedant, aut recursum habeant, seu gratias ipsas, vel literas a dicta Sede impetrent, seu impetratis utantur, directe, vel indirecte prohibere, statuere, seu mandare,

dare, vel eas apud se, aut Notarios, seu Tabelliones, vel alias quomodolibet retinere præsumunt.

XIV. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & singulos, qui per se, vel alios, auctoritate propria, ac de facto, quarumcumque exemptionum, vel aliarum gratiarum, & literarum Apostolicarum prætextu beneficiales, & decimarum, ac alias causas spirituales, & spiritualibus annexas ab Auditoribus, & Commissariis nostris, aliisque Judicibus Ecclesiasticis avocant, illorumque cursum, & audientiam, ac Personas, Capitula, Conventus, Collegia, Causas ipsas prosequi volentes impediunt, ac se de illarum cognitione tanquam Judices interponunt: Quive partes actrices, quæ illas committi fecerunt, & faciunt, ad revocandum, & revocari faciendum citationes, vel inhibitiones, aut alias literas in eis decretas, & ad faciendum, vel consentiendum eos, contra quos tales inhibitiones emanarunt, a censuris, & pœnis in illis contentis absolvi, per statutum, vel alias compellunt, vel exequutionem literarum Apostolicarum, seu Exequutorialium, Processuum, ac Decretorum prædictorum quomodolibet impediunt, vel suum ad id favorem, consilium, aut assensum præstant, etiam prætextu violentiæ prohibendæ, vel aliarū prætensionum, seu etiam donec ipsi ad Nos informandos, ut dicunt, supplicaverint, aut supplicari fecerint, nisi supplicationes hujusmodi coram Nobis, et Sede Apostolica legitime prosequantur, etiamsi talia committentes fuerint Præsidentes Cancellariarum, Consiliorum, Parlamentorum, Cancellarii, Vice-Cancellarii, Consiliarii, Ordinarii, vel Extraordinarii quorumcumque Principum secularium, etiamsi Imperiali, Regali, Ducali, vel alia quacumque præfulgeant dignitate, aut Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Commendatarii, seu Vicarii fuerint.

XV. Quive ex eorum prætenso officio, vel ad instantiam partis, aut aliorum quorumcumque personas Ecclesiasticas, Capitula, Conventus, Collegia Ecclesiarum quarumcumque coram se, ad suum Tribunal, Audientiam, Cancellariam, Consilium, vel Parlamentum præter Juris Canonici dispositionem trahunt, vel trahi faciunt, vel procurant directe, vel indirecte quovis quæsito colore: necnon qui Statuta, Ordinationes, Constitutiones, Pragmaticas, seu quævis alia Decreta in genere, vel in specie ex quavis causa, et quovis quæsito colore, ac etiam prætextu cujusvis consuetudinis, aut privilegii, vel alias quomodolibet fecerint, ordinaverint, et publicaverint, vel factis, et ordinatis usi fuerint, unde libertas Ecclesiastica tollitur, seu in aliquo læditur, vel deprimitur, aut alias quovis modo restringitur, seu nostris, & dictæ Sedis, ac quarumcumque Ecclesiarum juribus quomodolibet directe, vel indirecte tacite, vel expresse præjudicatur.

XVI. Necnon qui Archiepiscopos, Episcopos, aliosque superiores, & inferiores Prælatos, & omnes alios quoscumque Judices Ecclesiasticos ordinarios quomodolibet, hac de causa directe, vel indirecte carcerando, vel molestando eorum Agentes, Procuratores, Familiares, necnon consanguineos, & affines, aut alias impediunt, quo minus sua Jurisdictione Ecclesiastica contra quoscumque utantur, secundum quod Canones, & Sacræ Constitutiones Ecclesiasticæ, & Decreta Conciliorum generalium, & præsertim Tridentini, statuunt, ac etiam eo, qui post ipsorum Ordinariorum, vel etiam ab eis delegatorum quorumcumque sententias, & decreta, aut alias fori Ecclesiastici Judicium eludentes ad Cancellarias, & alias Curias seculares recurrunt, & ab illis prohibitiones, & mandata, etiam pœnalia Ordinariis, & delegatis prædictis decerni, & contra illos exequi procurant, eos quoque qui hæc decernunt, & exequuntur, seu dant auxilium, consilium, patrocinium, & favorem in eisdem.

XVII. Quive jurisdictionem, seu fructus, redditus, & proventus ad Nos, & Sedem Apostolicam, & quascumque Ecclesiasticas personas ratione Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum Beneficiorum Ecclesiasticorum pertinentes usurpant, vel etiam quavis occasione, vel causa sine Romani Pontificis, vel aliorum ad id legitimam facultatem habentium expressa licentia sequestrant.

XVIII. Quive collectas, decimas, talleas, præstantias, & alia onera Clericis, Prælatis, & aliis personis Ecclesiasticis, ac eorum, & Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum Beneficiorum Ecclesiasticorum bonis, illorumque fructibus, redditibus, & proventibus hujusmodi absque simili Romani Pontificis speciali, & expressa licentia imponunt, & diversis etiam exquisitis modis exigunt, aut sic imposita, etiam a sponte dantibus, & concedentibus, recipiunt. Necnon qui per se, vel alios directe, vel indirecte prædicta facere, exequi, vel procurare, aut in eisdem auxilium, consilium, vel favorem præstare non verentur, cujuscumque sint præeminentiæ, dignitatis, ordinis, conditionis, aut status, etiam Imperiali, aut Regali præfulgeant dignitate, seu Principes, Duces, Comites, Barones, & alii Potentatus quicumque etiam Regnis, Provinciis, Civitatibus, & Terris quoquomodo Præsidentes, Consiliarii, & Senatores, aut quavis etiam Pontificali dignitate insigniti. Innovantes Decreta super his per Sacros Canones tam in Lateranensi novissime celebrato, quam aliis Conciliis generalibus edita etiam super censuris, & pœnis in eis contentis.

XIX. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & quoscumque Magistratus, et Judices, Notarios, Scribas, Exequutores, Subexequutores quomodolibet se interponentes in causis capitalibus, seu criminalibus contra personas ecclesiasticas,

sticas, illas processando, banniendo, capiendo, seu sententias contra illas proferendo, vel exequendo sine speciali, specifica, et expressa hujus Sanctæ Sedis Apostolicæ licentia, quique hujusmodi licentiam ad personas, et casus non expressos extendunt, vel alias illa perperam abutuntur, etiamsi talia committentes fuerint Consiliarii, Senatores, Præsidentes, Cancellarii, Vice-Cancellarii, aut quovis alio nomine nuncupati.

XX. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos qui per se, seu alios directe, vel indirecte sub quocumque titulo, vel colore invadere, destruere, occupare, et detinere præsumpserint in totum, vel in partem, Almam Urbem, Regnum Siciliæ, Insulas Sardiniæ, et Corsicæ, Terras citra Pharum, Patrimonium Beati Petri in Thuscia, Ducatum Spoletan. Comitatum Venaissinum, Sabinen., Marchiæ Anconitanæ, Massæ Trebariæ, Romandiolæ, Campaniæ, & Maritimæ Provincias, illarumque Terras, & Loca, ac Terras specialis commissionis Arnulforum, Civitatesque nostras Bononiam, Cæsenam, Ariminum, Beneventum, Perusium, Avenionem, Civitatem Castelli, Tudertum, Ferrariam, Comaclum, & alias Civitates, Terras, et loca, vel jura ad ipsam Rom. Ecclesiam pertinentia, dictæque Rom. Ecclesiæ mediate, vel immediate subjecta: necnon Supremam Jurisdictionem in illis Nobis, et eidem Rom. Ecclesiæ competentem de facto usurpare, perturbare, retinere, et vexare variis modis præsumunt, necnon adhærentes, fautores, & defensores eorum, seu illis auxilium, consilium, vel favorem quomodolibet præstantes.

Volentes præsentes nostros Processus, ac omnia, & quæcumque his literis contenta, quousque alii hujusmodi Processus a Nobis, aut Romano Pontifice pro tempore existente fiant, aut publicentur durare, suosque effectus omnino sortiri.

Cæterum a prædictis sententiis nullus per alium, quam per Romanum Pontificem nisi in mortis articulo constitutus, nec etiam tunc, nisi de standō Ecclesiæ mandatis, & satisfaciendo, cautione præstita, absolvi possit, etiam prætextu quarumvis facultatum, & indultorum quibuscumque personis Ecclesiasticis secularibus, et quorumvis Ordinibus, & eorum Monasteriis, Conventibus, et Domibus, ac Capitulis, Collegiis, Confraternitatibus, Congregationibus, Hospitalibus, & Locis Piis, necnon Laicis etiam Imperiali, Regali, & alia mundana Excellentia fulgentibus per Nos, & dictam Sedem, ac cujusvis Concilii decreta, verbo, literis, aut alia quacumque scriptura in genere, vel in specie concessorum, & innovatorum, aut concedendorum, & innovandorum.

Quod si forte aliqui contra tenorem præsentium talibus excommunicatione, et anathemate laqueatis, vel eorum alicui absolutionis beneficium impendere de facto præsumpserint, eos excommunicationis sententiæ innodamus, gravius contra eos spiritualiter, & temporaliter, prout expedire noverimus procedi.

Declarantes, ac protestantes quamcumque absolutionem etiam solemniter per Nos faciendam, prædictos excommunicatos sub præsentibus comprehensos, nisi prius a præmissis cum vero proposito ulterius similia non committendi, desisterint; Ac quoad eos, qui contra ecclesiasticam libertatem, ut præfertur, statuta fecerint, nisi prius Statuta, Ordinationes, Constitutiones, Pragmaticas, & Decreta hujusmodi publice revocaverint, & ex Archiviis, seu capitularibus locis, aut libris, in quibus adnotata reperiuntur, deleri, & cassari, ac Nos de revocatione hujusmodi certiores fecerint, eos non comprehendere, nec eis aliter suffragari, quin etiam per hujusmodi absolutionem, aut quoscumque alios actus contrarios, tacitos, vel expressos, ac etiam per patientiam, & tolerantiam nostram, vel Successorum nostrorum quantocumque tempore continuatam in præmissis omnibus, & singulis, ac quibuscumque juribus Sedis Apostolicæ, ac Sanctæ Rom. Ecclesiæ undecumque, & quandocumque quæsitis, vel quærendis nullatenus præjudicari posse, aut debere.

Non obstantibus privilegiis, indulgentiis, indultis, & literis Apostolicis generalibus, vel specialibus suprædictis, vel eorum alicui, seu aliquibus aliis cujuscumque ordinis, status, vel conditionis, dignitatis, & præeminentiæ fuerint, etiam ii, ut præfertur, Pontificali, Imperiali, Regali, seu quavis Ecclesiastica, & mundana præfulgeant dignitate, vel eorum Regnis, Provinciis, Civitatibus, seu Locis a prædicta Sede ex quavis causa, etiam per viam contractus, aut remunerationis, & sub quavis alia forma, & tenore, ac cum quibusvis clausulis etiam derogatoriarum derogatoriis concessis, etiam continentibus, quod excommunicari, anathematizari, vel interdici non possint, per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de privilegiis, indulgentiis, & indultis hujusmodi, ac de ordinibus, locis, nominibus propriis, cognominibus, & dignitatibus eorum mentionem, necnon consuetudinibus, etiam immemorabilibus, ac præscriptionibus quantumcumque longissimis, & aliis quibuslibet observantiis, scriptis, vel non scriptis per quæ contra hos nostros processus, ac sententias quominus includantur in eis, se juvare valeant, vel tueri. *Contrariis derogat:*

Quæ omnia quoad hoc, eorum omnium tenores acti ad verbum nihil penitus omisso insererentur, præsentibus pro expressis habentes, penitus tollimus, & omnino revocamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Ut vero præsentes nostri processus ad publicam omnium notitiam facilius deducantur, chartas, seu membranas, proces- *Affixionem hujus proces- sus mandat.*

sus

ſus ipſos continentes, valvis Eccleſiæ Sancti Joannis Lateranen. Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe appendi faciemus, ut ii, quos proceſſus hujuſmodi concernunt, quod ad ipſos non pervenerint, aut quos ipſos ignoraverint, nullam poſſint excuſationem prætendere, aut ignorantiam allegare, cum non ſit veriſimile, id remanere incognitum, quod tam patenter omnibus publicatur. Inſuper, ut proceſſus ipſi, & præſentes literæ, ac omnia, & ſingula in eis contenta eo fiant notiora, quo in pleriſque Civitatibus, & Locis fuerint publicata, univerſis, & ſingulis Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & locorum Ordinariis, & Prælatis ubilibet conſtitutis, per hæc ſcripta committimus, & in virtute ſanctæ obedientiæ diſtricte præcipiendo mandamus, ut per ſe, vel alium, ſeu alios præſentes literas poſquam eas receperint, ſeu earum habuerint notitiam, ſemel in anno, aut ſi expedire viderint, etiam pluries in Eccleſiis ſuis dum in eis major populi multitudo ad divina convenerit, ſolemniter publicent, & ad Chriſtifidelium mentes reducant, nuncient, & declarent.

Tranſumptis fides præſtanda.

Cæterum Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, aliique locorum Ordinarii, & Eccleſiarum Prælati, necnon Rectores, cæterique curam animarum exercentes, ac Presbyteri ſeculares, & quorumvis Ordinum regulares ad audiendas peccatorum confeſſiones quavis auctoritate deputati, tranſumptorum præſentium literarum penes ſe habeant, eaſque diligenter legere, & percipere ſtudeant. Volentes earumdem præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, Notarii publici manu ſubſcriptis, & ſigillo Judicis Ordinarii Romanæ Curiæ, vel alterius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eamdem prorſus fidem in judicio, & extra illud ubique locorum adhibendam fore, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ excommunicationis, anathematizationis, interdicti, innovationis, innodationis, declarationis, proteſtationis, ſublationis, revocationis, commiſſionis, mandati, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire; Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Dat. die 4. Apr. 1668. An.I.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo octavo, quarto Kalendas Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Primo.

LIII.

Ex Regeſt. in Secret. Brev.

Conceſſio Juriſpatronatus Regi Chriſtianiſſimo, ejuſque Succeſſoribus nominandi ad Eccleſiam Attrebaten.

Chariſſimo in Chriſto Filio noſtro Ludovico Francorum Regi Chriſtianiſſimo.

CLEMENS PAPA NONUS

Chariſſime in Chriſto Fili noſter ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Proœmium.

§. 1. PRæclara Majeſtatis tuæ, ac progenitorum, & majorum tuorum Regum Chriſtianiſſimorum, Principum longe clariſſimorum, invictiſſimorumque Chriſti Athletarum, ac egregiorum Sedis Apoſtolicæ cultorum promerita exigunt, ac præcipuus, quo eamdem majeſtatem tuam filiali erga Nos, & eamdem Sedem obſervantia, ac pietate, orthodoxæ fidei conſervandæ, & propagandæ zelo, aliiſque Rege Chriſtianiſſimo dignis virtutibus atque decoribus multipliciter præfulgentem proſequimur, paternæ charitatis affectus Nos urget, atque impellit, ut Tibi, tuiſque Succeſſoribus Regibus Chriſtianiſſimis luculenta Pontificiæ noſtræ benignitatis dona largiamur. Firma ſpe, atque fiducia in Domino freti, fore, ut tam Tu, quam Succeſſores tui Reges præfati viæ anteceſſorum Regum veſtigiis impreſſæ inhærentes, Populos ditioni veſtræ creditos in Fide Catholica, ac vetere erga Sedem prædictam obedientia continere pari laude conaturi, Conſtitutioneſque Apoſtolicas in univerſis Dominiis veſtris debitæ ſemper executioni mandari, ac Sedis ejuſdem honorem, & auctoritatem illibatos conſervari omni ſtudio ſitis curaturi.

Concedit Pontifex jus nominandi, prout in rubrica.

§. 2. Volentes itaque Tibi, qui (ut accepimus) Civit. Attrebaten. de præſenti poſſides, tuiſque Succeſſoribus Regibus Francorum Chriſtianiſſimis, quo Regiam benevolentiam erga perſonas benemeritas vobiſque gratas, et acceptas exercere valeatis, gratiam facere ſpecialem, ac ſperantes Te, ac illos in nominandis ad Eccleſiam Attrebaten. nunc, & pro tempore Paſtoris ſolatio deſtitutam perſonis, quæ vitæ integritate, religione, fide, et doctrina præſtent, ac Epiſcopalis muneris prærogativa dignæ ſint, ſummum ſtudium, ſummamque diligentiam ſemper adhibituros, nec conſcientiam veſtram hac in re ullo modo lædi paſſuros eſſe, motu proprio, ac ex certa ſcientia noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine Tibi tuiſque Succeſſ. Regibus Francorum Chriſtianiſſimis, qui pro tempore eamdem Civ. Atrebaten. poſſederint, jus nominandi perſonam idoneam in Theologia Magiſtrum, aut in Decretis Doctorem, ſeu licentiatum Nobilium Univerſitatum more diligenti examine præcedente promotum ad Eccleſiam Atrebaten. prædictam nunc vacantem, & quotieſcumque illam vacare contigerit, Nobis, & Romano Pontifici, qui pro tempore fuerit per Nos, & eumdem Pontificem in Epiſcopum Atrebaten. ad nominationem hujuſmodi inſtituendum, tenore præſentium in perpetuum reſervamus, atque concedimus, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Contrariis derogat.

§. 3. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis ac prædictæ Eccleſiæ Atrebaten. etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apoſtolicis, etiam eidem Eccleſiæ, ejuſque Capitulo, ac quibuſvis aliis ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis decretis etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, ac conſiſtorialiter conceſſis, ac etiam iteratis vicibus confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata inſerti forent, præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, illaque adverſus præmiſſa ſuffragari nullo modo poſſe, ſeu debere decernimus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Dat. die 9. Apr. 1668. An.I.

Datum Romæ apud S. Petrum, ſub Annulo Piſcatoris, die 9. Apr. 1668. Pontificatus noſtri Anno I.

LIV.

Ex Regeſt. in Secret. Brev.

Confirmatio juriſpatronatus, & præſentandi ad Eccleſiam Elnen., ac Monaſteria conſiſtorialia in Comitatibus Ruſcinonenſi, & Confluentino, & parte Cerdanæ verſus Galliam conſiſtentia pro Rege Chriſtianiſſimo, & Succeſſoribus.

Chariſſimo in Chriſto Filio noſtro Ludovico Francorum Regi Chriſtianiſſimo.

CLEMENS PAPA NONUS

Chariſſime in Chriſto Fili noſter ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Exordium.

§. 1. PRæclara Majeſtatis tuæ, ac progenitorum, & majorum tuorum Regum Chriſtianiſſimorum, Principum longe clariſſimorum, inviſtiſſimorumque Chriſti Athletarum, ac egregiorum Sedis Apoſtolicæ cultorum promerita exigunt, ac præcipuus, quo eamdem majeſtatem tuam filiali erga Nos, & eamdem Sedem obſervantia, ac pietate, orthodoxæ fidei conſervandæ, & propagandæ zelo, aliiſque Rege Chriſtianiſſimo dignis virtutibus, atque decoribus multipliciter præfulgentem proſequimur, paternæ charitatis affectus Nos urget, atque impellit, ut Tibi, tuiſque Succeſſoribus Regibus Chriſtianiſſimis luculenta Pontificiæ noſtræ benignitatis dona largiamur: firma ſpe, atque fiducia in Domino freti, fore, ut tam Tu quam Succeſſores tui Reges præfati viæ anteceſſorum Regum veſtigiis impreſſæ inhærentes, Populos Ditioni veſtræ credito in Fide Catholica, ac vetere erga Sedem prædictam obedientia continere pari laude conaturi, Conſtitutioneſque Apoſtolicas in univerſis Dominiis veſtris debitæ ſemper executioni mandari, ac Sedis ejuſdem honorem, & auctoritatem illibatos conſervari omni ſtudio ſitis curaturi: Volentes itaque Tibi, qui (ut accepimus) univerſum Comitatum, & Vicariam Ruſcinonenſem, Comitatum, & Vicariam Confluentinam (exceptis iis locis, quæ in Pyreneorum parte Hiſpaniam ſpectante ſita eſſe judicata ſunt, itemque partem Comitatus Cerdanæ, quam in parte Pyreneorum Galliam ſpectante ſitam eſſe pariter judicatum fuit, Regiones, Urbes, Oppida, Caſtella, ex quibus Vicariæ Ruſcinonenſis, & Confluentina, & ea pars Comitatus Cerdanæ, de qua mox dictum eſt, conſtant, earum accethones, appendices, & adjuncta de præſenti poſſides, et per totum annum 1666. poſſedifti, tuiſque Succeſſoribus Regibus Francorum Chriſtianiſſimis, quo Regiam benevolentiam erga perſonas benemeritas, vobiſque gratas, et acceptas exercere valeatis gratiam facere ſpecialem, ac ſperantes Te, ac illos in nominandis ad Eccleſiam Elnen., et Monaſteria Conſiſtorialia intra fines Ditionum, et locorum prædictorum a Te, ut præfertur poſſeſſorum conſiſtentia perſonis, quæ vitæ integritate, religione, fide, et doctrina præſtent, ac Epiſcopalis muneris prærogativa reſpective dignæ ſint ſummum ſtudium, ſummamque diligentiam ſemper adhibituros, nec conſcientiam veſtram hac in re ullo modo lædi paſſuros eſſe; motu proprio, & ex certa ſcientia noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine Tibi, tuiſque Succeſſoribus Regibus Francorum Chriſtianiſſimis in ſinceritate fidei, & unitate Sanctæ Romanæ Eccleſiæ necnon obedientia, ac devotione noſtris, & Succeſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum canonicè intrantium perſeverantibus, qui pro tempore Civitatem Elnen., ac Comitatus, & Vicarias Ruſcinonenſem, & Confluentinam, ac partem Comitatus Cerdanæ in parte Pyreneorum Galliam ſpectante ſitam, Regiones, Urbes, Oppida, Caſtella, acceſſiones, appendices, & adjuncta præſcripta, prout ſupra enunciatum eſt pro tempore poſſederint, juſpatronatus, & præſentandi perſonas probatas, bonorum nominis, & famæ, ac ſecundum Sacrorum Canonum, & Concilii Tridentini Decretorum diſpoſitionem idoneas ad dictam Eccleſiam Elnen., ac omnia, & ſingula Monaſteria conſiſtorialia intra fines ditionum, & locorum prædictorum dumtaxat conſiſtentia quotieſcumque illam, &

Concedit jus præſentandi prout inſub.

illa quovis modo, & ex quorumcumque etiam ejusdem S. R. E. Cardinalium personis etiam in Romana Curia, vacare contigerit, per Nos, & Romanos Pontifices Successores nostros prædictos eisdem Ecclesiæ Elnen., & Monasteriis respective ad præsentationem hujusmodi præficiendas, tenore præsentium de specialis dono gratiæ concedimus, & assignamus: Decernentes jus patronatus, & præsentandi hujusmodi illius omnino naturæ, & vigoris existere, cujus jus patronatus Regium ex fundatione, & dotatione existit, ac quascumque provisiones, commendas, administrationes, uniones, & dispositiones tam de vacantibus, quam de vacaturis per viam accessus, & regressus, & alias quomodolibet etiam de consensu illam, vel illa pro tempore obtinentium de Ecclesia Elnen., ac Monasteriis prædictis absque præsentatione, aut expresso consensu tuo, tuorumque Successorum prædictorum per Nos, dictosque Successores nostros Romanos Pontifices, & Sedem prædictam quomodolibet ex nunc de cætero faciendas, aut pro tempore factas, & quascumque Literas Apostolicas desuper quomodolibet confectas etiam quascumque derogationes quorumvis jurium præsentandi, seu nominandi etiam cum quibusvis efficacissimis, & insolitis clausulis in se continentes nullius roboris, vel momenti existere, & fore; Sicque, & non aliter per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales quavis auctoritate fungentes, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Decretum irritans, & clausula tolata.

Derogatio contrariorum

§.2. Non obstantibus quibusvis Cancellariæ Apostolicæ Regulis editis, & edendis, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis necnon Ecclesiæ Elnen., & Monasteriorum prædictorum, ac Ordinum, quorum illa sunt, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis sub quibuscumcumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis in genere, vel in specie, & alias in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§.3. Cæterum quanto magis majestatem tuam, ejusque successores favoribus, et gratiis ex Apostolicæ Sedis benignitate prosequimur, et decoramus, tanto magis pro injuncto Nobis pastoralis sollicitudinis munere Nos obstringi dignoscimus ad exigendum a Te, ut ubi Sedes Apostolica Tibi nova paternæ benevolentiæ cumulat argumenta, filialis debeant ibi observantiæ jura nostra erga ipsam Sedem Apostolicam vel continuata servari, vel intermissa restitui. Intendimus itaque, ut in Civitate Elnen., et Comitatibus, ac Vicariis, aliisque omnibus, et singulis locis, et ditionibus prædictis ejusdem Sedis Apostolicæ jura quæcumque præsettim vero circa Tribunalis Inquisitionis adversus hæreticam pravitatem jurisdictionem Concilii Tridentini, Literarumque Apostolicarum in die Cœnæ Domini legi solitarum observantiam, et executionem, liberam appellationum in casus ad forum Ecclesiasticum quoquo modo spectantibus, tam super possessorio, quam petitorio ad Romanam Curiam devolutionem facultates Judicis, ut vocant del Breve in illis partibus vigore Literarum Apostolicarum in simili forma Brevis expeditarum deputari soliti, reservationes mensium Apostolicorum, aliasque omnes tam generales, quam speciales Apostolicas Beneficiorum provisiones, pensionum super ipsis assignationes, spolia, et annatas Cameræ Apostolicæ debitas, et ad ipsas exigendas, ministrorum deputationem, ita hodierno, et futuris dictorum Successorum temporibus salva semper, et illæsa quoad omnes suas partes omnino maneant, serventur, atque executioni respective mandentur, et quatenus opus sit in pristinum restituan. prout in dicta Civitate Elnensi, et Comitatibus, et Vicariis, aliisque omnibus, et singulis locis, et ditionibus prædictis ante annum 1640. manebant, servabantur, et executioni demandabantur. Declarantes nostram intentionem, atque enixam voluntatem esse, ut prædicta jurispatronatus, et præsentandi concessio præfatæ observantiæ exequutioni, et restitutioni innitatur, et conformetur.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die nona Aprilis 1668. Pontificatus nostri Anno I.

Dat. die 9. Apr. 1668. An. I.

LV.

Indultum Regi Christianissimo nominandi ad Dignitates Abbatiales, & regimina Monasteriorum, Prioratus, Præposituras, seu Præpositatus Conventum habentes in locis, & ditionibus Belgicis, quæ de præsenti possidet.

Ex Regest. in Secr. Brev.

Cha-

Charissimo in Christo filio nostro Ludovico Francorum Regi Christianissimo.

CLEMENS PAPA NONUS

Charissime in Christo fili noster salutem, & apostolicam benedictionem.

Exordium.

§.1. PRæclara Majestatis Tuæ, ac Progenitorum, & Majorum Tuorum Regum Christianissimorum Principum longe clarissimorum, invictissimorumque Christi Athletarum, ac egregiorum Sedis Apostolicæ cultorum promerita exigunt, ac præcipuus, quo eandem Majestatem Tuam filiali erga Nos, & eandem Sedem observantia, ac pietate orthodoxæ fidei conservandæ, propagandæ zelo, aliisque Rege Christianissimo dignis virtutibus, atque decoribus multipliciter præfulgentem prosequimur, paternæ charitatis affectus Nos urget, atque impellit, ut tibi luculenta Pontificiæ nostræ benignitatis dona largiamur; firma spe, atque fiducia in Domino freti, fore, ut Tu viæ eorumdem Majorum tuorum vestigiis impressæ inhærens, populos ditioni Tuæ creditos in Fide Catholica, ac vetere erga Sedem prædictam obedientia continere pari laude conaturus, Constitutionesque Apostolicas in universis dominiis Tuis debitæ semper exequutioni mandari, ac Sedis ejusdem honorem, & auctoritatem illibatos conservari omni studio sis curaturus.

§.2. Volentes itaque Tibi, qui (ut accepimus) Urbes Atrebatum, Hesdinum, Bapalmam, Bethuviam, Lilerium, Lentiacum, Comitatum S. Pauli, Tervanam, Passium earumque Balliviatus, alios quoque Balliviatus, & Castellanias agri Atrebatensis, necnon Rentiacum, Urbes itidem Arcesque, Gravelingam, Arcem Philippeam, Slusam, Hannuinum, Burburgum, & Urbem Sancti Venantii in Flandria, Landrecejum, & Quercetum in Hannonia, Avennam quoque, Mariæburgum, ac Philippopolim; Insuper in Agro Lucemburgico Theodonis Villam, Malmedium, Domuillerium, Urbem Jvodium, ejusque Præposituram, Castrum Chavanciacum, ejusque Præposituram, & Marvillam earum Balliviatus, Castellanias, Præfecturas, Præposituras, Territoria, Dominia, ditiones, accessiones, appendices, & adjuncta de præsenti possides, & per totum annum 1666. possedisti, quo regiam benevolentiam erga personas benemeritas, Tibique gratas, & acceptas exercere valeas, gratiam facere specialem, ac sperantes Te in nominandis ad infrascripta Beneficia personis, quæ vitæ integritate, religione, fide, & doctrina præstent, summum studium, summamque diligentiam semper adhibiturum, nec conscientiam Tuam, hac in re ullo modi lædi passurum esse tuis, hac in parte supplicationibus inclinati, Tibi tua tantum vita durante, & quandiu in sinceritate fidei, & unitate Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, necnon obedientia, ac devotione nostris, & Successorum nostrorum Romanorum Pontificum canonice intrantium perstiteris, jus, & facultatem nominandi Nobis, & Romano Pontifici pro tempore existenti tam ad dignitates Abbatiales, aut quorumcumque Monasteriorum regimina, etiam per Priores, aut Præpositos regi, & gubernari solitorum, quam etiam ad quoscumque Prioratus, Præposituras, aut Præpositatus Conventum habentes intra Urbes Atrebatum, Hesdinum, Bapalinam Bethuniam, Lilerium, Lentiacum, Comitatum S. Pauli, Tervanam, Passium, earumque Balliviatus, alios quoque Balliviatus, & Castellanias Agri Atrebatensis, necnon Rentiacum, Urbes itidem Arcesque, Gravelingam, Arcem Philippeam, Slusam, Hannuinum, Burburgum, & Urbem S. Venantii in Flandria, Landrecejum, & Quercetum in Hannonia, Avennam quoque, Mariæburgum, & Philippopolim; Insuper in Agro Lucemburgico, Theodonis Villam, Malmedium, Damuillerium Urbem Jvodium, ejusque Præposituram, Castrum Chavanciacum, ejusque Præposituram, & Marvillam earum Balliviatus, Castellanias, Præfecturas, Præposituras, Territoria, Dominia, ditiones, accessiones, appendices, & adjuncta prædicta a Te de præsenti, & per totum annum 1666., ut præfertur, possessa dumtaxat consistentes, & consistentia, dummodo intra sepita illorum existant, etiamsi sub temporali dominio aliorum Procerum consisterent, vel temporalem Jurisdictionem habeant, ac etiamsi Prioratus, Præposituræ, aut Præpositatus, nec non Monasteria, nuncuparentur pro tempore vacantes, seu vacantia per Nos, & Romanos Pontifices Successores nostros ad nominationem Tuam infra decem menses a die cujuslibet vacationis faciendam, ac Nobis, & Romano Pontifici pro tempore existenti præsentandam conferendos, & conferenda, auctoritate Apostolica, tenore præsentium de specialis dono gratiæ concedimus, & indulgemus; Itaut de dictis Dignitatibus Abbatialibus, aut quibuscumque Monasteriis, Prioratibus, Præpositis, & Præpositatibus prædictis pro tempore vacantibus absque nominatione Tua præfata, de aliis vero sub nominatione hujusmodi non comprehensis, & absque illa libere conferendis, Dignitatibus videlicet secularibus, principalibus, & regularibus actu non conventualibus infra prædictos districtus consistentibus nonnisi de locis Tuæ ditioni subjectis, aut tibi gratis, & acceptis personis per Nos, & Successores nostros Romanos Pontifices, & Sedem eamdem pro tempore disponi, & respective provideri minime possit.

Jus nominandi concedituc prout in Rub.

§.3. Non obstantibus quibuscumque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac singulorum Prioratuum, Præposiurarum, & Præpositatuum prædictorum, ac Ordinum, quorum illi sunt, seu quibus dependent, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate

Derogatio contrariorum

tate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis clauſulis, & decretis in genere, vel in ſpecie, ac alias in contrarium quomodolibet conceſſis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda foret, illorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Dat. die 9. Apr. 1668. An. I.

Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die 9. Aprilis 1668. Pontificatus noſtri Anno I.

LVI.

Ex Regeſt. in Secr. Brev.

Damnatio, & prohibitio Libri Gallico idiomate impreſſi ſub titulo Rituali pro Diœceſi Aleten. ex juxta minutam tranſmiſſam a R. P. D. Aſſeſſore Sancti Officii, cui adjecta eſt clauſula, ut præſens Breve publicet Romæ in locis ſolitis, ac ſic publicatum afficiat perinde, ac ſi unicuique perſonaliter intimatum fuiſſet, utque tranſumptis fides habeatur ſicut originali.

CLEMENS PAPA NONUS

Ad futuram rei memoriam.

Proœmium.

CRediteæ Nobis divinitus omnium Eccleſiarum ſolicitudinis ratio exigit, ut Eccleſiaſticæ diſciplinæ, cujus cuſtodes a Domino conſtituti ſumus, ubique conſervandæ jugiter incumbentes, omni cura, atque vigilantia præcavere ſtudeamus, ne quid in eam irrepat, quo quomodolibet turbari, aut a præſcriptis Ritibus aberrare, & via erroribus aperiri poſſit.

Motiva.

§. 1. Cum itaque, ſicut Nobis innotuit, anno proxime elapſo Typis impreſſus, ac in lucem Pariſiis editus fuerit Gallico idiomate liber, cui titulus eſt: *Rituel Romain du Pape Paul V. a l'uſage du Diocese d'Alet, avec les Inſtructions, & les Rubriques en Francois*, in quo non ſolum continentur nonnulla ab ipſo Rituali Romano juſſu felicis recordationis Pauli Papæ V. Prædeceſſoris noſtri editi, aliena, ſed etiam doctrinæ quædam, & propoſitiones falſæ, ſingulares, in praxi periculoſæ, erroneæ, & conſuetudini in Eccleſia communiter receptæ, atque Eccleſiaſticis Conſtitutionibus oppoſitæ, & repugnantes, quarum uſu, & lectione Chriſtifideles in jam damnatos errores ſenſim induci, ac pravis opinionibus infici poſſent: Nos opportunum huic malo remedium adhibere volentes, motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, librum ſub titulo Rituali Gallico idiomate editum præfatum, auctoritate apoſtolica, tenore præſentium omnino damnamus, reprobamus, & interdicimus, ac pro damnato, reprobato, & interdicto haberi volumus, ejuſque impreſſionem, lectionem, retentionem, & uſum univerſis, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſtifidelibus, præſertim Civitatis, & Diœceſis Aleten., cujuſcumque gradus, conditionis, dignitatis, & præeminentiæ exiſtant, licet de illis ſpecialis, & individua mentio habenda foret, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ ipſo facto incurrendæ perpetuo prohibemus; Mandantes, ut ſtatim quicumque illum habuerint, vel in futurum quandocumque habebunt, locorum Ordinariis, vel Inquiſitoribus, qui vero Ven. Fratri Epiſcopo Aleten. ſubſunt, Metropolitano, aut uni ex vicinioribus Epiſcopis realiter, & cum effectu exhibeant, tradant, & conſignent, qui, nulla interpoſita mora, exemplaria ſibi tradita, & alia quæcumque habuerint igne comburant, & comburi faciant: in contrarium facien. non obſtantibus quibuſcumque.

Damnatio, & prohibitio libri, prout in Rubrica.

Affixio Conſtitut. mandatur.

§. 2. Ut autem præſentes literæ ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus, & auctoritate prædicta decernimus, illas ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum, & Cancellariæ Apoſtolicæ, ac in acie Campi Floræ de Urbe per aliquem ex Curſoribus noſtris publicari, ac illarum exempla ibidem affixa relinqui, illaſque ſic publicatas, omnes, & ſingulos quos concernunt perinde afficere, & arctare, acſi illorum unicuique perſonaliter notificatæ, & intimatæ fuiſſent; Ipſarum vero præſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eandem fidem in Judicio, & extra illud haberi, quæ eiſdem præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Tranſumptorum fides.

Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die 9. Aprilis 1668. Pontificatus noſtri Anno I.

Dat. die 9. Apr. 1668. An. I.

LVII.

Confirmatio Congregationis ſuper ſtatu Regularium, ejuſque facultatum.

CLEMENS PAPA NONUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

INjuncti Nobis cœlitus paſtoralis muneris ratio poſtulat, ut paternam virorum regularium, qui abnegantes ſemetipſos Altiſſimi obſequiis ſeſe ſub ſuavi Religionis jugo devoverunt, ſolicitudinem gerentes, ea, quæ pro felici eorum ſtatu conſervando, reſtituendaque, ſicubi excidit, regulari diſciplina, ac juvandis laudabilibus eorum ſtudiis, atque progreſſibus a Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus noſtris provide conſtituta eſſe noſcuntur, Apoſtolici

lici muniminis noſtri præſidio roboremus, & alias deſuper provideamus, ſicut ad Omnipotentis Dei Gloriam, Religionis incrementum, ac ſpiritualem Fidelium ædificationem ſalubriter in Domino expedire arbitramur.

Innoc. X. Congreg. conſtitu.

§. 1. Cum itaque dudum fel. record. Innocentius Papa X. Prædeceſſor noſter Congregationem nonnullorum S. R. E. Cardinalium, ac Romanæ Curiæ Prælatorum, ſuper ſtatu Regularium inſtituerit, ipſique Congregationi ſic inſtitutæ intra fines Italiæ, & Inſularum adjacentium deſignandi, ac deputandi pro Novitiatibus, & Profeſſoriis Conventus, Monaſteria, Collegia, ac Domos quorumcumque Monachorum, ac regularium virorum cujuſvis Ordinis Mendicantium, Congregationis, Societatis, & Inſtituti etiam neceſſario exprimendi, & hujuſmodi Novitiatus, & Profeſſoria mutandi, transferendi, ſuſpendi, & ſupprimendi, prout utilitas, & neceſſitas poſtularet, & exigeret, dandi licentias Superioribus Regularibus, ad quos pertinet, recipiendi in Novitiatibus ſic deputatis Novitios ad habitum, & Profeſſionem ſub regulis, & formulis ab eadem Congregatione jam præſcriptis, ſeu præſcribendis, præfigendi, ſeu taxandi numerum Religioſorum in ſingulis Conventibus, Monaſteriis, Collegiis, & Domibus Regularium virorum, eumque pro modo redditnum augendi, & minuendi, exequendi Conſtitutionem ejuſdem Innocentii Prædeceſſoris, quæ incipit, *Inſtaurandæ*, &c. editam Idibus Octobris Anno Incarnationis Dominicæ 1652. Pontificatus ſui Anno Nono, necnon ipſius Innocentii Prædeceſſoris decretum, quod incipit: *Ut in pravis*, &c. Editum die 10. Februarii 1654., & decidendi controverſias emergentes inde, ac demum promovendi executionem, & obſervantiam Decretorum rec. mem. Clementis Papæ VIII. Prædeceſſoris pariter noſtri ſuper reformatione Regularium, & potiſſimum quæ pertinent ad inſtitutionem, & educationem Novitiorum, & in præmiſſis omnibus etiam pœnis, & cenſuris Eccleſiaſticis procedendi facultates attribuerit.

De decreto Congregationis quæritur.

§. 2. Nos conſiderantes Congregationem prædictam ſtrenue quidem, & fideliter, ac magno cum fructu in Eccleſia Dei hactenus laboraſſe, ſed ex Cardinalibus Congregationem ipſam conſtituentibus, de quorum numero antequam ad Supremi Apoſtolatus apicem divina diſpoſitione aſſumeremur, eramus, ſolos de præſenti ſupereſſe Venerabiles Fratres noſtros Martium Portuenſem Ginnettum, ac Uldericum Tuſculanum Epiſcopos Carpineum, & dilectum filium noſtrum Marcellum Preſbyterum S. R. E. Cardinales Sanctæ Crucium nuncupatos; ex Prælatis autem nonnullos quidem ad Cardinalatus honorem promotos fuiſſe, alios vero ab humanis deceſſiſſe, ſolo ſuperſtite dilecto filio Magiſtro Proſpero Fagnano in utraque Signatura noſtra Referendario, qui ejuſdem Congregationis Secretarius exiſtit; alios tum Cardinales, tum Prælatos ſapientia, prudentia, doctrina, charitate, integritate, & religionis zelo eximie præditos in dictam Congregationem cenſuimus in Domino cooptandos.

Confirmat Congregationem præfatam prout in rubr.

§. 3. Motu itaque proprio, ac ex certa ſcientia, & matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine prædictam Congregationem Cardinalium, & Prælatorum a memorato Innocentio Prædeceſſore inſtitutam, omneſque, & ſingulas facultates illis attributas, ut præfertur, tenore præſentium approbamus, & confirmamus, ac Apoſtolici munimis præſidio corroboramus.

§. 4. Præterea prædictis Martio, ac Ulderico, & Marcello Cardinalibus dilectos filios noſtros Nicolaum Ludoviſium, Aloyſium Homodeum, Petrum Otthobonum, Laurentium Imperialem, Gibertum Borromæum, Flavium Chiſium, Petrum Vidonum, Hieronymum Bonviſium, & Jacobum Presbyteros, Roſpiglioſum noſtrum ſecundum carnem ex fratre germano nepotem, ac Carolum Barberinum Diaconum ejuſdem S. R. E. Cardinales Carolum reſpective nuncupatos, necnon Venerabiles Fratres Stephanum Ugolinum Patriarcham Conſtantinopolitanum, Jacobum de Angelis olim Urbinatenſem, Franciſcum Mariam Phœbeum Tarſenſem, Carolum de Vecchiis Athenarum, & Stephanum Brancaccium Adrianopolitanum Archiepiſcopos, Marium Fanum Cyrenenſem, & Cammillum Piazzam Dragonienſem Epiſcopos, ac dilectos filios Magiſtros Bernardinum Roccium Palatii noſtri Apoſtolici Præfectum, Franciſcum Mariam Baranzonum, Marium Alberitium, Petrum Franciſcum de Rubeis, & Stephanum de Auguſtinis in utraque Signatura noſtra Referendarios harum ſerie adjungimus, eoſque omnes, & ſingulos in Congregationem ſuper ſtatu Regularium prædictam adlegimus, & cooptamus.

Clauſulæ ptæ. ſervativæ.

§. 5. Decernentes eaſdem præſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, nec ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtræ, aut intereſſe habentium conſenſus, aliove quolibet etiam formali, & ſubſtantiali defectu notari, infringi, retractari, aut in controverſiam vocari, ſeu ad terminos juris reduci unquam poſſe: Sicque, & non aliter in præmiſſis per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & alios quoſlibet quacumque præeminentia, & poteſtate fungentes, & functuros, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, Judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, quidquid ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 6. Non obſtantibus, quatenus opus ſit,

sit, noſtra, & Cancellariæ Apoſtolicæ regula de non tollendo jure quæſito, aliiſque Apoſtolicis, ac in univerſalibus, Provincialibuſque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, necnon quorumvis Ordinum, & Congregationum, Societatum, ac Inſtitutorum, aliiſve quibuſvis etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apoſtolicis eiſdem Ordinibus, Congregationibus, Societatibus, & Inſtitutis, illorumque Superioribus, & perſonis, & aliis ſub quibuſcumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis & inſolitis clauſulis, irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in ſpecie, vel alias quomodolibet in contrarium conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur, præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Tranſumptorum fides.

§. 7. Volumus autem, ut earumdem præſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis eadem ubique fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Dat. die 11. Apr. 1668. An.I.

Datum Romæ apud S. Petrum, ſub Annulo Piſcatoris, die 11. Apr. 1668. Pont. noſtri Anno I.

LVIII.

Ex Regeſt. in Secret. Brev.

Damnatio, & Prohibitio Libri verſionis Gallicæ novi Teſtamenti Montibus Hannoniæ, & Lugduni (ut inſcribitur) impreſſi.

CLEMENS PAPA NONUS

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

DEbitum paſtoralis officii, quo Eccleſiæ Catholicæ per univerſum orbem militanti regimini, divina diſpoſitione præſidemus exigit, ut Sacras Scripturas in ea puritate, in qua per tot ſecula ingenti divinæ bonitatis beneficio conſervatæ fuerint, illibatas cuſtodire, omni ſtudio, atque vigilantia ſatagamus.

Damnatur liber ut inſtub.

§. 1. Cum itaque, ſicut ad aures noſtras pervenit, liber quidam verſionis Gallicæ novi Teſtamenti, cui titulus eſt: *Le nouueau Teſtament de noſtre Seigneur Jeſus Chriſt traduit en François ſelon l'edition vulgate, avec les differences du Grec.* Montibus Hannoniæ, & Lugduni (ut inſcribitur) Typis impreſſus, ac in lucem editus fuerit, Nos Librum hujuſmodi nonnullis Ven. Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus, aliiſque viris pietate, doctrina, atque ſapientia præſtantibus mature quantum rei gravitas poſtulat diſcutiendum, atque examinandum commiſimus; quorum ſententiis auditis, atque conſideratis, eumdem Librum verſionis Gallicæ novi Teſtamenti, ut ſupra, & ubicumque impreſſum, ſive impoſterum imprimendum tanquam temerarium, damnoſum a vulgata editione prædicta difformem, & offendicula ſimplicium continentem auctoritate Apoſtolica tenore præſentium damnamus, & prohibemus, ita ut nemo deinceps cujuſcumque gradus, & conditionis exiſtat, etiam ſpeciali, & ſpecialiſſima nota dignus, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ ipſo facto incurrendæ illū legere, retinere, vendere, aut imprimere, vel imprimi facere audeat, vel præſumat; Sed ſub eadem pœna quicumque illum habent, Locorum Ordinariis, ſeu Inquiſitoribus ſtatim atque præſentis prohibitionis notitiam habuerint exhibere teneantur. In contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque.

Affigi conſtitutionem mandat.

§. 2. Ut autem præſentes literæ ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus, & auctoritate prædicta decernimus, illas ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum, & Cancellariæ Apoſtolicæ, ac in acie Campi Floræ de Urbe per aliquem ex Curſoribus noſtris publicari, ac illarum exemplia ibidem affixa relinqui, illaſque ſic publicatas, omnes, & ſingulos quos concernunt, in Italia quidem poſt menſem; extra Italiam vero poſt quatuor menſes a die publicationis hic in Urbe faciendæ numerandos perinde afficere, & arctare, acſi illorum unicuique perſonaliter notificatæ, & intimatæ fuiſſent. Ipſarum vero literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eamdem fidem in judicio, & extra illud haberi, quæ eiſdem præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Tranſumptis fides præſtanda.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, ſub Annulo Piſcatoris die 20. April. 1668. Pont. noſtri Anno I.

Dat. die 20. Apr. 1668. An.I.

Dona-

LIX.

Ex Regeſt. in Secret. Brev.

Donativum Ordinarium Regni Siciliæ pro Rege Catholico.

Ven. Fratri Epiſcopo Cæphaluden.

CLEMENS PAPA NONUS

Ven. Frater ſalutem, & apoſtolicam benedictionem.

Expoſitio.

§. 1. EXponi Nobis nuper fecit chariſſimus in Chriſto filius noſter Carolus Hiſpaniarum Rex Catholicus, quod cum dilecti filii tres hominum ſtatus, ſeu tria brachia, Eccleſiaſticum, Militare, & Demaniale nuncupat. Regni Siciliæ ultra Pharum, cujus ipſe Carolus etiam Rex exiſtit, quibuſdam rationabilibus de cauſis eorum animos moventibus de menſe Februario proxime præterito de offerendo eidem Carolo Regi, ac dicti Regni Proregi tunc exiſtenti certas pecuniarum ſummas, donativum ordinarium nuncupatas ſub certis terminis, modoque, & forma exigendas inter ſe tractaverint, ipſique ſtatus obtulerint, ac reſpective prorogaverint, eidem Carolo Regi ſubſidium ordinarium hujuſmodi ſcilicet ſcuta centum quinquaginta millia ſolvenda ſpatio trium annorum a fine ultimæ conceſſionis, ſeu prorogationis ſimilis ſubſidii incipiendorum ad rationem quinquaginta millium quolibet anno pro defenſione, & manutentione dicti Regni; Alia ſcuta quinquaginta millia infra prædictum triennium ſolvenda pro muniendis Civitatibus, & Terris dicti Regni; Alia viginti quatuor millia ſcuta pro conſtructione, & reparatione Pontium ejuſdem Regni ſolvenda infra idem triennium; Alia viginti millia ſcuta infra idem triennium ſolvenda pro reſtauratione Palatiorum Regiorum dictæ Inſulæ, alia ſcuta decem millia pro reſtauratione, & cuſtodia Turrium in littore Maris exiſtentium infra idem triennium ſolvenda cum facultate Deputatis dicti Regni augendi illa uſque ad triginta millia ſcuta in totum, & non ultra, ſi ita exegerit neceſſitas; Et alios biſmille quingentos ducatos monetæ Hiſpaniarum annuatim dicto triennio durante, & ſic in totum ſeptem millia, & quingentos ducatos monetæ hujuſmodi pro ſolvendis affictibus Domorum, quas in Oppido Madriti inhabitant Miniſtri Conſilii Italiæ, necnon mille, & trecentas uncias monetæ dicti Regni Siciliæ pro una vice quando celebratur Parlamentum generale pro expenſis aliquorum Miniſtrorum, qui aſſiſtant, & navant operam in directione, & diſpoſitione ejuſdem Parlamenti ſolvendas, Ven. quoque Fratres Archiepiſcopi, Epiſcopi, & Archimandrita, ac aliæ perſonæ Eccleſiaſticæ dicti Regni certam ratam non excedentem ſextam partem ſolvendorum, ut præmittitur, ſponte ſua in eiſdem Comitiis, accedente tamen ad hoc noſtro, & Sedis Apoſtolicæ beneplacito perſolvere obtulerunt, & forſan, etiam perſolverunt.

Petitur confirmatio Pontificis.

§. 2. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat ex eo præſertim, quod per Lateranen. Concilium noviſſime celebratum, diverſaſque alias Canonicas ſanctiones ſub certis cenſuris, & pœnis caveatur expreſſe, ne Reges, Principes, & alii Potentatus ab Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, & aliis perſonis Eccleſiaſticis etiam ſponte offeren., aliquam pecuniarum ſummam, ſive ſubventionem recipiant, dictus Carolus Rex, ac ejus Regni illius Miniſtri, necnon dictus modernus Prorex ejuſdem Regni dubitent, ratam prædictam ante obtentum beneplacitum Apoſtolicum recipiendo, cenſuras, & pœnas hujuſmodi incurrere, & forſan incurriſſe; Nobis propterea dictus Carolus Rex humiliter ſupplicari fecerit pro ſuæ, & dictorum Miniſtrorum, ac Proregis præfati conſcientiæ quiete, quatenus præmiſſis noſtram, & hujus Sanctæ Sedis auctoritatem interponere dignaremur.

Confirmat Pontif. prout in Rubrica.

§. 3. Nos igitur Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum, & præſertim fel. rec. Gregorii XIII., Sixti V., Gregorii XIV., Clem. VIII., Pauli etiam V., Gregorii XV., Urbani etiam VIII., Innocentii X., ac Alexandri VII. veſtigiis, hac in re inhærentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati Tuæ per præſentes committimus, & mandamus, ut conſtito tibi per legitimas probationes de expreſſo majoris partis Cleri, ſeu Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, & aliarum Eccleſiaſticarum perſonarum ſecularium, & cujuſvis Ordinis Regularium dicti Regni conſenſu, & quod reliqui, vel reliquæ perſonæ non conſentientes vocati, & vocatæ fuerint, oblationi, & promiſſioni, necnon ſolutioni per Archiepiſcopos, Epiſcopos, & Archimandritam, & alias perſonas Eccleſiaſticas factis pro hac vice tantum noſtram, & Sedis prædictæ, auctoritatem vigore præſentium interponas, ipſoſque Archiepiſcopos, & Epiſcopos, & alias perſonas hujuſmodi, etiamſi ſint de illis, quæ pro minori Cleri parte præmiſſis non conſenſerint, ad ea tamen vocati, & vocatæ fuerint, ad ſolutionem eorum ratæ opportunis juris, & facti remediis cogas, & compellas; Et nihilominus Archiepiſcopis, Epiſcopis, & Archimandritæ, aliiſque Eccleſiaſticis perſonis prædictis, ut ratam hujuſmodi per eos, ut præmittitur, oblatam, & promiſſam perſolvere, ac dictas Carolus Rex, & ejus Miniſtri, dictuſque Prorex eam petere, & recipere abſque conſcientiæ ſcrupulo, ſeu cenſurarum, & pœnarum prædictarum incurſu, libere, & licite valeant, auctoritate noſtra concedas, & indulgeas, ipſoſque Archiepiſcopos, Epiſcopos, & Archimandritam, aliaſque perſonas Eccleſiaſticas, & earum ſingulas quatenus ipſi dictam ratam jam promiſerint, & ſolverint, necnon eumdem Carolum Regem, ejuſque Miniſtros, & Proregem prædictos, ſi eamdem ratam jam percepe-

rint,

rint, ab omnibus; & singulis censuris, & pœnis propterea quomodolibet incursis eadem auctoritate absolvas, & absolutos fore censeas, & declares; Et quod omnes, & singuli pensionarii, seu ii, quibus loco pensionum fructus in totum, vel in partem reservati existunt cujuscumque dignitatis, vel conditionis sint (exceptis tamen S.R.E. Cardinalibus, necnon duabus perpetuis pensionibus annuis, una quidem bis mille ducentorum super Cathanien. altera vero pensionibus hujusmodi mille octingentorum scutorum monetæ dicti Regni Siciliæ super Mazarien. mensarum Episcopalium respective fructibus, redditibus, & proventibus ad favorem operis pii per clar. mem. Philippum IV. dum vixit earumdem Hispaniarum Regem Catholicum dicti Caroli Regis genitorem in Basilica Sanctæ Mariæ Majoris de Urbe fundati a prædicto Innocentio Prædec. per suas Anno Incarnat. Dominicæ 1647. 9. Oct. desuper sub Plumbo expeditas literas reservatis, ad hujusmodi ratæ solutionem in omnibus, & per omnia perinde acsi nominatim ratam earumdem se soluturos obtulissent, clausulis, & decretis in Literis Apostolicis reservationum, pensionum, & fructuum hujusmodi etiam consistorialiter appositis, etiam quod dictæ pensiones ab omni decima, subsidio charitativo, & quovis alio onere tam ordinario, quam extraordinario quavis auctoritate etiam pro expeditione tam offensiva, quam defensiva contra Turcas, & alios Infideles, & Reipublicæ Christianæ hostes ab illorum conatibus defensione, seu inexcogitabili causa a Romano Pontifice pro tempore existente, etiam ad Imperatoris, Regum, Ducum, & aliorum instantiam, illorumque contemplatione, & intuitu, etiam motu proprio, & ex certa scientia impositis, & imponendis, aut alias qualitercumque exemptæ sint nequaquam obstan. teneantur & efficaciter obstricti sint, ipsique Archiepiscopi, Episcopi, & Archimandritæ, aliæque personæ quarum Ecclesiæ, Monasteria, & alia Beneficia Ecclesiastica annuis pensionibus Apostolica auctoritate assignatis, gravata, & onerata sunt, ratam pensionariorum suorum, seu eorum, quibus fructus hujusmodi sunt reservati solvere, & illud quod pro ipsis pensionariis, seu iis, quibus fructus hujusmodi sunt reservati, realiter, ac quacumque fictione cessante persolverint, sua propria auctoritate postmodum penes se retinere possint, nec propterea sententias, censuras, & pœnas in eisdem pensionum reservationibus contentas incurrant, eadem auctoritate decernas.

Contrariis derogat.

§.4. Non obstantibus præmissis, ac quibusvis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Ecclesiarum, Monasteriorum, & Beneficiorum hujusmodi etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, exemptionibus, immunitatibus, etiam in corpore juris clausis, ac Literis Apostolicis quibusvis generaliter, vel specialiter concessis, necnon literis reservationum, pensionum, & fructuum hujusmodi, ac quibusvis obligationibus, etiam in forma Cameræ, etiam cum juramento, ac censurarum, & mandati executivi susceptione, vel alias desuper factis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus de verbo ad verbum mentio, seu quævis alia expressio habenda sit, & in eis caveatur expresse, quod per hujusmodi clausulas generales, etiam mentionem specialem importantes eis derogatum esse non censeatur, aut derogari non videatur nisi certis modo, & forma in illis expressis plene observatis. Quibus omnibus eorum tenores præsentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Pauperibus Ecclesiasticis provident.

§.5. Cæterum volentes providere ne pauperes Ecclesiastici ad contributionem hujusmodi graventur, Te hortamur attente, ac in virtute sanctæ obedientiæ Tibi mandamus, quatenus pauperes Ecclesiasticos, qui in redditibus annuis nihil, aut parum etiam usque ad valorem decem unciarum scuta viginti quinque monetæ illius Regni constituen. inclusive habent, ad contributionem prædictam per quoscumque quavis auctoritate fungentes cogi, aut compelli nullo modo permittas.

Mandat exactionem fieri per deputatos Ecclesiasticos.

§.6. Volumus autem, quod exactio pecuniarum hujusmodi ab Ecclesiasticis, per personas Ecclesiasticas a dicto Carolo Rege, seu Protege prædicto nominandas, & per Te deputandas fieri debeat, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, quod si secus in aliquo factum fuerit, qui contravenerint in pœnas, & censuras incurrant, perinde acsi præsentes literæ non emanassent, quodque etiam præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra in omnibus, & per omnia adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Transumptorum fides.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris die 16. Maii 1668. Pontificatus nostri Anno I.

Dat. die 16. Maii 1668. An. I.

LX.

Privilegia, Indulta, Gratiæ, Facultates, & Exemptiones nonnullis Sanctitatis Suæ Familiaribus concessa.

CLEMENS PAPA NONUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Venerabilibus Fratribus Stephano Ugolino Constantinopolitano, & Jacobo Altevito Antiocheno Patriarchis, ac Francisco Nerlio Florentino Literarum nostrarum in forma Brevis ad Principes Secretario. Jacobo

cobo de Angelis olim Urbinatensi. Francisco Mariæ Phœbeo Tharsensi, & Bernardino Roccio Damasceno Archiepiscopis, Palatii nostri Apostolici; necnon Æmilio Alterio olim Camerinensi, Cubiculi nostri; & Ambrosio Landuccio Porphyriensi Episcopis, Sacrarii nostri respective Præfectis, ac dilectis filiis Magistris Francisco Mariæ Antaldo Urbinatensi, Joanni Muto de Papazurris Romano, Bernardino Calasio Romano, Honuphrio de Hippolytis Pistoriensi, Nestori Ritæ Reatino Auditori nostro, Jacobo Elephantutio Ravennatensi, Cameræ nostræ Apostolicæ Commissario generali, Francisco Bonvisio Lucano, Stephano de Augustinis Forolivienſi, Eleemosynario secreto. Joanni Baptistæ Rubino Veneto, Savo Millino Romano, & Christophoro ab Auria Januensi, in utraque Signatura Referendariis, Prælatis domesticis nostris, necnon Silvestro Vannino Romano Pincernæ, Joanni Vincentio Arata Panormitano Vestiario, Paulo de Strada Clerico conjugato Romano Architriclino, Jordano Hilling Rigensi, & Ludovico Leutio Romano, Cubiculariis intimis, ac Antonio Capellino Sabinensi, Francisco Polino Camerinensi, Joanni Nicolao Piccolomineo Senensi, Libellorum supplicum Nobis porrectorum Secretario, Joanni Angelo ab Altemps Romano, Guilielmo Baroni de Furstembergh Vestphalo, & Mario Spinulæ Januensi, Cubiculariis secretis nostris, ac Theodoro Cellesio Pistoriensi, Fratri Militi Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani, Arimdo Riccio Firmano Subdatario, Joanni Gualtero Slusio Leodiensi Officiali Brevium nostrorum secretorum, Benedicto Ritæ Clerico conjugato Reatino, Medico secreto; Riccardo Cruciano Camerinensi Caudatario, Petro Massarino Firmano Crucifero, Gallieno Conocio Hydruntino, & Joanni Bissaiga Vercellensi, Cappellanis secretis nostris, ac Æmilio de Cavaleriis, & Marchioni Antonio Sanctacrucio Romanis, Equitum levis armaturæ custodiæ corporis nostri Capitaneis, Francisco Ceriolo Cremonensi Magistro Domus nostræ, Francisco Guilmio Namurcensi, & Blasio Ægidio Sabinensi respective Civitatum, vel Diœcesum clericis, seu presbyteris, ac Evangelistæ Guidotto Romano clerico conjugato, Cubiculi nostri Aujutoribus, & Federico Cavallo Aretinæ Diœcesis Subvestiario nostro, Familiaribus continuis Commensalibus nostris salutem, & Apostolicam benedictionem.

Causa concessionis.

§.1. Circumspecta Romani Pontificis gratiarum dispensatoris providentia devotos, & fideles suos, illos præsertim, qui grata familiaritatis obsequia jugiter ei impendunt, ac quos ad id alias propria virtutum merita commendant, honoris, & famæ amplioribus præconiis, ac præclaris dignitatum titulis decorare, & ornare, necnon specialis benevolentiæ favoribus amplecti solet, prout personarum qualitatibus conspicit convenire. Hinc est, quod Nos ad grata familiaritatis obsequia, quæ vos, qui etiam continui Commensales nostri existitis, & quilibet vestrum Nobis hactenus impendistis, & adhuc solicitis studiis impendere non desistitis, necnon ad vitæ, ac morum honestatem, aliaque laudabilia probitatis, & virtutum merita, quibus personas vestras, etiam Familiari experientia juvari percepimus, condignam rationem habentes, ac propterea easdem personas vestras peculiaris favore gratiæ, ac specialis honoris, & excellentiæ dignitatis titulo sublimare volentes, vosque, & quemlibet vestrum a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existitis, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes.

Notarios creat.

§.2. Motu proprio, non ad vestram, vel alterius pro vobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de mera liberalitate, & certa scientia nostris, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, vos, & quemlibet vestrum respective in nostros, & Sedis Apostolicæ Notarios (sine tamen præjudicio dilectorum filiorum Notariorum de numero participantium) Apostolica auctoritate, tenore præsentium recipimus, ac Sacri Palatii, & Aulæ Lateranensis Comites, necnon auratæ Militiæ Equites, ac Nobiles Romanos, & Urbis Romæ, ac Civitatum Avenionensis, Bononiensis, Ferrariensis, & Beneventanæ, omniumque, & singularum aliarum Civitatum, Terrarum, & Locorum Romanæ Ecclesiæ mediate, vel immediate subjectorum Cives cum omnibus juribus, jurisdictionibus, prærogativis, & insignibus debitis, & consuetis creamus, ac constituimus, ac in numerum, & consortium aliorum nostrorum, & ejusdem Sedis Notariorum, necnon Palatii, & Aulæ hujusmodi Comitum, Equitum, & Nobilium Romanorum, aliorumque Civium, Civitatum, & Terrarum prædictarum referimus, & conscribimus.

Comites, & Milites.

§.3. Vobisque etiamsi habitum, & rocchettum Notariorum dictæ Sedis juxta decreta Lateranensis Concilii novissime celebrati non deferatis, aut Civitates hujusmodi non incolueritis, nec unquam in eisdem Civitatibus domicilium habueritis, ut omnibus, & quibuscumque privilegiis, facultatibus, exemptionibus, immunitatibus, libertatibus, favoribus, gratiis, & indultis, quibus cæteri omnes Notarii nostri, etiam de numero participantium, ac Comites, Equites, & Nobiles (citra tamen exemptiones a Sacro Concilio Tridentino sublatas; itaut nedum quoad criminalia, sed etiam quoad civilia subjaceatis Ordinariis, & citra facultates legitimandi, ad gradus promovendi, Notarios, seu Tabelliones creandi, aliaque hujusmodi privilegia a Notariis, & Comitibus præfatis prætensa, itaut illis nullibi uti valeatis; ac irritum,

& inane existat, quicquid secus per vos, aut quemlibet vestrum respective attentari contigerit) necnon Cives originarii, etiam dignitatum, beneficiorum, & officiorum ecclesiasticorum, ac secularium, etiam ex personis Romanorum Civium originariorum vacantium assequutione, & exercitio tam in Urbe, quam in omnibus, & singulis Civitatibus prædictis, & alias ubique locorum, & gentium, necnon sessionum, & Conventuum utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum; non solum ad eorum instar, sed pariformiter, & æque principaliter, ac si privilegia, facultates, exemptiones, gratiæ, & indulta hujusmodi pro vobis emanassent, uti, potiri, & gaudere, ac in omnibus, & singulis Apostolicis, aliisque literis, instrumentis, & scripturis publicis, & privatis deinceps nomine vestro conficiendis, vos Notarios, Comites, Equites, & Nobiles, ac de nobili genere ex utroque parente procreatos, nec non Romanos, & aliarum Civitatum, & Terrarum Cives prout libuerit inscribere, & vos illis subscribere valeatis, ac pro veris, & non fictis Notariis, Comitibus, Equitibus, & Nobilibus, ac Civibus habeamini, nihilque, qualecumque illud fuerit cum iis subscriptionibus, subreptitium, aut obreptitium, vel invalidum, sed illud idem efficax in omnibus censeatur, necnon honoris causa insignia gentis nostræ, sive integre, sive cum vestris respective composita gestare possitis, prout vobis placuerit concedimus.

Bona eorum ab oneribus eximit.

§.4. Et insuper vos, vestraque beneficia, & officia ecclesiastica quæcumque, quotcumque, & qualiacumque, illorum fructus, res, & jura ubicumque Locorum, Regnorum, & Provinciarum, necnon in Urbe, Civitatibus, Terris, & Locis eidem Romanæ Ecclesiæ mediate, vel immediate subjectis consistentia prædia, domos, possessiones, & bona patrimonialia, aliaque temporalia mobilia, & immobilia, ac semoventia, necnon actiones, & jura præsentia, & futura, cujuscumque qualitatis, quantitatis, & naturæ, & cujusvis; etiam annui valoris fructus, redditus, & proventus hujusmodi sint, vel fuerint, ac etiam quæcumque a vobis vendenda, ac pro vestris, & familiarum vestrarum usibus emenda ab omnibus, & quibuscumque decimis, quartis, & dimidiis partibus, subsidiis, etiam charitativis, necnon vectigalibus, portoriis, tributis, datiis, pedagiis, collectis, & quocumque alio nomine nuncupatis angariis, parangariis, cæterisque oneribus, & contributionibus, tam urbanis, quam rusticis, ordinariis, & extraordinariis, realibus, personalibus, & mixtis, etiam ratione munitionum mœnium, & pontium, portarum, & moliturarum, & mercium cujuscumque generis transitus, seu passus, & vecturæ, etiam in aliud Territorium, seu Provinciam terra, mari, & flumine, necnon equorum mortuorum, stabulationum, militum, institutionis Seminarii Ecclesiastici, aut quacumque alia, quantumvis gravi, & gravissima causa (pro subventione contra infideles dumtaxat excepta) nunc, & pro tempore impositis, ita quod vos, & quilibet vestrum nihil omnino horum, aut aliorum similium subire teneamini, nec per Cameræ Apostolicæ, aut alios Commissarios, seu vectigalium, & tributorum hujusmodi redemptores, conductores, & exactores quocumque privilegio, exemptione, & facultate fultos, alias quam, ut præfertur, valeatis coarctari (quamdiu servitiis nostris institeris dumtaxat) eximimus, & liberamus.

Super residentia dispensat.

§.5. Ad hæc vobiscum, & cum quolibet vestrum respective, ut quæcumque duo dissimilia, vel simplicia similia sub singulis tribus tectis quarumcumque trium Cathedralium, etiam Metropolitanarum, aut aliarum, etiam Collegiatarum Ecclesiarum consistentia, etiamsi unum ex illis omnibus cum cura, aut dignitas, etiam major, & principalis, canonicatus, & præbenda, personatus, administratio, vel officium fuerit, & ad dignitatem, personatum, administrationem, vel officium hujusmodi consueverit quis per electionem assumi, cique cura etiam jurisdictionalis immineat animarum, si alicui vestrum alias canonice conferantur, aut quisque vestrum eligatur, præsentetur, aut alias assumatur ad illa, & instituatur in eis, recipere, & dummodo illa omnia (uno excepto) personalem residentiam non requirant, insimul quoad vixeritis retinere, nec non etiam quamdiu Nobis inserviveritis tantum, in beneficiis Ecclesiasticis, etiam curatis, non tamen Parochialibus, nec curatis cura animarum Parochianorum, per vos pro tempore respective obtentis, etiam de jure, statuto, fundatione, vel privilegio personalem residentiam requirentibus, etiamsi dignitates in Cathedralibus, etiam Metropolitanis majoris, ac Collegiatis Ecclesiis hujusmodi principales fuerint, personaliter residere non teneamini, nec ad id per locorum Ordinarios, aut Ecclesiarum earumdem Capitula, seu quosvis alios ad residendum interim in illis inviti compelli possitis, omnesque, & singulos vestrorum beneficiorum obtentorum fructus, redditus, & proventus durante servitio prædicto cum ea integritate (distributionibus quotidianis dumtaxat exceptis) cum qua illos perciperetis, si in eisdem Ecclesiis, sive locis personaliter resideretis, percipere, exigere, & levare.

Facultates recipiendi Ordines Sacros concedit.

§.6. Ac interim, vel postmodum si volueritis, hic in Romana Curia, vel extra eam a quocumque, quem malueritis Catholico Antistite gratiam, & communionam ejusdem Sedis habente, quem duxeritis eligendum, ad omnes, etiam sacros, & presbyteratus ordines aliquibus tribus Dominicis, vel aliis Festivis diebus, etiam extra tempora a jure statuta, proprii Ordinarii, aut cujusvis alterius licentia desuper minime requisita, si alias ad id idonei reperti fueritis, super quo Antistitis conscientiam oneramus, promoveri, & promoti in illis etiam in Altaris ministerio ministrare.

§.7. Necnon, etiamsi Presbyteri fueritis, ac dignitates, & officia obtinueritis, leges, & jura civilia etiam publice in scholis, & universitatibus studiorum generalium ad quinquennium dumtaxat, dummodo trigesimum ætatis annum non excesseritis, audire, & si habiles, & sufficientes reperti fueritis, etiam ad Doctoratus gradum in hujusmodi facultate vos promoveri facere, ipsaque jura etiam publice docere, atque Judicis, Advocati, & Procuratoris officium in causis ecclesiasticis civilibus tantum exercere libere, & licite possitis, & valeatis, auctoritate, & tenore prædictis de specialis dono gratiæ dispensamus.

Licentia eligendi confessarium.

§.8. Liceat quoque vobis, & cuilibet vestrum aliquem idoneum, & approbatum ab Ordinario Presbyterum secularem, vel cujusvis Ordinis regularem in vestrum eligere Confessorem, qui vita cujuslibet vestrum comite vos, & quemlibet vestrum a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, & per vos incursis, & quibus vos etiam Apostolica auctoritate illaqueari contigerit, etiamsi absolutio Nobis, & Successoribus nostris Rom. Pontificibus pro tempore existentibus specialiter, vel generaliter reservata existat, & quorumcumque votorum, & Ecclesiæ præceptorum transgressionibus, homicidio casuali, manuum violentarum in quavis personas etiam ecclesiasticas (non tamen Episcopos, vel alios Superiores Prælatos) de præterito injectionibus, seu consilii, vel favoris ad id præstationibus, jejuniorum omissionibus (non tamen recitationis horarum Canonicarum, aliorumque divinorum Officiorum) & denique ab omnibus, & quibuscumque aliis vestris peccatis, criminibus, & excessibus, ac delictis quantumcumque gravibus, & enormibus, etiam talibus, propter quæ Sedes prædicta merito consulenda foret, videlicet a contentis in literis die Cœnæ Domini publicari consuetis, semel tantum in vita, & mortis articulo; in reliquis vero dictæ Sedi quomodocumque reservatis, aliisve quibusvis casibus, semel in anno confessionibus vestris diligenter auditis (sine tamen alicujus præjudicio) auctoritate Apostolica absolvere, & vobis pro commissis pœnitentiam injungere salutarem; necnon vota quæcumque (ultramarino, visitationis liminum BB. Apostolorum Petri, & Pauli, castitatisque, & religionis votis dumtaxat exceptis) in alia pietatis opera commutare valeat.

Indultum transferendi pensiones.

§.9. Vobisque ulterius, & cuicumque vestrum respective, ut quicumque loci Ordinarii, vel Canonici Metropolitanarum, seu aliarum Cathedralium Ecclesiarum, aut personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ tam in dicta Curia, quam extra eam ad id per vos respective coram Notario, & Testibus fide dignis eligendi, seu eligendæ, quascumque pensiones annuas vobis super Mensarum Abbatialium, seu Capitularium, ac Episcopalium, & Archiepiscopalium, ac quorumcumque aliorum Beneficiorum Ecclesiasticorum cum cura, & sine cura secularium, & quorumvis Ordinum, & Militiarum regularium, etiam Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani prædicti, quomodocumque, & qualitercumque qualificatorum fructibus, redditibus, proventibus, juribus, obventionibus, & distributionibus, etiam quotidianis, seu illarum loco fructus, redditus, proventus, jura, obventiones, distributiones, & emolumenta vobis nunc, & pro tempore assignata, & reservata, ac reservanda, pro summa videlicet trecentorum ducatorum auri de Camera quoad singulos vestrum, quandocumque alicui vestrum respective placuerit, simul, vel successive, in toto, vel in parte, etiam in cujuslibet vestrum mortis articulo cassare, & extinguere, ac postquam cassatæ, & extinctæ fuerint, alias similes pensiones annuas super eisdem fructibus, redditibus, proventibus, juribus, obventionibus, distributionibus, & emolumenta hujusmodi usque ad summam, & quantitatem prædictam uni, vel pluribus aliis personis, etiam per vos nominandis, etiam quæcumque, quotcumque, & qualiacumque Beneficia Ecclesiastica obtinentibus, & expectantibus, clericis, seu clericali charactere insigniri volentibus, etiã eis quoad vixerint, seu eorum Procuratoribus ad id speciale ab eis mandatum habentibus, iisdem modo, & forma, quibus vobis assignatæ, & reservatæ, seu assignata, & concessa fuerint respective, etiam absque consensu easdem pensiones solvere debentium, etiamsi illas, vel illa alias cassari, & reservari de novo faciendi facultatem non habueritis, ac pensiones, & fructus, redditus, proventus, jura, & obventiones, ac distributiones, & emolumenta hujusmodi etiam pluries cassata, & de novo assignata fuerint, usque ad summam, & quantitatem prædictam, etiam literis Apostolicis super reservationibus, & assignationibus hujusmodi non confectis, ac alias cum omnibus, & quibuscumque exemptionibus, privilegiis, decretis, clausulis, cautionibus, vinculis, obligationibus, & cautelis, ac etiam censuris, & pœnis in prioribus reservationibus hujusmodi concessis, & contentis, necnon cum subrogatione in quibusvis vestris juribus, etiam quoad quasi possessionem exigendi, in qua tunc eritis, integre persolvendas, servata tamen forma Constitutionis fel. rec. Urbani PP. VIII. Prædecessoris nostri quoad excessum medietatis fructuum, reservare, constituere, & assignare valeant, auctoritate, & tenore prædictis de speciali gratia indulgemus.

Facultas testandi.

§.10. Necnon etiam vobis, ut de omnibus, & singulis domibus, prædiis, possessionibus, terris, & locis, ac jurisdictionibus,

bus, cæteriſque bonis mobilibus, & immobilibus, quæ tamen non ſint altaris, ſeu altarium Eccleſiarum vobis commiſſarum miniſterio, ſeu alicui ſpeciali earumdem Eccleſiarum divino cultui, ſeu uſui deputata, ſeque moventibus, cujuſcumque qualitatis, quantitatis, valoris, ſpeciei, pretii, & conditionis exiſtentibus, ac juribus, & actionibus ad vos ratione Eccleſiarum. etiam Cathedralium, & Metropolitanarum, quibus vos forſan præeſſe contigerit, nec non Monaſteriorum, Prioratuum, Præpoſiturarum, Dignitatum, & aliorum quorumcumque beneficiorum Eccleſiaſticorum cum cura, & ſine cura, ſecularium, & quorumvis Ordinum regularium, quæ etiam ex quibuſvis conceſſionibus, & diſpenſationibus Apoſtolicis in titulum, commendam, adminiſtrationem, ac aliis quomodolibet obtinueritis, obtinetis, & obtinebitis, ac fructuum, reddituum, & proventuum Eccleſiaſticorum loco penſionum annuarum ſuper ſimilibus fructibus, redditibus, & proventibus vobis reſervatorum, & aſſignatarum, ac reſervandorum, & aſſignandarum, quos, & quas perceperitis, percipitis, & percipietis in futurum, necnon emolumentorum quorumcumque Romanæ Curiæ officiorum, & alias quomodolibet ſpectantibus, & pertinentibus, ac etiam de dictis proventibus, fructibus, redditibus, & penſionibus annuis, necnon veſtra, & cujuslibet veſtrum induſtria, & labore quomodolibet, & undecumque, licite tamen, acquiſitis, & acquirendis, ac alias etiam de muneribus, & officiis, quæ exercueritis, & vos exercere contigerit, & alia quavis occaſione, vel cauſa, ſeu contemplatione ad vos perventis, & perventuris, etiamſi in pecunia numerata, & jocalibus, gemmis, aliiſque pretioſioribus rebus conſiſtant, tam in dicta Curia, quam extra eam, ubique locorum, etiam penes beneficia ipſa exiſtentibus (quorum omnium qualitates, & veros etiam annuos valores, etiamſi talia forent, quæ generali appellatione bonorum, & ſupellectilium non venirent, ſed ſpecialibus indigerent vocabulis, præſentibus ac ſi ſpecifice, & ſingillatim exprimerentur, & denominarentur, pro ſufficienter expreſſis, ac declaratis haberi volumus) uſque ad ſummam ſex millium ducatorum auri de Camera, ac etiam de ipſis fructibus, redditibus, & proventibus, & penſionibus debitis, & debendis, ſervata tamen forma Conſtitutionum Apoſtolicarum jam editarum, & ſi quas deinceps edi contigerit ſuper fructibus inexactis, etiam cumulative cum quibuſvis aliis ſimilibus, vel diſſimilibus facultatibus habitis, & habendis, tam pro decentibus, & honeſtis impenſis funebribus, quam etiam pro remuneratione illorum, qui vobis viventibus ſervierint, etiam ultra ſervitii meritum, ac in veſtrorum conſanguipeorum, & affinium, ac quorumcumque piorum locorum favorem, & uſum ac alias pro arbitrio, & voluntate veſtris, & cujuslibet veſtrum abſolutis teſtari, & teſtamento, codicillis, fideicommiſſis, legatis, donationibus, tam inter vivos, quam cauſa mortis, & aliis quibuſcumque modis, & titulis, ſcriptura etiam minus ſolenni coram duobus, vel tribus teſtibus, aut etiam cedula ſola manu veſtra ſcripta, vel ſubſcripta, & alias in omnibus, & per omnia prout, & quomodolibet vobis videbitur, etiam in ipſa Curia, & in mortis articulo, etiam nulla facta mentione præſentis, vel aliarum vobis pro tempore conceſſarum, ſimilium facultatum, aut quod in vim illarum teſtari, ſeu diſponere velitis, & intendatis, ſemel, atque iterum, aut pluries diſponere, ſtatuere, & ordinare, itaut quid quid teſtatum, geſtum, aut ordinatum, ſeu alias diſpoſitum a vobis fuerit, etiam in vim ſimplicis diſtributionis, ac alias omni meliori modo valeat, & ſervari debeat, ipſaque teſtamenta, codicillos, diſpoſitiones, ordinationes, legata, & ſtatuta pluries, ac toties quoties vobis videbitur moderari, limitare, ac etiam in totum revocare, & alia de novo condere libere, & licite valeatis, auctoritate Apoſtolica earumdem tenore præſentium plenam, & liberam concedimus facultatem.

Supplementum defectuũ.

§. 11. Et inſuper ſtatuimus, & ordinamus, vobiſque indulgemus, quod ſi vos ab inteſtato, & ſine ulla, vel minus valida bonorum, & rerum, ac fructuum, reddituum, & proventuum prædictorum diſpoſitione in dicta Curia, vel extra eam, tam continua, quam interpolata inibi cujuslibet veſtrum reſpective manſione, ac etiam extra beneficia veſtra, vel alia loca debite a vobis reſidentiæ perſonalis, etiam nulla ſubſiſtente cauſa, ab humanis decedatis, omnia, & ſingula bona, res, & jura etiam, ut præfertur, qualificata, necnon ſpolia cujuſcumque quantitatis, & valoris exiſtentia, etiam ex prædictis, & alias undecumque provenientia, ad Cameram Apoſtolicam, ſeu in dictis beneficiis ſucceſſores non pertineant, ſed ad hæredes veſtri ſanguinis integre deveniant, & illis deficientibus inter familiares veſtros arbitrio perſonæ, ſeu perſonarum, quas ad id ſcripto nominaveritis, diſtribuantur, niſi de alia diſpoſitione, vel intentione veſtra ſcriptura, etiam minus ſolemni, ſecus appareret, quam tunc velut efficacem ipſæ perſonæ, vel alii Judices, ſeu Exequtores omnino exequi, & adimplere, illique ſeſe conformare in omnibus, & per omnia debeant. Et nihilominus quæcumque hujuſmodi teſtamenta, legata, donationes, diſpoſitiones, & alia forſan a vobis etiam nulla, aut minus ſufficienti facultate ſuffultis, de hujuſmodi bonis, juribus, & actionibus, fructibus, pecuniis, jocalibus, aliiſque rebus ſupradictis, etiam in favorem conſanguineorum, & affinium prædictorum, & alias quomodolibet facta, cum omnibus inde ſequutis, ac etiam ea, quæ per vos in futurum fient, ex nunc prout ex tunc, & e contra pro dicta ſumma ſex millium ducatorum approbamus, & confirmamus, omneſque, & ſingulos juris, & facti, ac

ac ſolemnitatum omiſſarum, & omittendarum, necnon ſubſtantiales, alioſque defectus quoſcumque, ſi qui intervenerint aut intervenerunt in eiſdem, etiamſi tales ſint, vel fuerint, quod ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa de illis mentio præſentibus habenda eſſet, ſupplemus.

Inhibitio contra moleſtantes.

§. 12. Diſtrictius inhibentes quibuſvis Archiepiſcopis, Epiſcopis, aut aliis Eccleſiarum Prælatis, necnon Cameræ prædictæ Præſidentibus, & Clericis, ac eorum, necnon Fabricæ Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe, ac Cruciatæ Sanctæ, & aliis Collectoribus, & Subcollectoribus, cæteriſque cujuſcumque dignitatis, ſtatus, gradus, & conditionis exiſtentibus, etiam quavis auctoritate, & poteſtate fungentibus, ſub excõmunicationis majoris, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, ne Univerſitates, Collegia, ac loca, & legatarios, hæredes, & perſonas, necnon teſtamentorum, voluntatum, & ordinationum hujuſmodi Exequutores prædictos directe, vel indirecte quovis quæſito colore, vel ingenio moleſtare audeant quoquo modo, vel perturbare.

Clauſulæ præſervativæ.

§. 13. Ac decernentes prædicta omnia, & ſingula, præſenteſque literas, & teſtamenta, donationes, codicillos, fideicommiſſi, legata, ordinationes, derogationes, diſpoſitiones, & alia quæcumque, necnon quæ in præmiſſis facta ſunt, aut fieri contigerit, tam vigore præſentis, quam etiam aliarum conceſſionum vobis factarum, ac deinceps in genere, & in ſpecie faciendarum, cum inde ſequutis, & ſequuturis, etiamſi vos intra Curiam, aut in quacumque alia mundi parte extra Eccleſias, & beneficia perſonalem reſidentiam requirentia qualitercumque qualificata per vos nunc, & pro tempore obtenta, etiam pro veſtra ſola voluntate, & nulla ſubſiſtente cauſa non reſidendi, ab humanis decedere contigerit, ſub literis rec. mem. Pii Papæ IV. Prædeceſſoris noſtri contra quoſcumque Epiſcopos, Archiepiſcopos, & alios Prælatos, necnon Parochialium Eccleſiarum Rectores, cæteroſque reſidentiæ perſonali prædictæ adſtrictos extra illam quomodocumque decedentes, ſeptimo Kalend. Decemb. Pontificatus ſui Anno V., aut alio veriori tempore emanatis, & ſub quibuſcumque aliis Conſtitutionibus, aut revocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, modificationibus, decretis, declarationibus Apoſtolicis, Cancellariæ Apoſtolicæ regulis, ex quibuſcumque cauſis quantumcumque maximis, urgentibus, & inexcogitabilibus, etiam in favorem fidei, & divini cultus augmentum, ac conſiſtorialiter, etiam a Nobis, & Sede prædicta hactenus, vel nunc, & pro tempore factis, & editis minime comprehendi, ſed ſemper ab illis excepta, & quoties emanata fuerint, toties in priſtinum, & validiſſimum ſtatum, & etiam ſub data poſteriori, etiam cum derogationibus, & clauſulis etiam derogatoriarum derogatoriis, irritantibuſque & aliis decretis per vos eligenda apponendis, & latiſſime ſpecificandis, repoſita, reſtituta, & plenarie reintegrata, ac de novo conceſſa, validaque, & efficacia fore necnon perpetua firmitate ſubſiſtere, ſuoſque plenarios, & omnes effectus, qui de jure, ſtylo, conſuetudine, aut alias quomodocumque ſortiri poterunt, ac vim veri, legitimi, jurati, ſtipulati, validi, & efficacis contractus inter vos ex una, ac Nos, & Cameram prædictam ex altera partibus habere, nec etiam per promotionem ad Eccleſiam Cathedralem, etiam Metropolitanam, aut translationem, vel aliam ſtatus, & perſonæ veſtræ mutationem, nec per ſimiles, vel diſſimiles gratias vobis conceſſas, & concedendas confundi, ſed ipſis cumulative in omnibus, & per omnia uti, & ſi quid in una ex facultatibus hujuſmodi defecerit, per aliam ſuppleri debere, nec hæredes, legatarios, ac loca, ad quos, ſeu quæ bona, jura, & actiones devenerint, vel quibus relinquentur, aut Executores prædictos ad tertiam, ſeu aliam eorum partem, quam etiam ex nunc vobis, ac locis, hæredibus, legatariis, ac donatariis prædictis liberaliter concedimus, & donamus, Cameræ, vel Fabricæ, aut beneficiis prædictis, etiam pro expeditione contra Infideles, & quibuſvis aliis quantumlibet piis uſibus ſolvendum, ac cum iis deſuper componendum, vel vos ad aliam particularem licentiam, ſive indultum, aut confirmationem præſentium a Nobis, vel Succeſſoribus noſtris Romanis Pontificibus petendum, aut impetrandum, vel etiam in alia ſimili gratia, ſeu confirmatione illius vobis quomodocumque concedenda, de præſenti mentionem aliquam faciendum minime teneri, nec ad id ulla unquam neceſſitate cogi poſſe.

Clauſula ſublata.

§. 14. Et ſic in præmiſſis omnibus, & ſingulis per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, & ejuſdem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, necnon pro tempore exiſtentes dictæ Cameræ Camerarium, Præſidentes, & Clericos in quavis cauſa, & inſtantia, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Executores deputat.

§. 15. Quocirca Venerabilibus Fratribus noſtris Oſtienſi, & Portuenſi Cardinalibus Epiſcopis, & dilecto filio Curiæ cauſarum Cameræ Apoſtolicæ Generali Auditori, per Apoſtolica ſcripta mandamus motu ſimili, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum, per ſe, vel alium, ſeu alios præſentes literas, & in eis contenta quæcumque ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte veſtra deſuper fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, vobiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra eaſdem præſentes literas, & in eis contenta hujuſmodi firmiter obſervari, ac vos illis omnibus

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

bus pacifice frui, & gaudere, non permittentes vos per quoscumque quavis auctoritate fungentes contra earumdem præsentium tenorem quomodolibet indebite molestari, inquietari, vel perturbari: Contradictores quoslibet, & rebelles per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita compescendo, ac legitimis super his habendis servatis processibus, censuras, & pœnas ipsas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

§.16. Non obstantibus præmissis, ac pie memoriæ Bonifacii Papæ VIII. Prædecessoris pariter nostri de una, & in Concilio generali edita de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis vigore præsentium ad judicium non trahatur, necnon Lateranensis Concilii novissime celebrati de certo Notariorum numero, etiamsi ad illum nondum deventum fuerit, cui per hoc alias derogare non intendimus, ac de consensu præstando in pensionibus, & quibusvis aliis etiam per Nos, & Sedem prædictam editis & in posterum edendis Cancellariæ Apostolicæ regulis, ac stylo in similibus hactenus observato, ac rec. mem. Alexandri PP. VI. etiam Pred. nostri tertiam partem bonorum Ecclesiasticorum Cameræ prædictæ deberi inter alia disponente, necnon ejusdem Bonifacii PP. VIII. per quam concessiones fructus in absentia percipiendi sine præfinitione temporis fieri prohibentur ac Pii Papæ IV Præd. pariter nostri de gratiis qualecumque interesse Cam. Apostolicæ concernentibus in d. Camera intra certum tunc expressum tempus præsentandis, & registrandis, ita quod præsentes in eadem Camera nullo unquam tempore registrare teneamini, ac similis rec. Urbani PP. VIII. etiam Pred. nostri de pensionibus alias trasslatis iterum non trasferendis, ac quorumvis aliorum Roman. Pont. Prædec. nostrorum, & quibusvis aliis Apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, & synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitut., & Ordinat., necnon legibus, etiam Imperialibus, & municipalibus, tam Urbis, quam aliarum Civitatum, & locorum, in quibus Cives Originarii creati existitis, & quarumvis Ecclesiarum, Monasteriorum, Ordinum, & Hospitalis prædictorum, necnon quorumvis Collegiorum, & Officiorum d. Curiæ, & Regnorum, Provinciarum, & Urbis, ac aliarum Civit., & locorum, ac Cam. prædictorum, etiam juramento, confirmat. Apost., vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, stabilimentis, usibus, & naturis, etiamsi de illis servandis, & non impetrandis Literis Apost. contra ea, nec etiam ab alio, vel aliis impetratis, aut alias quomodolibet concessis utendo vos per vos, vel procurat. vestros præstiteritis forsan hactenus, vel vos imposterum præstare contigerit juramentum: privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis dictis Ecclesiis, Monasteriis, Ordinibus, & Hospitalibus, illorumque Præsulibus, seu Oratoribus, & Superioribus, ac Magistris, Præceptoribus, Prioribus, Militibus, etiam Antianis, Capitulis, Conventibus, Civitatibus, & locis, aliisque prædictis, illorum Communitatibus, & Universitatibus, aliisque personis, etiam particularibus, necnon Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Ordinariis, etiam eisdem Cardinalibus, ac dictæ Curiæ Officialibus, illorumque Collegiis, ac etiam decimarum, pedagiorum, gabellarum, & onerum Exactoribus, & Appaltatoribus, & aliorum onerum redemptoribus, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis per quoscumque Romanos Pontific s Prædecessores nostros, ac etiam Nos, & Sedem prædictam, etiam consistorialiter, ac de eorumdem Cardinalium consilio, etiam per modum statuti, & constitutionis perpetuorum, ac motu, & scientia similibus, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, vel ad Imperatoris, Regum, Reginarum, Ducum, Marchionum, & aliorum Principum instantiam, seu illorum contemplatione in genere, vel in specie, ac alias quomodolibet, etiam iteratis vicibus concessis, etiamsi in eis, ac statutis, & stabilimentis prædictis caveatur expresse, vel tacite, quod Urbis nisi originariis Civibus Romanis, ac Civium eorumdem filiis conferantur, quodque nonnullarum Ecclesiarum beneficia, nisi per personas illustres, vel nobiles, ac etiam originarios Cives, aut alias certo modo in illis expresse qualificatos obtineri non possint, & nulli Cives Urbis, ac Civitatum, Oppidorum, Terrarum, & Locorum hujusmodi admitti, seu illorum privilegiis uti possint, nisi prius in dictis Civitatibus, Oppidis, Terris, & locis per certum tempus habitaverint, seu etiam in illis bona, etiam stabilia forsan ad certum valorem ascendentia possederint, quodque præceptoriæ, & alia beneficia quæcumque dicti Hospitalis, tam ex ejus institutione, quam ex stabilimentorum prædictorum dispositione, pensionibus Clericis secularibus, & aliis personis, etiam Apostolica auctoritate reservandis gravari non possint, quodque stabilimentis, & privilegiis prædictis, etiam vigore implicitæ derogationis latissime extendendæ, etiam per quascumque Literas Apostolicas, & quasvis etiam derogatoriarum derogatorias, efficaciores, & insolitas clausulas derogari non possit, nec derogatum censeatur, nisi derogatio hujusmodi de consilio Cardinalium eorumdem fiat, & tum demum Magistri, & Conventus prædictorum ad id accedat assensus, sintque literæ derogationis hujusmodi, etiam per dictum Magistrum subscriptæ, ac illi, & præfato Conventui per diversas in forma Brevis, aut alias literas diversis temporibus cum certis intervallis præsentatas intimatæ, & non alias, nec alio modo, do, & semper in omnibus, quæ sic fient, etiam de simili consilio derogationis sit apposita clausula, quod illorum effectum fortiantur de consensu Magistri, & Conventus prædictorum, & non alias, nec alio modo; quodque ipsi Exactores, & Appaltatores decimas, pedagia, & onera hujusmodi, etiam ab exemptis exigere, & illos ad solutionem, seu contributionem cogere, & compellere possint, seu debeant. Quibus omnibus, illorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum inserrentur, præsentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat in genere, & in specie ad effectum præsentium sufficienter, & expresse derogamus, ac derogatum esse decernimus: Quodque vos primam non feceritis in Ecclesiis hujusmodi personalem residentiam consuetam, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§.6. Volumus autem, quod antequam gratia creationis in nostros, & Sedis Apostolicæ Notarios vobis ut supra facta perfrui valeatis, in manibus alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ professionem fidei juxta articulos pridem a Sede prædicta propositos expresse emittere, & solitum fidelitatis juramentum præstare omnino teneamini: Quodque præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur in judicio, & extra, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 23. Maii 1668. An. I.

Datum Romæ apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris, die 23. Maii 1668. Pontificatus nostri Anno I.

LXI.

Ex Regest. in Sect. Brev.

Confirmatio Resolutionis a particulari Congregatione per Alexandrum VII. deputata emanatæ, quod munus Protectoris Cappellæ ad Præsepe Domini in Basilica S. Mariæ Majoris de Urbe spectaret ad bon. mem. Cardinalem Pallottum tamquam ex Provincia Marchiæ Anconitanæ oriundum in concursu Domini Cardinalis Ursini, qui tamquam de Parentela Sixti V. oriundus illud prætendebat.

CLEMENS PAPA NONUS

Ad futuram rei memoriam.

Recensentur aliæ confirmales literæ.

§.1. Dudum fel. rec. Sixtus PP. V. Prædecessor noster in suis super erectione Cappellæ ad Præsepe Domini nostri Jesu Christi in Basilica Sanctæ Mariæ Majoris de Urbe sub Plumbo expeditis literis inter alia, ut ejusdem Cappellæ, illiusque Fabricæ, & Sacristiæ, ac Collegii felici, & prospero regimini, gubernio, & conservationi opportune consuleretur, utque promptum, & paratum esset ejus auxilium, bonæ mem. Alexandrum dum vixit Sanctæ Mariæ in Cosmedin Diaconum Cardinalem de Monte Alto nuncupatum, suum, ex sorore germana secundum carnem pronepotem, & eo vita functo, antiquiorem S. R. E. Cardinalem ex ipsius Sixti Prædecessoris familia, & parentela, vel in ejus defectum ex Provincia Marchiæ Anconitanæ oriundum, seu si nullus eorum foret, primum Presbyterum Cardinalem pro tempore existentem ejusdem Cappellæ, illiusque personarum, rerum, bonorum, & jurium Protectorem, ac Defensorem, cujus consilio, & ope omnia in dictis literis expressa, & quæcumque alia in his, & circa ea quomodolibet necessaria agerentur, statuerentur, & ordinarentur constituit, & deputavit. Ac voluit, & declaravit, quod licet nullo existente sanguinis ejusdem Sixti Prædecessoris Cardinale, alius ad id ut præfertur vocatus Cardinal. munus Protectoris hujusmodi subire, & exercere incepisset, nihilominus si postquam contigeret aliquem dictæ familiæ, & parentelæ ad Cardinalatus honorem assumi, is in ejusdem muneris functione præferri deberet, & Constitutio, & deputatio de cujusvis alterius persona in Protectorem hujusmodi factæ, eo ipso cessare, & expirare censerentur, & alias prout in præfatis Sixti Prædecessoris Literis, quarum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur.

Supplicatio.

§.2. Cum autem, sicut pro parte dilectorum filiorum Communitatum, & Universitatum, & Hominum Provinciæ nostræ Marchiæ Anconitanæ præfatæ Nobis nuper expositum fuit, sub Pontificatus rec. mem. Alexandri Papæ VII. Prædecessoris pariter nostri dilectus filius noster Virginius S. R. E. Cardinalis Ursinus nuncupatus tanquam de parentela prefati Sixti Prædecessoris per quondam Flaviam Perettam Ursinam oriundus bo. me. Joannem Baptistam dum vixit ejusdem S. R. E. Cardinalem Pallottum nuncupatum ex dicta Provincia Marchiæ oriundum a munere Protectoris Cappellæ hujusmodi excludere prætenderit, ortaque inter eosdem Virginium ex una, & Joannem Baptistam Cardinales ex altera partibus super ea re, ad quem scilicet ex eis dictum munus Protectoris spectaret, controversia, dictus Alexander Prædecessor negocium hujusmodi commiserit particulari Congregationi dilectorum filiorum nostri Giberti S. R. E. Cardinalis Borromei nuncupati, & quatuor Romanæ Curiæ Prælatorum, nempe Angeli nunc ejusdem S. R. E. Cardinalis Celsi nuncupati tunc in minoribus constituti, & Auditoris causarum Palatii Apostolici munere fungentis, ac Magistri Flaminii Taja causarum ejusdem Palatii Auditoris, & Armindi Riccii Subdatarii nostri, ac quon. Lazari Botti dum vixit in utraque Signatura Referendarii, qui rationes, & jura partium extrajudicialiter considerarent:

rent: Præfati vero Gibertus Cardinalis, & Prælati, auditis pluries earumdem partium informationibus, & motivis, in ea fuerint sententia, quod præfatum munus Protectoris ad memoratum Joannem Baptistam Cardinalem tamquam ex dicta Provincia Marchiæ Anconitanæ oriundum spectaret; Idque post factam dicto Alexandro Prædecessori totius rei relationem a præfato Giberto Cardinale per Epistolam die 8. Augusti 1661. scriptam significatum fuerit eidem Joanni Baptistæ Cardinali, qui subinde munus Protectoris hujusmodi pacifice exercuit, ac in pacifica, & quieta illius possessione, præfato Virginio Cardinale nunquam in contrarium reclamante, defunctus est; Nobis propterea dicti Exponentes, ne Resolutionis hujusmodi super intellectu prænarrati articuli dictarum Sixti Prædecessoris literarum prævia matura discussione emanatæ memoria progressu temporis obliteretur, humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Confirmat resolutionem Congregat.

§.2. Nos igitur specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, ac dictæ Epistolæ tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & inserto habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, prænarratam Resolutionem, quod scilicet munus Protectoris Cappellæ supradictæ in concursu dicti Virginii Cardinalis, ad memoratum Joannem Baptistam Cardinalem tanquam ex supradicta Provincia Marchiæ Anconitanæ oriundum spectaret a particulari Congregatione præfata emanatam, ut præfertur, auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adiicimus.

Decretum irritans, & clausula insulata.

§.4. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficacies existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia pleniissime suffragari: Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S.R.E. Cardinales etiam de latere Legatos & alios quoslibet quacumque præeminentia & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum

§.6. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 25. Maii 1668. Anni.

Datum Romæ apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris, die 25. Maii 1668. Pontificatus nostri Anno I.

LXII.

Confirmatio Brevis Gregorii XV. ab Urbano VIII. confirmati per quod Hospitali Beatæ Mariæ Theutonicorum concessa fuerunt privilegia Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani.

Ex Regest. in Secret. Brev.

CLEMENS PAPA NONUS
Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

AD pastorale fastigium meritis licet imparibus divina dispositione evecti, ea, quæ de Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum, & Apostolicæ Sedis benignitate in favorem Militiarum, & Hospitalium quorumcumque ad Omnipotentis Dei gloriam, Ecclesiæ præsidium, Christianæque Religionis, & Fidei Catholicæ tuitionem, & propagationem pie, salubriterque erectorum, & institutorum, ac personarum in eis Altissimo famulantium processerunt, Apostolici muniminis nostri patrocinio cum id a Nobis petitur, libenter constabilimus.

Gregor. XV. confirm. Privilegia prout in Rubr.

§.1. Dudum siquidem fel. rec. Gregorius Papa XV. Prædecessor noster omnia, & singula privilegia, indulta, facultates, exemptiones, immunitates, libertates, & gratias tam per se, Sedemque Apostolicam quam per rec. me. Leonem X., Clementem VII., Paulum III., Pium IV., Pium V., Gregorium XIII., Sixtum V., Greg. XIV., Clementem VIII., & Paulum V. Romanos Pontifices similiter Prædecessores nostros dilectis filiis Magno Magistro, & Conventui Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani, illiusque Prioribus, Bajulivis, Præceptoribus, Commendatariis, Fratribus Militibus, Subditis, Vassallis, Colonis, & Presbyteris curam animarum exercentibus concessa, & respective confirmata, Hospitali Domus Beatæ Mariæ Theutonicorum, ejusque Magistro, Prioribus, Bajulivis, Præceptoribus, Commendatariis, Fratribus, Militibus, Subditis, Vassallis, Colonis, ac Presbyteris curam animarum exercentibus concessit, decernens Hospitale Beatæ Mariæ Thoutonicorum, illiusque Magistrum, Priores, Bajulivos, Præceptores, Commendatarios, Fratres Milites, Subditos, Vassallos, Colonos, & Presbyteros, nullis aliis privilegiis, gratiis, & indultis, quatenus in hujusmodi concessione non comprehenderentur quovis prætextu, & ex quacumque causa uti, frui, & gaudere posse, nec debere, quinimo illa omnia cessare, ac irrita, & nulla, nulliusque roboris, & momenti esse, & fore, prout in dictis Gregorii Prædecessoris in forma Brevis desuper sub die 23. Decembris 1622. expeditis literis, quarum tenorem præsentibus pro expresso haberi volumus plenius continetur. Et subinde piæ mem. Urbanus Papa VIII. etiam Prædecessor noster per suas pariter in forma Brevis die 19. Januarii 1624. expeditis literis, quarum tenorem præsentibus itidem haberi volumus pro expresso, jam dictas Gregorii Prædecessoris literas sub certis modo, & forma tunc expressis, confirmavit, & approbavit.

Petitur confirmatio Apostolica.

§.2. Cum autem, sicut pro parte dilecti filii moderni Magni Magistri dicti Hospitalis Beatæ Mariæ Theutonicorum Nobis nuper expositum fuit, prædictæ quidem Gregorii XV., & Urbani Prædecessorum literæ in viridi sint observantia, firmiora tamen, & stabiliora sint ea, quibus sæpius Apostolicæ Sedis prædictæ accedit auctoritas, cupiatque propterea idem Magnus Magister literas hujusmodi, Apostolicæ confirmationis nostræ præsidio roborari.

Annuit Pontifex.

§.3. Nos ipsius Magni Magistri votis quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere, eumque specialis favore gratiæ prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Congregationis nonnullorum Ven. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio prædictas Greg. XV., & Urbani VIII. Prædecessoris literas, omniaque, & singula in eis contenta, tenore præsentium perpetuo approbamus, & confirmamus, illisque perpetuæ, & inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiicimus.

Decretum irritans.

§.4. Decernentes præsentes literas ullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, vel quopiam alio defectu, etiam ex eo, quod locorum Ordinarii adhoc vocati non fuerint notari, impugnari, vel invalidari minime, posse minusque sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, limitationibus, restrictionibus, & derogationibus comprehendi posse, sed semper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum statum restitutas, repositas, & plenarie reintegratas esse; Sicque ab omnibus censeri, & ita per quoscumque Judices, & Commissarios quavis auctoritate fungentes etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.5. Quocirca Ven. Fratribus Moguntin., & Pragen. Archiepiscopis, ac dilecto filio causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ generali Auditori per præsentes committimus, & mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios præsentes literas, & in eis contenta quæcumque ubi, & quando opus fuerint, & quoties pro parte eorumdem Magistri, & Militum, ac Fratrum dicti Hospitalis Beatæ Mariæ Theutonicorum fuerint requisiti solemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra eos præsentium literarum commodo, & effectu pacifice frui, & gaudere: non permittentes eos per Ordinarios prædictos, aut quoscumque alios contra præsentium tenorem quomodolibet molestari, perturbari, aut inquietari; Contradictores quoslibet, & rebelles per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita compescendo, legitimisque super his habendis, servatis processibus, sententias, censuras, & pœnas hujusmodi incurrisse declarando, illasque etiam iteratis vicibus aggravando, interdictumque Ecclesiasticum apponendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Contra inobedientes pœnæ.

Derogatio contrariorum

§.6. Non obstantibus omnibus illis, quæ dicti Gregorius, & Urbanus prædecessores in suis literis prædictis respective voluerunt non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

§.7. Aut si aliquibus communiter, vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

§.8. Eorumdem autem Prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes, volumus, quod Pius V. 22. Septembris anno VI., ac Gregorii XIII. sub Annulo Piscatoris 25. Novembris anno IX., necnon Gregor. XV. Prædecessorum nostrorum sub datum nonis Februarii anno II. Pontificatuum suorum expeditis literis in suo robore, & efficacia permanentibus præsentes literæ non comprehendant, neque Ecclesias, neque personas in his, quæ ad curam animarum pertinent, in quibus Decreta Concilii Tridentini, ac in prædicta Gregorii XV. Constitut. contenta omnino servari debeant,

Transumptorum fides.

§.9. Ac quod præsentium literarum transumptis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, in judicio, & etiam extra illud, ubique locorum plena, & indubitata, eademque prorsus fides adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 9. Junii 1668. An. I.

Datum Romæ apud S. M. M. sub Annulo Piscatoris die 9. Junii 1668. Pontificatus nostri Anno I.

LXIII.

Ex Regest. in Secret. Brev. Commissio Nuncio Florentiæ super subsidio ab Ecclesiasticis Status Senen. conferendo pro expensis Fluminum, Fossatorum, & Aggerum, ac viarum Aquæductuum, & aquarum decursionum Districtus, & Status Senen.

Dilecto filio nostro, & Apostolicæ Sedis apud dilectum filium Nobilem virum Ferdinandum Etruriæ sibi subjectæ Magnum Ducem Nuncio.

CLEMENS PAPA NONUS

Dilecte fili noster salutem, & apostolicam benedictionem.

Exordium. IN suprema Apostolicæ servitutis specula, meritis licet imparibus, constituti, non ad illa tantum quæ personarum Ecclesiasticarum commoda, & privilegia, verum etiam, quæ Laicorum Christifidelium, uti unius, ac ejusdem Ecclesiæ membrorum, onera sublevanda respiciunt, præsertim cum de publica, & communi omnium utilitate agitur, uti communis, ac providus omnium Pater considerationis nostræ intuitum interdum dirigere debemus.

Motiva. §.1. Cum itaque, sicut accepimus, redditus publici pro expensis Fluminum, Fossatorum, & aggerum, necnon viarum, Aquæductuum, & Aquarum decursionum, seu diversionum in Territoriis, Districtu, & Statu Senen., aliisque locis ad quæ Magistratus Conservatorum Status Senen. jurisdictio extenditur, etiamsi essent membra, seu pars Diœcesum Episcoporum extra eumdem Statum Senen. constitutorum assignati, expensis hujusmodi non sufficiant nec ei rei per impositiones super bonis laicorum provideri possit, attento, quod bona hujusmodi bonam partem in potestatem personarum Ecclesiasticarum transierunt; Dilecti vero filii Magistratus Conservatorum præfatorum Ecclesias, Monasteria, & alia loca pia, ac Clericos, aliasque personas Ecclesiasticas tam seculares, quam Regulares, etiam exemptas, etiam Religionis Militiæ Sancti Stephani ratione beneficiorum illi unitorum, ac etiam Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani ratione Commendarum pro rata bonorum ad eos in Civitatibus, Districtibus, & Territoriis dicti Status Senen., & quousque jurisdictio dicti Magistratus extenditur consistentium, & per eos possessorum ad contribuendum una cum laicis in expensis pro Fluminibus, Aggeribus, Fossatis, Viis Aquæductibus, & aquarum decursionibus, sive diversionibus hujusmodi ex eo quod id publicam, & communem tam laicorum, quam Clericorum utilitatem respiciat teneri, & obligatos esse, ac forsan etiam in judicio, licet de facto prætendant: Nos considerantes explorati juris esse Clericos, & Ecclesiasticas personas ob communes utilitates, & necessitates, etiamsi laicorum facultates non suppetant, ad hujusmodi contributionem nec cogi, nec alias etiam sponte concurrere posse, nisi Episcopus, & Clerus tantam necessitatem, & utilitatem inveniant, ut consulto etiam prius Romano Pontifice pro tempore existente aliquod subsidium per Clericos, & Ecclesiasticas personas conferendum fore duxerint; Motu proprio, non ad cujusquam Nobis desuper oblatæ petitionis instantiam, sed ex mera deliberatione, & certa scientia nostris discretioni tuæ per præsentes committimus, & mandamus, quatenus de præmissis te diligenter informes, & si inveneris tantam adesse necessitatem, vel utilitatem, neque laicorum facultates ad id suppetere, ac propterea existimes per Clericos, ac Ecclesiasticas personas aliquod subsidium conferendum, tunc cognito quantum supra redditus publicos ad faciendas dictas expensas deficit, pro eo, quod deficiet summam per Ecclesias, Monasteria, & alia pia loca, ac Clericos, aliasque Ecclesiasticas personas tam seculares, quam regulares etiam exemptas, etiam per Religionem Sancti Joannis Hierosolymitani ratione Commendarum, ac Militiæ Sancti Stephani hujusmodi ratione Beneficiorum ei unitorum singulis annis conferendam Apostolica auctoritate nostra arbitreris, & taxes: ita tamen, ut etiam ad ratam bonorum possessorum, & eorum fructuum Clerici, & aliæ personæ Ecclesiasticæ supradictæ sponte conferant. Et succesive summam a Te, ut præfertur, taxandam remediis opportunis per aliquem, seu aliquos a Te deputandum, seu deputandos exigi, & exactam pro subsidio, ut supra, cui, seu quibus opus fuerit consignari cures, ac facias, & insuper pro faciliori hujusmodi negocii expeditione, tibi unum, seu plures super recognitione præmissorum, non tamen quoad taxam præfatam, quam per Te ipsum, ut supra fieri volumus deputandi, & substituendi licentiam, facultatem, & auctoritatem concedimus, & impartimur.

Nuncio Apostolico committitur taxa subsidii prout in Rubr.

Contrariis derogat. §.2. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis necnon quarumvis Ecclesiarum, vel Monasteriorum, & Regularium locorum, aut Congregationum, seu Militiarum etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis eisdem Ecclesiis, Monasteriis, Regularibus locis, Ordinibus, ac Militiis, illorumque Præsulibus, Capitulis, Canonicis, Superioribus, Magnis Magistris, aliisque personis sub quibuscumque tenoribus, & formis, etiam per viam statuti proprii, aut legis universalis, seu contractus, vel quasi ex quibusvis causis, & occasionibus, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, necnon irritantibus, & aliis decretis per quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores nostros, & Sedem Apostolicam ac

ac etiam per Nos etiam motu pari, & consistorialiter in genere, vel specie concessis hactenus, & imposterum concedendis. Quibus omnibus, & singulis etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & expressa mentio in præsentibus facienda foret, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Pro expensis jam factis eleum pro rata renovi mandat. §.3. Volumus autem, & motu simili decernimus, quod pro expensis ex dicta causa factis in præteritum ab octo annis usque in præsentem diem decursis Clerici, & personæ Ecclesiasticæ supradictæ subsidium hujusmodi per Te, ut præfertur, taxandum, nempe ratam octo annorum decursorum hujusmodi quolibet ex infrascriptis quindecim annis similiter præstare, ac in dictis expensis pro rata concurrere teneantur; quodque præsens subsidium ad quindecim annos proximos dumtaxat præstari possit, & debeat, quibus elapsis, illud omnino cesset, & cessare censeatur eo ipso, neque ad illius præstationem Clerici, aut personæ Ecclesiasticæ hujusmodi ulterius teneantur, aut obligati existant, & id quod per Clericos, & Ecclesiasticas personas conferetur, a laicis humiliter, & cum gratiarum actione recipiatur, præstatioque subsidii hujusmodi quoad expensas pro ornatu Fontium, & Fortaliriorum reparatione non intelligatur, neque de illis in Taxa per te, aut possessores facienda ratio aliqua habeatur.

Dat. die 11. Junii 1668. An. I. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 11. Junii 1668. Pontificatus nostri Anno I.

LXIV.

Moderatio Constitutionis Clementis VIII. locum ciborum Paschalium pro Fratribus S. Francisci de Paula ad Infirmarias Conventuum restringentis.

CLEMENS PAPA NONUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium. INjuncti Nobis cœlitus pastoralis officii ratio postulat, ut paternam religiosorum virorum Altissimi obsequiis, sub auspicioris vitæ regula mancipatorum curam gerentes, illorum necessitatibus, quantum cum Domino possumus, benigna, salubrique moderatione consulere studeamus.

Const. Clementis VIII. refertur. §.1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit, dilectus filius Petrus de Consentia, Zelosus, seu Procurator Generalis Ordinis Fratrum Sancti Francisci de Paula Minimorum nuncupatorum. quod dudum, videlicet anno 1596. fel. rec. Clemens Papa VIII. Prædecessor noster, peculiari Constitutione Fratribus dicti Ordinis prohibuit sub pœna privationis vocis activæ, & passivæ per triennium, ne durantibus eorum infirmitatibus, in quibus dumtaxat eisdem licitum est vesci cibis Paschalibus, Conventibus egrederentur.

Concedit prout in rub. §.2. Verum quotidiano experimento comprobatum est, ex Constitutionis hujusmodi, optimo licet consilio emanatæ, observatione, multa oriri incommoda, cum Fratres prædicti talibus sæpissime corripiantur corporis infirmitatibus, ut ad aquas minerales, vel potandas, vel earum balneis utendi ergo se conferre cogantur; quæ remedia nullatenus adhiberi valent, nisi cibis Paschalibus juxta medicinæ regulas utantur, atque ita Constitutionem prædictam infringant, ac pœnis per eam latis sese exponant, si mortis periculum evadere velint.

Decretum, & irritans. §.3. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, præmissis attentis, Ordo prædictus Zelosus, seu Procuratori Generali ipsius Ordinis pluries injunxerit, ut memoratæ Constitutionis moderationem ab hac Sancta Sede impetrare curaret: Nobis propterea dictus Petrus ejusdem Ordinis nomine humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere, de benignitate apostolica dignamur.

Derogatio contrariorum. §.3. Nos igitur ejusdem Petri votis favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum presentium tantum consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de nonnullorum Romanæ Curiæ Prælatorum, a Nobis super negotio hujusmodi specialiter deputatorum consilio, prædictam Clementis Prædecessoris Constitutionem, per quam locus esus ciborum Paschalium pro Fratribus d. Ordinis ad Infirmarias Conventuum restringitur, auctoritate Apostolica, tenore præsentium ita moderamur, ut eisdem Fratribus liceat etiam extra Infirmarias hujusmodi cibis Paschalibus vesci durante necessitate accessus, recessus, & moræ ad balnea, de consilio Medici, & cum licentia Superiorum, quorum conscientiam oneramus: ita tamen ut in reliquis nihil relaxatum intelligatur disciplinæ regularis.

§.3. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit plenissime suffragari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum & inane, quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, non obstante prædicta Clementis Prædecessoris aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis fides danda.

§.5. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem ubique fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 19. Junii 1668. An.I.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 19. Junii 1668., Pontificatus nostri Anno Primo.

LXV.

Ex Regest. in Secr. Brev.

Confirmatio Privilegii Ordinis Sancti Antonii Viennen. a Bonifacio VIII. concessi, ut illius Religiosi Regulam Sancti Augustini servarent, & Canonici Regulares ejusdem Sancti Antonii vocarentur.

CLEMENS PAPA NONUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

PAstoralis officii, quod auctore Deo gerimus solicitudo Nos admonet, ut religiosorum virorum in Ecclesia Dei strenue laborantium statui, quieti, & felicibus progressibus, quantum Nobis ex alto conceditur consulere jugiter studeamus.

Expositio.

§.1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit, dilectus filius Procurator Generalis Ordinis Canonicorum Regularium Sancti Antonii Viennen. sub regula Sancti Augustini, quod cum Religiosi dicti Ordinis a primæva illius erectione anno 1095. sub Pontificatu fel. rec. Urbani Papæ II. Prædecessoris nostri facta servitio Hospitalitatis, & præsertim curæ Infirmorum morbo, qui ignis sacer Sancti Antonii vulgo vocatur laborantium operam semper impenderint, horum consideratione nonnulli Romani Pontifices Prædecessores nostri eosdem Religiosos multis privilegiis decorarunt, & inter hos re: me: Bonifacius Papa VIII. per suas anno 1297. emanatas literas Prioratum Sancti Antonii Viennen. in Francia in Abbatiam erexit, illiusque Priorem instituit Abbatem Generalem Ordinis prædicti, ac Regulam Sancti Augustini eidem Ordini concessit, & servandam præscripsit illius Religiosis, quos in futurum Canonicos Regulares Sancti Augustini Ordinis Sancti Antonii Viennen. haberi, & vocari debere declaravit.

Bonifac. VIII Ordini concessit qualitatem Canonicorum Regularium.

Privilegium ab aliis Pontificibus confirmatum.

§.2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, licet hoc Bonifacii Prædecessoris privilegium a piæ me: Innocentio VI., Joanne XXII., Martino Quinto, Eugenio IV., Calisto III., Sixto Quarto, Leone X., Clem. VII., Paulo III., Gregorio XV., & Urbano VIII. Romanis Pontificibus Prædecessoribus pariter nostris confirmatum fuerit, prout in eorum literis desuper expeditis dicitur contineri, dictusque Ordo privilegii hujusmodi, ac antiquitatis suæ institutionis vigore, in processionibus publicis, aliisque Congregationibus debita præcedentia semper gavisus sit: Nihilominus Religiosi ejusdem Ordinis in aliquibus eorum Præceptoriis, & Domibus Sancti Antonii desuper contra omnem justitiam molestentur: Nobis propterea dictus Procurator Generalis humiliter supplicari fecit, ut privilegium præfatum, ac qualitatem Canonicorum Regularium Religiosis dicti Ordinis, ut præfertur, concessam, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communire, de benignitate apostolica dignaremur.

Annuit Pontifex, & confirmat.

§.3. Nos igitur Procuratoris Generalis votis hac in re favorabiliter annuere, eumque specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Ven. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, petitam confirmationem, ad limites Literarum memorati Urbani Octavi Prædecessoris, Idibus Junii 1624. expeditarum, auctoritate apostolica, tenore præsentium concedimus.

Decretum irritans.

§.4. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§.5. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon omnibus, & singulis illis, quæ in prælatis Urbani Prædecessoris Literis concessa sunt non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§.6. Volumus autem, ut earumdem præsentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique tam in judicio, quam extra adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 25. Junii 1668. An.I.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die vigesimaquinta Junii 1668. Pontificatus nostri Anno I.

Indul-

LXVI.

Indultum, ut Religiosus Sacerdos professus Congregationis Monachorum S. Hieronymi in Regnis Hispaniarum specialiter ab eadem Congregatione deputandus, Notarii munere ad effectum capiendi Informationes super puritate Sanguinis Monachorum ad professionem in eadem Congregatione admittendorum tantum fungi possit.

CLEMENS PAPA NONUS

Ad futuram rei memoriam.

Supplicatio

§.1. EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Josephus a Toleto Minister Generalis Congregationis Monachorum Sancti Hieronymi in Regnis Hispaniarum, quod cum dicta Congregatio tum propter exactam Regularis disciplinæ observantiam, virosque doctrina, atque pietate conspicuos, qui in ea semper floruerunt, tum propter propensam Regum earumdem Hispaniarum Catholicorum quorum Cadavera in Ecclesia Monasterii de Escuriali dictæ Congregationis sepeliri solent, erga ipsam Congregationem voluntatem, in illis partibus semper fuerit in magna hominum existimatione, atque veneratione, ad hanc tuendam jam dudum factum fuit in eadem Congregatione statutum a fel. rec. Alexandro Papa VII. Prædecessore nostro confirmatum, ut nemo in eamdem admittatur, qui ad Christianam Religionem, Fidemque Catholicam recenter sit conversus, aut ex aliqua Secta per Sedem Apostolicam reprobata originem trahat. Et pro hujus statuti observatione, quando aliquis ad professionem in aliquo ejusdem Congregationis Monasterio admittendus est, deputari solet de consensu Capituli illius Monasterii Monachus ad capiendas debitas Informationes super puritate Sanguinis, aliisque supradictis, qui Monachus cum nullam habeat Jurisdictionem, cogitur pro capiendis Informationibus hujusmodi rogare Judices Laicos, ut facultatem tribuant Notario capiendi in præsentia ejusdem Monachi, & testium una cum juramento debitas Informationes prædictas. Sed multorum annorum experientia compertum est maxima oriri incommoda ex eo, quod in hujusmodi rebus Ecclesiasticis ad Judices Laicos recurri, & Notariis Laicis uti necesse sit, cum testes veriti ne eorum secretæ depositiones a Notario Laico revelentur, quandoque veritatem occultent, & quod pejus est aliquando contra illam deponant: Unde ultra graves impensas, quæ in præmissis fiunt, memoratæ Congregationis candor interdum contaminatur.

Statutum Congregat.

§.2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dictus Josephus Minister General plurimum cupiat Monachos Congregationis prædictæ ad effectum faciendi probationes necessarias, ac recipiendi juramenta, & depositiones Testium super puritate Sanguinis, aliisque, ut præfertur, requisitis Notarii munere fungi posse: Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Indulget ut Monachus deputandus Notarii munere fungatur.

§.3. Nos igitur ipsum Josephum Ministrum Generalem specialis favore gratiæ prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequen. harum serie absolventes, & absolutum fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati, ut Notarii munere, ad effectum tamen de quo agitur tantum, fungi possit alius Religiosus Sacerdos professus ejusdem Congregationis pietate, & fide probatus specialiter ab eisdem deputandus a quibus enarratus Monachus ad assumendas Informationes deputatur, auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, & indulgemus.

Decretum irritans.

§.4. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum

§.5. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit dictæ Congregationis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§.5. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique tam in judicio, quam extra adhibeatur quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 2. Julii 1668. An.II.

Datum Romæ apud S. M. M., sub Annulo Piscat. die 3. Julii 1668. Pont. nostri Anno II.

Con-

LXVII.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Confirmatio Privilegiorum quorumdam Collegio Germanico, & Ungarico, ac Cardinalibus illius Protectoribus a Julio Tertio, Gregorio XIII., & Clem. VIII. circa Jurisdictionem privativam dictis Cardinalibus in causis ejusdem Collegii, ejusque Ecclesiarum, & Monasteriorum illi unitorum competen. concessorum, & a Gregor. XV. confirmatorum, declaratorum, & extensorum cum declaratione, quod dicti Cardinales uti possint superioritate, & jurisdictione privativa hujusmodi quoad Monasteria, & Ecclesias, ut præfertur, unita, quæ in præsentibus exprimuntur.

CLEMENS PAPA NONUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Procemium.

AD pastorale fastigium divina dispositione evecti, illis, quæ a Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris Catholicæ Fidei conservationi, & propagationi Apostolicæ charitatis zelo laudabiliter studentibus pro perpetua conservatione, salubrique directione Seminariorum, & Collegiorum quorumcumque præsertim in hac Alma Urbe veræ religionis arce erectorum, ex quibus uberes in Ecclesia Dei fructus benedicente Domino assidue proveniunt pie, prudenterque decreta, atque constituta esse noscuntur, ut firmiora semper, atque stabiliora persistant, Apostolici muniminis nostri libenter adjungimus firmitatem.

Recensentur privilegia Collegii, & præsertim literæ Gregor. XV.

§. 1. Dudum siquidem fel. rec. Gregorius Papa XV. Prædecessor noster nonnulla privilegia, facultates, & indulta Collegio Germanico, & Hungarico de Urbe, necnon tunc, & pro tempore existentibus S. R. E. Cardinalibus ipsius Collegii, ejusque personarum, rerum, & bonorum quorumcumque Protectoribus a rec. mem. Julio III., Gregorio XIII., & Clemente VIII. Romanis Pontificibus Prædecessoribus pariter nostris concessa confirmavit, & approbavit, nonnullasque declarationes super eorumdem Cardinalium Protectorum superioritate, & jurisdictione privative ad alios quoscumque Judices eis in causis ipsum Collegium, ejusque personas, res, & bona, ac Ecclesias, Monasteria, & Beneficia illi unita quomodolibet concernentibus competente fecit, aliaque disposuit, decrevit, & ordinavit, prout uberius continetur in ipsius Gregorii Prædecessoris literis sub plumbo desuper expeditis tenoris qui sequitur, videlicet: Gregorius Episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. In supremo militantis Ecclesiæ solio, & Apostolicæ potestatis plenitudine summa Redemptoris nostri benignitate constituti, ea, quæ pro Seminariorum quorumlibet, præsertim in Alma Urbe nostra per Romanos Pontifices Prædecessores nostros ad christianæ juventutis piam, & religiosam educationem, ac in Ecclesiasticis, aliisque salutaribus disciplinis instructionem proinde institutorum, conservationem, & manutentionem a diversis Romanis Pontificibus etiam Prædecessoribus nostris concessa, & ordinata fuerunt, ut perpetuo firma, & illibata persistant, libenter Apostolico præsidio communimus, necnon dubia, si quæ circa ea temporum incuria insurgere comperimus, ne exinde litium dispendia prorumpant delucidamus, & declaramus, ac alias disponimus prout rerum, & temporum ratio postulat, Nosque conspicimus in Domino salubriter expedire. Dudum siquidem per fel. rec. Clementem Papam VIII. Prædecessorem nostrum accepto, quod Julius III. & Gregorius XIII., etiam Prædecessores nostri motu proprio, & ex certa eorum scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine ad divinum ubique cultum ecclesiasticam disciplinam restaurandum, & augendum, animarumque salutem procurandum, ac ad Dei Omnipotentis laudem in dicta Urbe Collegium Germanicum, & Ungaricum appellatum respective erexerant, & instituerant, ipsumque Collegium, ac illius Scholares, & Ministros pro tempore existentes, eorumque bona omnia cujuscumque qualitatis, & quantitatis in dicta Urbe, vel extra eam, & alias ubique locorum consistentia ab omni jurisdictione, correctione, visitatione, dominio, superioritate, & potestate pro tempore existentis Vicarii, Senatoris, & Conservatorum, ac Reformatorum ejusdem Urbis, necnon Rectoris studii generalis Urbis prædictæ, aliorumque quorumcumque Judicum, & Officialium in ipsa Urbe, vel alias ubilibet constitutorum prorsus liberos, immunes, & exemptos, ac libera, immunia, & exempta respective fecerant, & constituerant, necnon eos, & ea sub Beati Petri, & Sedis Apostolicæ protectione susceperant, & insuper idem Gregorius Prædecessor tunc in humanis agentes bonmem. Joannem Moronum Ostiensem, & Alexandrum Farnesium Prænestinensem, & Ptolomeum Comensem Sabinensem Episcopos, necnon Marcum Siticum Sanctæ Mariæ Transtyberim ab Altemps, & Ludovicum Sancti Honuphrii titulorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyteros Maduccium nuncupat. Cardinales dicti Collegii, & illius Collegialium, & personarum, ac bonorum quorumcumque Protectores constituerat, & deputaverat, illisque omnes, & singulas etiam obligationes in forma Cameræ, ac super jure congruo, & quascumque alias causas civiles, & criminales, meras, & mixtas dicti Collegii, illiusque Collegialium, Scholarium, Rectorum, aliorumque Ministrorum, & Officialium pro tempore existentium hujusmodi in rebus, & negociis, Collegium præfatum, & illius res, jura, & actiones, ac bona concernentibus tam active, quam passive per se ipsos, aut alium, seu alios, qui eis viderentur, etiam summarie, simpliciter, & de plano, ac sine strepitu, & figura Judicii, necnon manu regia, nullaque tela judiciaria servata, sed sola facti veritate inspecta, ac etiam omnia, & quacumque appellatione remota audiendas, cognoscendas, decidendas, fineque debito terminandas, vel etiam delegandas, & quatenus opus foret citandi, & inhibendi, cæteraque omnia opportuna faciendi, & exequendi, liberam concesserat facultatem, decernens irritum, quidquid secus super his scienter, vel ignoranter contingeret attentari, prout in quibusdam Julii sub dat. Pridie Calen. Septembris Pontificatus sui Anno Tertio, ac etiam Gregorii Prædecessorum præfatorum, sub dat. octavo Idus Augusti secundo, & sub dat. Idibus Julii tertio, & sub datum Kalen. Martii septimo, & sub dat. Idibus Aprilis octavo, & aliis diversis literis, & commissionibus diversis sui Pontificatus Annis, & temporibus expeditis continetur, & stantibus præmissis minime dubitari posset, aut deberet, quod nullus alius Judex quacumque potestate, & auctoritate munitus tam Ecclesiasticus, quam secularis, & tam Ordinarius, quam delegatus tam in dicta Urbe, quam extra eam in causis, & negotiis dicti Collegii Germanici, & Ungarici se intromittere posset, nihilominus ab aliquibus id, ut idem Clemens Prædecessor, etiam acceperat in dubium vertebatur, ac nonnullis in causis concernentibus Collegium, & illius personas, res, & bona quæcumque hujusmodi contra mentem, & intentionem dictorum Prædecessorum sese intromittere procurabant, dictus Clemens Prædecessor omnem in præmissis dubitandi occasionem tollere volens, ac omnium, & singulorum dictorum Prædecessorum literarum, & commissionum, ac concessionum, & per eas prædictis Collegio, & Scholaribus, eorumque Ministris, & personis, necnon bonis, juribus, & rebus quibuscumque concessorum privilegiorum, indultorum, exemptionum, & concessionum tenores, ac compendia sub quibuscumque verborum expressionibus, & formis, acsi de verbo ad verbum inserti forent pro expressis habens necnon etiam illas, & illa perpetuo approbans, & confirmans motu simili, & ex certa scientia sua, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, dicta auctoritate statuit, & ordinavit, & ita etiam eorumdem Prædecessorum mentem, & intentionem fuisse declaravit, quod præter prædictos Collegii Germanici, & Ungarici hujusmodi Protectores, nullus alius Judex quacumque dignitate, auctoritate, privilegio, & facultate munitus tam Ecclesiasticus, quam Secularis, ac tam Ordinarius, quam delegatus tam in dicta Urbe, quam extra eam, in causis, & negotiis ad Collegium præfatum, illiusque personas, res, & bona, ac jura quomodolibet ex quovis capite spectantibus, & pertinentibus tam præsentibus, quam futuris tam super obligatione in forma Cameræ Apostolicæ, & jure congrui, quam alias quomodolibet, & ex quavis causa, terminique judicialis, & censurarum susceptione, ac quavis alia de necessitate exprimenda causa, sive active, sive passive tam in prima, quam secunda, & ulteriori instantia, ac in quacumque Judicii, & litis parte tam circa res, bona, & jura ipsius Collegii, quam illius personas quomodolibet exercere, sed quod omnis jurisdictio, & superioritas in omnibus, & singulis causis supradictis, ac quibuscumque aliis civilibus, et criminalibus, meris, et mixtis, ipsum Collegium, et illius Scholares, et Ministros, ac Officiales, et personas, eorumque bona, res, et jura quæcumque aut alia quomodolibet concernentibus, ad prædictos, et pro tempore existentes ejusd; Collegii Protect., vel eorum Judicem, seu Judices deputatū, seu deputatos, vel deputandum, seu deputandos pleno jure, & in quacumq; instantia, etiā privative quoad omnes alios quoscumque Judices, etiam quoad illarum finalem, & totalem exequutionem, cum facultate illas omnes quomodolibet coram aliis quibuscumque judicibus introductas, & pendentes reassumendi, & illis sub Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis arbitrio suo imponendis, & moderandis, inhibendi, ac in eventum non paritionis, contradictores, sententias, censuras, & pœnas prædictas incurrisse, servata forma Concilii Tridentini aggravandi, declarandi, reaggravandi, interdicendi, auxiliumque brachii secularis ad id si opus foret, invocandi, attentata, & innovata quæcumque revocandi, ac omnia, & singula in præmissis, & circa ea necessaria, & opportuna faciendi, dicendi, & exequendi, spectare, & pertinere in omnibus, & per omnia perpetuo deberent, ac etiam eisdem, & pro tempore existentibus dicti Collegii Protectoribus, & Defensoribus, eorumque judicibus denuo indulsit, ac eis amplam, liberam, & omnimodam desuper facultatem, & auctoritatem impartitus fuit, districte propterea inhibens omnibus, & singulis aliis judicibus supradictis Ecclesiasticis, & secularibus quavis auctoritate, dignitate, & potestate fungentibus, & functuris tam in Alma Urbe, quam extra eam consistentibus, ne sub nullitate omnium, & singulorum actorum, Processuum, Decretorum, Mandatorum, & aliorum quorumcumque per eos fiendorum contra declarationem, indultum, & facultatem hujusmodi in dicti Collegii, illiusque personarum, & rerum, causis, litibus, negotiis, & controversiis tam civilibus, quam criminalibus, meris, & mixtis quovis modo, seu prætextu, etiam ratione privilegiorum, & indultorum ipsis, & eorum Officiis, & Tribunalibus, etiam per dictam Sedem, aut alias quomodolibet concessorum sese ingerere auderent, seu præsumerent quoquomodo, ac etiam inane decrevit quidquid secus super iis a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contingeret attentari. Non obstantibus litis pendentiis, si quæ essent, & quibusvis Apostolicis, & in universalibus, provin-

vincialibus, & synodalibus Conciliis editis specialibus, vel generalibus Constitutionibus, privilegiis quoque, indultis, quibusvis Tribunalibus, & Curiis, illorumque Judicibus, & præsertim causarum dictæ Cameræ Apostolicæ Generali Auditori in genere, vel in specie concessis, & innovatis, ac concedendis, & innovandis, necnon omnibus illis, quæ in singulis literis prædictis expressum fuit, non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque. Quibus omnibus etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & expressa, ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad id servanda foret, illis alias in suo robore permansuris ea vice dumtaxat specialiter, & expresse derogavit, prout in ejusdem Clementis Prædecessoris literis, sub Datum Romæ apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris, die 6. Martii 1592. Pontificatus sui Anno Primo, expeditis plenius continetur. Cum autem sicut accepimus licet stantibus ita præmissis omnis jurisdictio, & superioritas in singulis causis hujusmodi Protectoribus præfatis competere noscatur, ac etiam idem Gregorius Prædecessor per alias suas literas spiritualem jurisdictionem, & animarum curam quam Ecclesiæ dicto Collegio unitæ habent, totam ad ipsius Collegii Protectores pertinere, & si quid forte in prædicti Collegii Constitutionibus desiderari usus rerum magis demonstraret, aut obscurum foret, vel ambiguum, id Protectores, & Superiores prædictos, re mature deliberata, ex communi omnium consensu supplere, & declarare ac ad alia extendere posse voluerit, & desuper Collegium, illiusque Protectores, Collegiales, Personæ, & Ministri hujusmodi molestari non debeant, nihilominus nonnulli, ut etiã accepimus contra mentem, & intentionem Prædecessorum nostrorum prædictorum sese in jurisdictione hujusmodi, aliisque præmissis intromittere præsumant, & procurant, ac jam forte lites desuper introductæ reperiantur, Nos propterea in præmissis omnem dubitandi occasionem tollere volentes, necnon omnium, & singulorum Prædecessorum nostrorum prædictorum, literarum, commissionum, & concessionum, ac per eas Collegio, & Scholaribus præfatis, eorumque, & Ecclesiarum eidem Collegio unitarum Ministris, & personis, ac bonis, juribus, & rebus quibuscumque concessorum privilegiorum, indultorum, exemptionum, & concessionum tenores, & compendia sub quibuscumque verborum expressionibus, & formis, acsi de verbo ad verbum præsentibus inserti forent, eisdem præsentibus pro expressis habentes, motu proprio, & ex certa scientia nostris, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine similibus non ad ipsius Collegii Rectoris, & Collegialium prædictorum, aut quorumcumque aliorum Nobis desuper oblatæ petitionis instantiam, sed ex mera nostra liberalitate, illas, et illa cum omnibus, et singulis in eis contentis, et inde sequutis, et sequendis dicta auctoritate tenore earumdem præsentium approbamus, et confirmamus, ac grata, et rata habemus, illisque omnibus, et singulis perpetuæ, et inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adiicimus, ac omnes, et singulos tam juris, quam facti, ac solemnitatum quarumcumque de jure, usu, vel consuetudine aut alias quomodolibet requisitarum, vel necessariarum, ac quovis alios etiam quantumvis substantiales defectus, si qui desuper quomodolibet, intervenerint, etiamsi tales sint qui specialem, et expressam requirant mentionem in eisdem supplemus. Decernentes ipsas literas, et in eis contenta quæcumque perpetuo valida, et efficacia esse, et fore, perpetuoque, & inviolabili firmitatis, & validitatis robore subsistere, ac suos plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, et ab omnibus, ad quos spectat, & spectabit quomodolibet in futurum perpetuo, firmiter, & inviolabiliter observari, et adimpleri debere, ac ab eis nullo unquam tempore quovis prætextu, colore, vel ingenio recedi, aut resiliri posse, & nihilominus pro potiori cautela, motu, scientia ac de Apostolicæ potestatis plenitudine similibus omnes, & singulas, ac quascumque lites, causas, differentias, quæstiones, & controversias inter Protectores, seu Superiores, & Collegiales aut personas ab eis deputatas ex una, & quoscumque alios etiam locorum Ordinarios ex altera partibus super præmissis, aut eorum aliquo introductas etiam in Auditorio causarum Rotæ Palatii Apostolici, vel alibi coram quibusvis judicibus secularibus, vel Ecclesiasticis, ordinariis, vel delegatis, non tamen Protectoribus præfatis in prima, seu alia instantia pendentes indecisas in statu, & terminis, in quibus reperiuntur de præsenti etiamsi in illis ad calculum ferendæ sententiæ deventum, dummodo tamen in illis omnino conclusum non sit, ad Nos harum serie avocamus; Sicque avocatas penitus, & omnino supprimimus, extinguimus, & annullamus, ac ipsorum Protectorum, seu Superiorum, & Collegialium, aut personarum ab eis, ut præfertur, deputatarum adversariis, aut quibuscumque aliis in præmissis quomodocumque interesse habentibus, vel habere prætendentibus perpetuum desuper silentium ex nunc imponimus, ac propterea modernis, & pro tempore existentibus ejusdem Collegii Protectoribus, ac Superioribus, ut quotiescumque casus evenerit, ipsi omnia, & singula ejusdem Collegii Constitutiones, statuta, & decreta prout eis videbitur, & ratio dictaverit interpretari, & dilucidare, atque etiam alia ex integro, & de novo facere, & condere, ac ab omnibus ad quos spectat, & spectabit quomodolibet in futurum, nullo prævio examine, seu approbatione sub pœnis, & censuris eis benevisis observari facere possint, et valeant pariter con-

concedimus, & indulgemus, necnon statuimus, & ordinamus, & ita etiam eorumdem Prædecessorum, & nostræ mentis, & intentionis fuisse, & esse declaramus, quod præter prædictos, & pro tempore existentes Collegii Germanici, & Ungarici hujusmodi Protectores nullus alius Judex quacumque dignitate, auctoritate, privilegio, & facultate munitus tam Ecclesiasticus, quam Secularis, ac tam Ordinarius, quam delegatus tam in dicta Urbe, quam extra eam in causis, & negotiis ad præfatum Collegium, illiusque personas quascumque, res, bona, & jura ex quovis capite spectantibus, & pertinentibus, tam præsentibus, quam futuris, ac tam super obligationibus in forma Cameræ Apostolicæ, jure congrui, refectione viarum, seu Pontium, quam super re, & negocio concernenti artem Agriculturæ, ac etiam Annonæ, Doganæ, Ripæ, Ripettæ, Terræ, studii, quam alias quomodolibet, & ex quavis causa, terminique judicialis, & censurarum susceptione, ac quavis alia de necessitate hic exprimenda causa, sive activa, sive passiva tam in prima, quam in secunda, & ulteriori instantia, ac cujuscumque judicii, & litis parte tam per viam appellationis, quam nullitatis, & recursus, restitutionis in integrum, vel alio quocumque remedio tam ordinario, quam extraordinario quovis modo se intromittere, vel alias actum aliquem jurisdictionis tam Civilis, quam Criminalis, tam circa res, bona, & jura ipsius Collegii, quam illius personas, necnon Parochiales, ac sine cura Ecclesias, seu Cappellas, Cappellanias, & Beneficia quæcumque dicto Collegio quomodolibet unita, seu annexa, aut ab eo ratione Monasteriorum, Prioratuum, seu Ecclesiarum ipsi incorporatorum quocumque modo dependentia, ac Presbyteros, Vicarios, Cappellanos, & Ministros quomodolibet nuncupat. illis pro tempore etiam in cura, & exercitio Parochialibus, ac divinis deservientes ad nutum Protectorum, vel aliorum Superiorum, aut Collegialium dicti Collegii, prævia tamen Ordinarii approbatione ponendos, & amovendos, ac etiam perpetuos quomodolibet exercentes possit, & valeat, curamque omnium, & singularum Ecclesiarum Parochialium, & Curatarum, ad prædictum Collegium quomodolibet spectantium ab omnimoda jurisdictione, superioritate, & Dominio quorumcumque Ordinariorum pœnitus, & omnino præterquam in casibus a Concilio Tridentino expressis perpetuo eximimus, & liberamus, & propterea neque coram eodem Auditore Cameræ, ac ejusdem Cameræ Clericis Annonæ, Ripæ, Ripettæ, Præsidentibus, & Doganeriis, ac Gabellæ Terræ studii, Consulibus, Magistris viarum, Cameratio, Vice-Cameratio, Senatore, & Conservatoribus Urbis, minusque coram Archipresbyteris, seu Protectoribus Basilicarum, & Ecclesiarum Sancti Joannis Lateranen., Sancti Petri, Sanctæ Mariæ Majoris, seu eorum Judicibus, deputatis. & Archiconfraternitatibus Sanctissimæ Trinitatis Peregrinorum, & Convalescentium, Confalonis, & Sancti Marcelli, Hospitalis Sancti Spiritus in Saxia, Sancti Jacobi Incurabilium, ac aliarum quarumcumque Ecclesiarum, Hospitalium, Archiconfraternitatum Protectoribus, Commendatoribus, ac Rectoribus quibuscumque, & aliorum quorumcumque Tribunalium tam in Urbe, quam extra eam, & Curiæ Burgi existentium judicibus molestari, & inquietari, aut quoquo modo in judicium trahi, res, bona, jura, & personas supra expressas possint, aut debeant, nec minus possit, aut debeat sub quovis prætexto assertorum privilegiorum, indultorum, & exemptionum, quibus suprascriptis judicibus, Protectoribus, Commendatoribus, & aliis quibuscumque expressis, & nominatis, ac de necessitate exprimendis, & nominandis, quin omnis jurisdictio, & superioritas in omnibus, & singulis causis suprascriptis, & aliis quibuscumque Civilibus, & Criminalibus, meris, & mixtis ipsum Collegium, & ejus Scholares, ac Ecclesias eidem Collegio unitas, Ministros, Officiales, & personas, eorumque bona, res, & jura, & curam animarum, illiusque exercitium, ac Sacramentorum Ecclesiasticorum administrationem, aut alias quomodolibet concernentibus ad prædictos modernos, & pro tempore existentes ejusdem Collegii Protectores, vel eorum Judicem, seu Judices deputatum, seu deputatos, vel deputandum, vel deputandos pleno jure in quacumque instantia etiam privative quoad Vicarium Urbis, ac quoscumque locorum Ordinarios, & omnes alios quoscumque Judices præfatos, etiam quoad illarum totalem, & finalem executionem cum facultate illas omnes quomodolibet coram aliis quibusvis judicibus introductas, & pendentes reassumendi, & illis sub Ecclesiasticis sententiis, censuris, et pœnis arbitrio suo imponendis, moderandis, & applicandis inhibendi, ac in eventum non paritionis contradictores, & inobedientes, censuras, & pœnas ipsas incurrisse, servata forma Concilii Tridentini hujusmodi declarandi, aggravandi, reaggravandi interdicendi, auxiliumque brachii secularis, si opus fuerit invocandi, attentata, & innovata quæcumque revocandi, omniaque alia, & singula in præmissis necessaria, & opportuna faciendi, dicendi, & exequendi spectare, & pertinere in omnibus, & per omnia perpetuo debeant, & etiam modernis, et pro tempore existentibus dicti Collegii Protectoribus et Defensoribus, eorumque judicibus tenore earumdem præsentium de novo perpetuo indulgemus, eisque liberam, plenam, amplam, et omnimodam desuper facultatem, et auctoritatem impartimur; districte propterea inhibentes omnibus, et singulis suprascriptis Judicibus, Archipresbyteris, Protectoribus, Commendatoribus, Consulibus etiam Artis Agriculturæ, et aliis quibuscumque Judicibus Ecclesiasticis

Jurisdictio prædicti Collegii quibus committitur.

et Secularibus, quavis auctoritate, dignitate etiam Episcopali,& Archiepiscopali, seu alia majori potestate fungentibus , & functuris tam in dicta Urbe , quam extra eam consistentibus, ne sub nullitatis omnium, & singulorum actuum, processuum , decretorum , mandatorum , & aliorum quorumcumque per eos fiendorum contra præsentem nostram declarationem , indultum , & facultatem in dicti Collegii , illiusque personarum , ac rerum causis , litibus , negociis , et controversiis tam civilibus , quam criminalibus , meris , et mixtis quovis modo, seu prætextu , et ratione privilegiorum, et indultorum ipsis , et eorum Officiis , et Tribunalibus etiam per Sedem prædictam , aut alias quomodolibet concessorum sese ingerere audeant, seu præsumant quoquo modo necnon irritum,et inane decernimus quidquid secus super iis a quoquam quavis auctoritate scienter , vel ignoranter contigerit attentari . Non obstantibus litis pendentiis si quæ sint, ac quibusvis Apostolicis, etiam in Universalibus , Provincialibus , et Synodalibus Conciliis editis specialibus , vel generalibus Constitutionibus , et Ordinationibus , privilegiis quoque , indultis , et Literis Apostolicis quibusvis Tribunalibus , Curiis , illorumque Judicibus , et aliis quibuscumque,et præsertim dictæ Cameræ Apostolicæ Generali Auditori , in genere , vel in specie Clericis , Præsidentibus Annonæ , Camerario , Magistris viarum, Auditoribus causarum Rotæ ejusdem Palatii Apostolici, Agriculturæ , et aliis quibusvis Consulibus , Doganeriis , Conservatoribus, Senatori , et aliis quibuscumque judicibus, et Tribunalibus concessis , et innovatis , concedendisque, et innovandis non facientibus de præsentibus nostris literis specialem , et individuam mentionem cum illorum insertione de verbo ad verbum non autem per clausulas , et verba æquipollentia , ac Regula de non tollendo jure quæsito quatenus opus sit, necnon omnibus illis, quæ in singulis literis prædictis expressa fuerunt non obstare ; Quibus omnibus etiamsi de illis , eorumque totis tenoribus, specialis , specifica, et expressa, ac de verbo ad verbum , non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda , aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illis alias in suo robore permansuris hac vice dumtaxat specialiter , et expresse derogamus , cæterisque contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter , vel divisim ab eadem sit Sede indultum , quod interdici , suspendi , vel excommunicari non possint , per literas Apostolicas non facientes plenam , et expressam , ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem . Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ approbationis, confirmationis , adjectionis , suppletionis , decretorum , avocationis, suppressionis , extinctionis , annullationis , impositionis , concessionis , Indultorum , statuti , ordinationis , declarationis , exemptionis , liberationis , impartitionis , inhibitionis , voluntatis, et derogationis infringere , vel ei ausu temerario contraire, si quis autem hoc attentare præsumpserit , indignationem Omnipotentis Dei , ac Beatorum Petri , et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum . Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo vigesimoprimo , duodecimo Kalen. Martii Pontificatus nostri Anno II.

Confirmantur privilegia

§.2. Cum autem , sicut accepimus, præinsertæ quidem Gregorii Prædecessoris literæ , & in eis contentis hactenus illibate , ut par est observata fuerint , plenumque vigorem obtineant de præsenti ; firmius tamen , atque solidius persistant , & perennent , illa , quæ Apostolicæ Sedis auctoritate sæpius corroborantur : Hinc est , quod Nos præmissorum omnium , & singulorum inviolabili robori , firmitati , & efficaciæ , quantum Nobis ex alto conceditur , consulere cupientes ; Motu simili , ac ex certa scientia , & matura deliberatione nostris , deque Apostolicæ potestatis plenitudine ad abundantiorem cautelam , & quatenus opus sit , omnia , & singula privilegia , facultates , jurisdictiones , superioritates , prærogativas, gratias , & indulta memorato Collegio , ejusque personis , rebus , & bonis , ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus ejusdem Collegii Protectoribus , & alias quomodolibet a præfatis Julio III. , Gregorio XIII. , Clemente VIII. , & Gregorio XV. Prædecessoribus , sicut præmittitur , respective concessa , & attributa , ac confirmata , & approbata , omnesque , & singulas eorumdem Prædecessorum litteras desuper emanatas , & præsertim præinsertas dicti Gregorii XV. Prædecessoris cum omnibus , & singulis in eis contentis , & expressis , ac inde legitime sequutis , & secuturis quibuscumque , tenore præsentium perpetuo approbamus , & confirmamus , ac rata , & grata habemus , illisque omnibus , & singulis perpetuæ , atque irrefragabilis Apostolicæ firmitatis vim , robur, & efficaciam adjungimus , ac omnes , & singulos tam juris , quam facti , & solemnitatum quarumcumque ex juris communis , & Constitutionum Apostolicarum , & Decretorum etiam Cameralium , & Consistorialium , necnon Urbis , aliorumque statutorum quorumvis , etiam juramento, confirmatione Apostolica , vel quavis firmitate alia roboratis , eorumque reformationum , & novarum additionum , usuum, & consuetudinum etiam immemorabilium præscripto , seu de stilo , aut alias quovis modo in similibus, etiam de necessitate observandarum , & alios quoslibet , etiam quantumvis magnos , formales, & substantiales , ac incogitatos , & inexcogitabiles defectus , si qui in præmissis , vel eorum aliquo principaliter , vel accessorie antecedenter , vel consequenter , aut concomitanter , seu alias quomodolibet intervenerint , vel interveniisse dici , censeri , intelligi ,

Supplet defectus.

ligi , vel prætendi unquam possent , plenissime , & amplissime supplemus , et sanamus , et penitus , et omnino tollimus, perimimus , et abolemus .

Cardinalibus Protectoribus omnem superioritatem in Collegio illique annexis confirmat.

§.3. Præterea memoratos Cardinales dicti Collegii Protectores nunc,et pro tempore quandocumque existentes , omnem superioritatem , omnemque Jurisdictionem eis , sicut præmittitur , concessam , et attributam in quibusvis causis , litibus , et controversiis tam civilibus , quam criminalibus , meris , et mixtis etiam privative quoad omnes , et singulos Judices supradictos , et alias in omnibus , et per omnia prout in præinsertis Gregorii XV. Prædecessoris expressum est circa Sancti Apollinaris de Urbe , et ruralem Sanctæ Mariæ in Celsano Portuen. Diœcesi. Ecclesias , ac Sanctorum Sabæ , et Andreæ Urbis olim Cisterciens., S. Petri Laudi veteris Lauden., et S. Christinæ Monasteria S. Benedicti Mediolanen. sive Papien., seu Nullius Diœcesi., ac Abbatiam secularem , sive Monasterium S. Crucis Fontis Avellanæ ejusdem S. Benedicti Congregationis Fontis Avellanæ Nullius , seu Eugubin. Diœcesi., et Monasterium S. Stephani in Monte Cœlio Urbis , S. Pauli Primi Eremitæ Ordinum respective , eorumque Ecclesias, Cappellas, Cappellanias, et Beneficia, ac membra , dependentias , bona , prædia , reddituus , proventus , jura , obventiones, et emolumenta quæcumque dicto Collegio dudum , Apostolica auctoritate perpetuo unita , annexa , et incorporata , et ab eo quomodolibet dependentia , ac in alia quæcumque Monasteria, Prioratus , Ecclesias, et Beneficia , quæ eidem Collegio pari auctoritate in futurum quandocumque uniri , annecti, et incorporari contigerit , eorumque respective Personas. Presbyteros, Cappellanos , Vicarios , et Ministros quoslibet libere , ac sine ullo prorsus impedimento exercere , cæteraque omnia eis per præinsertas literas quovis modo concessa, facere , et exequi posse , ac debere , motu,scientia , et potestatis plenitudine paribus, decernimus , et declaramus .

Decretum irritant.

§.4. Decernentes pariter easdem præsentes literas , et in eis contenta quæcumque , etiam ex eo , quod quicumque in præmissis interesse habentes , seu habere quomodolibet prætendentes cujusvis status, gradus , ordinis , præeminentiæ , et dignitatis , seu alias specifica , et individua mentione , et expressione digni existant , illis non consenserint , nec ad ea vocati , citati, et auditi , seu causæ propter quas ipsæ præsentes emanarint adductæ , verificatæ , & justificatæ ullatenus fuerint, aut ex alia quacumque quantumvis justa , pia , legitima , et privilegiata causa , colore , prætextu , et capite etiam in corpore juris clauso , etiam enormis, enormissimæ , et totalis læsionis, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis , aut nullitatis vitio , seu intentionis nostræ , aut interesse habentium consensus , aliove quolibet etiam quantumvis magno , et formali , et substantiali defectu notari , impugnari , invalidari , infringi , retractari , ad terminos juris reduci , seu adversus illas aperitionis oris , restitutionis in integrum , aliudve quodcumque juris , facti , vel gratiæ remedium intentari , vel impetrari , aut impetrato , seu etiam motu , scientia , et potestatis plenitudine paribus concesso,vel emanato quempiam in judicio , vel extra illud uti , seu se juvare quoquo modo posse , sed easdem præsentes literas semper firmas , validas , efficaces existere , et fore , suosque plenarios , et integros effectus sortiri , et obtinere , ac illis , ad quos spectat , et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus , et per omnia plenissime suffragari ; Sicque , et non aliter in præmissis omnibus, et singulis censeri , atque ita per quoscumque Judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici , et Curiæ Cameræ Apostolicæ generalem Auditores, ac S. R. E. prædictæ Camerarium , seu Pro-Camerarium , et alios Cardinales, etiam de latere Legatos , necnon dictæ Cameræ Præsidentes Clericos, aliosve quoslibet Officiales , et Ministros , cæterosve quoscumque qualibet præeminentia , et potestate fungentes , et functuros sublata eis , et eorum cuilibet quavis aliter judicandi , et interpretandi facultate , et auctoritate judicari . et definiri debere , ac irritum , et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter , vel ignoranter contigerit attentari .

Contrariis derogat.

§.5. Non obstantibus quatenus opus sit piæ mem. Pii Papæ IV. Prædecessoris pariter nostri de gratiis qualecumque interesse Cameræ prædictæ concernentibus in eadem Camera intra certum tunc expressum tempus præsentandis, et registrandis , itaut easdem præsentes literas ibidem præsentari, et registrari nunquam necesse sit aliisque Constitutionibus , et Ordinationibus Apostolicis , necnon omnibus , et singulis , quæ dictus Gregorius Prædecessor in suis literis præinsertis voluit non obstare , cæterisque contrariis quibuscumque .

Transumptorum fides.

§.6. Volumus autem , ut earumdem præsentium literarum transumptis , seu exemplis , etiam impressis , manu alicujus Notarii publici subscriptis , et sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis , eadem prorsus fides ubique tam in judicio , quam extra adhibeatur , quæ præsentibus adhiberetur , si forent exhibitæ , vel ostensæ .

Dat. die 14. Julii 1668. An.II.

Datum Romæ apud S. M. M. sub Annulo Piscatoris die 14. Julii 1668. Pontificatus nostri Anno II.

LXVIII.

Indultum Priori Generali Fratrum Ordinis Beatæ Mariæ de Monte Carmelo conceſſum, conferendi lauream Doctoratus in Collegio Sanctæ Mariæ Tranſpontinæ de Urbe Fratribus ejuſdem Ordinis, qui titulo Magiſterii ſunt inſigniti.

CLEMENS PAPA NONUS

Ad futuram rei memoriam.

Procemium. DUdum fel. rec. Urbano PP. VIII. Prædeceſſori noſtro pro parte quondam Theodorii Stratii tunc temporis Prioris generalis Fratrum Ordinis Beatæ Mariæ de Monte Carmelo expoſito, quod ipſe juxta regularia dicti Ordinis inſtituta, apoſtolica auctoritate confirmata, Ordinis hujuſmodi Profeſſores, qui eos curſus, lecturas, vel exercitia literarum peregerant, quæ ſecundum eorumdem regularium Inſtitutorum formam, et tenorem requirebantur, ejuſdem Ordinis Magiſtros in Sacra Theologia creandi, et inſtituendi facultatem habebat, dummodo tamen iidem Profeſſores Magiſterii, ſive Doctoratus in eadem Sacra Theologia lauream in aliqua approbata Studii Generalis Univerſitate ſuſciperent.

§.1. Quia vero in ſuſcipienda Magiſterii, ſive Doctoratus in Univerſitate generali hujuſmodi laurea intolerabiles pecuniarum ſummæ expendendæ erant in magnum pauperrimæ inter Mendicantes Religionis detrimentum, et Collegium S. Thereſiæ Salamantinæ ejuſdem Ordinis ſemper habuerat, et impoſterum habiturum ſperabatur Regentes, et in eadem Sacra Theologia Magiſtros doctos, et in literarum exercitiis maxime verſatos, per eundem Theodorum Priorem Generalem præfato Urbano Prædeceſſori ſupplicato, ut quo debitus virtutis honos ejuſdem Ordinis Provinciarum Hiſpaniæ, et Luſitaniæ Profeſſoribus, qui in armis, et Sacræ Theologiæ hujuſmodi ſtudiis curſum perfeciſſent, et alias digni, et idonei eſſent, ſublatis expenſis hujuſmodi haberetur, ſuper præmiſſis opportune providere, de benignitate apoſtolica dignaremur.

Conſtitutio Urbani VIII. §.2. Idem Urbanus Prædeceſſor hujuſmodi ſupplicationibus inclinatus, præfato Theodoro, et pro tempore exiſtenti Priori Generali dicti Ordinis, et omnibus, et ſingulis ejuſdem Ordinis, et Provinciarum præfatarum Profeſſoribus, quos abſolutis per eos curſu, lecturis, vel exercitiis literarum a Regularibus dicti Ordinis inſtitutis, ut præfertur, requiſitis, et ſervatis alias ſervandis, Magiſtros in eadem Sacra Theologia crearet, et inſtitueret, quod illi in præfato Collegio Salamantin. S. Thereſiæ cum rigoroſo examine, et approbatione Regentium, et aliorum Magiſtrorum ejuſdem Collegii, ac ſervatis aliis conditionibus juxta regularia inſtituta hujuſmodi ceſſariis, a Superiore ejuſdem Collegii Magiſterii, ſive Doctoratus in eadem Sacra Theologia lauream ſuſcipere libere, et licite poſſent, et valerent, concedendi, et indulgendi facultatem, auctoritate apoſtolica conceſſit, et alias prout in ipſius Urbani Prædeceſſoris literis deſuper in ſimili forma Brevis die 26. Auguſti 1634. expeditis, quarum tenorem præſentibus pro plene, et ſufficienter expreſſo, et inſerto haberi volumus, uberius continetur.

Supplicatio. §.3. Cum autem, ſicut pro parte dilectorum filiorum Matthæi de Orlando, ac Andreæ Lao Prioris, et Procuratoris generalium dicti Ordinis reſpective Nobis nuper expoſitum fuit, majori parti Fratrum ejuſdem Ordinis valde incommodum ſit laureæ doctoralis hujuſmodi conſequendæ ergo ad memoratum Conventum Salamantin. accedere: Nobis propterea dicti Exponentes humiliter ſupplicari fecerunt, ut in præmiſſis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Confirmat prout in Rubrica. §.4. Nos igitur dictos Exponentes ſpecialibus favoribus, et gratiis proſequi volentes, et eorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, et interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, et pœnis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, et abſolutas fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinalium negotiis, et conſultationibus Epiſcoporum, et Regularium præpoſitorum conſilio, præfato Matthæo moderno, et pro tempore exiſtenti Priori Generali Ordinis præfati petitam facultatem conferendi lauream doctoralem illis Fratribus qui ex præſcripto Conſtitutionum Ordinis hujuſmodi Magiſterio inſigniti fuerint, auctoritate apoſtolica, tenore præſentium concedimus: ita tamen, ut illa extra Collegium Salamantinum nonniſi in Collegio S. Mariæ Tranſpontinæ de Urbe ejuſdem Ordinis, uti poſſit, ac ſalva ſemper in præmiſſis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Decretum irritans. §.5. Decernentes ipſas præſentes literas ſemper firmas, validas, et efficaces exiſtere, et fore, ſuoſque plenarios, et integros effectus ſortiri, et obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, et pro tempore ſpectabit, in omnibus, et per omnia pleniſſime ſuffragari: Sicque in præmiſſis per quoſcumque Judices ordinarios, et delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum §.5. Non obſtantibus Conſtitutionibus, et Ordinationibus Apoſtolicis, ac quatenus opus ſit, dicti Ordinis, ejuſque Provinciarum etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Dat. die 20. Julii 1668. An. II. Datum Romæ apud S. M. M. ſub Annulo Piſcatoris, die 20. Julii 1668. Pontificatus noſtri Anno II.

LXIX.

Ex Regeſt. in Secret. Brev. Erectio Congregationis, ſive unionis Matronarum, & Virginum Nobilium, & Illuſtrium ſub denominatione Cruciferarum in Eccleſia, ſeu Cappella per Epiſcopum Viennen. deſignanda.

CLEMENS PAPA NONUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. REdemptoris, & Domini Noſtri Jeſu Chriſti, qui humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem, mortem autem Crucis, vices quamquam immeriti gerentes in terris, pia fidelium præſertim ſublimium perſonarum, quæ non minus eximiæ devotionis, ſpiritualiumque rerum ſtudiis, quam ſecularium bonorum ſplendore fulgent vota ad augendam vivificæ Crucis, ex qua ſalus noſtra pependit, veneronem tendentia, favoribus, et gratiis libenter proſequimur opportunis.

Supplicatio. §.1. Exponi ſiquidem Nobis nuper fecit chariſſima in Chriſto filia noſtra Eleonora Romanorum Regina Illuſtris clar. mem. Ferdinandi III. dum vixit eorumdem Romanorum Regis in Imperatorem electi relicta vidua, quod cum particula Ligni Dominicæ Crucis (ut pie creditur) in Cappella Palatii Imperialis Civitatis Viennen. debita cum veneratione aſſervaretur, et ante aliquot menſes Palatium prædictum formidabili incendio, quo etiam muri ipſi conſumpti fuerunt, conflagraſſet, nihilominus particula prædicta, quam claræ pariter memoriæ Maximilianus I. dum vixit eorumdem Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, & memoratus Ferdinandus Rex ſemper eximie coluerunt, poſt quinque dies intacta inter extinctos carbones, et cineres reperta fuit.

§.2. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, dicta Eleonora Regina peculiari ſua erga Sanctiſſimam Crucem præfatam devotione, hocque etiam tam inſigni miraculo, quod Dominus Noſter Jeſus Chriſtus ad gloriam ejuſdem vivificæ Crucis patrare dignatus eſt, mota, unam Matronarum, et Virginum Illuſtrium Cruciferarum nuncupandarum, quæ ſub æterni Regis Glorioſiſſimæ ſcilicet Crucis vexillo militare debeant, Congregationem, ſive Unionem ipſa Eleonora Regina, ac dileCtiſſimis in Chriſto filiabus Nobilibus Puellis Maria Eleonora, et Maria una Archiducciſſis Auſtriæ ejus filiabus, aliiſque Matronis, et Virginibus Nobilibus, & Illuſtribus tam Palatii Imperialis, quam aliarum partium in eam adſcribi volentibus conſtaturam in Civitate prædicta Viennen. a Nobis erigi, et inſtitui, ac ſpiritualibus Indulgentiarum muneribus decorari ſummopere deſideret: Nobis propterea humiliter ſupplicari fecit, ut in præmiſſis opportune providere, & ut infra indulgere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Facultatem erigendi congregationem Cruciferarum concedit Pontifex. §.3. Nos igitur, qui devotionis, et piorum operum, divinique cultus incrementum, ac animarum ſalutem paternæ charitatis ſtudio libenter promovemus, eximiam memoratæ Eleonoræ Reginæ pietatem, plurimum in Domino commendantes, ac laudabili ejus deſiderio, quantum cum Domino poſſumus, favorabiliter annuere cupientes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, in Cappella Palatii Imperialis Viennen. ſive alia Cappella, ſeu Eccleſia per Ven. Fratrem Epiſcopum Viennen. deſignanda, unam Congregationem, ſive Unionem Principiſſarum ex Inclyta Domo Auſtriaca, aliarumque Matronarum, et Virginum Illuſtrium, & Nobilium ſub titulo, ſeu denominatione Cruciferarum, cujus Conſorores proceſſionaliter incedere, divina officia celebrare, ſe ſe congregare, et cætera, quæ per Confratres, et Conſorores aliarum ſimilium Congregationum, ſive Confraternitatum fieri ſolent, facere libere, et licite poſſint, et valeant, accedente tamen ad id memorati Epiſcopi Viennen. conſenſu, et miraculo prædicto coram illo verificato, auctoritate apoſtolica, tenore præſentium perpetuo ſine cujuſquam præjudicio erigimus, et inſtituimus. Ac ipſius Congregationis, ſive Unionis ſic erectæ, et inſtitutæ Conſororibus pro tempore exiſtentibus, ut quæcumque Capitula, Statuta, Decreta, et Ordinationes pro ſalubri earum, et dictæ Congregationis, ſeu Unionis gubernio, et directione neceſſaria, et opportuna, licita tamen, et honeſta, ac Sacris Canonibus, et Conſtitutionibus Apoſtolicis, necnon Concilii Tridentini Decretis minime contraria, et per prædictum Epiſcopum Viennen. examinanda, et approbanda facere, et edere, illaque pro tempore prout eis videbitur, et expediens fuerit, prævia tamen examinatione, et approbatione ejuſdem Epiſcopi pro tempore exiſtentis mutare, alterare, corrigere, et in melius reformare, ac inſuper omnia, et ſingula legata, relicta, res, et bona quomodolibet qualificata mobilia, et immobilia per quoſcumque Chriſtifideles eidem Congregationi, ſive Unioni per viam teſtamenti, donationis, aut alias quomodolibet pro tempore data, relicta, donata, et elargita,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

gita, ac danda, relinquenda, donanda, & elargienda recipere, illaque per earum Officiales, & Miniſtros regere, gubernare, & adminiſtrare, ac in ejuſdem Congregationis, ſive unionis, ejuſque piorum operum uſus, & neceſſitates, ac utilitatem convertere, ita tamen, ut de receptis, & adminiſtratis prædicto Epiſcopo Viennen. juxta Decreta Concilii Tridentini rationem reddere teneantur, libere, et licite poſſint, et valeant, auctoritate, et tenores prædictis concedimus, et indulgemus.

Confororibus præinſertis indulgentias cõcedit.

§.4. Inſuper, ut Conſorores prædictæ in piorum operum exercitio magis confoveantur, et ad illa impoſterum exercenda peramplius invitentur, dictaque Congregatio, ſive Unio majora in dies benedicente Domino ſuſcipiat incrementa, de Omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri, et Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus, et ſingulis Mulieribus, Matronis, et Virginibus, quæ Congregationem, ſeu Unionem hujuſmodi impoſterum ingredientur, die primo earum ingreſſus ſi vere pœnitentes, et confeſſæ, Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerint, plenariam, ac eiſdem in cujuslibet earum mortis articulo ſi vere etiam pœnitentes, et confeſſæ, ac Sacra Communione refectæ, vel quatenus id facere nequiverint, ſaltem contritæ nomen Jeſu ore, ſi potuerint, ſin minus corde devote invocaverint, etiam plenariam; necnon prædictis Conſororibus in eadem Congregatione, ſive Unione pro tempore deſcriptis, Principiſſis quidem ex inclyta Domo Auſtriaca ortis, ſeu in ea pro tempore nuptis, quæ ſemel in hebdomada, cæteris vero, quæ quinque vicibus quolibet anno, vere pœnitentes, et confeſſæ Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum in Eccleſia, ſeu Cappella ipſius Congregationis, ſive Unionis ſumpſerint, ibique pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione ſupplices ad Deum preces effuderint, qua vice prædictarum id egerint reſpective ſimiliter plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, et remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus,

§.5. Præterea omnibus, et ſingulis Conſoribus prædict's in eadem Congregatione, ſive Unione pro tempore deſcriptis quoties aliquod chriſtianæ charitatis, vel pietat's opus exercuerint, toties centum dies de injunctis eis, aut alias quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Eccleſiæ conſueta relaxamus. Demum, ut Eccleſia, ſeu Cappella in qua prædicta particula Ligni Sanctiſſimæ Crucis pro tempore aſſervabitur, congruis frequentetur honoribus, et Chriſtifideles eo libentius devotionis cauſa ad illam confluant, quo ex hoc ibidem ſpiritualium gratiarum donis uberius noverint ſe refectos, omnibus, et ſingulis utriuſque ſexus Chriſtifidelibus vere pœnitentibus, et confeſſis, ac Sacra Communione refectis, qui Eccleſiam, ſeu Cappellam hujuſmodi in Inventionis, et Exaltationis ejuſdem Sanctiſſimæ Crucis feſtis diebus a primis Veſperis uſque ad occaſum Solis utriuſque feſti hujuſmodi ſingulis annis devote viſitaverint, et ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo die prædictorum id egerint, plenariam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam, et remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus.

Contrariis derogat.

§.6. Non obſtantibus Conſtitutionibus, et Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque: Præſentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

§.7. Volumus autem, ut ſi alias dictis Conſororibus præmiſſa peragentibus aliqua alia indulgentia perpetuo, vel ad tempus conceſſa fuerit, aut ſi dicta Congregatio, ſive Unio alicui Archiconfraternitati unquam aggregetur præſentes, et quævis aliæ literæ Apoſtolicæ quoad indulgentias, et peccatorum remiſſiones prædictas illi nullatenus ſuffragentur, ſed ex tunc eo ipſo prorſus nullæ ſint.

Datum Romæ apud S.M.M. ſub Annulo Piſcatoris, die 2. Auguſti 1668. Pontificatus noſtri Anno II.

Dat. die 2. Aug 1668. An. II.

LXX.

Commiſſariatus pro ſublevandis Communitatibus, & Univerſitatibur Status Eccleſiaſtici. Ex Regeſt. in Secret. Brev.

Dilecto filio Magiſtro Joanni Franciſco Nigrono, in utraque Signatura noſtra Referendario.

CLEMENS PAPA NONUS

Dilecte fili ſalutem, & apoſtolicam benedictionem.

Proœmium.

PAterna noſtra erga hujus Sanctæ Sedis ſubditos charitas facit, ut eorum ſublevamini, commodis, & utilitati quantum cum Domino poſſumus libenter conſulamus.

Deputatio commiſſariatus advirſendas communitates exceptas illis quatuor legationũ

§.1. Hinc eſt, quod Nos fælici Communitatum, & Univerſitatum ſtatus noſtri Eccleſiaſtici, quas nonnullis indebitis oneribus gravari ex eorum recurſibus ad Congregationem nonnullorum S.R.E. Cardinalium, ac dilectorum filiorum Romanæ Curiæ Prælatorum ſuper illarum ſublevamine a Nobis deputatam habitis intelleximus, ſtatui, & levamento opportune proſpectum eſſe cupientes, ac de tua fide, prudentia, & integritate plurimum in Domino confiſi, Te pro rebus ad Annonam ſpectantibus, necnon pro revidendis rebus Montium Pietatis, Hoſpitalium, & aliorum locorum piorum, quorum adminiſtratio ad Communitates, & Univerſitates quarumcumque Civitatum (non tamen Beneventanæ)

tanæ) Terrarum, Oppidorum, & Locorum Status Eccleſiaſtici prædicti extra quatuor legationes, ac diſtrictum Almæ Urbis noſtræ conſiſtentium ſpectat, ad eaſdem Civitates, Terras, Oppida, & Loca viſitandum, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium deſtinamus, & deputamus.

Auctoritas commiſſarii.

§.2. Dantes Tibi privative quoad omnes alios, liberam, amplam, & abſolutam facultatem, & auctoritatem, omnes, & ſingulos redditus, expenſas, & debita cujuſlibet Communitatis, ac Univerſitatis, Civitatum, Terrarum, Oppidorum, & Locorum præfatorum, & Annonæ, necnon rationes, & computa illorum, qui redditus, & bona earumdem Communitatum, & Univerſitatum atque Annonæ, ac dictorum Montium Pietatis, & aliorum locorum piorum præfatorum quovis modo adminiſtraverint, etiamſi alias reviſa, & ſolidata fuerint, revidendi, quoſcumque debitores tam ſeculares, quam Eccleſiaſticos etiam Regulares utriuſque ſexus, ac omnes privilegiatos, etiam Fratres Hoſpitalis Sancti Joannis Hieroſolymitani, & alios etiam in eccleſiaſtica, Epiſcopali, Patriarchali, ac etiam majori dignitate conſtitutos, illorumque famulos, miniſtros, oblatos, & colonos ad eorum debita perſolvenda, manu regia, & ſola facti veritate inſpecta cogendi, necnon omnes lites, & controverſias ſuper præmiſſis exortas, eadem auctoritate concordandi, ſeu prout de jure terminandi, expenſas, quæ Tibi ſuperfluæ videbuntur, reſecandi, quaſcumque collectas, ſeu gabellas, quæ tibi pro faciliori, & celeriori rerum prædictarum redemptione neceſſariæ, ſive quomodolibet opportunæ viſæ fuerint imponendi, Taxas Cancellariarum tam Tribunalium Gubernatorum, quam Communitatum, & Univerſitatum prædictarum in cauſis tam Civilibus, quam Criminalibus, & mixtis, necnon Taxas exactionum gabellarum, & cujuſvis generis gravaminum; pondera quoque, & menſuras revidendi, illaque ad debitum, & convenientem Juſtitiæ modum reducendi, etiam quatenus ad Appaltatores Camerales ſpectat, juxta Tabellas ejuſdem Cameræ, ita tamen ut quantum ad hos procedas cum facultatibus dilecti filii Cameræ noſtræ Apoſtolicæ Theſaurarii Generalis, quas tibi ad hunc effectum communicamus; Ac cum eiſdem facultatibus recognoſcendi omne genus gravaminum, quæ iidem Appaltatores, vel Subcollectores ſpoliorum, ſive alii Miniſtri, & Officiales, aut Commiſſarii, tam Civiles, quam Criminales, aliique quilibet per literas patentes dictæ Cameræ deputari quovis modo forſan inferant, & ſignanter per gabellas, quæ noviter introductæ aſſeruntur, abſque beneplacito Apoſtolico, & facultate neceſſaria, & obſervantiam Edicti Aldobrandini nuncupati, aliarumque ordinationum, & mandatorum variis temporibus datorum, & factorum, & nuper innovatorum procurandi, rationes, & computa ſolidandi, ac controverſias inter Communitates, et Univerſitates, necnon Appaltatores, ſive alios Miniſtros, et Officiales, ac Commiſſarios, ſeu Deputatos hujuſmodi reſpective vertentes, componendi, et decidendi, repartitiones quoque, quæ pro reparatione Viarum, et Pontium fiunt, revidendi, atque ſi quid in his inordinatum repereris damnum injuſte gravaris refici curandi, ac providendi, ut repartitiones hujuſmodi in futurum debita rectitudine, et quantum fieri poterit minori cum ſubditorum noſtrorum detrimento fiant: Et pro præmiſſorum omnium executione contra quaſcumque perſonas etiam quovis privilegio, et exemptione ſuffultas procedendi, abuſus, et inconvenientia quæcumque circa exactiones onerum publicorum tam Cameralium, quam Communitativorum, necnon in cæteris omnibus, quæ ſervitium, et ſublevamen Cameræ, et Communitatum, ac Univerſitatum, ſubditorumque noſtrorum prædictorum concernunt quomodolibet introductos, et emanata reſpective tollendi, perimendi, et abolendi, ac denique omnia, et ſingula alia commodum Annonæ, et Cameræ, necnon Communitatum, et Univerſitatum, Subditorumque hujuſmodi concernentia ad inſtar Congregationis ſuper bono regimine Communitatum, et Univerſitatum Status noſtri Eccleſiaſtici prædicti deputatæ faciendi, dicendi, mandandi, et exequendi, præſcribendo etiam in eis regulas, et Ordinationes, quibus, ut abuſus hujuſmodi de cætero non committantur ſubditique noſtri ab indebitis gravaminibus immunes ſerventur, opportune provideri poſſit.

A cujus Decretis non admittitur appellatio quã ad Congregationem deputatam.

§.3. Volumus autem, ut a Decretis, et Ordinationibus per Te vigore præſentium faciendis, nulla ad quoſcumque judices admittatur appellatio, ſed recurſus tantum habeantur ad memoratam Congregationem ſuper ſublevamine deputatam.

Derogatio contrariorum

§.4. Non obſtantibus Conſtitutionibus, et Ordinationibus Apoſtolicis, ac Civitatum, Terrarum, Oppidorum, et Locorum præfatorum, aliiſque quibuſvis etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, et conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et Literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et ſingulis illorum tenores, præſentibus pro plene, et ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, et expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Dat. die 5. Aug. 1668. An. II.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, ſub Annulo Piſcatoris, die quinti Aug. 1668. Pontificatus noſtri Anno II.

Nova

LXXI.

Ex Regest. in Secret. Brev. Nova Conceſſio Cruciatæ Portugalliæ ad Triennium a die quo Ulixbonæ, quoad Portugalliam, et quoad loca ultra Marina a die quo in illis reſpective publicabitur computan.

CLEMENS PAPA NONUS

Ad futurum rei memoriam.

Conceſſiones Cruciatæ Portugalliæ renouantur.

§. 1. INdulgentias, et gratias illas ſpirituales, et temporales ad certum tempus publicandas, et duraturas per Sedem Apoſtolicam concedi conſuetas, omnibus, et ſingulis Chriſtifidelibus in Portugalliæ, et Algarbiorum Regnis, ac eorumdem Regnorum Inſulis in Indiis Orientalibus, et ultra marinis conquiſitis, Terris, et Locis eorumdem Regnorum Portugalliæ, et Algarbiorum hujuſmodi Dominio temporali ſubjectis commorantibus, et ad illa declinantibus, necnon Regnorum prædictorum ſubditis in alieno dominio in dictis Indiis mercimonii cauſa (non tamen animo in alieno dominio hujuſmodi permanendi) degentibus, qui certa munera adimpleviſſent a fel. rec. Gregorio XIV. die 6. Aprilis Pontificatus ſui Anno primo, et deinde a Clemente VIII. die 9. Februarii 1592., et 16. Januarii 1598., et die 8. Octobris 1603. necnon die 23. Aprilis 1604., et poſtea a Paulo V. die 22. Junii 1605. ad triennium, et die 16. Decembris 1609., ad ſexennium, et die 23. Decembris 1615. ad aliud ſexennium, et poſtmodum a Greg. XV., die 16. Septembris 1621., et ſubinde ab Urb. VIII. die 10. Junii 1625. ad ſexennium, et die 11. Februarii 1631. ad aliud ſexennium, ac die ultima Januarii 1637. ad aliud item ſexennium, necnon die 15. Januarii 1643. pariter ad ſexennium, ac ab Innocentio X. die 22. Junii 1652. etiam ad ſexennium, et noviſſime ab Alexandro VIII. Romanis Pontificibus Prædeceſſor. noſtris die 20. Octobris 1660., ſeu aliis verioribus temporibus per ſuas in ſimili forma brevis literas ad aliud etiam ſexennium reſpective pariter publicandas, et duraturas, conceſſas, et ſeu, ut præfertur, extenſas, et prorogatas, finitaſque, & terminatas, quarum omnium tenores præſentibus pro expreſſis haberi volumus, juſtis, & gravibus cauſis adducti, motu proprio, & ex certa ſcientia, maturaque deliberatione noſtris, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, omnibus Chriſtifidelibus prædictis cum omnibus, & quibuſcumque indultis, facultatibus, conceſſionibus, declarationibus, extenſionibus, conditionibus, clauſulis, & decretis in literis ejuſdem Urbani Prædeceſſoris contentis ad triennium a die quo præſentes noſtræ literæ in Civitate Ulixbonen. quoad prædicta Regna Portugalliæ, & Algarbiorum; quo vero ad loca ultramarina prædicta a die quo in ſingulis locis hujuſmodi reſpective publicabuntur computan., Apoſtolica auctoritate, earumdem tenore præſentium modo, & forma infraſcriptis de novo concedimus, & indulgemus.

Novam Cruciatam imponit prout in Rubrica.

§. 2. Ac inſuper omnia, & quæcumque privilegia, & facultates quibuſcumque Eccleſiis, Monaſteriis, Ordinibus, Confraternitatibus, & aliis locis Piis, & perſonis quibuslibet, ut prætenditur quacumque etiam forſan, Apoſtolica auctoritate quandocumque etiam per viam communicationis, ac etiam motu ſimili, & alias quomodolibet conceſſa, ſeu ab illis prætenſa prædictis indulgentiis, & gratiis, ſive ſpiritualibus, ſive temporalibus ſimilia, vel in earum defectum pro illis, & illarum vice valitura, & profutura, etiamſi ſpeciali indigerent mentione, auctoritate, & tenore prædictis perpetuo revocamus, caſſamus, abolemus, & annullamus, neminique in poſterum ſuffragari poſſe, aut debere decernimus. Quamobrem de fide, induſtria, & probitate dilecti filii Antonii de Mendoza Canonici Doctoralis Eccleſiæ Portalegren. multam in Domino fiduciam habentes, eumdem Antonium Indulgentiarum, & gratiarum ſpiritualium, & temporalium prædictarum in Regnis, Terris, & Locis ſuprædictis cum omnibus, & ſingulis Indultis, facultatibus, conceſſionibus, declarationibus, extenſionibus, clauſulis, & decretis in ultimo dictis Pauli Prædeceſſoris prædicti literis expreſſis, Executorem, & Commiſſarium Generalem auctoritate, & tenore prædictis deputamus, eidemque plenam & liberam in præmiſſis facultatem, & auctoritatem tribuimus per ſe, vel alium, ſeu alios, quos ad id idoneos duxerit eligendos ad executionem præmiſſorum, & alias juxta facultates conceſſas omni, & quacumque appellatione poſtpoſita procedendi, aliaque faciendi, & exequendi, quæ in præmiſſis, & circa ea neceſſaria fuerint, & quomodolibet opportuna.

Caſſat privilegia loca piis conceſſa.

Contrariis derogat.

Exequutorem deputat.

§. 3. Non obſtantibus Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, ac Eccleſiarum, Monaſteriorum, Conventuum, & Ordinum quorumcumque etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, indulgentiis, facultatibus, & Literis Apoſtolicis quibuſvis Eccleſiis, etiam Cathedralibus, & Metropolitanis, necnon Monaſteriis, & Conventibus tam virorum, quam mulierum, etiam mendicantium, etiam quæ mare magnum appellantur, & quorumvis Ordinum, etiam Militiarum, illorumque Superioribus, & Perſonis, Univerſitatibus etiam ſtudiorum generalium Collegii Secularium, & Regularium perſonarum, Confraternitatibus, & aliis locis piis, ſive in cauſam, & pro expeditione contra Turcas, & alios fidei hoſtes, necnon pro Fabrica Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis clauſulis, & Decretis etiam motu, ſcientia, deliberatione, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, & alias

Deputat com miſſarium.

alias quomodolibet conceſſis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis etiamſi pro ſufficienti illorum derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda eſſet, tenores hujuſmodi, præſentibus pro expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris ad præmiſſorum effectum, motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus, præterquam quoad facultates conceſſas Mendicantium Ordinum Superioribus, quoad ſuorum Ordinum Fratres, ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Aliqua quoad eleemoſynæ valorem ſtatuit.

§. 4. Volumus autem, ut eleemoſynæ, quæ cauſa, & occaſione dictarum Indulgentiarum, & gratiarum erogabuntur, in uſus in præcedentibus Literis Apoſtolicis prædictis ordinatos dumtaxat convertantur, & non aliis uſibus applicentur. Quodque eleemoſynæ ſexaginta millium ducatorum auri de Camera Fabricæ prædictæ Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe pro quolibet ſexennio hactenus ſolvi conſuetæ, medietas ex eleemoſynis prædictis videlicet decem millia ducatorum hujuſmodi quolibet anno durante dicto triennio per preſentes conceſſo inchoando a die publicationis præſentium in Civitate Ulixbonen. reſpectu ſolutionis integræ eleemoſynæ hujuſmodi, reſpectu vero fruitionis Indulgentiarum hujuſmodi a die illarum publicationis, ut ſupradictum eſt faciendæ, (una cum terminis, & reſiduis præcedentium ſexenniorum decurſis, & non ſolutis ſi qui extant) Fabricæ prædictæ, & pro ea perſonæ ad hoc a Congregatione Ven. Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis dictæ Fabricæ præpoſitorum deputatæ, & pro tempore deputandæ omnino ſolvantur, utque pro ſolutione hujuſmodi idem Antonius, & pro tempore exiſtens gratiarum prædictarum Executor, & Commiſſarius Generalis antequam præſentes publicentur, & ad illarum executionem quomodolibet procedatur ſeſe in ampliori forma Cameræ Apoſtolicæ in favorem Fabricæ prædictæ obliget. Decernentes irritum, & inane, quidquid ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quoniam vero non reperiuntur in illis partibus ducati auri de Camera hujuſmodi quorum ſinguli conſtant ex ſcuto uno auri in auro de Stampis æquivalente mediæ duplæ aureæ Hiſpaniæ, ac ex uno Julio bajochorum decem monetæ Romanæ equivalente Regali Ulixbonen. juxta pondus, & intrinſecam bonitatem antiquam; Idcirco volumus, ut pro unoquoque ducato auri de Camera hujuſmodi pro triennio per præſentes conceſſo, ſolvatur Fabricæ prædictæ media Dupla aurea Hiſpanica, & unus Regalis Ulixbonen. ſecundum pondus, & intrinſecam bonitatem antiquam, vel ſaltem verus dictæ mediæ duplæ aureæ nunc, & pro tempore currens, & Regalis hujuſmodi valor, alioquin aliter facta ſolutio ab obligatione non liberet, eoque caſu, ac etiam in eventum non factæ, ut ſupra per dictum Commiſſarium obligationis ante præſentium publicationem, præſens conceſſio nulla ſit eo ipſo, neminique ſuffragetur: pro terminis vero, & reſiduis præcedentium ſexenniorum decurſis, & non ſolutis ſi qui extent, ſolvantur ducati hujuſmodi ad rationem ejus valoris, ad quam hactenus fuit conſuetum ſolvi, utque Fabrica, ſeu illius Congregatio prædicta pro damno, quod ratione ſolutionis eleemoſynæ prædictæ in minori quantitate, quam veri valoris unius ſcuti aurei, & unius Julii prædicti pro ſexenniis præteritis factæ paſſa eſt, nihil omnino petere, neque damnū hujuſmodi ſibi refici, & reſarciri prætendere ullatenus poſſit; Imponentes illi ea ſuper re perpetuum ſilentium: demum, ut præſentes literæ ad omnium notitiam deduci poſſint, decernimus, quod earum exemplis etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides tam in judicio, quam extra adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Tranſumptis fides danda.

Datum Romæ apud S. M. M. ſub Annulo Piſcatoris, die 14. Auguſti 1668. Pontificatus noſtri Anno II.

Dat. die 14. Aug. 1668. An.II.

LXXII.

Ex Regeſt. in Secret. Brev. Licentia Duci, & Senatui Reipublicæ Venetorum vendendi quædam bona Eccleſiæ S. Marci Venetiarum, eorumque pretium convertendi in uſus præſentis Belli Contra Turcas.

Dilecto filio noſtro Joanni S. R. E. Cardinali Delphino nuncupato Patriarchali Eccleſiæ Aquilegien. ex conceſſione, & diſpenſatione Apoſtolica Præſuli, ac Vener. Fratri Laurentio Archiepiſcopo Cartaginen. noſtro, & Apoſtolicæ Sedis in Dominio Venetorum Nuncio.

CLEMENS PAPA NONUS

Dilecte fili noſter, ac Ven. Frater ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Motiva præſentis Conſtitutionis.

§. 1. EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Nobiles viri Dux, & Senatus Reipublicæ Venetiarum, quod cum ejuſdem Reipublicæ facultates ex cauſa Belli, quod contra Turcarum Tyrannum ejus ditionem jamdiū, & nunc acrius, atque formidabilius, quam antehac infeſtantem gerit, plurimum accīſæ ſint, promptoque ad ipſius Reipublicæ tuitionem opus ſit pecuniarum ſubſidio, quod in præſentibus rerum anguſtiis parari vix poteſt; Ad Eccleſiam vero Ducalem, ac Seminarium

Exequutorem deputat.

Decretum irritans.

ducalem S.Marci Venet. legitime spectent quædam bona stabilia in agro, seu ditione Bergom.ad confinia Status Mediolanen.posita, & eidem Ecclesiæ dudum a fel. rec. Sixto IV., Innocentio VIII., & Clem.VIII. Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris perpetuo unita, quæ antehac septem millia, & septingentos ducatos monetæ illarum partium, vel circiter annuatim reddebant, sed de præsenti, cum propter conductorum defectum, majorem partem publicitus ad culturam dentur, supra modum diminutus reperitur pristinus eorum proventus, cui etiam multum decedit propter impensas, & onera ipsorum bonorum ac utilitatem pretii frugum, & interdum etiam propter alterationem cursus monetarum, qui in illis regionibus limitrophis non semper in justo æquilibrio contineri potest; Ipsi Dux, & Senatus Bona præfata meliori qua fieri poterit conditione, vendere, et alienare, pretiumque inde proventurum in usus præsentis Belli contra Turcas erogare, ac memoratæ Ecclesiæ S. Marci reditus annuos, perpetuos, tutos.et securos ad rationem quatuor annuatim pro quolibet centenario pretii hujusmodi Venetiis prompte atque accurate solvendos, unde Ecclesiæ, et Seminarii hujusmodi necessitatibus, onerumque illis incumbentium adimplemento expeditius consuletur, præstare, et assignare intendunt, si nostra, et hujus Sanctæ Sedis sibi super hoc licentia suffragetur, et facultas; Nobis propterea Dux, et Senatus prædicti asserentes præmissa, si fiant, non minus in evidentem dictæ Ecclesiæ utilitatem, quam in Reipublicæ præfatæ opportunam subventionem esse cessura, humiliter supplicari fecerunt, ut sibi desuper opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Concedit Pontifex.

§.2. Nos igitur ipsorum Ducis, & Senatus desiderio hac in re favorabiliter quantum cum Domino possumus annuere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequen. harum serie absolventes, & absolutas fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati, circumspectioni tuæ fili Joannes Cardinalis, & Præsul, ac fraternitati tuæ frater Laurenti Archiepiscope,& Nuncie per præsentes committimus, & mandamus, quatenus si, & postquam vocatis, qui fuerint evocandi, ac prædictis bonis, & illorum confiniis, vocabulis, ac denominationibus prius coram vobis specificatis, de veritate narratorum, quodque venditio, & assignatio hujusmodi si fiant, in evidentem memoratæ Ecclesiæ Sancti Marci sint cessuræ utilitatem, vobis conjunctim procedentibus legitime constiterit super quo conscientiam vestram oneramus, eisdem Duci, & Senatui prædicta bona meliori, qua fieri poterit conditione vendendi, & alienandi, pretiumque inde redactum in usus præsentis Belli contra Turcas convertendi,& erogandi licentiam auctoritate nostra Apostolica concedatis; Ita tamen, ut loco eorumdem bonorum in forma juris valida unico contextu assignentur ipsi Ecclesiæ redditus annui perpetui tuti, & securi juxta quantitatem pretii dictorum bonorum ad rationem quatuor pro centenario super datiis, & gabellis perpetuis, & tutis, ac nulli alteri obnoxiis, prævia super hoc ipsius Reipublicæ obligatione, qui quidem redditus integre, ac libere ab iis, ad quos pertinet solvantur Venetiis ipsi Ecclesiæ S. Marci, seu illius ministris de semestri, in semestre.

Contrariis derogat.

§.3. Non obstantibus rec. mem. Pauli II., & aliorum Romanorum Pontificum Prædecessorum pariter nostrorum de rebus Ecclesiæ non alienandis, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon dictæ Ecclesiæ Sancti Marci, aliisve quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis,& Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. M. M. sub Annulo Piscat. die 18. Augusti 1668. Pontificatus nostri Anno II.

Dat. die 18. Aug. 1668. An. II.

LXXIII.

Concedit Regi Christianissimo, ejusque Successoribus jus nominandi ad Ecclesiam Tornacen. Ex Regest. in Secret. Brev.

Charissimo in Christo filio nostro Ludovico Francorum Regi Christianissimo.

CLEMENS PAPA NONUS

Charissime in Christo fili noster salutem, & apostolicam benedictionem.

Exordium.

PRæclara Majestatis Tuæ, ac Progenitorum, & Majorum Tuorum Regum Christianissimorum, Principum longe clarissimorum, invictissimorumque Christi Athletarum, ac egregiorum Sedis Apostolicæ Cultorum promerita exigunt, ac præcipuus, quo eamdem Majestatem Tuam filiali erga Nos, & eamdem Sedem observantia, ac pietate orthodoxæ fidei conservandæ, & propagandæ zelo, aliisque Rege Christianissimo dignis virtutibus, atque decoribus multipliciter præfulgentem prosequimur paternæ charitatis affectus, Nos urget, atque impellit, ut Tibi tuisque Successoribus Regibus Christianissimis luculenta Pontificiæ nostræ benignitatis dona largiamur: firma spe, atque fiducia in Domino freti, fore, ut tam Tu, quam Successores tui Reges præfati viæ antecessorum Regum vestigiis impressæ inhærentes Populos ditioni vestræ creditos in Fide Catholica, ac vetere erga Sedem prædictam obedientia continere pari laude conaturi, Constitutionesque Apostolicas in universis Dominiis vestris debitæ semper exequutioni mandari, ac Sedis ejusdem honorem, & auctoritatem illibatos conservari omni studio sitis curaturi.

Jus nominandi ad Ecclesiam Tornacen.

§.1. Volentes itaque Tibi, qui, ut accepimus, Civitatem Tornacen. Majestati Tuæ a charissimo in Christo filio nostro Carolo Hispaniarum Rege Catholico per tractatum Pacis inter utriusque vestrum Plenipotentiarios in Oppido Aquisgrani Leodien. Diœcesf. die 2i. Maii proxime preteriti initum, & subinde utrinque ratificatum in perpetuum cessam, & renunciatam de præsenti possides, tuisque Successoribus Regibus Francorum Christianissimis, quo Regiam benevolentiam erga personas benemeritas, Vobisque gratas, & acceptas exercere valeatis, gratiam facere specialem, ac sperantes Te, ac illos in nominandis ad Ecclesiam Tornacen. nunc, & pro tempore pastoris solatio destitutam personis, quæ vitæ integritate, religione, fide, & doctrina præstent, ac Episcopalis muneris prærogativa dignæ sint, summum studium, summamque diligentiam semper adhibituros, nec conscientiam vestram, hac in re ullo modo lædi passuros esse; motu proprio, ac ex certa scientia nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine, tibi, tuisque Successoribus Regibus Francorum Christianissimis, qui pro tempore eamdem Civitatem Tornacen. possederint, jus nominandi personam idoneam in Theologia Magistrum, aut in Decretis Doctorem, seu Licentiatum Nobilium Universitatum more diligenti examine præcedente, promotum, ad Ecclesiam Tornacen. prædictam nunc vacantem, & quotiescumque illam vacare contigerit, Nobis, & Romano Pontifici, qui pro tempore fuerit, per Nos, & eumdem Pontificem in Episcopum Tornacen. ad nominationem hujusmodi instituen., tenore præsentium in perpetuum reservamus, atque concedimus, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Decretum irritans.

Derogatio contrariorum

§.2. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac præditæ Ecclesiæ Tornacen., etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, etiam eidem Ecclesiæ, ejusque Capitulo, ac quibusvis aliis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac

cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis, etiam motu proprio, ac ex certa scientia, ac consistorialiter concessis, ac etiam iteratis vicibus confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, & exprimerentur, præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris,ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, illaque adversus præmissa suffragari nullo modo posse, seu debere, decernimus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. M. M. sub Annulo Piscatoris die 27. Augusti 1668. Pontificatus nostri Anno II.

Dat. die 27. Aug. 1668. An. II.

LXXIV.

Ampliatio juris nominandi ad Dignitates Abbatiales, et regimina Monasteriorum, Prioratus, Præposituras, seu Præpositatus Conventum habentes in quibusdam Ditionibus Belgicis consisten. Regi Christianissimo ante hac concessi ad similia Beneficia consistentia in aliis Ditionibus Belgicis, ei per nuperum tractatum Pacis a Rege Catholico concessis, et renunciatis. Ex Regest. in Secret. Brev.

Charissimo in Christo filio nostro Ludovico Francorum Regi Christianissimo.

CLEMENS PAPA NONUS

Charissimo in Christo fili noster salutem, & Apostolicam benedictionem.

Proemium.

§. 1. PRæclara Majestatis tuæ, ac progenitorum, & majorum tuorum Regum Christianissimorum, Principum longe clarissimorum, invictissimorumque Christi Athletarum, ac egregiorum Sedis Apostolicæ cultorum promerita exigunt, ac præcipuus, quo eamdem majestatem tuam filiali erga Nos, & eamdem Sedem observantia, ac pietate, orthodoxæ fidei conservandæ, & propagandæ zelo, aliisque Rege Christianissimo dignis virtutibus atque decoribus multipliciter præfulgentem prosequimur, paternæ charitatis affectus Nos urget, atque impellit, ut Tibi, uberiora Pontificiæ nostræ benignitatis dona largiamur: Firma spe, atque fiducia in Domino freti, fore, ut Tu viæ eorumdem majorum tuorum vestigiis impressæ inhærens, Populos ditioni tuæ creditos

ditos in Fide Catholica, ac vetere erga Sedē prædictam obedientia continere pari laude conaturus, Constitutionesque Apostolicas in universis Dominiis Tuis debitæ semper executioni mandari, ac Sedis ejusdem honorem, & auctoritatem illibatos conservari omni studio sis curaturus.

Jus nominandi ad dignitates Abbatiales aliis Regi ad vitam concessæ Pont.

§.1. Alias siquidem Nos tuis supplicationibus inclinati, Tibi tua tantum vita, durante, & quamdiu in sinceritate fidei, & unitate S. R. E., necnon obedientia, & devotione nostris, & Successorum nostrorum Romanorum Pontificum canonice intrantium persisteres, jus, & facultatem nominandi Nobis, & Romano Pontifici pro tempore existenti tam ad Dignitates Abbatiales, aut quorumcumque Monasteriorum regimina, etiam per Priores, aut Præpositos regi, & gubernari solitorum, quam etiam ad quoscumque Prioratus, Præposituras, aut Præpositatus Conventum habentes intra Urbes Atrebatum, Hesdinum, Bapalmam, Bethuniam, Lilerium, Lentiacum, Comitatum S. Pauli, Teruanam, Passium, earumque Balliviatus, aliosque Balliviatus, & Castellanias agri Atrebatensis, necnon Rentiacum, Urbes itidem, Arcesque Gravelingam, Arcem Philippeam, Slusam, Hannuinum, Burburgum, & Urbem S. Venantii in Flandria, Landrecejum, & Quercetum in Hannonia, Avennam quoque, Mariæburgum, & Philippolim; insuper in Agro Lucemburgico Theodonis Villam, Malmedium, Damuillerium, Urbem Jvodium, ejusque Præposituram, Castrum Chavanciacum, ejusque Præposituram, & Marvillam, earum Balliviatus, Castellanias, Præfecturas, Præposituras, Territoria, Dominia, Ditiones, accessiones, appendices, & adjuncta a Tempore, & per totum annum 1666. possessa dumtaxat consistentes, & consistentia, dummodo intra septa illorum existerent, etiam si sub temporali dominio aliorum Procerum consisterent, vel temporalem jurisdictionem haberent, ac etiamsi Prioratus, Præposituræ, aut Præpositatus, & non Monasteria nuncuparentur pro tempore vacantes, seu vacantia per Nos, & Romanos Pontifices Successores nostros ad nominationem tuam infra decem menses a die cujuslibet vacationis faciendam, ac Nobis, & Romano Pontifici pro tempore existenti præsentandam, conferendos, & conferenda, auctoritate Apostolica de speciali dono gratiæ concessimus, & indulsimus; Itaut de dictis Dignitatibus Abbatialibus, aut quibuscumque Monasteriis, Poratibus, Præposituris, & Præpositatibus prædictis pro tempore vacantibus absque nominatione tua prædicta, de aliis vero sub nominatione hujusmodi non comprehensis, & absque illa libere conferendis, dignitatibus videlicet secularibus principalibus, & regularibus actu non Conventualibus infra prædictos districtus consistentibus, nonnisi de locis tuæ ditioni subjectis, aut tibi gratis, & acceptis personis per Nos, & Successores nostros Romanos Pontifices, & Sedem eamdem pro tempore disponi, & respective provideri minime posset, & alias prout in nostris desuper in simili forma Brevis die 9. Aprilis proxime præteriti expeditis literis, quarum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur.

Ampliatur tale jus ad alias Civitates cessas ut in tabrica.

§.2. Cum autem, sicut accepimus, charissimus in Christo filius noster Carolus Hispaniarum Rex Catholicus, nonnullas alias Civitates, Oppida, Arces, Regiones, Districtus, & Loca in Belgicis Ditionibus consistentia, Majestati tuæ per tractatum Pacis inter utriusque vestrum Plenipotentiarios in Oppido Aquisgrani Leodien. Diœcesf. die ii Maii proxime præteriti initum, & subinde utrimque ratificatum in perpetuum cesserit, & renunciaverit. Nos Majestatem tuam, quo Regiam benevolentiam erga personas benemeritas, tibique gratas, & acceptas uberius exercere valeas, amplioris gratiæ favore prosequi volentes, ac sperantes te in nominandis ad infrascripta Beneficia personis, quæ vitæ integritate, religione, fide, & doctrina præstent summum studium summamque diligentiam semper adhibiturum, nec conscientiam tuam, hac in re nullo modo lædi passurum esse, iteratis tuis, hac in parte supplicationibus inclinati, tibi tua tantum vita durante, & quamdiu in sinceritate fidei, & unitate S. R. E., necnon obedientia, & devotione nostris, & Successorum nostrorum Romanorum Pontificum canonice intrantium præstiteris, concessionem juris, & facultatis nominandi Nobis, & Romano Pontifici pro tempore existenti ad supradictas Dignitates Abbatiales, & regimina Monasteriorum, etiam per Priores, & Præpositos regi, & gubernari solitorum, necnon Prioratus, & Præposituras, aut Præpositatus Conventum habentes tibi a Nobis per literas nostras prædictas factam, ut præfertur, ad quascumque similes Dignitates Abbatiales, ac regimina quorumcumque Monasteriorum etiam per Priores, & Præpositos regi, & gubernari solitorum, necnon quoscumque Prioratus, Præposituras, aut Præpositatus Conventum habentes in Civitatibus, Oppidis, Arcibus, Regionibus, Districtibus, & Locis tibi a memorato Carolo Rege per prædictum tractatum Pacis, cessis, & renunciatis, & quæ de præsenti possides, & in futurum vigore tractatus Pacis hujusmodi in Belgio pacifice possidebis dumtaxat, consistentes, & consistentia, servata tamen in reliquis supradictarum literarum forma, & dispositione, ac cum omnibus, & singulis clausulis, decretis, declarationibus, & indultis in eisdem literis quomodolibet contentis, & expressis, eadem auctoritate, tenore præsentium extendimus, & ampliamus.

Derogatio contrariorum

§. 3. Non obstantibus quibuscumque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac singulorum Prioratuum, Præposituratum, & Præpositatuum prædictorum,

rum, ac Ordinum quorum illa sunt, seu a quibus dependent, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis in genere, vel in specie, ac alias in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua mentio, seu quævis alia expressio habenda foret, illorum tenores præsentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 27. Aug. 1668. An.II.

Datum Romæ apud S. M. M. sub Annulo Piscatoris die 27. Augusti 1668. Pontificatus nostri Anno II.

LXXV.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Super contributione Ecclesiasticorum Castellæ, & Legionis in novo subsidio duodecim millionum, & 300. mil. ducat. pro Rege Catholico.

Charissimo in Christo filio nostro Carolo Hispaniarum Regi Catholico.

CLEMENS PAPA NONUS

Charissime in Christo fili noster salutem, & Apostolicam benedictionem.

Exordium.

ORthodoxæ fidei conservandæ, & propagandæ zelus, ac singularis in hanc Sanctam Sedem devotio, aliaque multiplicia merita, quibus clar. mem. Reges Hispaniarum Catholici progenitores tui eximie claruerunt, necnon præclara, quæ in ista tenera ætate tua elucet ad virtutem indoles, ex qua firmam concepimus in Domino spem, atque fiduciam fore, ut succedentibus Tibi cum Dei benedictione annis majorum tuorum vestigiis inhærendo, non minori regiarum virtutum fulgore resplendeas, plane exigunt, ut subsidia pro ejusdem fidei, & dominiorum tuorum præsertim adversus hæreticorum conatus defensione a tuis subditis prompte tibi oblata quantum cum Domino possumus, ac prout postulare videtur temporum conditio adjuvemus.

Motiva hujus Constitut.

§.1. Cum itaque, sicut Majestatis tuæ nomine Nobis nuper expositum fuit, laici subditi tuorum Regnorum, Castellæ, & Legionis in eorum Comitiis, sive Curiis, præter, & ultra subsidium novendecim millionum cum dimidio alterius millionis ducatorum monetæ Hispaniæ durante sexennio a die prima Augusti proxime præteriti incipiendo solvendum mediante impositione quarumdam gabellarum, sive usarum, ad quarum solutionem, sive contributionem Clerum, ac personas Ecclesiasticas Seculares, & Regulares eorumdem Regnorum, Castellæ, & Legionis pro eorum rata ad instar laicorum dicto sexennio durante teneri per quasdam nostras in simili forma Brevis, die 20. Martii proxime præteriti expeditas literas, quarum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso, & verbatim inserto haberi volumus sub certis modo, & forma tunc expressis decrevimus, & concessimus, aliud subsidium infrascriptum pariter durante sexennio a dicta die prima Augusti proxime præteriti incipiendo solvendum eidem Majestati tuæ præstare prompte obtulerint, & ad hunc effectum consenserint impositioni quatuor morapetinorum super qualibet mensura Vini Arroba vulgariter nuncupata, necnon unius morapetini super qualibet libra carnis, ac unius regalis monetæ prædictæ super quolibet Animali mactato, ad hoc ut exinde trecenta, vel circiter millia Ducatorum ejusdem monetæ pro solvendis stipendiis octo millium militum annuatim conficiantur; Præterea præstationi duorum millionum ducatorum parium, qui vulgariter vocantur (milliones de quiebras sive supplementi) dictorum novemdecim, & dimidii millionum, eo, quod concedantur pro supplendo eo, quod minus exigitur ex gabellis impositis pro solutione eorumdem novendecim, & dimidii millionum, quæ summa duorum millionum distribuitur inter Civitates, & Oppida proportionatim permissa illis electione mediorum magis congruentium, pro illorum exactione; Et quia in aliquibus partibus eligitur impositio super carnibus, vino, & oleo; in aliis vero ei rei consulitur per repartitionem personalem super laicis, sive per licentiam proscindendi, & excolendi Terras Communitatum, ac per cæsionem arborum, & silvarum, aliaque similia media, Ecclesiasticos id solum contingit, quod super speciebus, vini, carnis, & olei imponitur; Item duorum millionum cum dimidio alterius millionis ducatorum similium solvendorum mediante impositione octo morapetinorum super qualibet libra piscis recentis marini, vel fluvialis, exceptis tamen Sardis salitis, halecibus, & mugilibus Albures vulgariter vocatis, ex quibus pauperes sustentantur, & septem regalium super qualibet mensura Arroba nuncupata Sacchari, quod in Regno Granatæ conficitur, necnon quatuor super mascavato, & duorum Regalium dictæ monetæ super illo, quod de spuma, panela, & coguzos vulgariter vocant, ac viginti quatuor morapetinorum super illo de Melaza, & melle de spuma nuncupat.; Insuper præstationi aliorum sex millionum ducatorum parium in spatio ejusdem sexennii, solvendorum, nempe trium millionum per impositioné quatuor morapetinorum super qualibet libra sexdecim unciarum carnis vervecinæ, bubulæ, caprinæ, hircinæ, & porcinæ, ac quatuor regalium pro quolibet animali in

loci;

locis publicis, ac privatorum ædibus mactando, vel ex Regnis prædictis exportando, ac reliquorum trium millionum ducatorum monetæ hujusmodi per impositionem triginta duorum morapetinorum super qualibet mensura Cantara nuncupata vini, aceti, & olei in eisdem Regnis consumendorum, seu inde extrahendorum respective, quæ omnia sint exigenda, ac percipienda durante sexennio incipiendo a prædicta die prima Augusti proxime præteriti, nempe pro sexta illorum parte quolibet anno ejusdem sexennii, ac solvantur ex prædictis gabellis, sive oneribus super prædictas rerum species, ut præfertur, impositis, itaut omnes tam laici, quam Ecclesiastici prædictorum Regnorum non solum ementes, & vendentes, sed etiam illi, qui prædictas rerum species percipiunt ex propriis terrenis, vel affictibus, aut respective emunt in uvis, vel olivis, seu colligunt pro decimis, aut etiam dono accipiunt, seu alias ex quovis alio reddituu, & introitu habent, & consumunt, laici quidem omnes cujuscumque status, gradus, & conditionis, ac præeminentiæ (nemine illorum immuni, aut exempto) ad id subsidium contribuere, ac gabellas, seu impositiones hujusmodi solvere; Ecclesiastici vero eorumdem Regnorum si, & postquam nostra, & hujus Sanctæ Sedis licentia, & approbatio accederet, in subsidio hujusmodi, scilicet in prædictis gabellis super eisdem speciebus impositis contribuere, & gabellas, seu impositiones prædictas juxta literarum nostrarum in forma brevis super licentia, seu approbatione hujusmodi expediendarum formam, continentiam, & tenorem persolvere deberent respective. Idcirco pro parte ejusdem Majestatis tuæ Nobis fuit humiliter supplicatum pro approbatione oneris Cleri, Ecclesiarum, locorumque piorum, ac personarum Ecclesiasticarum ad contribuendum in prædicto sexennio a prædicto mense Augusti curreutis anni 1668. & ut sequitur usque ad mensem Augusti 1674. finiendo in prædictis gabellis, & oneribus, jam, ut præfertur impositis pro solutione quantitatum supra expressarum, attento, quod (ut Majestas tua asserit) agatur de communi defensione, & interesse tam laicorum quam Cleri, Ecclesiarum, locorum piorum, & personarum Ecclesiasticarum prædictorum Regnorum, quodque facultates laicorum ad prædictas summas novi subsidii hujusmodi conficiendas, ea, qua expedit celeritate intra tempus opportunum non sufficerent.

Concedit Pontifex, & exactores deputat.

§.2. Nos igitur nedum promptam, & obsequentem eorumdem laicorum subditorum tuorum erga Te oblationem, sed etiam Majestatis tuæ, tuorumque progenitorum erga Fidé Catholicam zelum commendantes, & ad ingentes sumptus, quibus Majestas tua gravatur ob assidua bella, quæ pro defensione Fidei Catholicæ, tuorumque Regnorum, & Dominiorum jugiter in pluribus Orbis partibus, tu, tuique Prædecessores Reges sustinuistis bella, accisasque ærariorum tuorum vires, ac urgentissimas necessitates tuas, paternæ dirigentes considerationis intuitum, motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine volentes, Majestatem tuam favore prosequi gratioso, Clerum, omnesque, & singulas Ecclesias, loca pia, personasque Ecclesiasticas tam seculares, quam cujusvis Ordinis etiam exempti, etiam Societatis Jesu, & Apostolicæ Sedi immediate subjecti Regulares, necnon Monasteria utriusque sexus, Conventus, ac Collegia, & Capitula quarumcumque Ecclesiarum Regnorum Castellæ, & Legionis prædictorum, ac in eisdem Regnis commorantes, & commorantia, & respective consistentes, & consistentia ad conferendum, & contribuendum pro eorum rata adinstar laicorum in dictis gabellis, seu impositionibus quoad supra expressas novi subsidii quantitates dumtaxat mediante scilicet solutione prædictarum gabellarum, seu impositionum in prædictis quantitatibus tantum, & super prædictis rerum speciebus dumtaxat in dictis Regnis colligendis, & consumendis, vel inde exportandis, ut præfertur, impositarum durante sexennio dumtaxat a prædicto mense Augusti proxime præterito, ut præmittitur incipiendo, & ut sequitur finiendo, & non ultra teneri, & obligatos esse, non tamen quoad prædictas rerum species, quas Clerus, Ecclesiæ, locaque pia prædicta, & personæ Ecclesiasticæ prædictæ ex propriis terrenis, seu Decimis, & aliis quibuscumque redditibus propriis per se, vel alios, etiam Affictuarios suos, vel etiam ex elœmosynis, sive ostiatim, sive aliquovis modo pro tempore datis, & erogatis, ac ipsis traditis percipiunt, & pro divino cultu, seu propriis, vel familiarum suarum usibus juxta taxationem ubi super his partes discordes fuerint, ad instautiam cujuslibet earum, expensis tamen perperam contradicentis, per Ordinarios locorum Ecclesiasticos, seu ab eis deputatos faciendam consumunt, pro quibus omnino immunes, & exempti sint, & elapso prædicto sexennio, exactio respectu Ecclesiasticorum cesset, & nullatenus quovis prætextu, vel causa continuari possit, etiamsi integra summa quantitatum novi subsidii hujusmodi supra expressa non fuisset exacta, quodque si ante finem sexennii prædicti eadem summa confecta fuerit, Ecclesiastici prædicti amplius contribuere, & dictas gabellas, sive impositiones, ut præfertur, solvere non debeant, sed præsens gratia expiret, nullaque sit eo ipso, quodque Clerus, Ecclesiæ, loca pia, & personæ Ecclesiasticæ prædictæ durante prædicto sexennio non possint gravari ratione cujusvis novi augmenti prædictarum gabellarum, & impositionum super eisdem ac novæ impositionis, aliarumque gabellarum, & impositionum super quibusvis rerum speciebus, nec etiam pro portionibus juros

juros nuncupatis de laicorum tantum consensu, alias erectis, & impositis, eorumque fructibus, nisi si, & postquam beneplacitum nostrum, seu a Successoribus nostris concessum fuerit, alias in quolibet casu contraventionis, contraveniens eo ipso absque alia monitione, & declaratione sententiam excommunicationis majoris, reservata illius, ut infra exprimitur absolutione incurrat, & ad restitutionem illius, in quo excesserit, teneatur, tenore earumdem præsentium decernimus, & declaramus: Volentes etiam, quod omnes, & singuli Ecclesiastici prædicti solvere recusantes opportunis juris, & facti remediis per ordinarios locorum Ecclesiasticos tantum, ad solutionem hujusmodi cogantur, non autem coram Judicibus laicis, sive Exactoribus earumdem gabellarum, sive impositionum, neque coram quibusvis aliis Judicibus laicis, aut Ministris sub pœna excommunicationis majoris, et aliis pœnis per Sac. Canones, & Const. Apostolicas inflictis, & comminatis ipso facto sine alia monitione, & declaratione incurrendis a quibus a nemine præterquam a Nobis, & Rom. Pontifice pro tempore existente absolvi etiam vigore quorumcumque privilegiorum Apostol. etiam Cruciatæ Sanctæ, nequeant, conveniri nullo modo possint, seu debeant, sed a pred. Ordinariis Ecclesiasticis tantum ad solutionem hujusmodi compelli valeant; Quibus Ordinariis sub interdicti ingressus Ecclesiæ, & suspensionis a divinis, necnon omnibus, & singulis Majestatis tuæ Officialibus, & Ministris cujuscumque status, gradus, conditionis, dignitatis, & præeminentiæ fuerint, ac aliis quibuscumque etiam speciali nota dignis, etiã Apostolicæ Sedis Delegatis, & Commissariis etiam Cruciatæ prædictæ, cæterisque aliis, ad quos quomodolibet spectat, & pro tempore spectabit, sub prædicta excommunicationis majoris pœna, ut præfertur, eo ipso incurrenda, ejus absolutione itidem, ut supra reservata, ac sub obtestatione divini judicii, & interminatione maledictionis æternæ districte præcipiendo mandamus, ne Ecclesias, & loca prædicta, ac Clerum, & Ecclesiasticos, aliosque prædictos indebite, neque ultra, præter, aut contra continentiam, & tenorem præsentium nostrarum literarum gravent quomodolibet, nec a quoquam gravari permittant, & nedum contra quoscumque contravenientes, & quomodolibet inobservantes ad sententiarum, & pœnarum prædictarum promulgationem, & declarationem respective, sed etiam contra eosdem Ecclesiasticos seculares, & regulares etiam exemptos, Nobisque, & Sedi Apostolicæ immediate subjectos, etiam Soc. Jesu solvere recusantes ad quamcumque simplicem eorumdem Exactorum requisitionem etiam exequutive, & quacumque appellatione remota, auctoritate nostra procedant.

§.3. Volumus autem, ut pecuniæ ex prædictis subsidiis, & gabellis, sive impositionibus, ut præfertur, a dictis Ecclesiasticis exigendæ in predictos defensionis Catholicæ Fidei, ac Regnorum, & Dominiorum tuorum, et non in alios usus convertantur, super quo Majestatis tuæ, ejusque Ministrorum, et Officialium quorumcumque conscientiam oneramus.

Clausula sublata, & decretum irritans.

§.4. Decernentes præsentes literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore; Sicque, & non aliter quovis prætextu, ratione, vel causa per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores sublata quacumque omnibus, & singulis cujuscumque gradus, status, conditionis, qualitatis, præeminentiæ, & dignitatis etiam Ecclesiasticæ, etiam individua mentione dignis quomodolibet in contrarium judicandi, definiendi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, interpretari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§.5. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, etiam in generalibus Conciliis editis, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis, Ecclesiis, Regnis, Personis, Capitulis, Monasteriis, Conventibus, Collegiis, & aliis prædictis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie, ac alias in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda esset, illorum tenores, acsi de verbo ad verbum, nihil penitus omisso exprimerentur, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§.6. Ut autem præsentes nostræ literæ, cum opus fuerit, ad omnium notitiam facilius devenire possint, decernimus, ut earum exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ sigillo munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 12. Sept. 1668. Pontificatus nostri Anno II.

Dat. die 12. Sept. 1668. An. II.

Con-

LXXVI.

Concessio Indulgentiarum pro Confraternitatibus Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum, cum Indulto erigendi, instituendi, & aggregandi similes Confraternitates.

CLEMENS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. IN supereminenti Apostolicæ Dignitatis specula meritis licet imparibus a Domino sublimati, ad universos in vinea Domini, quæ est ejus Ecclesia, curæ nostræ divinitus commissa, ad animarum salutem provide consitos, & Sedis Apostolicæ benigno favore alitos Religiosorum hominum Ordines aciem mentis nostræ inflectentes, & inter eos Ordinem Fratrum, Beatæ Mariæ de Mercede nuncupatæ, sicut nomine, & professione, Captivorum, quos ex Christi fidelibus dura immanium Christiani nominis hostium servitus miseros premit, redemptioni addictum, ita in redimendis hujusmodi Captivis Fratrum, suorum pietatis studio, & vigilantia singulari, cum fructuum ubertate pari coruscare contemplantes, Nos ei ea per quæ, non solum confoveri, sed multis cum incrementis sese efferre, & elatos ramos charitatis, & pietatis in miserorum hujusmodi sublevamen, pro talento sibi a Domino, qui omnibus dat prout vult, commisso latius diffundere, & expandere valeat, eo libentius, & liberaliori manu, apertis spiritualium gratiarum, quarum dispensatores facti sumus, thesauris elargimur, & erogamus, quo magis id ad Dei gloriam, & animarum salutem judicamus in Domino successurum.

Expositio. §.1. Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Mathiæ Cubels antiquæ observantiæ, & Andreæ a Sancto Joseph familiæ Reformatæ Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede nuncupatę Redemptionis Captivorum Procuratorum Generalium petitio continebat: Quod cum a nonnullis Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris Religiosis, & Fratribus dicti Ordinis, diversas Confraternitates, seu Congregationes personarum secularium utriusque sexus erigendi, seu præfato Ordini, vel ejus singulis respective domibus regularibus uniendi, & incorporandi, seu eidem Ordini aggregandi, ipsique, & eorum secularibus personis sibi competentia privilegia, indulgentias, & gratias spirituales, facultates, & indulta sibi concessa communicandi attributa sit facultas, seu similes erigendi Confraternitates, et Congregationes consuetudo usu recepta fuerit, et non solum Religiosi præfati Ordinis, sed utique etiam Confraternitates, et Congregationes, ac seculares earum personæ hujusmodi Captivorum sub duro Barbarorum jugo languentium redemptioni, et libertati sedulo incumbant. Quare ut Religiosi Ordinis, ac Confraternitatum, seu Congregationum hujusmodi seculares personæ ad opus tam pium, et necessarium efficacius incitentur, et ne Indulgentiæ ipsi Ordini, et facultates, ut præferter, erigendi, et aggregandi, de cætero propter aliquas limitationes, seu revocationes aliquorum Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum in dubium aliquando revocari possint, pro parte dictorum Mathiæ, et Andreæ Nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus in præmissis opportune providere, de benignitate Apostolica dignaremur.

Quæ omnia confirmantur. §.2. Nos igitur, qui pia singulorum Ordinum Religiosorum in Ecclesia Dei recte institutorum vota, quibuscumque cum Domino possumus, modis omnibus promovere studemus, eosdem Mathiam, et Andream, ac Ordinis, et singularum Confraternitatum hujusmodi, singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati, et innodatæ existunt, ad effectum præsentium tantum consequendum harum serie absolventes, et absolutos, ac absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, ex voto Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium super Indulgentiis, sacrisque Reliquiis concedendis præpositorum, Religiosis præfati Ordinis, ac singularum Confraternitatum, seu Congregationum eidem Ordini, seu alicui ex ejus Domibus Regularibus aggregatarum, illarumque personis utriusque sexus, qui Captivorum hujusmodi Redemptioni incumbunt, ubicumque degentibus, cæterisq; utriusque sexus Christifidelibus vere pœnitentibus, & confessis, qui aliquam ex Confraternitatibus prædicto Ordini, seu alicui ejus domui regulari annexam, aggregatam, seu unitam de cætero ingredientur, die prima eorum ingressus, si Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint.

Indulgentiam Confratribus largitur. §.3. Ac nunc, & pro tempore existentibus dictarum Confraternitatum Confratribus ubilibet decedentibus, etiam vere pœnitentibus, & confessis, ac Sacra Communione, si id commode fieri poterit, refectis, vel saltem contritis, in eorum mortis articulo nomen Jesu corde, si ore nequiverint, devote invocantibus: Præterea ipsis Confratribus, etiam vere pœnitentibus, & confessis, ac eadem Sacra Communione refectis, qui aliquam Ordinis, vel Confraternitatum hujusmodi Ecclesiam, seu Oratorium ultima Dominica mensis Julii a primis Vesperis usque ad occasum Solis diei Dominicæ hujusmodi annis singulis devote visitaverint, quive scapularii, quæ singulis mensibus, ac duabus aliis solemnibus Processionibus, quarum prima tempore publicationis Missionis Religiosorum ipsius Ordinis pro redimendis Captivis, altera vero post eorumdem Captivorum redemptionem, de more celebrantur, devote interfuerint, & pias ad Deum preces pro Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione, inter Christianos Principes conciliandæ, & fovenda pace, hæresum extirpatione, infidelium conversione, ac Rom. Pontificis salute effuderint, qua Dominica, seu aliis diebus hujusmodi id pro tempore fecerint: Quive ad partes eorumdem infidelium pro miseris Christifidelibus inibi sub misero servitutis jugo deservientibus redimendis progredientur, si ante illorum discessum, ac post illorum reditum; iis vero qui e Barbarorum servitute redimentur, si infra mensem a die illorum Redemptionis computandum, idem SS. Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, & ut præfertur, oraverint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem, Apostolica auctoritate, tenore præsentium concedimus, & elargimur. Ac etiam eisdem Confratribus habitum dictarum Confraternitatum deferentibus, si vere pœnitentes, & confessi, semel in mense, vel in Domini Nostri Jesu Christi, aut Beatissimæ Virginis Mariæ, vel Sanctorum ipsius Ordinis Festivitatibus idem Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint; Quive quotidie per annum integrum ter Orationem Dominicam, & toties Salutationem Angelicam, vel Symbolum Apostolorum pro impetranda fortitudine, ac patientia iis, qui apud Barbaros, detinentur in captivitate, ne nomen Domini Jesu Christi negent, sed fortiores in fidei confessione persistant, ac quantocitius ab eadem servitute liberentur, recitaverint. Præterea, eisdem Confratribus etiam confessis, vel confitendi firmum propositum habentibus, habitum præfatum deferentibus, qui singulis diebus septies Orationem Dominicam, & toties Salutationem Angelicam præfatas, ad ipsius Deiparæ Virginis Mariæ gloriam, & honorem, aut ipsum Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, dum ad aliquem infirmum defertur, associaverint, vel qui hoc facere impediti, campanæ ad id dato signo genibus flexis septies Orationem Dominicam, & toties Salutationem Angelicam hujusmodi pro eodem infirmo recitaverint, seu pauperes e Captivitate Redemptos hospitio receperint, illosve ad Ecclesiam Ordinis, vel Oratorium Confraternitatis locorum, in quibus degunt, associaverint, septem annos, & totidem quadragenas. Postremo eisdem Confratribus, qui in Vigiliis festivitatum Domini nostri Jesu Christi, aut Deiparæ Virginis Mariæ, vel Sanctorum ejusdem Ordinis, sive singulis sextis feriis, ac diebus Sabbathi cujuslibet hebdomadæ, ad Dei Omnipotentis, & Deiparæ Virginis Mariæ laudem, & gloriam jejunaverunt, quive sepeliendis mortuis officiose, aut missis, & aliis divinis Officiis in Ecclesiis, seu Cappellis Ordinis, & Confraternitatum hujusmodi more Confratrum celebrandis, aut Congregationibus publicis, vel privatis earumdem Confraternitatum pro quocumque opere pio exercendo devote interfuerint, aut pauperes peregrinos, vel religiosos ipsius Ordinis hospitio exceperint, aut pacem cum inimicis propriis, vel alienis composuerint, seu devium aliquem ad viam salutis reduxerint, vel ignorantes Dei præcepta, & quæ ad salutem sunt necessaria docuerint, aut quinquies Orationem Dominicam, & toties Salutationem Angelicam præfatas pro animabus Confratrum dictarum Confraternitatum in Christi charitate defunctorum recitaverint, aut pauperes puellas de suo proprio, non autem aliquo particulari legato pio ad id relicto, vel relinquendo, matrimonio collocaverint, toties pro quolibet præmissorum posteriorum operum, piorum exercitio tres annos, & totidem quadragenas de injunctis eis, aut alias quomodolibet debitis pœnitentiis misericordiæ in Domino perpetuo dicta Apostolica auctoritate, earumdem tenore præsentium relaxamus. Ac eisdem Confratribus, ut indulgentias, & peccatorum remissiones præfatas, fidelium in Christi charitate defunctorum animabus per modum suffragii possint applicare.

Indulget erectionem confraternitatum. §.4. Ac ipsius Ordinis Magistro, & familiæ Reformatæ præfatæ Vicario, necnon ambarum familiarum hujusmodi Procuratoribus generalibus, nunc, & pro tempore existentibus, ut utriusque sexus Confraternitates, tam sub præfatæ Beatæ Mariæ de Mercede, quam alia quacumque invocatione, & denominatione, ubivis locorum eligere, & instituere, illasque sic erectas, & institutas illius Archiconfraternitatibus, servata tamen forma Constitutionis felicis recordationis Clementis Papæ Octavi Prædecessoris nostri super dictarum Confraternitatum erectionibus, & aggregationibus editæ, aggregare possint, & valeant, eadem auctoritate etiam perpetuo earumdem tenore præsentium indulgemus.

Contrariis derogat. §.5. Non obstantibus præfata Clementis, ac piæ memoriæ Pauli Papæ V. etiam Prædecessoris nostri similium gratiarum, revocatoria, seu moderatoria, necnon nostra de indulgentiis ad instar non concedendis, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio Pœnalis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, concessionis, elargitionis, relaxationis, & indulti infringere, vel ei ausu temerario contraire; Siquis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Dat. die 13. Sept. 1668. An. 1.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo sexagesimo octavo, septimo Idus Septembris, Pontificatus nostri Anno Secundo.

LXXVII.

Concessio Privilegiorum pro suis Cappellanis communibus.

CLEMENS PAPA NONUS

Ad futuram rei memoriam.

Procœmium. GRata familiaritatis obsequia, quæ dilecti filii Michael Angelus Lualdus Romanus Canonicus secularis, & Collegiatæ Ecclesiæ S. Marci de Urbe, Hieronymus Mainerius Aquensis, Nicolaus Nocetus Romanus, Joannes Guadagnolus Aretinus, Paulus Blanconius Romanus Clericus Beneficiatus in Basilica Principis Apostolorum, & Franciscus Agnellus Ripanensis Canonicus secularis, & Collegiatæ Ecclesiæ SS. Celsi, & Juliani de eadem Urbe Presbyteri moderni Cappellæ nostræ Pontificiæ Cappellani, Familiares nostri, Nobis, & Apostolicæ Sedi hactenus impenderunt, & adhuc solicitis studiis impendere non desistunt, necnon vitæ, ac morum honestas, aliaque laudabilia probitatis, & virtutum merita, quibus eorum personas tam familiari experientia, etiam quam fide dignorum testimoniis juvari percepimus, Nos inducunt, ut illis reddamur ad gratiam liberales.

Cappellanos suos sed. Apostolicæ Notarios Comites Nobiles, &Cives creat.

§.1. Hinc est, quod Nos volentes illos specialibus favoribus, & gratiis prosequi, eosque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes; Motu proprio, & non ad supradictorum Michaelis Angeli, Hieronymi, Nicolai, Joannis, Pauli, & Francisci, vel alicujus ipsorum, aut aliorum pro eis Nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de mera nostra deliberatione, ac certa scientia, Apostolica auctoritate, tenore præsentium Michaelem Angelum, Hieronymum, Nicolaum, Joannem, Paulum, & Franciscum prædictos, & illorum singulos in nostros, & Sedis Apostolicæ Notarios recipimus, ac Sacri Palatii, & Aulæ Lateranensis Comites (sine tamen dilectorum filiorum Notariorum de numero participantium præjudicio) necnon Nobiles Romanos, & Urbis Romæ, omniumque, & singularum aliarum Civitatum, Terrarum, & Locorum S. R. E. mediate, vel immediate subjectorum Cives creamus, & constituimus, ac in numerum, & consortium nostrorum, & ejusdem Sedis Notariorum, necnon Palatii, & Aulæ Comitum, ac Nobilium Romanorum, aliorumque Civium Civitatum, & Oppidorum prædictorum, referimus, & conscribimus, ipsisque, etiamsi habitum, & rocchettum Notariorum dictæ Sedis juxta decretum Lateranensis Concilii novissime celebrati non deferant, aut Civitates hujusmodi non incoluerint, nec unquam in eisdem Civitatibus domicilium habuerint, ut omnibus, & quibuscumque privilegiis, facultatibus, exemptionibus, immunitatibus, libertatibus, favoribus, gratiis, & indultis, quibus cæteri omnes Notarii nostri etiam de numero participantium, necnon Comites, & Nobiles, ac Cives originarii, etiam in dignitatum, & beneficiorum Ecclesiasticorum, & secularium, etiam ex personis Romanorum originariorum vacantium assequutione, & exercitio, tam in Urbe, quam Civitatibus prædictis, ac alias ubique locorum, & gentium, necnon sessionum, & conventuum utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, non solum ad illorum instar, sed pariformiter, & æque principaliter, ac si privilegia, facultates, exemptiones, gratiæ, & indulta pro ipsis emanassent (citra tamen exemptiones a Concilio Tridentino sublatas, itaut nedum quoad criminalia, sed etiam quoad civilia subjaceant Ordinariis, ac citra facultates legitimandi, ad gradus promovendi, ac Notarios, seu Tabelliones creandi, aliaque hujusmodi privilegia a Notariis Sedis Apostolicæ, & Comitibus Palatinis prætensa, itaut illis supra memorati Cappellani familiares nostri nullibi uti valeant, ac irritum, & inane existat, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari) uti, potiri, & gaudere, ac in omnibus, & singulis Apostolicis, aliisque literis, instrumentis, & scripturis publicis, & privatis deinceps eorum nomine conficiendis, sese Notarios, Comites, & Nobiles, ac de Nobili genere ex utroque parente procreatos, necnon Romanæ, & aliarum Civitatum Cives, ut libuerit, inscribere, & se illis subscribere valeant, ac pro veris, & non fictis Notariis, Comitibus, Nobilibus, & Civibus habeantur, nihilque, qualecumque illud fuerit, cum iis expressionibus subreptitium, obreptitium, aut invalidum, sed illud idem efficax in omnibus, et per omnia censeatur, concedimus, et indulgemus.

Beneficia Ecclesiæ ab omnibus oneribus eximit.

§.2. Et insuper illos, eorumque Beneficia, & officia Ecclesiastica quæcumque, quotcumque, & qualiacumque, illorum fructus, res, & jura ubicumque locorum, regionum, & Provinciarum, necnon in Urbe, Civitatibus, Terris, & Locis eidem Rom. Eccl. mediate, & immediate subjectis consistentia, prædia, domos, possessiones, & bona patrimonialia, aliaque temporalia mobilia, & immobilia, & se moventia, necnon actiones, & jura præsentia, & futura, cujuscumque qualitatis, quantitatis, & naturæ, & cujusvis etiam annui valoris fructus, redditus, & proventus hujusmodi sint, vel fuerint, ac etiam quæcumque ab illis vendenda, ac pro illorum, familiarumque suarum usibus emenda ab omnibus, & quibuscumque decimis, quartis, & dimidiis partibus, subsidiis, etiam charitativis, necnon vectigalibus, portoriis,

riis, tributis, datiis, pedagiis, collectis, & quocumque alio nomine nuncupatis angariis, parangariis, cæterisque oneribus, & contributionibus, tam urbanis, quam rusticis, ordinariis, & extraordinariis, realibus, & personalibus, & mixtis, etiam ratione munitionum mœnium, & pontium, portarum, & moliturarum, & mercium cujuscumque generis transitus, seu passus, & vecturæ etiam in aliud territorium, seu Provinciam, terra, mari, & flumine, necnon equorum mortuorum, stabulationum militum, institutionis Seminarii Ecclesiastici, aut ex quacumque alia quantumvis gravi, & gravissima causa (pro subventione contra infideles dumtaxat excepta) nunc & pro tempore impositis, ita quod illi, & cuilibet eorum nihil omnino horum, aut aliorum similium subire teneantur, nec per Cameræ Apostolicæ, aut alios Commissarios, seu vectigalium, & tributorum hujusmodi redemptores, conductores, & exactores quocumque privilegio, exemptione, & facultate suffultos, alias quam ut præfertur, valeant coarctari, quandiu servitiis nostris institerint dumtaxat eximimus, & liberamus.

Dispensat.

§.3. Ad hæc cum eisdem, ut quæcumque duo dissimilia, vel simplicia similia sub singulis tribus tectis quarumcumque trium Cathedralium, etiam Metropolitanarum, aut aliarum Ecclesiarum consistentias, etiamsi unum ex illis omnibus cum cura, aut dignitas, etiam major, & principalis, Canonicatus, & præbenda, personatus, administratio, vel officium fuerit, & ad dignitatem, personatum, administrationem, vel officium hujusmodi consueverit quis per electionem assumi, eisque cura etiam jurisdictionalis immineat animarum, si eis alias canonice conferantur, aut eligantur, præsententur, aut alias assumantur ad illa, & instituantur in eis, recipere, & dummodo illa omnia uno excepto personalem residentiam non requirant, infimul quoad vixerint, retinere.

Etiam à residentia.

§.4. Necnon etiam quamdiù Nobis inservierint tantum in beneficiis Ecclesiasticis, non tamen Parochialibus, vel curam animarum Parochianorum habentibus per eos pro tempore obtentis, etiam de jure, statuto, fundatione, vel privilegio personalem residentiam requirentibus, etiamsi dignitates in Metropolitanis, vel Cathedralibus majores, & in Collegiatis Ecclesiis hujusmodi principales fuerint, personaliter residere non teneantur, nec ad id per locorum Ordinarios, seu Ecclesiarum earumdem Capitula, aut quosvis alios ad residendum interim in illis inviti compelli possint, omnesque, & singulos illorum beneficiorum obtentorum fructus, & redditus durante servitio prædicto cum ea integritate (distributionibus quotidianis dumtaxat exceptis) cum qua illos perciperent, si in eisdem Ecclesiis, sive locis personaliter residerent, percipere, exigere, & levare, proviso tamen per eos, ut onera eisdem dignitatibus, & beneficiis quovis modo incumbentia congrue supportentur.

Alia indulta.

§.5. Necnon etiamsi Presbyteri fuerint, ac dignitates, & officia obtinuerint, leges, & jura civilia etiam publice in Scholis, ac Universitatibus Studiorum Generalium ad quinquennium dumtaxat, dummodo iidem trigesimum ætatis annum non excesserint, audire, ac si habiles, & sufficientes reperti fuerint, etiam ad Doctoratus gradum in hujusmodi facultate se promoveri facere, ipsaque jura etiam publice docere, atque Judicis, Advocati, & Procuratoris officium in causis Ecclesiasticis, & civilibus tantum exercere libere, & licite possint, & valeant, de specialis dono gratiæ dispensamus.

Confessarium eligere possint

§.6. Liceat quoque ipsis, & eorum singulis aliquem idoneum, & ab Ordinario loci approbatum Presbyterum secularem, vel cujusvis Ordinis Regularem in suum eligere Confessorem, qui vita eis comite eos, & ipsorum singulos a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, & per eos incursis, & quibus ipsos pro tempore illaqueari contigerit, etiamsi absolutio Nobis, & Successoribus nostris Romanis Pontificibus pro tempore existentibus specialiter, vel generaliter reservata existat, ac quorumcumque votorum, & Ecclesiæ præceptorum transgressionibus, homicidio casuali, manuum violentarum in quasvis personas etiam Ecclesiasticas, non tamen Episcopos, vel alios Superiores Prælatos, de præterito injectionibus, seu consilii, vel favoris ad id præstationibus, jejuniorum omissionibus necnon recitationis horarum Canonicarum, aliorumque divinorum officiorum, ac denique ab omnibus, & quibuscumque aliis eorum peccatis, criminibus, excessibus, & delictis quantumcumque gravibus, & enormibus, etiam talibus, propter quæ Sedes prædicta merito consulenda foret, videlicet a contentis in literis die Cœnæ Domini publicari consuetis, semel tantum in vita, & mortis articulo, in reliquis vero dictæ Sedi quomodolibet reservatis, aliisque quibusvis casibus semel in anno, confessionibus illorum diligenter auditis, sine tamen alicujus præjudicio, prædicta auctoritate Apost. absolvere, & illis pro commissis pœnitentiam pro modo culpæ injungere salutarem, necnon vota quæcumque (Ultramarino, Visitationis liminum Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum, castitatisque, & religionis votis dumtaxat exceptis) in alia pietatis opera commutare possit.

Indulti transferendi pensiones.

§.7. Ac etiam eisdem, eorumque singulis, ut quicumque locorum Ordinarii, vel Canonici Metropolitanarum, seu aliarum Cathedralium Ecclesiarum, aut personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ, tam in dicta Curia, quam extra eam, etiam ad id per eos, aut eorum singulos coram Notario, & testibus fide dignis eligendi, seu eligendæ quascumque pensiones annuas eis

& eorum singulis super Mensarum Abbatialium, seu Episcopalium, aut Archiepiscopalium, & quorumcumque aliorum Beneficiorum Ecclesiasticorum cum cura, & sine cura, secularium, & quorumcumque Ordinum Regularium, etiam Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani, quomodocumque, & qualitercumque qualificatorum fructibus, redditibus, proventibus, juribus, obventionibus, & distributionibus, etiam quotidianis, seu illorum loco fructus, proventus, jura, obventiones, distributiones, & emolumenta sibi nunc, & pro tempore assignata, & reservata quandocumque simul, vel successive, in toto, vel in parte usque ad summam centum ducatorum auri de Camera de eorumdem Cappellanorum, vel cujuslibet ipsorum conscisu, in toto, vel in parte, etiam in mortis articulo cassare, & extinguere, ac postquam cassatæ, & extinctæ fuerint alias similes pensiones annuas super fructibus, redditibus, proventibus, juribus, obventionibus, distributionibus, seu illorum loco fructus, redditus, proventus, jura, & obventiones, & emolumenta hujusmodi etiam usque ad summam prædictam uni, vel pluribus aliis personis etiam per eosdem Cappellanos, & eorum singulos nominandis, etiam quæcumque, quotcumque, & qualiacumque Beneficia Ecclesiastica obtinentibus, & expectantibus, seu clericali charactere insigniri volentibus, similiter eis, quoad vixerint, vel eorum legitimis procuratoribus eisdem modo, & forma, quibus eisdem Cappellanis assignatæ, aut reservari, vel assignari concessæ, seu concessi fuerint, etiam absque consensu easdem pensiones, & fructus, redditus, proventus, jura, obventiones, ac distributiones, & emolumenta hujusmodi solvere debentium, etiamsi pluries cassatæ, & de novo assignatæ fuerint, usque ad summam, & quantitatem prædictam, ac alias cum omnibus, & quibuscumque exemptionibus, & privilegiis, decretis, & clausulis, cautionibus, vinculis, obligationibus, cautelis, ac etiam censuris, & pœnis in prioribus reservationibus hujusmodi concessis, & contentis integre persolvendum reservare, constituere, & assignare.

Facultas testandi.

§.8. Necnon ut iidem Cappellani, & eorum quilibet de omnibus, & singulis domibus, prædiis, possessionibus, terris, & locis, etiam jurisdictionalibus, cæterisque bonis immobilibus, & mobilibus, quæ tamen non sint Altaris, seu Altarium Ecclesiarum ipsis Cappellanis nostris prædictis commissarum ministerio, seu alicui speciali earumdem Ecclesiarum divino cultui, vel usui deputata, seque moventibus, cujuscumque qualitatis, quantitatis, valoris, speciei, pretii, & conditionis existentibus, ac juribus, & actionibus ad eos ratione Ecclesiarum, etiam Cathedralium, & Metropolitanarum, Monasteriorum, Prioratuum, Præposturarum, dignitatum, & aliorum quorumcumque beneficiorum Ecclesiasticorum cum cura, & sine cura, secularium, & quorumvis Ordinum Regularium, quæ ex quibusvis concessionibus, & dispensationibus Apostolicis in titulum, commendam, administrationem, ac alias quomodolibet obtinuerint, & obtinent, ac obtinebunt, ac fructuum, reddituum, & proventuum Ecclesiasticorum loco pensionum annuarum, pensionumque annuarum super similibus fructibus, redditibus, & proventibus eis reservatarum, & assignatorum, ac reservandorum, & assignandarum, quos, & quas perceperint, percipiunt, & percipient in futurum, necnon emolumentorum quorumcumque Romanæ Curiæ Officiorum, ac alias quomodolibet spectantibus, & pertinentibus; ac etiam de dictis fructibus, redditibus, proventibus, ac pensionibus annuis, necnon eorum industria, & labore quomodolibet, & undecumque, licite tamen acquisitis, & acquirendis, ac alias etiam de mueribus, & officiis quæ exercuerint, ac eos exercere contigerit, & alia quavis occasione, vel causa, seu contemplatione ad eosdem perventis, & perventuris, etiamsi in pecunia numerata, ac jocalibus, gemmis, aliisque pretiosioribus rebus consistant tam in dicta Curia, quam extra eam ubique locorum, etiam penes beneficia ipsa existentibus, quorum omnium qualitates, & veros annuos valores, etiamsi talia forent, quæ in generali appellatione bonorum & suppellectilium non venirent, sed specialibus indigerent vocabulis, præsentibus ac si specifice, & sigillatim exprimerentur, & denotarentur, pro sufficienter expressis, ac declaratis haberi volumus, ac etiam de ipsis proventibus, ac pensionibus debitis, ac debendis, ac nondum perceptis, & exactis, etiamsi eorum solutionis, aut perceptionis terminus nondum advenerit pro illa rata, quæ illis debita erit, constitutione declaratoria super fructibus, & pecuniis non exactis, quæ forsan ad successores in ipsis beneficiis spectare, & pertinere debeant, non obstante, etiam accumulative cum quibusvis aliis similibus, vel dissimilibus facultatibus habitis, & habendis, usque ad summam ducentorum ducatorum auri similium dumtaxat, tam pro decentibus, & honestis impensis funebribus, quam etiam pro remuneratione illorum, qui eis viventibus inservierint, etiam ultra servitii meritum, ac in ipsorum consanguineorum, & affinium, ac quorumcumque piorum locorum favorem, & usum, & alias pro eorum arbitrio, & voluntate absolutis testari, ac testamento, codicillis, fideicommiliis, legatis, donationibus, tam inter vivos, quam causa mortis, & aliis quibuscumque modis & titulis, scriptura, etiam minus solemni, etiam coram duobus, vel tribus testibus, aut etiam cedula sola eorum manu scripta vel subscripta, ac alias in omnibus, & per omnia, prout, & quemadmodum eis videbitur, etiam in ipsa Curia (non tamen extra residentiam) etiam in mortis articulo, & non facta mentione præsentis, vel aliarum eis pro tempore concessarum similium facultatum, aut quod in vim illarum

rum testari, seu disponere velint, & intendant, semel atque iterum, & pluries disponere, statuere, & ordinare, itaut quidquid testatum, gestum, aut ordinatum, seu alias ab ipsis dispositum fuerit, etiam in vim simplicis distributionis, ac alias omni meliori modo valeat, & servari omnino debeat, ipsaque testamenta, codicillos, dispositiones, ordinationes, donationes, legata, & statuta, etiam pluries, & toties quoties eis videbitur, moderari, limitare, ac etiam in totum revocare, & alia de novo condere, etiam libere, & licite valeant, plenam, & liberam concedimus facultatem.

Omnæ defectus supplet.

§.9. Statuentes nihilominus, & ordinantes, eisque pariter indulgentes, quod si contigerit ipsos ab intestato, & sine ulla, vel cum minus valida bonorum, & rerum, ac fructuum, reddituum, & proventuum prædictorum dispositione in dicta Curia, vel extra eam, ac etiam extra sua beneficia, aut alia loca debitæ ab eis residentiæ personalis, etiam nulla subsistente causa, ab humanis decedere, omnia, & singula eorum bona, res, & jura etiam, ut præfertur, qualificata, necnon spolia pro dicta summa etiam ex prædictis, & alias undecumque provenientia ad Cameram Apostolicam, seu in dictis beneficiis successores non pertineant, sed ad hæredes sanguinis eorumdem integre deveniant, & illis deficientibus inter eorum familiares arbitrio personæ, seu personarum, quas ad id ipsi scripto nominaverint distribuantur, nili de alia dispositione, vel intentione eorumdem scriptura etiam minus solemni secus appareret, quam tunc velut efficacem ipsæ personæ, vel alii Judices, seu Executores omnino exequi, & adimplere, illique se conformare in omnibus, & per omnia debeant. Et nihilominus quæcumque hujusmodi testamenta, donationes, legata, dispositiones, & alia forsan alias ab ipsis, etiam nulla, aut minus sufficienti facultate fultis, de hujusmodi bonis, juribus, actionibus, fructibus, pecuniis, jocalibus, aliisque rebus supradictis, etiam in favorem consanguineorum, & affinium prædictorum, & alias quomodolibet facta, cum omnibus inde secutis, ac etiam ea, quæ per ipsos in futurum quomodolibet fient, ex nunc prout ex tunc, & e contra pro dicta summa ducentorum ducatorum dumtaxat approbamus, & confirmamus, omnesque, & singulos juris, et facti, ac solennitatum omissarum, et omittendarum necnon subsantiales, aliosque defectus quoscumque, si qui intervenerint in eisdem, etiamsi tales sint, vel fuerint, quod specialis, et specifica de ipsis mentio habenda esset, supplemus.

Contrariis derogat:

§.10. Non obstantibus præmissis, ac Lateranensis Concilii novissime celebrati de certo Notariorum numero, etiamsi ad illum nondum deventum fuerit, cui per hoc alias derogatum non intendimus, ac de consensu præstando in pensionibus, et quibusvis aliis etiam per Nos, et Sedem prædictam quomodolibet editis, et imposterum edendis Cancellariæ Apostolicæ regulis, et stylo in similibus hactenus servato, et piæ memoriæ Alexandri Papæ Sexti etiam Prædecessoris nostri tertiam partem bonorum Ecclesiasticorum Cameræ prædictæ deberi inter alia disponentibus, necnon ejusdem memor. Bonifacii Papæ Octavi etiam Prædecessoris nostri, per quam concessiones de fructibus in absentia percipiendis sine præfinitione temporis fieri prohibentur, ac quorumvis aliorum Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum, et quibusvis aliis Apostolicis, ac in Universalibus Conciliis editis specialibus, vel generalibus Constitutionibus, et Ordinationibus, necnon legibus Imperialibus, et aliis etiam municipalibus, tam Urbis, quam quarumvis aliarum Civitatum, et Locorum, in quibus Cives originarii creati sunt, ac quarumvis Ecclesiarum, Monasteriorum, Ordinum, et Hospitalis prædicti, necnon quorumvis Collegiorum, et Officiorum dictæ Curiæ, ac Regnorum, Provinciarum, & Urbis, ac aliarum Civitatum, & locorum, ac prædictæ Cameræ, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, stabilimentis, usibus, & naturis, etiamsi de illis servandis, & non impetrandis literis Apostolicis contra ea, nec etiam ab alio, vel aliis impetratis, aut aliis quomodolibet concessis utenor, ipsi Cappellani per se, vel eorum Procuratores præsiterint forsan hactenus, vel in posterum eos præstare contigerit juramentum, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis dictis Ecclesiis, Monasteriis, Ordinibus, & Hospitali S. Jo: Hierosolymitani, illorumque Præsulibus, seu Administratoribus, & Superioribus, ac Magistris, Præceptoribus, Prioribus, Militibus etiam Antianis, Capitulis, & Conventibus, Civitatibus, & locis, aliisque personis etiam particularibus, necnon Archiepiscopis, Episcopis, & aliis locorum Ordinariis, etiam ejusdem S.R.E. Cardinalibus, ac dictæ Cameræ Officialibus, illorumque Collegiis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis per quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores nostros, ac Nos, & Sedem prædictam, etiam consistorialiter, & de ejusdem S. R. E. Cardinalium consilio, ac per modum Statuti, & Constitutionis perpetuorum, ac motu, & scientia paribus, deque apostolicæ potestatis plenitudine, ac ad Imperatoris, ac Regum, & Reginarum, Ducum, & Marchionum, ac aliorum Principum instantiam, seu illorum contemplatione in genere, vel specie, aut alias quomodolibet, etiam iteratis vicibus concessis, confirmatis, & innovatis, & in posterum concedendis, confirmandis, & innovandis, etiamsi in iis, ac statutis, & stabilimentis prædictis caveatur expresse, vel tacite, quod Urbis nonnisi originariis Civibus Romanis, ac Civium eorumdem filiis, aliarum vero partium beneficia nisi per

per personas Illustres, seu Nobiles, ac etiam originarios Cives, aut alias certo modo in illis expresse qualificatos obtineri, aut conferri possint, & nullus in Civem Urbis, aut Civitatum, Oppidorum, Terrarum, & locorum hujusmodi admitti, seu illorum privilegiis uti possit, nisi prius in dictis Civitatibus, Oppidis, & locis per certum tempus habitaverit, seu etiam in illis bona etiam stabilia forsan ad certum valorem ascendentia possideat, quodque præceptoriæ, & alia beneficia quæcumque dicti Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani, tam ex ejus institutione, quam ex stabilimentorum prædictorum dispositione, non in titulum perpetuorum beneficiorum conferri, sed in commendam ad vitam Commendatariorum revocabiliter concedi debeant, & sic pensionibus Ecclesiasticis secularibus, aut aliis personis, Apostolica auctoritate reservandis gravari non possint, quodque stabilimentis, & privilegiis præfatis, etiam vigore clausulæ implicitæ derogationis latissime extendendæ, etiam per quascumque literas Apostolicas, & quasvis etiam derogatoriarum derogatorias, efficacioresque, et insolitas clausulas derogari non possit, nec derogatum censeatur, nisi derogatio hujusmodi de consilio dd. Cardinalium fiat, et tum demum ad id Magistri, & Conventus præfatorum expressus accedat assensus, sintque literæ derogationis hujusmodi etiam per dictum M. Magistrum subscriptæ, ac ei, et præfato Conventui per diversas in forma Brevis, aut alias diversas literas diversis temporibus cum certis intervallis præsentatas intimatæ, & non alias, nec alio modo, et semper in hujusmodi literis, quæ sic fient, etiam de simili consilio derogationis fit appositaclausula, quod illarum effectum sortiantur de consensu Magistri, et Conventus præfatorum, et non alias, aliter, nec alio modo. Quibus omnibus, et eorum singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & expressa, ac individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idē importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, et in eis caveatur expresse, quod illis nullatenus derogari possit, quodque clausula implicitæ derogationis in rescripto etiam motu proprio emanato apposita aliter in literis exprimi, vel extendi nequeat; illorum omnium tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore, et firmitate permansuris, hac vice dumtaxat harum serie in genere, et in specie ad effectum præmissorum specialiter, et expresse motu, et scientia similibus derogamus, ac derogatum esse decernimus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumpetur fides.

§.11. Volumus autem, quod præsentium transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus ubique fides, tam in judicio, quam extra illud adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, et adhiberi posset, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

§.12. Quodque præfati antequam gratia Notariatus perfrui possint, et valeant, in manibus alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ professionem fidei juxta articulos pridem a Sede præfata propositos emittere, et solitum fidelitatis juramentum omnino præstare teneantur, et quilibet ipsorum teneatur.

Dat. die 19. Sept. 1668. An. II

Datum Romæ apud S. M. M. sub Annulo Piscatoris, die 19. Septembr. 1668. Pontificatus nostri Anno II.

LXXVIII.

Suspensio Brevis Innocentii X. Generalem Congregationem in Societate Jesu singulo quovis triennio celebrandam injungentis.

CLEMENS PAPA NONUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

REligiosorum virorum Ordines, quos tanquam fertilia agri Dominici cultorum plantaria sapiens Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum pietas instituit, in visceribus paternæ gerentes charitatis, Societatem Jesu viris pietate, religione, sacrarum, eisque ancillantium bonarum literarum scientia, ac propriæ, alienæque salutis studio eximie præditis fulgentem, singularibusque in hanc Sanctam Sedem meritis conspicuam, peculiari Apostolicæ dilectionis affectu prosequimur. Et propterea felici illius regimini, religiosæque tranquillitati libenter consulimus, sicut omnibus debite consideratis, pietati atque prudentiæ censemus esse consentaneum.

Tenor Brevis Innoc. X.

§.1. Alias siquidem postquam felic. recordationis Innocentius PP. X. Prædecessor noster per quasdam suas in simili forma Brevis die prima Januarii 1646. expeditas literas, quarum tenorem præsentibus haberi volumus pro expresso, statuerat, mandaverat, præceperat, & ordinaverat, ut perpetuis futuris temporibus Congregatio Generalis in prædicta Societate Jesu singulo quoque novennio computando semper a celebratione ultimæ Congregationis Generalis haberi, & celebrari omnino deberet, itaut illius celebratio nullo modo, nec ex quavis causa, sive per Præpositum Generalem pro tempore existentem, sive per quamcumque Congregationem particularem, vel generalem impediri, vel ultra novennium hujusmodi differri, seu prorogari posset; utque quotiescumque haberetur, & celebraretur Congregatio Generalis hujusmodi, toties novi Assistentes ab illis plane diversi, qui præcedente novennio Assistentium muneribus functi fuissent, eligi, seu assumi, & deputari.

Ac

novennalis illa plane inutilis futura sit, cum singulis triennis celebrari soleat, & debeat Congregatio Procuratorum electorum ex omnibus Provinciis cum facultate convocandi Congregationem Generalem si sit opus. Tum etiam deterrent ingentes sumptus, quos necesse est fieri in convocanda quolibet novennio, & quidem sine necessitate Congregatione illa Generali. Deterrent quoque frequantia vitæ pericula, quibus exponuntur primarii Religiosi omnium Provinciarum ejusdem Societatis, iique plerumque Seues, quorum aliqui paucis ab hinc annis sublati naufragio, alii extincti febribus in itinere, alii in captivitatem ab hostibus abducti fuere. Quibus incommodis adjungitur relaxatio disciplinæ religiosæ in Provinciis, dum inde absunt Provinciales, & alii præcipui religiosi, qui præsentes conservando illius vigori invigilarent. Nobis propterea memoratus Joannes Paulus Præpositus Generalis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur.

Ad quam examinandi Congregatio Cardinalium deputatur.

§.4. Nos igitur ipsius Joannis Pauli Præpositi Generalis desiderio, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, ac prospero, felicique statui, atque incremento Societatis prædictæ de catholica religione multis nominibus optime meritæ, animum nostrum pastorali providentia intendentes, ad suprascriptas preces ejusdem Joannis Pauli Præpositi Generalis examinandas specialem Congregationem nonnullorum ex Venerabilibus Fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus prudentia, et zelo præstantium deputavimus. Cujus Congregationis audita sententia, et Nobiscum reputantes valde ad rem facere, ut per secreta suffragia constet, quid circa petitam abrogationem sentiat in Domino Societas universa, quæ per graviores Religiosos ejus Instituto optime imbutos, rerumque illius usu, atque experientia præditos, in Congregatione Generali coadunatos repræsentatur.

Exordium.

§.3. Cum autem, sicut dilectus filius Joannes Paulus Oliva Præpositus Generalis dictæ Societatis Nobis nuper exponi fecit, postrema Congregatio Generalis ejusdem Societatis Anno 1661. celebrata inter alia unanimi plane consensu decreverit, infimis precibus ab hac Sancta Sede petendam fore abrogationem prædictarum Innocentii Prædecessoris literarum, non solum in ea parte, in qua memoratus Alexander Prædecessor hujusmodi decreti conscius, illam subinde, ut præmittitur, concessit; sed etiam in reliqua celebrationem Congregationis Generalis quolibet novennio, novorumque Assistentium a præcedentibus diversorum electionem, seu deputationem concernente: quippe quæ, & Constitutionibus prædictæ a Sancto Ignatio illius Fundatore editis, quas quinque Romani Pontifices Prædecessores nostri approbarunt, conformis non sit, & adversetur tenui sex Congregationum Generalium ipsius Societatis, quæ contrarium magno consensu expedire Societati judicarunt. Accedit, quod abunde jam est prospectum in Societate cuicumque necessitati, ob quam Congr. Gen. cogi debeat, ideoque

§.5. Ideo auctoritate apostolica, tenore præsentium jubemus, atque decernimus, ut in Congregatione Generali prædictæ Societatis, quæ prima ex præscripto illius Constitutionum celebrabitur, prævia inter prædictos religiosos matura rei discussione, et consultatione, per secreta postmodum suffragia disquiratur: An bono dictæ Societatis expediat, ut terminus novennalis ad celebrandas Congregationes Generales in allegatis Innocentii Prædecessoris literis statutus abrogetur; quæ quidem disquisitio, si dicta Congregatio Generalis pro ele-

electione Præpositi Generalis celebranda, sit, ante illius electionem fiat. Postquam autem hujusmodi disquisitio peracta fuerit, illico ad Nos, vel ad Romanum Pontificem pro tempore existentem distincte referatur, quo numero suffragiorum ipsa Congregatio Generalis dicti novennalis termini, vel abrogationem, vel observantiam expetiverit, ut quid circa illum deinde observari debeat, Sedis Apostolicæ judicio statuatur.

Suspensio de qua in rubr.

§.6. Propterea exequutionem dictarum Innocentii Prædecessoris literarum in ea parte, cui per supradictas Alexandri Prædecessoris literas derogatum non fuit, auctoritate, & tenore prædictis interim suspendimus, illamque usque ad Congregationem Generalem ex præscripto Constitutionum Societatis prædictæ juxta prædicta primo celebrandam, effectu carere volumus, atque decernimus.

Clausula sublata, & decretum irritans.

§.7. Decernentes pariter easdem præsentes literas firmas, validas, & efficaces existere, et fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari; Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, et alios quoslibet quacumque præeminentia, et potestate fungentes, et functuros, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§.8. Non obstantibus prædicti Innocentii Prædecessoris literis, necnon omnibus, et singulis illis, quæ memoratus Alexander Prædecessor in suis literis supradictis voluit non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§.9. Volumus autem, ut ipsarum præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici, vel Secretarii dictæ Societatis subscriptis, et sigillo Præpositi Generalis ejusdem Societatis, seu alterius personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, et extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 20. Sept. 1668. An.II

Datum Romæ apud S. M. M. sub Annulo Piscatoris, die 20. Septembris 1668. Pontificatus nostri anno II.

LXXIX.

Jubilæum pro Regno Poloniæ, aliisque Provinciis, et Ditionibus Regi Poloniæ subjectis ad implorandum divinam opem pro prosperis ejusdem Regni successibus.

CLEMENS PAPA NONUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

DE salute Dominici gregis curæ nostræ divinitus commissi paternæ charitatis studio solliciti, inter tot, tantasque angustias, quibus Sancta Mater Ecclesia his calamitosissimis temporibus præmitur, gravissima, quæ in inclyto Poloniæ Regno de præsenti aguntur negocia assidue voluimus animo, & illis quantum Dominus donare dignatur consulere satagimus.

§.1. Hoc consilio, & privatis nostris sacrificiis, atque precibus accedimus ad Sacram Misericordiarum Domini Aram, et publicas in Alma Urbe nostra orthodoxæ fidei arce orationes indiximus, ut Clementissimus Dominus noster fidelium suorum precibus exoratus, Religionem Christianam, Fidemque Catholicam ubique, et præsertim in memorato Regno Poloniæ tueri, atque protegere, pacem atque animorum publico Ecclesiæ, Regnique bono unice studentium concordiam firmiter stabilire, atque solidare, prosperosque rerum successus benigne largiri dignetur. Id ipsum, ut et fideles ejusdem Regni, quos negotia hujusmodi, eorumque eventus propius tangunt, deposita per veram pœnitentiam sarcina peccatorum, auctisque per eleemosynas, atque jejunia viribus orationis, flagrantissimo cordis affectu faciant, eos omnes, et singulos paterne adhortandos, et monendos, eorumque pietatem erogatis Ecclesiæ Thesauris, quorum dispensationem Nobis credidit Deus, incitandam, atque fovendam esse censuimus.

Jubilæum concedit ut in rubrica.

§.2. Itaque de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi ex illa ligandi, atque solvendi potestate, quam Nobis Dominus licet indignis, contulit, universis, et singulis utriusque sexus Christifidelibus in præfato Poloniæ Regno, aliisque omnibus, et singulis Provinciis, et Ditionibus charissimo in Christo Filio nostro Joanni Casimiro Poloniæ, et Sveciæ Regi Illustri subjectis, degentibus, qui Ecclesias ab Ordinariis locorum, vel eorum Vicariis, seu Officialibus, aut de eorum mandato, et ipsis deficientibus per eos, qui ibi curam animarum exercent, postquam ad eorum notitiam hæ nostræ pervenerint, designandas, vel Ecclesiarum hujusmodi aliquam spatio duarum hebdomadarum a publicatione designationis per Ordinarios, vel eorum Vicarios, seu Officiales, vel alios, ut præfertur, faciendæ decursarum saltem semel visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium pro prosperis Regni præfati successibus devote Deum oraverint, ac quarta, et sexta feriis, ac Sabbatho alterius ex hebdomadis hujusmodi jejunaverint, et peccata sua confessi in die Dominica immediate sequenti, vel alia die intra eamdem hebdomadam sanctissima communione refecti fuerint, et pauperibus aliquam eleemosynam

nam, prout unicuique suggeret devotio erogaverint, plenissimam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem sicut in Anno Jubilæi visitantibus certas Ecclesias intra, & extra Urbem prædictam concedi consuevit, tenore præsentium concedimus, & elargimur.

Provident navigantibus iter agentibus aliisque impedimento detentis.

§.3. Navigantes vero, & iter agentes, ut cum primum ad sua se se domicilia receperint, supra scriptis peractis, & visitata Ecclesia Cathedrali, vel majore, aut Parochiali loci eorum domicilii, eamdem indulgentiam consequi possint, & valeant: Regularibus autem personis utriusque sexus etiam in claustris perpetuo degentibus, necnon aliis quibuscumque tam laicis, quâ ecclesiasticis secularibus, vel regularibus etiam in carcere, aut captivitate existentibus, vel aliqua corporis infirmitate, seu alio quocumque impedimento detentis, qui supra expressa, vel eorum aliqua præstare nequiverint, ut illa confessarius ex jam approbatis a locorum Ordinariis ante præsentium publicationem, seu approbandis in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus prorogare possit, eaque injungere, quæ ipsi pœnitentes efficere poterunt, pariter concedimus, & indulgemus. Insuper omnibus, & singulis Christifidelibus utriusque sexus tam laicis, quam ecclesiasticis secularibus cuiusvis Ordinis, Congregationis, & Instituti memoratis Regno Provinciis, & Ditionibus, ut præfertur, degentibus licentiam concedimus, & facultatem, ut sibi ad hunc effectum eligere possint quemcumque Presbyterum confessarium tam secularem, quam cujusvis ordinis, & instituti regularem ex approbatis, ut præmittitur, a locorum Ordinariis, qui eos ab omnibus excommunicationis, suspensionis, & aliis ecclesiasticis sententiis, & censuris a jure, vel ab homine quavis causa latis, seu inflictis, necnon ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus, & delictis quantumvis gravibus, & enormibus, etiam locorum Ordinariis sive Nobis, & Sedi Apostolicæ etiam in literis die Cœnæ Domini legi solitis contentis, & alias per quascumque nostras, aut Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum Constitutiones, quarum tenores præsentibus haberi volumus pro expressis quomodocumque reservatis in foro conscientiæ, & hac vice tantum absolvere, & liberare valeant; Et insuper vota quæcumque (religionis, & castitatis exceptis) in alia pia, & salutaria opera commutare, injuncta tamen eis, & eorum cuilibet in supradictis omnibus casibus pœnitentia salutari, aliisque ejusdem Confessarii arbitrio injungendis. Quapropter tenore præsentium in virtute sanctæ obedientiæ districte præcipimus, atque mandamus omnibus, & quibuscumque Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Ecclesiarum Prælatis, ac quibuscumque Ordinariis locorum in pred. Regno Poloniæ ac Provinciis, & Ditionibus existen. eorumque Vicariis, & Officialibus, vel iis deficientibus, illis qui curam animarum exercent, ut cum præsentium literarum transumpta, aut exempla, etiam impressa acceperint, illa statim absque ulla mora, retardatione, vel impedimento per suas Ecclesias, & Diœceses, Provincias, Civitates, Oppida, Terras, & loca publicent, & publicari faciant, Ecclesiamque, seu Ecclesias visitandas defigunt. Non intendimus autem per præsentes super aliqua irregularitate publica, vel occulta, nota, defectu, incapacitate, seu inhabilitate quoquo modo contracta dispensare, vel aliquam facultatem tribuere dispensandi, seu habilitandi, & in pristinum statum restituendi etiam in foro conscientiæ, neque etiam easdem præsentes iis, qui a Nobis, & Apostolica Sede, vel ab aliquo Prælato, seu Judice Ecclesiastico excommunicati, suspensi, interdicti, seu alias in sententias, & censuras incidisse declarati, vel publice denunciati fuerint, nisi intra tempus dictarum duarum hebdomadarum satisfecerint, aut cum partibus concordaverint, ullo modo suffragari posse, aut debere.

Contrariis derogat.

§.4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis præsertim quibus facultas absolvendi in certis tunc expressis casibus ita Romano Pontifici pro tempore existenti reservatur, ut nec etiam similes, vel dissimiles indulgentiarum, & facultatum hujusmodi concessiones, nisi de illis expressa mentio, aut specialis derogatio fiat, cuiquam suffragari queant, necnon regula nostra de non concedendis indulgentiis adinstar, ac quorumcumque Ordinum, & Congregationum, sive Institutorum regularium, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, eisdem Ordinibus, Congregationibus, & Institutis, illorumque personis quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores, præsentibus pro sufficienter expressis, ac formam in eis traditam pro servata habentes, hac vice specialiter, nominatim, & expresse ad effectum præmissorum derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi jubet.

§.5. Ut autem præsentes nostræ, quæ ad singula loca deferri non possunt, ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus, ut earumdem præsentium transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis ubique locorum, & gentium, eadem prorsus fides habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majo-

Dat. die 21. Sept. 1668. An.II.

Majorem sub Annulo Piscatoris die vigesimasecunda Septembris 1668. Pontificatus nostri Anno II.

LXXX.

Concessio Indulgentiarum pro Christifidelibus Status Ecclesiastici divinam opem implorantibus pro tuitione Civitatis, & Regni Cretæ contra Turcas, ac pro felici directione negotiorum Regni Poloniæ.

CLEMENS PAPA NONUS

Ad futuram rei memoriam.

Causa Constitutionis.

§.1. CUm Nos Dominica proxime preterita Processionis ab Ecclesia Sancti Stanislai Nationis Polonorum ad Ecclesiam Sancti Marci de Urbe a Nobis institutæ, ac Missæ solemni, quæ in eadem Ecclesia Sancti Marci subinde celebrata fuit una cum Venerabilibus Fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, necnon Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, aliisque Prælatis, & Officialibus Cappellæ Nostræ Pontificiæ interfuerimus, ac omnibus Christifidelibus vere pœnitentibus, & confessis, & Sacra Communione refectis, qui processioni, & Missæ prædictis interessent, vel utramque Ecclesiam hujusmodi eo die visitarent, ibique divinum auxilium tam pro defensione, atque tuitione Civitatis, & Regni Cretæ contra oppressiones Turcarum, quam pro præsentibus ne cessitatibus, felicique directione negotiorum Regni Poloniæ implorarent, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concesserimus, ac ejusmodi Indulgentiæ participes quoque fieri voluerimus regulares utriusque sexus in clausura viventes, qui ad divinam opem similiter confugerent.

§.2. Et in diversis ejusdem Urbis Ecclesiis Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum publicæ fidelium venerationi exponi curaverimus, piasque ad Deum preces his diebus indixerimus, ut Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis Ecclesiam suam Sanctam protegere, ejusque hostium impetus, & vires virtutis suæ potentia reprimere, atque confringere, prosperosque rerum eventus benigne largiri dignetur.

Concedit Indulgentias ut in Rubrica.

§.3. Hinc est, quod Nos alios quoque Christifideles ad similia Christianæ pietatis opera spiritualium gratiarum muneribus incitare cupientes, Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, & Episcopis, aliisque Ecclesiarum Prælatis, & Ordinariis Civitatum, & Diœcesum, Oppidorum, Terrarum, & Locorum Nobis, & Apostolicæ Sedi in temporalibus mediate, vel immediate subjectorum, seu eorum Vicariis in spiritualibus generalibus per præsentes committimus, & mandamus, ut statim atque ipsarum præsentium literarum transumpta seu exempla, etiam impressa, ad eos pervenerint, processiones pariter in suis respective Civitatibus, Oppidis, Terris, & Locis instituant, ac memoratum Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum in Ecclesiis per eos respective designandis fidelium venerationi per totum mensem Octobrem proxime venturum similiter exponi curent, publicasque preces indicant: Nos enim omnibus, & singulis utriusque sexus Christifidelibus vere pœnitentibus, & confessis, ac Sacra Communione refectis, qui processionibus hujusmodi respective interfuerint, vel Ecclesias a qua, & ad quam aliqua processionum hujusmodi fiet, eo die devote visitaverint, ibique divinum auxilium, ut præmittitur, imploraverint, necnon regularibus utriusque sexus in clausura viventibus, qui similiter confessi, & Sacra Communione refecti, pias ad Deum preces in suis respective Ecclesiis seu Monasteriis pariformiter fuderint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem concedimus similiter, & elargimur. Ac præfatis, & aliis Christifidelibus, qui ante Sanctissimum Sacramentum, ut præfertur exponendum per aliquod temporis spatium pie orando divinam opem, ut supra invocaverint, quoties id egerint, toties septem annos, & totidem quadragenas de injunctis eis, aut alias quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consueta relaxamus.

Transumptorum fides.

§.4. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 26. Sept 1668. An.II

Datum Romæ apud S. M. M. sub Annulo Piscat., die 26. Sept. 1668. Pont. nostri Anno II.

LXXXI.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Commissio Episcopis Cuturcen., Lemovicen., & Sarlaten., ut Monasteria Monialium de Bel Loco, & Loci de Fieux ab Hospitali S. Joannis Hierosolymitani dependentia Caturcen. Diœc. visitent.

Ven. Fratribus Episcopis Lemovicen., Caturcen., & Sarlaten., ac eorum cuilibet.

CLEMENS PAPA NONUS

Ven. Fratres salutem, & apostolicam benedictionem.

Exordium.

ONerosa pastoralis officii cura nullo suffragio meritorum Nobis ex alto commissa postulat, ut ad ea vigilantiæ nostræ partes propensius intendamus, per quæ Monasteriorum quorumlibet præsertim sanctimonialium felici statui, ac prospero personarum in eis Altissimo famulantium

lantium regimini, & quieti opportune provideatur, ac in illa pristinæ regularis observantiæ norma juxta sacrorum Canonum præscripta introducatur, & quantum in Domino fieri potest restituatur, prout conspicimus in Domino salubriter expedire; Vobis itaque, & vestrum cuilibet, de quorum prudentia, fide, integritate, & religionis zelo, plurimum in Domino confidimus, de Ven. Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negociis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio per præsentes committimus, & mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus vestrum de Bel Loco nuncuparum, & illi unitum loci de Fieux Monialium Monasteria a Prioratu S. Egidii Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani, ut asseritur dependentia Caturcen., seu alterius Diœcesis quamprimum fieri poterit, auctoritate nostra visitetis, ac tam in capite, quam in membris reformetis, & corrigatis, ac in singularum Monialium hujusmodi vitam, mores, ritus, & disciplinam diligenter inquiratis, necnon Evangelicæ, & Apostolicæ Doctrinæ, Sacrorumque Canonum, & generalium Conciliorum, & præsertim Tridentini Decretis, ac Sanctorum Patrum traditionibus, & regularibus dictorum Monasteriorum Institutis inhærendo, quæcumque reformatione, mutatione, correctione, renovatione, revocatione, ac etiam ex integro editione indigere cognoveritis, reformetis, mutetis, corrigatis, & etiam de novo condatis, condita Sacris Canonibus, & Concilii Tridentini Decretis, & Regularibus dictorum Monasteriorum Institutis non repugnantia, confirmetis, abusus quoscumque tollatis, pristinam regularis observantiæ normam, & disciplinam, ac reformationem, & clausuram, necnon bonas, ac laudabiles consuetudines, modis congruis restituatis, monialesque, reformationem, & clausuram admittere recusantes, ad reformationem, & clausuram hujusmodi recipien. moneatis, non autem cogatis, neque propterea expellatis, sed in posterum in ipsis Monasteriis nullas alias Moniales, nisi prius illæ reformationem, & clausuram hujusmodi se servaturas promittant, recipi prohibeatis, ac denique omnia, & singula, quæ dictorum Monasteriorum visitationem, correctionem, ac in illis reformationis, & clausuræ introductionem quomodolibet concernunt faciatis, dicatis, geratis, & exequamini, super quibus omnibus, & singulis plenam, liberam, & amplam facultatem, & auctoritatem, dicta auctoritate, tenore præsentium vobis concedimus, & impertimur.

Visitationem Monasteriorum committit ut in rubrica.

Pœnæ contra inobedientes.

§.2. Mandantes propterea omnibus, & singulis dictorum Monasteriorum Monialibus, & Superioribus quibuscumque ut vobis omnibus, & singulis in præmissis prompte pareant, & obediant, vestraque salubria monita, et mandata suscipiant humiliter, et efficaciter adimplere procurent, alioquin sententiam, sive pœnam, quam rite tuleritis, seu statueritis in rebelles ratam habebimus, et faciemus, auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Derogatio contrariorum

§.3. Volumus autem, ut si quæ graviora in visitatione hujusmodi repereritis, ea, necnon informationes omnes in hujusmodi visitatione sumendas sub vestris sigillis clausas ad Nos quamprimum transmittere curetis, ut quod in illis statuendum sit, matura consultatione adhibita, decernamus.

§.4. Non obstantibus Apostolicis, ac in Universalibus Provincialibusque, et Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, et Ordinationibus, ac Monasteriorum, et Ordinis, cujus fuerint, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et literis Apostolicis eisdem Monasteriis, illorumque Superioribus Monialibus, et personis quibuscumque sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis clausulis, et decretis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis eorum omnium tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, et ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 1. Oct. 1668. An.II.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die prima Octobris 1668. Pontificatus nostri Anno II.

LXXXII.

Concessio Indulgentiarum pro Christifidelibus Italiæ divinam opem implorantibus pro tuitione Civitatis, & Regni Cretæ contra Turcas, ac pro felici directione negotiorum Regni Poloniæ.

CLEMENS PAPA NONUS

Ad futuram rei memoriam.

Causa constitutionis.

§.1. CUM Nos nuper, videlicet die 23. Sept. proxime præteriti Processioni ab Ecclesia Sancti Stanislai Nationis Polonorum ad Ecclesiam Sancti Marci de Urbe a Nobis institutæ, ac Missæ solemni, quæ in eadem Ecclesia Sancti Marci subinde celebrata fuit, una cum Venerabilibus Fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, necnon Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, aliisque Prælatis, & Officialibus Cappellæ nostræ Pontificiæ interfuerimus; ac omnibus Christifidelibus vere pœnitentibus, & confessis, ac Sacra Communione refectis, qui Processioni, & Missæ prædictis interessent, vel utramque Ecclesiam hujusmodi eo die visitarent, ibique divinum auxilium tam pro defensione,

& tuitione Civitatis, & Regni Cretæ contra oppressiones Turcarum, quam pro præsentibus necessitatibus, felicique directione negotiorum Regni Poloniæ implorarent, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concesserimus; ac ejusmodi Indulgentiæ participes quoque fieri voluerimus regulares utriusque sexus in clausura viventes, qui ad divinam opem similiter confugerent: Et in diversis ejusdem Urbis Ecclesiis Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum publicæ fidelium veneration exponi curaverimus piasque ad Deum preces his diebus indixerimus.

Processiones, & preces per totam Italiã fieri mandat.

§. 2. Ac similia Christianæ pietatis opera tam in universo Statu Ecclesiastico Nobis mediate, vel immediate subjecto, quam in Dominio Reipublicæ Venetorum, erogatis pariter Indulgentiarum muneribus, fieri voluerimus, ut Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis Ecclesiam suam sanctam protegere, ejusque hostium impetus, & vires virtutis suæ potentia reprimere, atque confringere, prosperosque rerum eventus benigne largiri dignetur.

§. 3. Hinc est, quod Nos divini favoris præsidium in aliis quoque Italiæ Civitatibus, & locis pariformiter invocari, atque conjunctis fidelium precibus postulari cupientes: Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, & Episcopis, aliisque Ecclesiarum Prælatis, & Ordinariis Civitatum, & Diœcesium, Oppidorum, Terrarum, & Locorum reliquæ Italiæ, seu eorum Vicariis in spiritualibus generalibus per præsentes committimus, & mandamus, ut statim atque ipsarum præsentium literarum transumpta, seu exempla, etiam impressa, ad eos pervenerint, processiones pariter in suis respective Civitatibus, Oppidis, Terris, & Locis instituant, ac memoratum Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum in Ecclesiis per eos respective designandis fidelium venerationi per quindecim dies similiter exponi curent, publicasque preces indicant.

Concedit prout in Kalendario.

§. 4. Nos enim omnibus, & singulis utriusque sexus Christifidelibus vere pœnitentibus, & confessis, ac Sacra Communione refectis, qui Processionibus hujusmodi respective interfuerint, vel Ecclesias a qua, & ad quam aliqua Processionum ipsarum fiet, eo die devote visitaverint, ibique divinum auxilium, ut præmittitur, imploraverint, necnon regularibus utriusque sexus in clausura viventibus, qui similiter confessi, & Sacra Communione refecti, pias ad Deum preces in suis respective Ecclesiis, seu Monasteriis pariformiter fuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem concedimus similiter, & elargimur. Ac præfatis, & aliis Christifidelibus, qui ante Sanctissimum Sacramentum, ut præfertur, exponendum per aliquod temporis spatium pie orando divinam opem, ut supra invocaverint, quoties id egerint, toties septem annos, & totidem quadragenas de injunctis eis, aut alias quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consueta relaxamus.

Transumptis fides danda.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur ubique, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 1. Os. 1668. An. II.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die tertia Octobris 1668. Pontificatus nostri Anno II.

LXXXIII.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Confirmatio Privilegiorum Congregationi Hispaniæ Fratrum Carmelitarum Discalceatorum concessorum super facultate erigendi novas Domos de sola licentia Ordinariorum, & non obstante distantia.

CLEMENS PAPA NONUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

Ecclesiæ Catholicæ regimini meritis licet imparibus divina dispositione præsidentes, illa, quæ a Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris ad divini cultus, ac religionis, piorumque operum incrementum, & propagationem provide emanasse noscuntur, ut firma semper, atque stabilia persistant, Apostolici muniminis cum id a Nobis petitur, patrocinio libenter constabilimus.

Paulus V. concessit PP. de Monte Carmelo Discalceatis ut Monasteria de sola licentia Ordinariorum ubique fundare possent.

§. 1. Dudum siquidem postquam felicis rec. Paulus Papa V. Prædecessor noster Superioribus Ordinis Fratrum Beatæ Mariæ de Monte Carmelo Discalceatorum nuncupatorum, ipsisque Fratribus Discalceatis, ut ubique locorum quolibet in Districtu suo Domos, & Monasteria juxta Concilii Trident. Decreta, de sola licentia Ordinariorum, nullo aliarum personarum cujusvis Ordinis etiam regularium requisito consensu, condere fundare, & erigere valerent licentiam, & facultatem sub certis modo, & forma tunc expressis, auctoritate Apostolica concesserat: rec. me: Gregorius Papa XV. etiam Prædecessor noster eisdem Superioribus, & Religiosis, ut ubique locorum quilibet in Districtu suo Domos, & Monasteria præfata, etiamsi illa aliis Domibus regularibus Ordinum Mendicantium magis vicina essent, quam in privilegiis Ordinibus Mendicantibus hujusmodi concessis præscriptum est, dummodo tamen Ordinariorum locorum expressus ad hoc accederet assensus fundare, & erigere possent, dicta auctoritate concessit, & indulsit, & alias prout uberius continetur in eorumdem Pauli, & Gregorii Prædecessorum literis desuper in simili forma Brevis expeditis, tenorum, qui sequuntur videlicet: Gregorius Papa XV. ad perpetuam rei memoriam. Alias a felicis rec. Paulo Papa V. *reliqua omittuntur quia erunt in suo loco sub die* 8. *Nov.* 1621. *Anno I.*

Hoc privilegium Gregorius XV. ampliavit.

Supplicatio pro confirmatione privilegii hujusmodi

§. 2. Cum autem, sicut dilectus filius Joannes a Visitatione Procurator Generalis Congregationis Hispaniæ Fratrum Discalceatorum dicti Ordinis Nobis nuper exponi fecit fidelium pietas erga religionem eorumdem Fratrum Discalceatorum in dies crescat, & in multis locis præsertim Regnorum Hispaniæ novos Domos, & Monasteria Fratrum hujusmodi erigi, & fundari desideretur: Verum non desint, qui tam pium opus impedire conentur, non attentis privilegiis super ejusmodi fundatione eisdem Fratribus per literas præinsertas concessis, Nobis propterea dictus Joannes Procurator Generalis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Confirmat Pontifex.

§. 3. Nos igitur ipsum Joannem Procuratorem Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus etiam dilecti filii Nobilis Viri moderni Marthionis de Astorga pro charissimo in Christo filio nostro Carolo Hispaniarum Rege Catholico apud Nos, & Sedem Apostolicam Oratoris nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, præinsertas Pauli, & Gregorii Prædecessorum literas cum omnibus, & singulis in eis respective contentis, auctoritate Apostolica, tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus.

Decretum irritans.

§. 4. Decernentes easdem præsentes, & præinsertas literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum

§. 5. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon omnibus, & singulis illis, quæ in præinsertis Pauli, & Gregorii Prædecessorum literis concessa sunt non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§. 6. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, sive exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in Judicio, vel extra adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 6. Os. 1668. An. II.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die sexta Octobris 1668. Pontificatus nostri An. II.

LXXXIV.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Confirmatio reductionis novennalis præstationis 850. scut. ratione quorumdam bonorum ad directum dominium Cameræ Apostolicæ spectan. ab Hospitali Avenionen. debitæ ad 108. scut. quolibet novennio præstanda, ita tamen, ut milites Sedis Apostolicæ ægroti, & convalescentes perpetuis futuris temporibus gratis in dictum Hospitale recipi, ibique curari debeant,

CLEMENS PAPA NONUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Supplicatio.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Administratores Hospitalis Majoris Sanctæ Marthæ, sive Bernardi Rascassis nuncupati Civitatis nostræ Avenionen., quod alias videlicet anno 1641. cum dictum Hospitale bona valoris in proprietate novemdecim millium scutorum monetæ emptionis, vel hæreditatis, seu fideicommissi titulo acquisivisset, & ratione bonorum hujusmodi, quippe ad directum dominium Cameræ nostræ Apostolicæ spectantium, quatuor scuta cum dimidio pro quolibet centenario, atque ita octingenta quinquaginta scuta paria, vel circiter singulis novenniis eidem Cameræ præstare deberet; tunc existentes Administratores Hospitalis præfati sibi a tunc existente in dicta Civitate, & Comitatu Venayssin. Vice-Legato de licentia Ven. Fratris nostri Antonii Barberini Episcopi Prænestin. S.R.E. Cardinalis Antonii nuncupati tunc temporis in eisdem Civitate, & Comitatu Sedis Apostolicæ de latere Legati moderationem, seu reductionem novennalis octingentorum quinquaginta, vel circiter scutorum hujusmodi præstationis ad centum, & octo scuta similia dictæ Cameræ quolibet novennio præstanda concedi obtinuerunt, & secundum hanc moderationem, sive reductionem subinde factæ fuerunt eidem Cameræ de novennio in novennium solutiones usque ad annum proxime præteritum 1667. quo tempore dilecti filii Cameræ præfatæ ministri in Comitatu supradicto residentes litem desuper contra dictum Hospitale moverunt, & a dilecto pariter filio Judice ejusdem Cameræ per sententiam declarari obtinuerunt, gratiam eidem Hospitali tempore Legationis præfati Antonii Cardinalis, sicut præmit-

mittitur factam cum ipsâ Legatione expiraile.

Concedit Pontifex reductionem præstationis ut in rub.

§.2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat nostri, & dictæ Sedis milites ægroti in Hospitale præfatum gratis recipi, ibique curari solent cum notabili utilitate dictæ Cameræ, quæ alioquin eorumdem militum curationi providere deberet; dicti vero exponentes a sententia quidem præfata appellaverint, sed potius ex nostra, & dictæ Sedis benignitate eidem Hospitali opportune in præmissis a Nobis provideri, & ut infra indulgeri plurimum desiderent: Nos specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, ac dictæ litis statum, & merita, nominaque, & cognomina, ac qualitates Judicum, & Collitigantium, & alia quæcumque etiam specificam, & individuam mentionem, & expressionem requirentia, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, supplicationibus eorumdem exponentium, ac etiam dilectorum pariter filiorum Communitatis, & Hominum dictæ Civitatis Avenionen. nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, moderationem, seu reductionem dictæ novennalis præstationis octingentorum quinquaginta, vel circiter scutorum, ad centum, & octo scuta paria quolibet novennio Cameræ supradictæ præstanda memorato Hospitali factam, ut præfertur, ita tamen, ut nostri, & dictæ Sedis milites ægroti, & convalescentes perpetuis futuris temporibus in Hospitale prædictum gratis recipi, ibique absque ullius mercedis præstatione curari debeant, auctoritate apostolica, tenore præsentium perpetuo confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adiicimus, ac omnes, & singulos tam juris, quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Decretum irritans.

§.3. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac dicto Hospitali in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Cameræ præfatæ Præsidentes Clericos, aliosque Officiales, & Ministros judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum

§.4. Non obstantibus præmissis, ac felicis rec. Pauli II., & aliorum Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum de rebus Ecclesiæ, & Cameræ præfatæ non alienandis, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon dictæ Cameræ, & aliis quibusvis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 10. Nov. 1668. An.II.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 10. Novembris 1668. Pontificatus nostri Ann.II.

LXXXV.

Committitur Nuncio Sabaudiæ, ut audiat Recursus subditorum Principatus Messerani, & Marchionatus Crevacorii.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Ven. Fratri Angelo Archiepiscopo Damatien. nostro, & Apostolicæ Sedis apud dilectum filium Nobilem Virum Carolum Emanuelem Sabaudiæ Ducem Nuncio.

CLEMENS PAPA NONUS

Ven. Frater salutem, & apostolicam benedictionem.

Motiva præsentis Constitutionis.

§.1. CUM dilecti filii Consules, Consiliarii, & Homines Principatus Messerani, & Marchionatus Crevacorii aliorumque locorum annexorum ob magnam eorum ab Urbe distantiam non facile, nec sine notabili incommodo, & impensa valeant accedere ad Apostolicam Sedem, eique suos recursus, & querelarum causas proponere, si quando a Dominis, quibus ab eadem Sede commissi sunt, vel eorum judicibus sentiant, se in aliquo prægravari; indeque sæpius contigerit illos præsto neminem habentes, qui eos audiat, & præsidio sit, animis concitatis prosiluisse in varios excessus, maximo etiam cum detrimento prædictorum Dominorum loca ipsa obtinentium in feudum. Nos ex munere Nobis injuncto volentes omnia tranquillitati, ac etiam commoditati, & indemnitati prospicere; motu proprio, ac ex certa scientia nostra, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, Te, de cujus probitate, prudentia, ac in rebus agendis dexteritate, & experientia plurimum in Domino confidimus, constituimus, & deputamus, ut recursus, si quos a quibusvis gravaminibus per dilectum filium Nobilem Virum Principem Messerani, & Marchionem Crevacorii, sive ejus Judices prædictis Consulibus, Consiliariis, & hominibus tam

Nuncio Apostolico committit recursus ut in rub.

tam uti universis, quam uti singulis illatis, seu inferendis per eosdem Consules, Consiliarios, ac Homines ad Nos, & Sedem prædictam haberi contigerit, auctoritate nostra, ac uti a Nobis deputatus, audias, & quod circa illos, & illa sit agendum, eidem Principi, ejusque Judicibus rescribendo præscribas, & quomodo ab illis procedendum sit, dirigas, in arduis vero, & iis, quæ bonum regimen, ac statum dictorum locorum concernunt, informationes suscipias, & ad Nos transmittas, ut quid magis expedire censuerimus, decernere, & mandare valeamus; plenamque tibi in præmissis, & cæteris, quæ circa illa, & eorum occasione duxeris necessaria, & opportuna providendi, atque statuendi, & ordinandi auctoritatem concedimus, & delegamus.

Pœnæ contra inobedientes statuit.

§.2. Mandantes propterea moderno, & pro tempore existenti Principi Messerani, & Marchioni Crevacorii, necnon universis, & singulis aliis sub nostræ indignationis aliisque nostro arbitrio imponendis pœnis, ut tibi in præmissis pareant, & quidquid mandaveris exequantur, nec sub quovis prætextu, aut quæsito colore, vel causâte in prædictis audeant, vel præsumant directe, vel indirecte impedire, seu molestare, sed imo tibi in omnibus assistant, suoque adjuvent auxilio. Decernentes irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum

§.3. Non obstantibus præmissis, ac fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. Prædecessoris nostri de una, & Concilii Generalis de duabus dietis, ac quibusvis aliis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit Principatus, Marchionatus, & locorum prædictorum, & aliis quibuslibet etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in specie, aut alias in contrarium præmissorum quomodolibet concellis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, & exprimerentur, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisq; contrariis quibuscumque.

Dat. die 12. Nov. 1668. An.II.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 12. Nov. 1668. Pont. nostri Anno II.

LXXXVI.

Decretum ad favorem Magistrorum Cœremoniarum non Participantium exigendi a singulis Cardinalibus in promotione ad Cardinalatus honorem triginta sex ducatos auri de Camera, & post eorum obitum ab eorum hæredibus viginti quinque.

CLEMENS PAPA NONUS

Ad futuram rei memoriam.

Tenor Brevis Pauli V.

DUdum felic. rec. Paulus Papa V. Prædecessor noster motu suo proprio, ac ex certa scientia Magistris Cæremoniarum centum, ac Secretario, & Clerico, ac Computistæ Sacri S. R. E. Cardinalium Collegii septuagintaquinque a singulis Cardinalibus in promotione ad Cardinalatus honorem, necnon eisdem Magistris quinquaginta, ac Secretario, Clerico, & Computistæ similiter septuagintaquinque ducatos auri de Camera post obitum singulorum Cardinalium, etiamsi ad Cardinalatus honorem promoti Romam nondum venissent, & sive illos in Romana Curia, vel extra eam, & ubicumque decedere contingeret, in supplementum mercedis ordinaria, eorumdem Officialium, seu Ministrorum deberi, illisque conjunctim per pro tempore existentes Cardinales prædictos, seu eorum Agentes, & hæredes respective absque mora solvi, & eis consignari debere, sine tamen præjudicio quorumcumque jurium Cameræ Apostolicæ quomodolibet debitorum, ac solvendorum, auctoritate Apostolica perpetuo statuit, & ordinavit, & alias sprout in ipsius Pauli Prædecessoris literis desuper in simili forma Brevis, die 3. Januarii 1619. expeditis, quarum tenorem, præsentibus pro plene, & sufficienter expresso, & inserto haberi volumus, uberius continetur.

Magistri Cæremoniarum qui sint.

§.2. Cum autem præter prædictos Magistros Cæremoniarum, qui duo sunt, & Participantes vocantur, alii sint Cæremoniarum Cappellæ nostræ Pontificiæ Magistri interdum duo, & quandoque, prout de præsenti, tres, qui non Participantes nuncupantur; ipsique Magistri Cæremoniarum non Participantes in quasi possessione accipiendi, & exigendi a singulis Cardinalibus in promotione ad Cardinalatus honorem triginta sex, & post eorum obitum ab eorum hæredibus viginti quinque ducatos auri de Camera pares ex laudabili consuetudine (ut accepimus) reperiantur.

Decretum de quo in Rubr.

§.3. Nos attendentes Ven. Fratres nostros ejusdem S. R. E. Cardinales horum quoque Magistrorum Cæremoniarum officio, atque ministerio egere, & uti, dictaque emolumenta eis tanquam mercedem, seu pro eorum mercede præstari consueviſſe, & propterea illorum indemnitati consulere volentes, motu simili, ac ex certa scientia nostra prædictis Cæremoniarum

rum Magistris non participantibus triginta sex in promotione ad Cardinalatus honorem, & vigintiquinque ducatos auri de Camera prædictos inter eos pro æquis portionibus respective dividendos post obitum singulorum Cardinalium hujusmodi, etiam si ad Cardinalatus honorem promoti Romã nondum venerint, & sive in Romana Curia, sive extra eam, & ubicumque illos decedere contigerit, in supplementum mercedis ordinariæ eorumdem Magistrorum Cœremoniarum non Participantium pariter deberi, illisque conjunctim per existentes pro tempore Cardinales prædictos, seu eorum Agentes, & Hæredes respective absque mora solvi, & eis consignari debere, sine ullo tamen quorumcumque jurium Cameræ prædictæ quomodolibet debitorum, & solvendorum, ac anterioritatis, & potioritatis Cœremoniarum Magistrorum participantium, & trium Sacri Collegii Officialium supradictorum præjudicio, auctoritate Apostolica, tenore præsentium itidem perpetuo statuimus similiter, & ordinamus.

Exequutores deputat.

§.4. Injungentes propterea dilectis filiis nostro ejusdem S. R. E. Collegii Cardinalium moderno, & pro tempore existenti Camerario, necnon causarum Curiæ Cameræ prædictæ generali Auditori, quatenus intra mensem a die promotionis eorumdem Cardd. computandum, etiamsi iidem Cardinales nondum, ut præfertur, Romam venerint, per dicti Collegii Depositarium, vel alias prout melius expedire videbitur, triginta sex, in obitu autem, seu post obitum prædictorum Cardinalium sive in dicta Curia, seu extra eam, & ubicumque eos decedere contigerit, viginti-quinque ducatos auri de Camera hujusmodi memoratis Magistris Cœremoniarum non Participantibus ab hæredibus eorumdem Cardinalium, quibusvis appellationibus, subterfugiis, & cavillationibus remotis, ut præfertur, persolvi curent, & cum effectu faciant, ac summarium, & expeditum jus illis administrent, omnibusque remediis opportunis sibi benevisis, etiam cum invocatione auxilii brachii secularis cogant, & compellant.

Derogat contrariis.

§.5. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon omnibus, & singulis illis, quæ memoratus Paulus Prædecessor in suis literis prædictis voluit non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 22. Nov. 1668. An.II.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 22. Novembris 1668. Pontificatus nostri Anno II.

LXXXVII.

Suppressio, & extinctio Congregationum Canonicorum S. Georgii in Alga Venetiarum, ac Fratrum Jesuatorum, & Sancti Hieronymi de Fesulis.

CLEMENS PAPA NONUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

ROmanus Pontifex agri dominici curæ more seduli patris familias jugiter invigilans, ad evellendas inde Religiosorum Ordinum, atque Congregationum plantas, quæ deficiente primævo religiositatis vigore, atque spiritu, nullam, seu valde modicam in Ecclesia Dei utilitatem præstant, nonnunquam adducitur, sicut publico ejusdem Ecclesiæ bono conducibile in Domino arbitratur.

Suppressio Congreg.

§.1. Hac consideratione, aliisque gravissimis, & rationabilibus causis Nobis notis adducti, Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine Congregationes Canonicorum Sancti Georgii in Alga Venetiarum, ac Fratrum Jesuatorum Sancti Hieronymi, & Fratrum ejusdem Sancti Hieronymi de Fesulis sub regula Sancti Augustini, una cum omnibus earum respective dignitatibus, officiis, ac ministeriis, omnique conventualitate, collegialitate, titulo, essentia, ac denominatione, tenore præsentium perpetuo extinguimus, supprimimus, & abolemus.

Bona earum in opera pia convertenda.

§.2. Ac universa earumdem Congregationum sic suppressarum respective bona mobilia, & immobilia, tam sacra, quam prophana, Conventus, Collegia, Monasteria, domos, vineas, prædia, canones, responsiones, fructus, introitus, & jura quæcumque, ubicumque locorum existant, nostræ, & Sedis Apostolicæ dispositioni in usus, & opera pia per eos, quibus id a Nobis, & Sede præfata commissum fuerit, convertenda reservamus.

§.3. Præterea Canonicis, & Fratribus dictarum Congregationum suppressarum, qui nunc vivunt, & in eisdem Congregationibus respective professionem emiserunt, facultatem transeundi ad aliam quamcunque Religionem ab eadem Sede approbatam, in qua benevolos invenerint receptores, aut remanendi in seculo in habitu Clerici secularis, sub jurisdictione, & obedientia Ordinariorum locorum, ubi eos morari contigerit, cum provisione ipsorum singulis pro alimentis, Clericis quidem in summa quadraginta scutorum monetæ Romanæ, Laicis vero, seu Conversis in summa viginti scutorum parium annis singulis donec vixerint, seu aliunde sufficienter eis provisum fuerit, super certis bonis, aut redditibus Congregationum suppressarum hujusmodi respective per eosdem Ordinarios assignanda, tribuimus, & impartimur.

De Ecclesiis suppressis provident.

§.4. Postremo ne Ecclesiæ earumdem Congregationum suppressarum debito destituantur servitio, sed sartæ tectæ custodiantur, prædictis Ordinariis locorum, in quibus Ecclesiæ ipsæ sunt sitæ, per præsentes committimus, & mandamus, ut Cappellanos deputent cum competenti mercede, etiam super re certa de bonis prædictis assignanda, per quos Missis, & aliis oneribus satisfiat, ac ipsis Ecclesiis debitus cultus, & veneratio conservetur: utque dicti Ordinarii Inventarium tam sacræ, quam prophanæ supellectilis, ad Congregationes suppressas hujusmodi respective spectantis accurate conficiant, ac provideant ne a quoquam occultari, occupari, aut inde amoveri ullatenus possit, nisi, & donec a Nobis, seu Sede prædicta aliter provideatur.

Clausulæ præservativæ.

§.5. Decernentes eadem præsentes literas etiam ex eo quod Superiores, & alii Canonici, & Fratres, seu Religiosi Congregationum suppressarum præfatarum, & cæteri quicumque in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes illis non consenserint, nec ad ea vocati, & auditi, neque causæ propter quas eædem præsentes emanarunt, adductæ, verificatæ, aut justificatæ ullatenus fuerint, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, nullitatis, aut invaliditatis vitio, seu intentionis nostræ, aut alio quovis defectu, etiam quantumvis magno, inexcogitato, & substantiali, sive etiam ex eo, quod in eisdem præmissis solemnitates, & quævis alia servanda, & adimplenda servata, & adimpleta non fuerint, vel ex quocumque alio capite a jure, vel facto, aut statuto, vel consuetudine aliqua resultante, etiam in corpore juris clauso, sive etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, & quovis alio prætextu, occasione, vel causa, etiam quantumvis justa, rationabili, & privilegiata, etiam tali, quæ ad effectum validitatis præmissorum necessario exprimenda foret, notari, & impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam, & terminos juris, aut aliud quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, seu quomodolibet concesso, aut impetrato quempiam uti, seu se juvare posse, sed ipsas præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & quomodolibet spectabit in futurum, inviolabiliter observari.

Clausula sublata.

§.6. Sicque, & non aliter in præmissis omnibus, & singulis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de latere Legatos, & dictæ Sedis Nuncios, aliosve quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, in quavis causa, & instantia, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si quid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§.7. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, etiam in Conciliis generalibus editis, & quatenus opus sit, de jure quæsito non tollendo, ac de exprimendo vero valore in suppressionibus perpetuis, illisque committendis ad partes vocatis quorum interest, & aliis nostris, & Cancellariæ Apostolicæ regulis, necnon Congregationum suppressarum prædictarum, earumque respective Conventuum, Collegiorum, Monasteriorum, & Ecclesiarum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis eisdem Congregationibus, illarumque Superioribus, Canonicis, Fratribus, Religiosis, & personis quibuslibet, sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum, derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie, etiam motu simili, & consistorialiter, ac alias quomodolibet concessis, confirmatis, & pluries innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores, formas, & occasiones præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, insertis, & servatis respective habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumpto rum fides.

§.8. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 6. Dec. 1668. An.II.

Datum Romæ apud S. M. M. sub Annulo Piscat., die 6. Dec. 1668. Pont. nostri Anno II.

LXXXVIII.

Applicatio Bonorum trium Congregationum suppressarum in Statu Venetorum existentium ipsi Reipublicæ in subsidium contra Turcas.

Ex Regest in Secret. Brev.

Ven. Fratri Laurentio Archiepiscopo Carthaginen. moderno, & pro tempore existenti nostro, & Apostolicæ Sedis in Dominio Venetorum Nuncio.

CLEMENS PAPA NONUS

Ven. Frater salutem, & apostolicam benedictionem.

Motivæ Constitutionis.

§.1. CUM Nos gravissimis, & rationabilibus causis Nobis notis adducti,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

cti, Congregationes Canonicorum Sancti Georgii in Alga Venetiarum, ac Fratrum Jesuatorum S. Hieronymi, & Fratrum ejusdem S. Hieronymi de Fesulis sub Regula S. Augustini una cum omnibus earum respective dignitatibus; officiis, & ministeriis, omnique conventualitate, collegialitate, titulo, essentia, & denominatione perpetuo extinxerimus, & suppresserimus; Ac universa earumdem Congregationum sic suppressarum respective bona, mobilia, & immobilia, tam sacra, quam profana, Conventus, Collegia, Monasteria, Domos, Vineas, Prædia, Canones, Responsiones, Fructus, Introitus, & Jura quæcumque, ubicumque locorum existerent, nostræ, & Sedis Apostolicæ dispositioni in usus, & opera pia per eos, quibus id a Nobis, & Sede prædicta commissum foret, convertenda reservaverimus; Præterea Canonicis, & Fratribus dictarum Congregationum suppressarum, qui nunc vivunt, & in eisdem Congregationibus respective professionem emiserunt, facultatem transeundi ad aliam quamcumque Religionem ab eadem Sede approbatam, in qua benevolos invenerint receptores, aut remanendi in seculo in habitu clerici secularis sub jurisdictione, & obedientia Ordinariorum locorum, ubi, eos morari contigerit, cum provisione ipsorum singulis pro alimentis, clericis quidem in summa quadraginta sc. monetæ Romanæ; Laicis vero, seu Conversis in summa viginti scutorum parium annis singulis donec vixerint, seu aliunde sufficienter eis provisum fuerit, super certis bonis, aut redditibus Congregationum suppressarum hujusmodi respective per eosdem Ordinarios assignanda tribuerimus, & impertiti fuerimus; Ac demum ne Ecclesiæ earumdem Congregationum suppressarum debito destituantur servitio, sed sartæ tectæ custodiantur, prædictis Ordinariis locorum, in quibus Ecclesiæ ipsæ sunt sitæ, commiserimus, & mandaverimus, ut Cappellanos deputent cum competenti mercede, etiam super re certa de bonis prædictis assignanda, per quos Missis, & aliis oneribus satisfiat, ac ipsis Ecclesiis debitus cultus, & veneratio conservetur, utque dicti Ordinarii inventarium tam sacræ, quam profanæ suppellectilis ad Congregationes suppressas hujusmodi respective spectantis accurate conficiant, ac provideant, ne a quoquique occultari, occupari, aut inde amoveri ulterius possit, nisi, & donec a Nobis, & Sede prædicta aliter providebatur, & alias prout in nostris desuper in simili forma Brevis die sexta currentis mensis Decembris expeditis literis, quarum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur.

Supplicatio Reipubl. pro applicatione bonorum Congregationum suppressarum.

§.2. Et sicut pro parte dilectorum filiorum nobilium virorum Ducis, & Reipublicæ Venetorum Nobis nuper expositum fuit, ipsi atrocissimum sibi a Turcarum tyranno illatum bellum a viginti tribus annis pro suarum ditionum tuitione, sustineant, eorumdemque Turcarum Civitatem Candiæ, jamdiu vehementi obsidione præmentium impetus pro viribus propulsare satagant, sed ejusdem Reipublicæ facultates tot sumptibus in causam dicti Belli factis, adeo attritæ de præsenti reperiantur, ut bello hujusmodi in posterum sustinendo impares sint, manifestumque proinde instet periculum amissionis dictæ Civitatis, totusque Regni Cretæ, nisi Respublica ipsa præsentaneo aliunde auxilio sublevetur.

Concedit Pontifex.

§.3. Hinc est, quod Nos, qui ab ipso Pontificatus nostri primordio, omnia divinæ, humanæque opis præsidia, atque auxilia in subventionem rei Christianæ contra infensissimos illius hostes assiduis Pontificii zeli studiis conciliare, conquirere, atque pro viribus conferre non destitimus, Reipublicæ præfatæ in præsentibus rerum angustiis, quantum Nobis ex alto conceditur, subvenire, dictosque Ducem, & Rempublicam pro peculiari paternæ nostræ in eos charitatis affectu specialis favore gratiæ prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnia, & singula memoratarum trium Congregationum, ut præmittitur, suppressarum bona (exceptis sacris) in Statu dictæ Reipublicæ Venetorum existentia in subsidium, atque subventionem Civitatis Candiæ, & Regni Cretæ præfatorum, ac expeditionis contra Turcas supradictos, apostolica auctoritate, tenore præsentium perpetuo applicamus. Ac tibi per easdem præsentes committimus, & mandamus, ut per te ipsum, vel per Commissarios a te specialiter deputandos bona hujusmodi quamprimum Ecclesiis, Monasteriis, & aliis locis piis dumtaxat, itaut ecclesiasticæ jurisdictioni semper subjaceant, & subjecta, atque ecclesiastica perpetuo remaneant, ac ad Ecclesias, Monasteria, & loca pia hujusmodi illa respective emptura, & emptura cum omnibus, & singulis libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, privilegiis, juribus, & indultis cum quibus ad Congregationes, ut præfertur, suppressas, ante suppressionem hujusmodi spectabant, & ab illis possidebantur, pariformiter, perpetuo spectare, & ab illis possideri, & retineri debeant, auctoritate nostra Apostolica vendas, detractis tamen prius detrahendis, tam pro alimentis nunc viventium Canonicorum, & Fratrum, seu Religiosorum Congregationum suppressarum præfatarum juxta supradictas nostras literas, quam pro servitio, & manutentione Ecclesiarum earumdem Congregatio-

tionum, atque onerum illis respective incumbentium supportatione, ac pretium inde redactum deponi facias penes ædem sacram, vel personam fide, & facultatibus idoneam, it aut inde extrahi, seu amoveri minime possit, nisi cum mandatis propria tua manu subscriptis, cum expressione causæ, & usus, in quem pecunia erit eroganda, qui quidem usus non sit alius, quam pro subsidio, & subventione, ac expeditione antedictis.

Providet quo ad Venditionem, & emptionem bonorum supradictorum ut in Rubric.

§.4. Ut autem Ecclesiis, Monasteriis, & aliis locis piis prefatis, pecuniæ ad emenda bona hujusmodi necessariæ suppetant, Rectoribus, Curatoribus, Administratoribus, Oeconomis, ac Superioribus, seu Procuratoribus earumdem Ecclesiarum, Monasteriorum, & Locorum piorum respective, vel aliis, ad quos ea res spectat, seu pro tempore spectabit, census, & alias præstationes, seu jura annua ad ipsas Ecclesias, Monasteria, & loca pia respective spectantes, & spectantia, qui tamen, & quæ, vel ex natura contractus, vel ex conventione in ipsis contractibus apposita sint redimibiles, & redimibilia, quantum opus fuerit, meliorique fieri poterit conditione vendendi, & alienandi, vel pecunias ad census, seu aliud licitum interusurium, vel interesse super Ecclesiarum, Monasteriorum, & locorum piorum præfatorum respective bonis capiendi, ac pecunias inde proventuras, in emptionem bonorum stabilium eis respective per te, seu Commissarios tuos, ut præfertur, vendendorum, & non in alios usus unico contextu integre convertendi, & erogandi, necnon instrumenta quæcumque cum obligationibus, clausulis, & cautelis in similibus apponi solitis, seu aliis necessariis, & opportunis celebrandi, seu celebrari, aliaque desuper necessaria, & opportuna faciendi, & exequendi quamcumque necessariam, atque opportunam facultatem, & licentiam dicta auctoritate concedas, & impartiaris.

Clausulæ præservativæ.

§.5. Decernentes easdem præsentes literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, neque sub quibusvis similium applicationum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aliisque contrariis dispositionibus unquam comprehendi, aut comprehensas censeri, sed semper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum, & validissimum statum restitutas, repositas, & plenarie reintegratas, ac etiam sub posteriori data per præfatos Ducem, & Rempublicam quandocumque eligenda, de novo concessas intelligi, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac eisdem Duci, & Reipublicæ, ac aliis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & Sedis prædictæ Nuncios, aliosve quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§.6. Non obstantibus quatenus opus sit, de jure quæsito non tollendo, ac de exprimendo vero valore in similibus applicationibus, illisque committendis ad partes vocatis quorum interest, aliisque nostris, & Cancellariæ Apostolicæ Regulis, necnon fel. rec. Pauli II., & aliorum Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum de rebus Ecclesiæ non alienandis, ac illarum alienationibus committendis, aliisque Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, ac omnibus, & singulis illis, quæ in prædictis literis voluimus non obstare, necnon Ecclesiarum, Monasteriorum, & Locorum Piorum hujusmodi, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 7. Dec. 1668. An. II.

Datum Romæ apud S. M. M. sub Annulo Piscatoris, die 7. Decembris 1668. Pontificatus nostri Anno II.

LXXXIX.

Confirmatio quorumdam Decretorum Congregationis de Propaganda Fide circa Studium Linguæ Arabicæ, & controversiarum in Conventu S. Petri in Monte de Aureo de Urbe institutum emanatorum. Ex Regest. in Secret. Brev.

CLEMENS PAPA NONUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

CRediti Nobis cœlitus sacrosancti apostolatus officii ratio exigit, ut illis, quæ pro felici studiorum Christianæ Religionis propagandæ, Catholicæque Fidei tuendæ consilio sapienter institutorum statu, atque progressu provide constituta esse noscuntur, quo firmius subsistant, & serventur exactius apostolici munimiris adjungamus firmitatem.

§.1. Alias siquidem emanarunt a Congregatione Ven. Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negociis Propagandæ Fidei præpositorum pro feli-

felici, prosperoque studii Linguæ Arabicæ,& controversiarum in Conventu Sancti Petri in Monte Aureo de Urbe Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia Reformatorum nuncupatorum instituti regimine, & gubernio, ac ad studiosorum animos, ut sedulam literis operam navando in bonos, atque aptos ad laborandum in vinea Domini operarios evadere satagant, congruis laborum præmiis incitandos nonnulla decreta, & ordinationes, tenoris, qui sequitur, videlicet:

Decreta Congregationis de Propaganda Fide.

Decreta S. Congregationis de Propaganda Fide circa Studium Linguæ Arabicæ, & controversiarum in Conventu Sancti Petri in Monte Aureo. Peracta ab Emo Brancatio a Sac. Congregatione ad id specialiter deputato visitatione Studii Arabicæ Linguæ in Conventu S. Petri in Monte Aureo, eaque per ejusdem Sacræ Congregationis Secretarium relata, Emi Patres ex ea colligentes non modicum illud esse collapsum, & a primævis exercitiis defeciſe, censuerunt opportune providendum, ut infra.

Decem Religiosi ad studium destinantur.

Cum ex duodecim ad minus Religiosis, qui memorato studio, ut olim consueverat, operam navare deberent, quatuor dumtaxat ad præsens illi incumbentes fuerint reperti, & ex iis aliquis ex scientiarum defectu parum idoneus ad finem intentum assequendum, Patri Generali sive Vicario Generali Ordinis pro tempore existen. strictè injungitur, ut decem saltem in posterum Religiosos Strictioris Observantiæ Arabicæ Linguæ, ac controversiis vacantes ibi collocet, curetque, ut eorum denarius numerus indiminutus semper remaneat.

Aliaque statuuntur ut in rubrica.

Cum vero prædicti Studii finis eo dirigatur, ut Sacra Congregatio, necnon Religio in promptu habeat viros ad missionum munus exercendum idoneos, & in iis, quæ ad hujusmodi ministerium pertinent, exultos, Generalis conscientia graviter oneratur, ut nonnisi Fratres regulari disciplina, probitate morum, ac zelo gloriæ Dei præditos eligat, quique Lectores, aut Concionatores sint, aut saltem in morali Theologia bene versati, utque validius labores missionum sustinere possint, nec minores sint annis 25., nec trigesimum quintum excedant, firmaque gaudeant corporis valetudine.

Quo vero Apostolicus Missionum spiritus in totum prædictum Ordinem diffundatur non ex sola Italia, sed ex omnibus Reformatæ Familiæ Provinciis eos accersere curet.

Ultra vero decem prædictos conceditur Provinciæ Romanæ Ministro, ut duos alios ex hac Provincia possit adjungere, dummodo præfatis conditionibus sint præditi.

Post octo dierum lapsum a primo eorum in præfatum Studium ingressu, intra quos ipsis è Conventu egredi minime liceat, in manibus P. Generalis, aut eo absente, ipsius Vicarii, vel alterius ab eo deputandi juramentum emittant juxta formulam in calce præsentium decretorum appositam, illudque ad Sacram Congregationem transmittant.

In hoc studio ultra duos annos non morentur, nisi fortasse cum aliquo ob insignis spem profectus censuerint lectores, protrahendam esse moram ad triennium, idque cum dispensatione in scriptis Patris Generalis, & S. Congregationis.

Habeatur de Studentibus, dum in studio permanserint, eadem ratio, acsi hujus Provinciæ Fratres essent, tum circa præcedentiam juxta susceptionem habitus, tum circa reliqua eorumdem Religiosis necessitatibus convenientia, de quibus Guardianus non secus, ac reliquos sui Conventus Fratres eos providere tenebitur sub eisdem pœnis, quæ contra Guardianos id ipsum suis Fratribus præstare negligentes a statutis generalib. reformationis decretæ sunt: Vestiarium vero curet Generalis a propriis Provincialibus eis tempore debito subministrari.

Restituantur Studentibus duodecim Cellæ alias ipsis assignatæ,videlicet decem quæ sunt in Dormitorio quod respicit Aquam Paulam, loco autem primæ, & ultimæ ejusdem Dormitorii, quæ ob obscuritatem studio minus aptæ sunt, aliæ duæ idoneæ assignentur prædictis, quo fieri poterit propinquiores.

Concedat Guardianus Studentibus parvum hortum cum sua sera, ubi sejuncti ab aliis Fratribus honeste refici, ac invicem in lingua cum Lectoribus exercere queant.

Duo semper adsint in hoc studio Lectores, alter Arabicæ linguæ, controversiarum alter a Generali, vel ejus Vicario electi, itaut nonnisi prævio examine, & confirmatione S. Congregat. admittantur. Serio autem injungitur iisdem sedulitas, & assiduitas in lectionibus, repetitionibus, & exercitiis.

Fruantur Lectores sic electi, & confirmati præcedentia, præeminentia, ac privilegiis, quibus Lectores auctuales Theologiæ potiuntur.

Lector controversiarum binas singulis hebdomadibus tradat in scriptis lectiones controversiarum orientalium, & post vesperas earumdem habeat conferentias,frequentibusque exercitiis Studentes instituat singulis vero mensibus traditæ doctrinæ disputationes habeantur.

Lector vero linguæ Arabicæ ter in hebdomada legat,& rerum quas Studentes docuerit repetitionem ab eisdem exigat, singulis diebus, quibus legere tenetur, per horâ post vesperas auditores suos exerceat.

Prohibetur æque Lectoribus, ac Studentibus diebus lectionum e Conventu egredi quacumque ex causa, etiam sub prætextu alium Fratrem, tametsi Superior sit, associandi, nisi expletis integre lectionibus, ac exercitiis ea die, quæ fieri debebant, aut consueverat. Quod si Guardianus viderit, vel minimum ea de causa iis detrahi, aut minus diligenter peragi, pro-

prohibeat prorsus egressum e Conventu per totum diem lectionum.

Diebus vero Festis, aut Vacationum, liceat Guardiano Studentes devotionis,aut alia honesta causa, si ita expedire videbitur, foras mittere, dummodo ea die Theses non habeantur, nec omnibus eadem die licentia concedatur. Poterit itidem Guardianus aliquando etiam diebus lectionis, si necessitas urgeat, eosdem Studentes ad celebrandum extra propriam Ecclesiam mittere, dummodo non omnes, sed aliqui tantum mittantur, nec frequenter fiat, nec ullo modo lectionis, aut exercitiorum tempore,eo autem casu illico expleta functione redire teneantur.

Ut Lectores distractionibus submotis diligentius suis incumbant studio, ac lectionibus, prohibetur iisdem Visitatoris, aut cujusvis alterius muneris onus assumere, aut Quadragesimalium concionum tum intra tum extra Urbem cursus aggredi, quod etiam studentibus, durante studio interdicitur, tametsi non id circo prohibeatur eisdem sermonem aliquem, aut concionem interdum infra annum habere ob aliquam occurrentem festivitatem aut 40. horarum orationem.

A lectionibus, repetitionibus, ac exercitiis utriusque studii nemo prorsus ex studentibus quocumque titulo, aut colore eximatur, aut unquam permittatur abesse, & si quis neglexerit, a Guardiano corrigatur, idemque fiat si prætermiserit exscribere ea, quæ a lectoribus traduntur, utque omnis plane tollatur excusationi locus tempore, quo Scholæ, & exercitiis interfunt, nemini liceat eos inde evocare, & si aliquis evocetur, eum Lector abire non permittat.

Lectiones tum controversiarum, tum Arabicæ linguæ fiant de mane ad primam per integram horam juxta morem Religionis.

Senis quibuscumque mensibus Theses Theologiæ Arabico, ac Latino idiomate habeantur, uti prius consueverat, quibus sicut & controversiarum Thesibus Conventus Guardianus interesse teneatur ad animos studentibus addendos, dignoscendosque eos, qui proficiunt, utque Generalem Ordinis monere possit de iis, qui forsan minus studio ejusmodi vacaverint, quo valeat, eis submotis, alios subrogare.

Removeatur omnino e Conventu studium Theologicum nuper illuc invectum, sub ejusmodi vero prohibitione minime intelligatur comprehensum artium studium, quod pro Clericis inibi antea viguisse supponitur.

Quoniam vero parum prodent Alumnis linguam ipsam addiscere, nisi in eisdem Missionum, ac pietatis spiritus foveatur; Ideo Religiosus aliquis magni spiritus, ac zeli deputetur, qui ad ipsos eorum aliis fratribus singulis mensibus concionem habeat, de Missionariorum muneris præstantia, deque peculiaribus ejusdem functionibus, quo spiritus Apostolicus in eis succendatur, ac maneat, & eruditantur in iis omnibus, quæ ad illud congrue, & cum Dei gloria peragendum pertinent.

Generalis Ordinis, vel ejus Vicarius, vel Commissarius Generalis singulis quatuor mensibus saltem studium istud omnino visitet, & si studentem aliquem minime proficientem invenerit, aliqua pœnitentia injuncta, qua alii ab assumpto munere negligendo deterrantur, eum ad propriam Provinciam redire jubeat, & eamdem Sacram Congregationem de remotione moneat, aliumque in remoti locum, quam primum subroget. Ultra vero prædictam Generalis visitationem Secretarius itidem Sacræ Congregationis ejusdem nomine idem studium omnino visitet bis in anno, se solo absque Superiorum interventu, quo visitandi liberius queat statum, & necessitates Collegii exponere, adhibito secum dumtaxat aliquo Arabicæ linguæ perito, per quem possit Alumnos examinare, & de eorum progressu certiorari.

Completo studio abeant studentes quo a Sacra Congregatione destinati fuerint, quod si nullus tunc temporis sit in promptu Missionis locus, mittantur a Generali ad inserviendum Terræ Sanctæ, quo magis firmentur in Arabica lingua, parati cum opus fuerit, Sacræ Congregationi inservire, si eadem illos legitime impeditos non existimaverit.

Qui vero propria ipsorum culpa submoventur a studio, remittantur ad suas Provincias cum privatione utriusque vocis, quæ nonnisi per Sacram Congregationem remitti poterit.

Ad hanc tamen pœnam non procedatur, nisi habitæ ipsius culpæ, causarum prudenti, ac discreta consideratione.

Discedentium vero post completum Studium, aut quavis alia de causa teneatur Guardianus intra dies octo notulam ad Sacram Congregationem transmittere, sicut etiam eorum, qui de novo advenerint, & Juramentum emiserint cum expressione diei, ac loci ad quem diriguntur.

Ut autem hujus Ordinis Religiosi aliquo etiam temporali premio alliciantur, animosque fortius intendant, ad libentius semetipsos dicandos Sacro Missionum Ministerio, & consequenter etiam Studio prædicto, veluti ad missiones ipsas directo, Missionarii, ac respective Studentes iis, quæ sequuntur, potiantur privilegiis.

Studio Arabicæ Linguæ peracto, si studentes lectorum suorum,aliorumque a Sacra Congregatione deputandorum judicio profeciſse compertum fuerit, nec tunc temporis pro eis missionis occasio sese obtulerit, aut ob aliquam momenti causam Loca Sancta petere nequiverint, ad proprias remeant Provincias, ibique morentur, donec Sacræ Congregationis Servitio adhibeantur, & interim Minister Provincialis eos collocet in principali aliquo Provinciæ Conventu eisdem grato, ex quo ipso Generali inconsulto dimoveri nequeant.

Quod

Quod si interim a Sacra Congregatione missioni alicui destinati fuerint, vel a Superiore Generali missi ad Loca Sancta, illico vigore Juramenti parere teneantur, alias plectantur arbitrio Sacræ Congregationis.

Iis vero, qui in missione aliqua præfecti munere per sexennium laudabiliter perfuncti fuerint, liceat in reditu aliquem ex principalibus propriæ Provinciæ Conventibus sibi deligere, ac inter Exprovinciales præcedentiam habere dummodo saltem per duos annos ante, vel in eadem Missione, vel in alia in statu simplicis Missionarii inservierint.

Liceat pariter iis, qui commendabiliter duodecim annorum spatio Sac. Congregationi in Missionibus inservierint, post reditum unum ex principalibus propriæ Provinciæ Conventibus sibi deligere, eorumque locus sit post ultimum Definitorem, cæterosque [si ibi adfuerint] qui alias Missionis alicujus Præfecti extiterint.

Facultate demum eligendi sibi Conventum in reditu gaudeant. Insuper Fratres if, qui per annos quindecim Terræ Sanctæ inservierint.

Missionarii autem ejusdem Ordinis, qui cum licentia Sacræ Congregationis, vel Præfecti ex locis Missionum discedentes ad Urbem se conferunt propter negocia earumdem Missionum remaneant in Conventu Sancti Petri in Monte Aureo, in quo habeantur tanquam si essent Fratres de Familia quoadusque per Sacram Congregationem expediti fuerint, quod quamprimum fieri curabit.

In eodem Conventu commoretur Procurator Missionum durante ejus officio, qui habeat duos socios sibi gratos, ut eum adjuvent in gerendis negociis Missionum cum facultate illos mittendi extra Conventum propter ipsarum Missionum negocia, petita prius solita benedictione a Superiore locali.

Ad munus autem Procuratoris Missionum imposterum nemo aligatur, nisi prius in eisdem Missionibus laudabiliter inservierit per sexennium completum, cum titulo Præfecti, vel per decennium cum titulo Missionarii.

Quibus omnibus Sacræ Congregationis jussu Sanctissimo Domino Nostro per ejusdem Secretarium relatis, Sanctitas Sua ad majoris firmitatis robur adjicien., Breve desuper expediri mandavit in Audientia sub die 9. Junii 1668.

Formula Juramenti præstandi ab Alumnis Linguam Arabicam addiscentibus in Conventu Sancti Petri in Monte Aureo de Urbe Ordinis Minorum Strictioris Observantiæ. Ego Fr. N. de N. Ordinis Minorum Provinciæ vero Reformatæ N. juro, & promitto in manibus Paternitatis Vestræ Reverendissimæ N. ab hoc Seminario non discessurum, neque discedere procuraturum mediate, vel immediate per me, vel per interpositam personam, nisi ex legitima causa admittenda a P. V. Reverendissima, vel a vestris successoribus canonice intrantibus, & non alias &c. Insuper pro Fidei Catholicæ propagandæ causa, ac salute Infidelium procuranda ad eum locum, Provinciam, seu Regnum sine aliqua repugnantia, aut exceptione quandocumque iturum, ad quam, seu quod a P. V. Reverendissima ero destinatus, & missus, sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia. Ego N. de N. affirmo ut supra manu propria.

A. Card. Barberinus.

Loco † Sigilli.

I. Archiepisc. Cæsareæ Secr.

Confirmat Pontifex Decreta.

§.2. Cum autem firmiora sint, atque stabilius persistant illa, quæ Apostolicæ confirmationis præsidio roborantur. Hinc est, quod Nos inviolabili omnium, & singulorum Decretorum, & Ordinationum hujusmodi robori, & efficaciæ salubriter, quantum cum Domino possumus, providere volentes, præinserta Decreta, & Ordinationes cum omnibus, & singulis in eis contentis, auctoritate Apostolica, tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adiicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus, salva tamen semper in premissis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium.

Decretum irritans.

§.3. Decernentes easdem præsentes literas, ac decreta, & ordinationes hujusmodi semper firma, valida, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit plenissime suffragari, & ab illis respective inviolabiliter observari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum

§.4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit, præfatorum Conventus, & Ordinis, aliisve quibusvis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & pluries innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§.5. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in Judicio, & extra habeatur, quæ

quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 10. Dec. 1668. An. II.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 10. Decembris 1668. Pontificatus nostri Anno II.

CX.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Applicatio Bonorum trium Congregationum suppressarum in Regno Siciliæ ultra Pharum Duci, & Reipublicæ Venetorum in subsidium contra Turcas.

Ven. Fratri Episcopo Mazarien.

CLEMENS PAPA NONUS

Venerabilis Frater salutem, & Apostolicam benedictionem.

Causa Constitutionis.

§.1. CUM Nos gravissimis, & rationabilibus causis Nobis notis adducti, Congregationes Canonicorum Sancti Georgii in Alga Venetiarum, ac Fratrum Jesuatorum Sancti Hieronymi, & Fratrum ejusdem Sancti Hieronymi de Fæsulis sub Regula Sancti Augustini una cum omnibus earum respective Dignitatibus, Officiis, ac Ministeriis, omnique conventualitate, collegialitate, titulo, essentia, ac denominatione perpetuo extinxerimus, ac suppresserimus; Ac universa earumdem Congregationum sic suppressarum respective bona mobilia, & immobilia tam Sacra, quam profana, Conventus, Collegia, Monasteria, Domos, Vineas, prædia, Canones, responsiones, fructus, introitus, & jura quæcumque, ubicumque locorum existerent nostræ, & Sedis Apostolicæ dispositioni in usus, & opera pia per eos, quibus id a Nobis, & Sede prædicta commissum foret, convertenda reservaverimus; Præterea Canonicis, & Fratribus dictarum Congregationum suppressarum, qui nunc vivunt, & in eisdem Congregationibus respective professionem emiserunt, facultatem transeundi ad aliam quamcumque Religionem ab eadem Sede approbatam, in qua benevolos invenerint receptores, aut remanendi in seculo in habitu Clerici secularis sub jurisdictione, & obedientia Ordinariorum Locorum, ubi eos morari contigerit, cum provisione ipsorum singulis pro alimentis, Clericis quidem in summa quadraginta scutorum monetæ Romanæ; Laicis vero, seu Conversis in summa viginti scutorum parium annis singulis donec vixerint, seu aliunde sufficienter eis provisum fuerit, super certis bonis, aut redditibus Congregationum suppressarum hujusmodi respective per eosdem Ordinarios assignanda tribuerimus, & impartiti fuerimus. Ac demum ne Ecclesiæ earumdem Congregationum suppressarum debito destituantur servitio, sed sartæ tectæ custodiantur, prædictis Ordinariis locorum, in quibus Ecclesiæ ipsæ sunt sitæ, commiserimus, & mandaverimus, ut Cappellanos deputent cum competenti mercede etiam super re certa de bonis prædictis assignanda, per quos missis, & aliis oneribus satisfiat, ac ipsis Ecclesiis debitus cultus, & veneratio conservetur, utque dicti Ordinarii Inventarium tam sacræ, quam profanæ supellectilis ad Congregationes suppressas hujusmodi respective spectantis accurate conficiant, ac provideant, ne a quoquam occultari, occupari, aut inde amoveri ullatenus possit, nisi, & donec a Nobis, & Sede prædicta aliter provideatur, & alias prout in nostris desuper in simili forma Brevis die 6. currentis mensis Decembris expeditis literis, quarum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus uberius continetur: Et sicut pro parte dilectorum filiorum Nobilium Virorum Ducis, & Reipublicæ Venetorum Nobis nuper expositum fuit, ipsi atrocissimum sibi a Turcarum Tyranno illatum bellum a viginti tribus Annis pro suarum Ditionum tuitione sustineant, eorumdemque Turcarum Civitatem Candiæ jamdiù vehementi obsidione præmentium impetus pro viribus propulsare satagant, sed ejusdem Reipublicæ facultates tot sumptibus in causam dicti belli factis adeo attritæ de præsenti reperiantur, ut bello hujusmodi in posterum sustinendo impares sint, manifestumque proinde instet periculum amissionis dictæ Civitatis, totiusque Regni Cretæ, nisi Respublica ipsa præsentaneo aliunde auxilio sublevetur,

Supplicatio Reipublicæ

Annuit Pontifex.

§.2. Hinc est, quod Nos, qui ab ipso Pontificatus nostri primordio omnia, divinæ, humanæque opis præsidia, atque auxilia in subventionem rei Christianæ contra infensissimos illius hostes assiduis Pontificii zeli studiis conciliare, conquirere, atque pro viribus conferre non destitimus; Reipublicæ prædictæ in præsentibus rerum angustiis quantum Nobis ex alto conceditur, subvenire, dictosque Ducem, & Rempublicam pro peculiari paternæ nostræ in eos charitatis affectu specialis favore gratiæ prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnia, & singula memoratarum trium Congregationum, ut præmittitur suppressarum bona (exceptis Sacris) in Regno Siciliæ ultra Pharum existentia in subsidium, atque subventionem Civitatis Candiæ, & Regni Cretæ præfatorum, ac expeditionis contra Turcas supradictos Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuo applicamus. Ac tibi per easdem præsentes committimus, & mandamus, ut per Te ipsum, vel per Commissarios a te specialiter deputandos,

dos, bona hujusmodi quamprimum meliori qua fieri poterit conditione, auctoritate nostra Apostolica vendas, detractis tamen prius detrahendis tam pro alimentis nunc viventium Canonicorum, & Fratrum, seu Religiosorum Congregationum suppressarum præfatarum juxta supradictas nostras literas, quam pro servitio, & manutentione Ecclesiarum earumdem Congregationum, atque onerum illis respective incumbentium supportatione, ac pretium inde redactum deponi facias penes ædem Sacram, vel personam fide, & facultatibus idoneam, itaut inde extrahi seu amoveri minime possit nisi cum mandatis Ven. Fratris Laurentii Archiepiscopi Carthaginen. moderni, seu pro tempore existentis nostri, & Apostolicæ Sedis in Dominio Venetorum Nuncii manu subscriptis cum expressione causæ, & usus in quem pecunia erit eroganda qui quidem usus non sit alius quam pro subsidio, & subventione, ac expeditione antedictis.

Alisque statuit ut in rubrica.

Clausulæ præservativæ.

§. 3. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, neque sub quibusvis similium applicationum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aliisque contrariis dispositionibus unquam comprehendi, aut comprehensas censeri, sed semper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum, & validissimum statum restitutas, repositas, & plenarie reintegratas, ac etiam sub posteriori data per præfatos Ducem, & Rempublicam quandocumque eligenda de novo concessas intelligi, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac eisdem Duci, & Reipublicæ, ac aliis ad quos spectat, & pro tempore spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales etiam de latere Legatos, & Sedis præfatæ Nuncios, aliosque quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum

§. 4. Non obstantibus quatenus opus sit de jure quæsito non tollendo, ac de exprimendo vero valore in similibus applicationibus, illisque committendis ad partes vocatis quorum interest, aliisque nostris, & Cancellariæ Apostolicæ Regulis, necnon fel. rec. Pauli II., & aliorum Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum de rebus Ecclesiæ non alienandis, & illarum alienationibus committendis, aliisque Apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, & synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus & Ordinationibus, ac omnibus, & singulis illis, quæ in prædictis literis voluimus non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 17. Decembris 1668. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Dat. die 17. Dec. 1668. An. II.

XCI.

Renovatio ad viginti annos variarum Indulgentiarum, & gratiarum spiritualium pro conversione Infidelium Indiarum.

Ex Regest. in Secret. Brev.

CLEMENS PAPA NONUS

Ad futuram rei memoriam.

Supplicatio.

§. 1. Animarum saluti paterna charitate intenti, supplicationibus dilecti filii Joannis Pauli Olivæ Societatis Jesu Præpositi Generalis nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ac multorum Prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum vestigiis inhærentes, de Omnipotentis Dei Misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus Christifidelibus in quibuscumque Oceani Indiis, aut Sinarum Regione, vel Brasilia constitutis præsentibus, & futuris vere pœnitentibus, & confessis, ac Sacra Communione refectis, quoties aliquam ex Infidelitate, & Idolatria, ad veri Dei cognitionem reduxerint, Plenariam, necnon eisdem etiam vere pœnitentibus, & confessis Sancti Thomæ Apostoli in Indiis prædictis, vel aliquam ex certis dilectorum filiorum Presbyterorum Societatis Jesu Ecclesiis illarum partium Deo, vel in honorem Sanctorum erectis, necnon omnes, & singulas hujusmodi Ecclesias Collegiorum, Domorum, & Residentiarum ejusdem Societatis Regionum præfatarum saltem inter se per centum milliaria distantes, ut supra erectas singulis annis quatuor diebus Festis Domini nostri, Beatæ Mariæ Virginis, aut Sanctorum prædictæ Societatis Præpositum Generalem designan. visitantibus, & inibi Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumentibus, ac pro Gentilium, & Hæreticorum conversione pias ad Deum preces fundentibus etiam plenariam; omnibus etiam, & singulis tam Presbyteris, quam aliis de dicta Societate existentibus, quos in qualibet utriusque Indiæ Regione, vel Oceani Insula, aut navigatione pro fidei negocio eundo, vel redeundo mori contigerit, in cujuslibet eorum mortis articulo saltem contritis, & confessis, si communicare nequiverint, plenariam pariter, scholaribus vero in utraque India existentibus, ac Confraternitati Beatæ Mariæ Virginis ibi canonice institutæ adscriptis, qui in Annunciationis, & Assumptionis ipsius Beatæ Mariæ Virginis Festis dictum Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, & coronam vel tertiam

Concedit Pontifex renovationem indulgentiarum ut in rubrica.

tiam partem Rosarii recitaverint, necnon utriusque sexus Christifidelibus aliquam ex Confraternitatibus canonice erigendis ingressis, qui in Festivitate Sanctissimi Corporis Christi, & illius octava pœnitentes fimiliter, & confessi idem Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, & in cujuslibet eorum utriusque sexus Christifidelium mortis articulo, etiam pœnitentibus, & confessis, ac Sacra Communione refectis, aut saltem contritis, si confiteri, & communicare non potuerint, plenariam fimiliter omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus; Insuper dictis scholaribus hujusmodi confraternitati adscriptis qui in singulis ejusdem Beatæ Mariæ Virginis, ac Resurrectionis, Pentecostes, & Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi Festivitatibus, si confessi, & contriti præmissa peregerint decem annorum de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis pœnitentiis: Eis quoque qui in singulis diebus veneris cujuslibet Quadragesimæ devote processionibus publicis in partibus, & locis transmarinis ad orandum pro convertione Gentilium, & Hæreticorum præfatorum juxta Ritum Ecclesiæ Romanæ institutis interfuerint trium annorum; reliquis vero omnibus eisdem processionibus præsentibus contritis, & confessis unius Anni Indulgentiam elargimur. Quodque pro animabus eorum Christifidelium, qui in præfatis utriusque Indiæ navigationibus pro negocio Fidei instituen. ab humanis in charitate Christo conjuncti decesserint, confessi, ac Sacra Communione refecti, tertiam partem Rosarii, aut unam coronam recitaverint, quoties id agent, toties per modum suffragii unam ex dictorum animabus a pœnis Purgatorii liberare valeant: Quodque scholares utriusque Indiæ hujusmodi, qui in scholis Presbyterorum dictæ Societatis dant operam literis, in Presbyterorum eorumdem Ecclesiis, Missas, vel alia divina Officia tempore interdicti, & cessationis a divinis, ipsique Presbyteri iisdem scholaribus præsentibus januis clausis, & non pulsatis Campanis, & dummodo ipsi causam hujusmodi interdicto non dederint, ac interdictis, & excommunicatis exclusis, audire, & celebrare respective possent concedimus, & indulgemus. Insuper præfatis omnibus, & singulis utriusque sexus Christifidelibus in Indiis, & Regionibus prædictis existentibus, qui contriti, & confessi quamlibet Ecclesiam, & Cappellam in eisdem partibus dictorum Presbyterorum Societatis Jesu cura, & opera, ut supra erectam, aut in futurum erigendam devote visitaverint, & ut supra oraverint, quadraginta dies, & semel quolibet anno aliquo die Festo Domini Nostri Jesu Christi, Beatæ Virginis Mariæ, aut Sanctorum, quem Provincialis dictæ Societatis constituerit, septem annos, & totidem quadragenas: Eisdem, qui aliquam ex prædictis Ecclesiis dictorum Presbyterorum Societatis Jesu Quadragesimæ, & aliis temporibus Stationum Urbis Dominicis, & feria sexta diebus visitaverint, easdem omnes, & singulas Indulgentias concedimus, quas consequerentur si Ecclesias, & Basilicas Urbis in diebus stationum hujusmodi devote visitarent; Illisque, qui singulis diebus feriæ sextæ primæ hebdomadæ cujusque mensis, easdem Ecclesias devote visitaverint, & ibi quinquies orationem Dominicam, & toties Salutationem Angelicam pro exaltatione Fidei Catholicæ recitaverint, septem annos; In Festis vero Domini Nostri Jesu Christi, ac Beatæ Virginis, Apostolorum, sub cujus titulo Ecclesia constet, decem annos. His autem, qui aliquam dictis Ecclesiis postquam confessi Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, visitaverint toties viginti annos; Ac eisdem Christifidelibus utriusque Indiæ, & transmarinorum limitum, qui processionibus, & precibus juxta ritum S. R. E. a prædictis Presbyteris de Ordinariorum licentia instituen. & agendis Indorum, & Aethiopum, seu quorumvis aliorum Neophytorum, & aliorum Christianorum interfuerint, & eas associaverint, Christianam doctrinam cum eisdem Presbyteris, vel ab eis deputatis recitaverint, vel privatim docuerint, quoties id fecerint, septem annos, & totidem quadragenas; Invisentibus autem Infirmos, & præsertim Indorum Hospitalia, Xenodochia, & alia similia loca pia, ipsis etiam Infirmis per se, vel alium ministrando singulis diebus, quibus id fecerint viginti quinque. Qui vero ad Infirmos accedentes ibi pernoctaverint, quinquaginta. Eis etiam, qui coram Beatæ Mariæ Imagine ab Alma Urbe ad Collegium Civitatis Limæ in Perù, ut asseritur delata, tertiam Rosarii partem, vel coronam recitaverint, centum similiter dies de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consueta relaxamus, ac respective concedimus, & indulgemus.

Præterea ejusdem Societatis Jesu Provincialibus, vel ab eis deputandis Presbyteris, cum Neophytis Provinciarum utriusque Indiæ, aliarumque Maris Oceani Regionum, in quibus inter Infideles, fideles existunt, & non adsunt Ordinarii similem facultatem habentes, vel ultra duas dictas juxta Constitutionem fel. record. Pauli III, editam existunt, in quocumque, seu quibusvis, non tamen in primo consanguinitatis, vel affinitatis gradibus, vel alias conjunctis, seu se attinentibus, ut matrimonium inter se contrahere, seu in eo etiam scienter contracto remanere valeant, in foro conscientiæ tantum, gratis tamen dispensandi. Et insuper ibidem locorum Ordinariis, ut de Presbyterorum eorumdem tanquam adjutorum, & assessorum suorum in locis prædictis, & ubi eorum commode potuerit haberi copia, consilio, & cum illis etiam in judiciali foro, in reliquis autem Provinciis præfatis Ordinariorum præsentia destitutis, vel ab eis ultra duas dictas

prædictas non minus ducentis millibus paſſuum remotis Provincialibus, & Deputatis Presbyteris prædictis cum eiſdem Neophytis non tamen in primo gradu in utroque foro gratis diſpenſandi, & eos, qui in gradibus prohibitis hujuſmodi etiam ſcienter contraxerint ab exceſſibus, & excommunicationis, aliiſque cenſuris, & pœnis Eccleſiaſticis in utroque foro gratis pariter abſolvendi, ac prolem inde ſuſceptam legitimam decernendi. Necnon ipſis Presbyteris in iiſdem Indiis, & locis prædictis conſtitutis, quibus aliqua Euchariſtiæ fragmenta, ſeu minutiæ pro tempore interciderint, etiam poſt peractum ſacrificium abſque ullo conſcientiæ ſcrupulo juxta rubricas Miſſalis Romani reverenter ſumendi. Inſuper Presbyteris ejuſdem Societatis Jeſu, quos in Saracenorum, & aliorum Infidelium Terras, & alias utriuſque Indiæ, & transmarinas regiones Maris Oceani ad quas Hiſpani, & Luſitani penetrant, ac Provincias remotiſſimas, ubi non eſt Inquiſitio, & Fideles inter Infideles degunt neque Ordinarii ſaltem intra duas dietas exiſtunt, hujuſmodi facultatem habentes, Præpoſitus Generalis miſerit Chriſtianos in eiſdem Provinciis, Indiis, & Regionibus commorantes, ab omnibus peccatis, ſententiis, & cenſuris etiam in Bulla Cœnæ Domini contentis, & reſervatis, etiam gratioſe abſolvendi facultatem, eiſdemque, ut ſemel ab aliquo illarum partium Epiſcopo approbari ad prædicandum, confeſſiones audiendas, & Miſſis celebran. in Eccleſiis, & Oratoriis Societatis Jeſu prædictæ pro miniſteriorum hujuſmodi exercitio ulterius licentiam & approbationem ab aliis Epiſcopis quatenus diſtent ultra duas dietas petere, ſeu habere minime tenentur, ſed abſque illis præmiſſa facere poſſint. Si vero Epiſcopus ab Eccleſia vel loco ubi prædicatur, vel confeſſiones audiuntur, non diſtet ultra prædictas duas dietas, tunc licentia etiam alterius Ordinarii ita vicini prius obtineri debeat, quæ tamen per Epiſtolam etiam impetrari poſſit: Poſſint etiam extra Eccleſias conſecratas ſuper Altaribus portatilibus, in loco tamen decenti, ubi non eſt commoditas Eccleſiarum, & in caſu neceſſitatis tantum, etiam per horam ante lucem, vel etiam poſt meridiem in eiſdem Regionibus cum opus fuerit celebrare, & in Maluco, Jappone, & aliis inſularum, Terrarum, Provinciarum, & locorum prædictorum partibus, & locis a quibus valde remoti ſunt Epiſcopi Oleis Sanctis per duas vel tres, aut quatuor annos ante conſecratis libere uti poſſint, necnon, ut quicumque ex prædictis Presbyteris Societatis præfatæ tantum Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium defunctorum pro Animabus Chriſtifidelium qui ex hac vita in charitate Chriſto conjuncti deceſſerunt in ſingulis Eccleſiis Societatis Jeſu ad unum illorum Superiorum arbitrio ſemel deputandum Altare celebraverint per modum ſuffragii iiſdem Animabus poſſint. Poſtremo iiſdem Presbyteris a Præpoſito Generali, & dicta Societate deputandi in prædictis Regionibus, Provinciis, & locis, in quibus ſimiliter Fideles, cum Infidelibus vivunt, & non adſunt Ordinarii, qui hujuſmodi facultatem habeant, qui diſtant ultra duas dietas cum Neophytis, aliiſque ad fidem reductis ex rationabili cauſa, & legitima ſuper voto caſtitatis non tamen ſolemni quomodolibet etiam per Ordinis Sacri ſuſceptionem, vel profeſſionis regularis in Religione per Sedem Apoſtolicam approbata emiſſionem facto, & ſuper Matrimonio defacto, & in facie Eccleſiæ, ſive ſcienter, ſive ignoranter contracto, & quovis occulto impedimento præter primi gradus, propter quod tale Matrimonium in conſcientia eſſet invalidum, & contrahentes ſine ſcandalo ſeparari non poſſent, diſpenſandi, gratis tamen, & in foro conſcientiæ tantum, ac ſuper bonis male acquiſitis, ad quæ reſtituenda ipſi Neophyti, & alii præfati in certis perſonis obligati extiterint, cum eis ad opera pia componendi, vel ſi ipſi indigerent, in toto, vel in parte remittendi, necnon cum Indis in foro conſcientiæ tantum, & cum Neophitis in utroque foro ſuper Jejuniis gratis tamen diſpenſandi, necnon ab onere petitionis debiti matrimonialis quando non eſſet licitum, illud ratione voti caſtitatis, vel alia rationabili cauſa petere in foro conſcientiæ tantum, & gratis liberandi, licentiamque legendi libros Infidelium de licentia ſui Provincialis perſonis dignis concedendi, licentiam, & facultatem apoſtolica auctoritate tenore præſentium reſpective concedimus, & impartimur: Miſſas quoque per horam ante auroram ipſi Patres Societatis celebrare poſſint, ac cum ſuis Regularibus, ut ad Sacros etiam Presbyteratus Ordines per annum ante legitimam ætatem promoveri poſſint diſpenſare valeant ſimiliter concedimus. Et inſuper quia a nonnullis dubitatum, ſeu hæſitatum fuit, an omnes indigenæ illarum Regionum oriundi, & naturales, & Chriſtianorum indigenarum etiam baptizatorum filii etiam in eorum infantia baptizati jure Neophyti appellari poſſint; id circo tenore earumdem præſentium decernimus, & declaramus omnes oriundos, ſeu naturales ſupradictarum omnium tam Orientalium, quam Occidentalium partium, imo etiamſi Æthiopes Angulani, vel quarumvis aliarum tranſmarinarum Regionum, etiamſi Chriſtianorum filii, & in infantia baptizati, vel etiam inter ſe, vel cum Europeis mixtim progeniti ſint ad conceſſionis hujuſmodi effectum eſſe, & intelligi debere Neophytos, dictoſque Presbyteros cum hujuſmodi, ut vel matrimonio conjungi, vel in jam contracto remanere poſſint, ſive eorum alter tantum, ſive etiam uterque inde oriundus ac proprie indigena ſit in locis, & alias, ut ſupra in quibuſcumque conſanguinitatis, vel affinitatis gradibus jure divino, ut ſupra non prohibitis, primo excepto, & alias, ut præfertur, gratis tamen diſpenſare poſſe concedimus, & indulgemus. Quin etiam

etiam quia de mixtim progenitis, quos meſtiſos vocant majus dubium eſſe accepimus, cum eiſdem meſtiſis, quos ſimiliter adhunc effectum Neophytos cenſendos eſſe decernimus in gradibus, & Matrimoniis contractis, & contrahendis prædictis, gratis tamen, dummodo non ita facile id fiat diſpenſare, eiſdemque Presbyteris facultatem deſuper concedimus opportunam.

Clauſulæ præſervativæ. §.3. Decernentes Presbyteros dictæ Societatis ſuper præmiſſis, & aliis juxta facultates prædictas, & illarum vigore, ſervata tamen illarum forma exequendis ex quovis alio prætextu, vel quovis colore per quoſcumque loci Ordinarios, ſeu alios Superiores, & Judices Eccleſiaſticos, & Seculares quavis auctoritate fungentes moleſtari, perturbari, vel inquietari nullatenus poſſe: Sicque in præmiſſis per quoſcumque Judices ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat. §.4. Non obſtantibus præmiſſis, ac quibuſvis Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac quatenus opus ſit noſtra de con concedendis Indulgentiis ad inſtar, ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Præſentibus ad viginti annos a fine aliorum viginti annorum ad quos ſimiles gratiæ a fel.rec. Innocentio Papa X. Prædeceſſore noſtro conceſſæ fuerunt inchoandos tantum valituris.

Dat. die 8. Jan 1669. An.II. Datum Romæ apud S. M. M. ſub Annulo Piſcatoris die 8. Jan. 1668. Pontificatus noſtri Anno II.

XCII.

Ex Regeſt. in Secret. Brev. Confirmatio ſtatutorum pro felici regimine Hoſpitalis Pauperum Septuagenariorum ab Archiconfraternitate Sancti Joſephi Civitatis Bononien. erecti factarum.

CLEMENS PAPA NONUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium. IN ſupremo militantis Eccleſiæ ſolio meritis licet imparibus per ineffabilem divinæ bonitatis abundantiam conſtituti, illa, quæ pro felici, proſperoque locorum piorum quorumcumque ad exercenda chriſtianæ charitatis opera inſtitutorum provide conſtituta eſſe noſcuntur, ut firma ſemper, atque inviolata perſiſtant, Apoſtolici muniminis noſtri præſidio libenter roboramus.

Supplicatio. §.2. Exponi ſiquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii Confratres Archiconfraternitatis Sancti Joſephi Civitatis noſtræ Bononien., quod ipſi Hoſpitale Pauperum Septuagenariorum, pro cujus manutentione quon. Antonius Bondi in ſuo ultimo teſtamento omnia bona ſua reliquerat, in ædibus Oratorio dictæ Archiconfraternitatis contiguis erexerunt, & aperuerunt, ac pro illius felici regimine nonnulla Capitula, ſeu Statuta fecerunt, ſeu fieri curaverunt, tenoris qui ſequitur, videlicet.

REGOLE DEL PIO OSPEDALE DE POVERI SETTUAGENARI ERETTO NELLA ARCHICONFRATERNITA' DI S. GIUSEPPE DI BOLOGNA.

PROEMIO.

COsì mirabili ſono l' Opere di Dio, che in ogni momento dalla ſua benefica mano, vediamo con modi impenſati compartire le grazie più neceſſarie, e diſpoſto gli ordini a beneficio più urgente. Queſti ſono gli effetti del ſuaviſſimo ſuo impero, ed i ſegni di quel paterno amore, che, per ſua benignità, ſi degna mantenere verſo dell' Uomo eſempio più mirabile, e manifeſto non potria deſiderarſi, quanto che in avere S. D. M. con ſpirito celeſte acceſo il fuoco della carità in un Cuore, che riguardando pietoſamente que' poveri Uomini, i quali già Settuagenarj ſono in doppio ſtato di miſeria per gli Anni, e per la povertà, à procurato per maggior Gloria di Dio, per benefizio proprio, ed onore di queſta Città, di ſovvenirli con i mezzi ſtimati più opportuni.

Avendo dunque il Signor Antonio Bondi ordinato per ſuo Teſtamento dell' Anno 1642. li 12. Agoſto, che le ſue facoltà foſſero erogate in alimentare, veſtire, e provvedere di ogni altra coſa neceſſaria, ſinchè viveranno, tanti poveri Cittadini ſettuagenarj, quanti ne comporterà annualmente la rendita della ſua Eredità, quali però abbiano le ſeguenti condizioni, che ſieno Cittadini di naſcita Bologneſi, Settuagenarj, non ammogliati, veramente poveri, di buona vita, opinione, e fama, o almeno per 40. Anni avanti il ſettuageſimo, tenuti, e reputati, non morboſi o incurabili, ma ſolo aggravati dalla età predetta: ordinando, che la ſua Caſa ove abitava, e le contigue, conforme il biſogno, debbano ſervire, per erigervi l' Oſpedale, ed Oſpizio per queſto ſuo divoto inſtituto, nominato da lui il Pio Oſpedale dei Poveri ſettuagenarj, volendo, che l' elezione, ed accettazione di detti Poveri ſia fatta per li Signori Priori, Officiali, ed altri profeſſi dell' Archiconfraternità di S. Gioſeffo di Bologna, come amplamente ne appariſce nel detto Teſtamento rogato per il q. ſ. Peregrino Aretuſi Notaro, mentre viveva, di Bologna, al quale &c.

In oltre, eſſendoſi degnato S. D. Maeſtà iſpirare nell'animo di Mre. Franceſco Ratta Bologneſe ſenſi di ſimile carità, e devozione, egli laſciò ſuo Erede proprietario la ſudetta Archiconfraternità di San Gioſeffo, obbligando li begi di detta Ere-

dità nel fabbricare l' Ospedale per i sudetti Poveri Settuagenari, conformandosi pienamente alla volontà del sudetto Signor Antonio Bondi, con questa condizione però, che se nel termine di dieci Anni dopo la morte della sua Erede usufruttuaria, non si fosse adempita la sua volontà, ogni frutto già percetto, o maturato, e depositato, come dispone, nel Sagro Monte di Pietà, solo spettare a detta Archiconfraternità, ma tutti li Beni, e capitale fossero devoluti alla Compagnia, ed Ospedale de Convalescenti della Santissima Trinità di Bologna sostituita, come per Testamento suo rogato per il q. s. Gio:Cesare Manolesi li 30. Luglio 1660.

Ora, essendosi benignamente degnata la Santità di Nostro Signore Papa Alessandro VII. per suo Breve delli cinque Settembre 1662. di commutare la disposizione del detto, già, Signor Antonio Bondi in quanto al Luogo, dove doveva formarsi l' Ospedale per questi Settuagenarj, concedendoci, che sia eretto nelle Case proprie, ed annesse all' Archiconfraternità di S. Giosefso, volendo, che in tal commutazione di Casa s' intenda adempito, e pienamente soddisfatto alla volontà, e disposizione del Testatore, ne perciò s' incorra in caducità, devoluzione, o altre pene imposte nel sudetto Testamento.

Per eseguire la pia mente di questi così singolari Benefattori, la sudetta Archiconfraternità di S. Giosefso Erede, ha deliberato di formare l' infrascritte Regole, e Capitoli, acciò con maggior ordine, e diligenza possibile s' incammini, e governi questo Pio Ospedale a gloria di Dio, di Maria sempre Vergine Immaculata, e del Patriarca S. Giosefso suo Protettore, sotto la Protezione del quale se ne sperono ogni giorno più maggiori frutti di devozione, e carità.

CAPITOLO PRIMO.

Delli Officiali, e Amministratori dell' Ospedale, e suo Governo.

Essendo cosa chiarissima e per ragione, e per esperienza, che in ogni Congregazione di persone fà bisogno sieno e Capi, ed Officiali, e Ministri acciocchè sia buon Governo, e le cose si facciano non confusamente, ne a caso, ma con ordine, e ragioni. Pertanto si ordina, e statuisce, che per buon Governo di detto Ospedale, e de suoi Poveri ci sieno sempre l'infrascritti Capi, Amministratori, e Ministri, li quali si debbano eleggere di tutto il Corpo della Compagnia dell' Archiconfraternità sudetta di S. Giosefso, ed imbussolare, ed estrarre, secondo la forma, che di sotto in questi Capitoli si dirà a suoi luoghi. Un Direttore, quale s' intenda esser sempre il Priore pro tempore di detta Archiconfraternità a sei Mesi. Quattro Amministratori a sei Mesi. Quattro Sindici perpetui, Decano professo della Compagnia pro tempore, due Visitatori per sei Mesi, un Depositario de Denari dell' Ospedale, un Procuratore per le ragioni dell' Ospedale, un Notaro, un Fattore. Ora a tutti li sopranominati, ed Officiali, e Ministri, & altri forse, che nel tempo avvenire, secondo i varj accidenti, s'istituiranno debbasi aver riguardo che nelli esercizj, e ministerj loro non sieno inquietati, molestati, e turbati, nemmeno frà loro s' inquietino, molestino, o turbino, se non quando a loro, o ad alcun di loro per mantinimento dell' opera dell' infrascritti Capitoli e concesso.

CAPITOLO II.

Della Congregazione del Governo di detti Poveri Settuagenarj, e della sua Autorità.

Per dar compimento, & esecuzione alle cose partenenti al Governo di detto Ospedale, e suoj Poveri, si statuisce, e dichiara, che la detta Congregazione in sufficiente numero s' intenda esser quella, nella quale saranno adunati almeno dieci delli Officiali sudetti, fra quali vi sia il Signor Direttore, o in suo luogo il più anziano di detti Offiziali, la qual Congregazione così adunata si determina, che abbia piena autorità, e potestà di trattare, & espedire tutti li negozj occorrenti al bisogno, ed al Governo di detto Ospedale, quali negozj così spediti, e conclusi s' intendano aver quell' efficacia, e fermezza, che avrebbero se tutti gli Offiziali, ed Uomini di detta Archiconfraternità li avessero spediti, purchè i partiti sieno ottenuti almeno con li due terzi de voti de congregati, quali partiti si debbano proporre dal Direttore, ed in sua assenza dall' Officiale anziano alla presenza di tutti chiaramente, con rogito del Notaro della Congregazione, eccettuati però sempre alcuni partiti di cose leggiere, e di poca importanza, ne' quali si possono dare i voti a viva voce, concorrendovi il consenso dei più, e se il partito sia, o non sia di cosa leggiera, e poco importante, se ne abbia da stare alla dichiarazione del Direttore, ed in assenza sua all' Anziano degli Offiziali, salvo però se si trattasse d' alienazione de' Beni o mobili, o immobili di detto Ospedale, e suoj Poveri, che in tal caso tutti i partiti di qualunque cosa, ancorchè leggiera, si debbano avere per gravi, ed importanti.

CAPITOLO III.

Dell' Elezione, e Imborsazione delli Offiziali e della loro Estrazione.

Si ordina, che l' Archiconfraternità sudetta, come di sopra legittimamente adunata, quando si avrà da fare l' elezione, ed imborsazione de' novi Offiziali, la qual cosa si avrà da fare ogni sei Mesi, debba eleggere, e deputare quella quantità di Uomini professi di detta Archiconfraternità, che

che sarà di bisogno per fare tale imborsazione, che sieno di perfetta età, di buona vita, e fama, amorevoli, e prattici di detto Ospedale, la qual elezione farsi debba per partito legittimamente ottenuto per li due terzi de' voti, avvertendo di eleggere persone idonee, ed atte, secondo la qualità delli Offici, ed occorrendo impedimento di causa legittima in alcuno (giudicata tale dalla Congregazione) sia rimborsato per estraerlo di nuovo, e fatto questo aggiungeranno alle Palle, che si dovranno fare per gli Offiziali ordinarj, una particolare imborsazione di Sopranumerarj, quanti a loro parerà per ciascun offizio, i quali abbiano a supplire in difetto di quelli ordinarj, che essendo estratti, non potranno, o per morte, o per altro legittimo impedimento, esercitare gli Offizj loro, dichiarandosi, che l' estrazione di detti Offiziali, si debba fare nell' istesso tempo, che si farà l' estrazione delli Officiali dell' Archiconfraternità sudetta di sei Mesi in sei mesi, fatte che saranno dette estrazioni, si debbano intimare quanto prima a ciascuno degli estratti, con pregarli, si contentino venire ad accettar l' Offizio suo nella prima seguente Congregazione, dichiarando, che la prima imborsazione de' sudetti Officiali spetti, e spettar debba a tutto il Corpo della Compagnia sudetta legittimamente a ciò congregata da farsi per trè Anni, toltone li Sindici a vita, e le altre volte alla detta Congregazione, ed Offiziali pro tempore di detto Ospedale.

CAPITOLO IV.

Del Direttore, e suo Offizio.

Essendo il Capo il più nobile, e necessaria parte di tutto il Corpo, si è giudicato, che alla detta Congregazione, ed Ospedale sia necessario aver uno, che col nome di Direttore, e Capo possa prudentemente reggere, e governare detto Ospedale, e suoi Poveri, si ordina perciò, che questo tal Direttore sia sempre il Priore pro tempore di detta Archiconfraternità, eletto sarà a tutti gli altri Officiali, e Uomini di detta Archiconfraternità, Direttore, e Capo, il cui Officio sarà di mantenere le Regole, le Ordinazioni, gli Offici, e Beneficj, le Ragioni, & Onori di detto Ospedale, e sua Congregazione predetta, e d' intervenire con ogni sollecitudine a lui possibile a tutte le Congregazioni sempre che sia chiamato per bisogno, e sovvenimento dell' opera. Terrà anco cura che si viva in pace nell' Ospedale de detti Poveri, acquieterà ogni differenza, querela, e contesa, che mai nascesse, che Dio ne guardi, al tempo del suo Officio frà gli Officiali, e frà gli Uomini di detta Archiconfraternità, ed anco frà Ministri Operarj, e Servitori, e frà li Poveri Settuagenarj stessi del detto Ospedale. E se accadesse, che detti Poveri non adempissero le loro obligazioni, ò facessero mancamenti, per i quali meritassero esser licenziati, potrà esso Signor Direttore convocare la Congregazione, e conforme il demerito quelli punire, anco con la privazione, conforme dispone il detto Sig. Antonio Bondi, riservandosi di poterli reintegrare, mà sempre con il consenso, e partito di essa Congregazione passato per li due terzi, incaricando la coscienza di ciascuno l' andar molto circospetto in simile affare, ed il simile si servi quanto alli Ministri di detto Ospedale, qual Direttore, siccome terrà il primo luogo nella precedenza, come si è detto, e nell' autorità, così anco doverà tenerlo nella diligenza, e sollecitudine, acciochè questo Santo Instituto vada ogni giorno di bene in meglio aumentando a gloria di Dio, e sollievo del prossimo.

CAPITOLO V.

Delli Amministratori, e suo Giuramento.

Si provvede, ed ordina, che li quattro Amministratori, che dureranno sei mesi, di detto Ospedale da estraersi, come sopra, debbano essere obedienti al Direttore, che ogni volta saranno chiamati, per occorrenza del detto Ospedale, se non saranno da giusta causa impediti, interverranno alle Congregazioni consigliando, ammonendo, ed operando quanto più potranno in servizio di detto Ospedale, e suoi Poveri, e così giureranno d'osservare le presenti Regole nelle mani del Sig. Direttore, o di chi sedesse in suo luogo, le quali gli debbano esser lette publicamente innanzi, che entrino nell' Offizio dal Notaro di detto Ospedale.

CAPITOLO VI.

De Sindici perpetui, e loro Giuramento.

Econoscendo quanto sia necessario un Officio perpetuo di Uomini provetti per difesa, governo, & accrescimento di detto Ospedale, come si costuma per inveterato stile di molte Congregazioni di questa Città, quindi è, che si statuisce, ordina, e provvede, che continuamente il detto Ospedale abbia quattro Uomini dell' Archiconfraternità predetta professi, i quali sieno Sindici perpetui, e finchè duri la vita loro, maggiori di età di anni trenta, di buona fama, condizione, e consiglio, li quali si debbano estraere a sorte dal Borsello fatto per simile imborsazione, e detti Sindici abbiano a consigliare à loro coscienza al detto Sig. Direttore sopra tutte quelle cose, che di giorno in giorno accaderanno, e debbano intervenire (non essendo per giusta causà impediti) a tutte le Congregazioni, che si faranno per servizio di detto Ospedale. E quando vacasse alcun luogo di detti Sindici perpetui, o per morte, o per volontaria rinuncia, si statuisce, che in luogo del morto, o di quello avesse rinunciato,

ciato, quanto prima se ne debba estrarre dal Borsel lo solito, un altro, il quale debba alla prima Congregazione publicamente accettare l' uffizio, e nelle mani del Sig. Direttore, e di chi sedesse in suo luogo, giurare di osservare quanto nel presente Capitolo si contiene, il quale pubblicamente gli sia letto dal Notaro di detto Ospedale.

CAPITOLO VII.

Dell' Estrazione de' Visitatori, e loro Officio.

ANcora si statuisce, che il Sig. Direttore insieme con tutta la Congregazione debba pigliare li nomi, e cognomi delli professi di detta Archiconfraternità, li quali saranno constituiti in età provetta, di buona vita, condizione, e fama, e porli in un Bussolo, ed ogni sei mesi nel tempo delle solite estrazioni dell' altre, cavarne due, gli così estratti, sieno Visitatori de' Poveri Settuagenarj, e delli infermi per il Semestre solito, e si pregano in Visceribus Christi, che non manchino di operare tal Officio di carità, visitando il più spesso, che sarà possibile li detti Settuagenarj, ed Infermi, confortandoli a sopportar pazientemente la vecchiaja, e sue malatie, e calamità, cercando con ogni diligenza, come sieno trattati, curati, e governati, così del Corpo, come dell' Anima, e se li Ministri di detto Ospedale fanno diligentemente l' officio loro, o se detti Vecchj, o Infermi sieno morbosi, o incurabili, o se sieno cibati a debiti tempi di Cibi convenienti, buoni, netti, e ben custoditi, e che il Dormitorio, o simil luogo, nel quale saranno detti Settuagenarj, o Infermi, sia polito, e netto, e non ci si senta cattivo odore quanto più si potrà. Debbano poi detti Visitatori in fine del suo offizio, ed ancor prima quando occorrerà riferire pubblicamente in Congregazione il parer loro, acciochè mancandogli qualche cosa, se gli possa provvedere, secondo sarà commodo, e necessario.

CAPITOLO VIII.

Del Depositario.

SI elegerà uno del numero de' Professi di detta Archiconfraternità maggiore di ogni eccezzione, il quale avrà facoltà di riscuotere, pigliare, e tenere in consegna tutte le rendite de' Beni di detto Ospedale, l' Elemosine, e Legati Pij, che giornalmente saranno fatti al detto Ospedale, e quando si troverà aver appresso di se maggior somma di Lire cinquecento, dovrà avvisare il Sig. Direttore, e Congregazione, acciò, volendo, si faccia deposito sul Monte di Pietà, o altro simile. Avrà per questo effetto il suo libro, ove saranno li Debiti, e Crediti, ed in fine dell' anno nell' ingresso degli Officiali nuovi, aggiustate le partite, ne darà conto in Congregazione, ed in fine del suo offizio, avendo fatto il bilancio, lo lascierà al Successore. Interverrà alle Congregazioni, e porrà il suo voto, conforme gli altri Officiali, e durerà detto suo offizio per un anno solo, in fine del quale dovrà rendere li suoi conti, come sopra, tenendo, o facendo tenere un libro regolato dell' uscita, ed entrata di Casa.

CAPITOLO IX.

Del Decano.

IL Decano pro tempore dell' Archiconfraternità sudetta di S. Giosesso interverrà alle Congregazioni, e quanto più potrà, si adoprerà per servizio di detto Ospedale, e suoi Poveri, e giurerà in mano del Direttore di osservare li presenti Statuti.

CAPITOLO X.

Del Procuratore, e Sindico dell' Ospedale.

EPerchè alcuna volta fà di mestiero, che in giudizio, e fuori di giudizio difendansi le ragioni di detto Ospedale, e Poveri da chiunque opprimer volesse, pertanto si ordina, che vi sta un Sindico, o Procuratore di buona condizione, e fama, che eserciti, ed abbia esercitato la Procura in ogni Foro per molti anni, al cui consiglio si commetteranno tutte le Cause per difendere, e mantener le ragioni dell' Ospedale, ed in caso di bisogno di Consulta maggiore, se gli aggiungerà un Avvocato, col quale meglio si spediscano li negozj con quella sollecitudine, e fedeltà, che si desidera, e spera; non mancherà questo tal Sindico di ragguagliare dello stato delle Cause la Congregazione, e gli Officiali di essa, acciò si possa provvedere di quanto farà bisogno, e detto Procuratore, e Sindico avrà voto in Congregazione, e ad essa interverrà con gli altri Officiali.

CAPITOLO XI.

Del Notaro, e suo Officio.

PER far rogito, e tener memoria di tutte le Ordinazioni, Conclusioni, Partiti, Commissioni, & Assontarie, si istituisce, che si debba avere un Notaro di buona fama, & onesti costumi, e di età di anni 25. almeno, e che sia descritto nel Collegio de' Notari della Città di Bologna, questo interverrà alle Congregazioni, così alle private delli Officiali, come alle publiche di tutti li Governatori di detto Ospedale, quando gli sarà intimato, e conforme agli altri Officiali porrà il suo voto secretamente, farà in libro a ciò deputato, nota, e memoria di tutto quello, che in detta Congregazione si proporrà, e concluderà ramentarà ancora gli Assonti, che a trattar negozj saranno stati fatti nelle precedenti Congregazioni, che debbono fare le loro relazioni per compimento delle cose a utile di detto Ospedale.

CAPITOLO XII.

Del Fattore, e sua Elezione.

ANcora si statuisce, & ordina, che il detto Ospedale debba avere, e tenere un Fattore, uomo dabbene, fedele, diligente, & intelligente dell' Agricoltura, il quale sia obbligato andare ai tempi debbiti a tutte le Possessioni, Prati, Boschi, Vigne, e Terre di detto Ospedale, e quelle farle lavorare alli Coloni parziali dell' Ospedale a tempi opportuni, piantare, coltivare, seminare, e sollecitare, che facciano il debito suo, ed in somma fare, ed eseguire tutto quello che fanno, e sono soliti di fare li Fattori de' Beni; L' elezione di detto Fattore spetti agli Officiali di detto Ospedale, o maggior parte di loro, essendo ciascuno che domandasse posto a Partito, e scrutinato a fave bianche, e negre, e quello, che, oltre li due terzi avrà più fave bianche, quello sia Fattore, essendo in arbitrio della Congregazione l' intercluderlo per mancamento, che si conosce in esso.

CAPITOLO XIII.

Della Celebrazione dell' Officio per gli Aggregati Settuagenarj Defonti.

IN ordine alla pia mente dell' Institutore Bondi, si ordina, che si debba celebrare ogni Anno in perpetuo nella Chiesa sudetta di S. Giosesso, o in altra Chiesa, ad arbitrio de' sudetti Officiali Confrati, un Officio da Morto per l' Anima de' Poveri Settuagenarj morti aggregati al sudetto Ospedale col numero di Messe, e a spesa, che parerà alli Officiali pro tempore.

CAPITOLO XIV.

Del modo di raccogliere Elemosine per la Fabbrica, e Mantenimento, ed Aumento di detto Ospedale.

EPerchè a fondare detto Ospedale, e mantenere quella quantità de' Poveri Settuagenarj, che concorreranno eccederà di gran lunga la spesa dell' entrata lasciata fin ad ora, perciò si ordina, che si debbano deputar persone dabbene, di buona vita, e fama, quali debbano cercare Elemosina nella Città, e Centà di Bologna con Cassette chiuse a chiavi, con votarle a suo tempo alla presenza del Signor Direttore, e Depositario pro tempore dovendosi convertire l' Elemosina raccolta in sovvenimento solamente di detto Ospedale, toltone quella parte, che si darà alli detti, che cercheranno, ed acciocchè il Popolo di Bologna si disponga volontieri a dar Elemosina a questa laudabilissima Opera, si ordina, che per gli Officiali pro tempore di detto Ospedale, si usi diligenza di aver, in tempo di Quadragesima, Predicatori, i quali raccomandino efficacemente nelle loro Prediche l' Opera sudetta de' Poveri settuagenarj.

CAPITOLO XV.

Conclusione de' presenti Capitoli per l' Osservanza loro.

EPerchè indarno si farebbero gli ordini, e le leggi se poi non si osservassero, pertanto si ordina, e statuisce, che non sia lecito contrafare, ne contradire in parte alcuna alli presenti Capitoli, e quando in alcuna cosa accadesse dubbitazione alcuna sopra l' intelligenza di essi, si ordina, che debba starsi all' interpretazione, e dichiarazione delli Officiali di detto Ospedale, che pro tempore saranno, o della maggior parte coll' approvazione di Monsignor Illustrissimo, e Reverendissimo Arcivescovo, e suo Reverendissimo Vicario, ed in evento, che occorresse alcun caso non molto importante intorno al quale non si trovasse esser proveduto per li presenti statuti, in tal caso si debba risolvere, e fare secondo, che alla Congregazione delli Uomini professi in sufficiente numero congregati, come di sopra, o alla maggior parte di loro parerà, o piacerà esser più utile, & espediente per beneficio di detto Ospedale, e suoj Poveri, e così poi si debba osservare per l' avvenire in simil caso, ma perchè dalla continua esperienza, e prattica si vede chiaramente, secondo li nuovi casi, & occasioni, che sopravvengono, esser molte volte di bisogno di mutazioni, e riforme delli statuti, ed anco di fare nuovi Capitoli, perciò si statuisce & ordina, che alli Officiali pro tempore, ed Archiconfraternità predetta di S. Giosseffo spetti mutare, e riformare gli Ordini, e Capitoli sopradetti, ed anco fare, secondo le occorrenze, nuovi Capitoli, sempre però colla saputa, participazione, e consenso di Monsignor Illustrissimo Arcivescovo pro tempore di Bologna, quali da ciascuno di detta Archiconfraternità, & Officiali pro tempore debbano essere inviolabilmente osservati.

Omnia, & singula statuta supra notata a Nobis diligenter revisa, & ponderata approbamus, & confirmamus, servarique mandamus, salva tamen facultate addendi, & minuendi Illmo, & Rmo D. Archiepiscopo, ejusque pro tempore Vicario Generali, sicuti pro temporis varietate in Domino expedire videretur; In quorum &c.

Bononiæ ex Palatio Archiepiscopali hac die 21. Mensis Novembris 1662. Antonius Rodulphius Vicarius Generalis Locus ✠ Sigilli. Giosseffo Bartolotti uno degli Assonti. Io Carlo Tibaldi uno degli Assonti. Io Gio: Battista Buffati uno degli Assonti; Io Giulio Monti uno delli Assonti. Io Giosseffo Comelli uno degli Assonti. Io Raffael Erbolani uno degli Assonti. Io Antonio Bertalotti uno degli Assonti sudetti.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ti. Io Carlo Orlandini uno degli Assonti. Io Gio: Battista Dandi per il Sig. Carlo Lombardi uno degli Assonti. Io Gio: Battista Lucarini uno degli Assonti.

In Dei Nomine Amen. Anno a Nativitate ejusdem millesimo sexcentesimo sexagesimo secundo Indictione decimaquinta, die vero vigesima secunda Novembris, tempore &c. D. N. D. Alexandri, divina providentia, Papæ VII. in mei &c. constituti Perillustris, & Rmus Dominus Joseph filius Illustris D. Antonii de Bartolottis perinsignis Collegiatæ S. Petronii Canonicus, Dominus Carolus olim D. Joannis Antonii de Tibaldis Cappellæ S. Thomæ de Mercato, Dominus Joannes Baptista Domini Casparis de Bursatio Cappellæ S. Blasii, D. Julius quondam D. Joannis Baptistæ de Monte Cappellæ Sanctæ Mariæ Majoris, D. Joseph quondam D. Dominici Mariæ de Comellis, D. Natalis olim D. Pompei de Herbulanis Cappellæ S. Mariæ Magdalenæ. Excellentissimus Causarum Patronus, ac I. U. D. Antonius olim Magnifici D. Angeli de Bertalottis Civis, & Notarius Bononien. D. Carolus olim D. Alphonsi de Orlandinis Cappellæ S. Martini Majoris, D. Carolus olim D. Marci Antonii de Lombardis Cappellæ S. Georgii, & D. Joannes Baptista quondam D. Joannis de Lucarinis Cappellæ S. Thomæ de Mercato omnes Confratres professi Archiconfraternitatis S. Josephi Bononiæ, ac assumpti specialiter electi, constituti, & deputati, ut asseritur, a D. D. Priore, & Officialibus ejusdem Archiconfraternitatis super constructione, & formatione suprascriptarum Regularum, ac Constitutionum. Qui omnes, & quilibet ipsorum in loco infrascripto visis, & per me Notario eis ostensis illorum subscriptionibus, & quilibet eorum cognovit, & recognovit dictas subscriptiones fuisse, & esse eorum respective manu propria subscriptas, hocque mediante juramento prout sic manu respectu dicti Perillustris, & Rmi D. Josephi super ejus pectus apposita, respectu vero aliorum tactis scripturis ad Sancta Dei Evangelia ipsi omnes, & quilibet ipsorum jurarunt, & juravit, ac omni meliori modo &c. Hæcque recognitiones subscriptionum prædictarum factæ fuerunt in Foro Archiepiscopali Bonon., ac in Mansione juris Rmi D. Vicarii Generalis.

Et quia ego Joannes Baptista olim D. Julii Cæsaris de Cavatiis Bonon. Civis public. Apostolica, Imperiali, ac Communis ejusdem auctoritate Notarius Collegialis, ac Curiæ Archiepiscopalis Actuarius prædictis recognitionibus dictarum subscriptionum interfui, & de eis rogatus fui, ideo ea omnia in hanc publicam, & authenticam formam redegi. In quorum Fidem, robur, ac testimonium hic me cum solito signo subscripsi requisitus &c.

Locus ✠ Signi.

Patent confirmatio Statuto rum.

§.2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, Capitula, seu Statuta præinserta a dilecto filio Vicario Venerabilis Fratris Archiepiscopi Bononien. in spiritualibus Generali approbata fuerint; dicti vero Exponentes illa, quo firmius subsistant, & serventur exactius, apostolicæ Confirmationis nostræ robore communiri summopere desiderent. Nos specialem ipsis Exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negociis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, omnia, & singula Capitula, seu Statuta præinserta, auctoritate apostolica, tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium. Decernentes ipsas præsentes literas, ac Capitula, seu Statuta præinserta, semper firma, valida, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Confirmat Pontifex.

Clausulæ præservativæ.

§.3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit, dictæ Archiconfraternitatis, aliisve quibusvis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoq; Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Contrariis derogat.

Datum Romæ apud S. M. M. sub Annulo Piscat. die 15. Jan. 1669. Pont. nostri Anno Secundo.

Dat. die 15. Jan 1669. An. II.

Ju-

XCIII.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Jubilæum pro Regno Galliarum, aliisque Provinciis, & Ditionibus Regi Christianissimo subjectis ad imploran. divinam opem contra Turcas, cum præcepto Ordinariis, ut serio invigilent, ut eleemosynæ, quas occasione Jubilæi hujusmodi a Christifidelibus pro eorum devotione sponte conferri. & in Capitulis Ecclesiarum reperiri contigerit, in causam Belli contra Turcas fideliter erogentur.

CLEMENS PAPA NONUS

Ad futuram rei memoriam.

Motivâ præsentis Constitutionis.

§.1. CUM Nos jam pluries inter gravia Christianæ Reipublicæ pericula, publicas, tum in Alma Urbe nostra Orthodoxæ Religionis Arce, tum in universa Italia supplicationes, atque preces erogatis Ecclesiæ Thesauris, quorum dispensationem Nobis commisit Deus, indixerimus, ut clementissima Domini nostri benignitas infensissimorum Christiani nominis hostium Turcarum impetus, & vires virtutis suæ potentia reprimere, & conterere, prosperosque rerum Christianarum eventus largiri dignaretur, sed effera eorumdem Turcarum impietas obsidionem Civitatis Candiæ vehementiori in dies rabie urgeat, & res Christianas gravi clade involvere pro viribus moliatur: Christianissimum, ac pietatis, & bellicæ fortitudinis laude florentissimum Galliarum Regnum, unde tot egregii pugiles gloriosa pro Christi honore certamina subituri nuper in Cretam Insulam se contulerunt, ad divinam opem in his urgentissimis Sanctæ Matris Ecclesiæ necessitatibus adversus communes hostes conjunctis pariter precibus implorandam amplissimis spiritualium gratiarum muneribus censuimus esse invitandum; Itaque de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi ex illa ligandi, atq; solvendi potestate, quam Nobis Dominus licet indignis contulit, universis, & singulis utriusq; Sexus Christifidelibus in universo Galliarum Regno, aliisque omnibus, & singulis Provinciis, & Ditionibus Charissimo in Christo filio nostro Ludovico Francorum Regi Christianissimo subjectis degentibus, qui Ecclesias ab Ordinariis Locorum, vel eorum Vicariis, seu Officialibus, aut de eorum mandato, & ipsis deficientibus, per eos, qui ibi curam animarum exercent, postquam ad eorum notitiam hæ nostræ pervenerint designandas, vel Ecclesiarum hujusmodi aliquam spatio duarum hebdomadarum a publicatione designationis per Ordinarios, vel eorum Vicarios, seu Officiales, vel alios, ut præfertur, facienda decursurarum saltem semel visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium pro prosperis Christianarum rerum successibus, ac memoratorum Turcarum depressione, aliisque ejusdem Sanctæ Matris Ecclesiæ necessitatibus pias ad Deum preces effuderint, ac quarta, & sexta feriis, ac Sabbatho alterius ex hebdomadis hujusmodi jejunaverint, & peccata sua confessi in die Dominica immediate sequenti, vel alia die intra eamdem hebdomadam Sanctissima Communione refecti fuerint, & pauperibus aliquam eleemosynam, prout unicuique suggeret devotio erogaverint, plenissimam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem, sicut in anno Jubilæi visitantibus certas Ecclesias intra, & extra Urbem prædictam concedi consuevit, tenore præsentium concedimus, & elargimur.

Jubilæum in Regno Gallia rum indicit.

Navigantibus iter agentibus provident ne non ceteris aliquo impedimento detentis.

§.2. Navigantes vero, & iter agentis, ut cum primum ad sua sese domicilia receperint, suprascriptis peractis, & visitata Ecclesia Cathedrali, vel majore, aut Parochiali loci eorum domicilii, eandem Indulgentiam consequi possint, & valeant: Regularibus autem personis utriusque sexus, etiam in Claustris perpetuo degentibus, necnon aliis quibuscumque tam Laicis, quam Ecclesiasticis, secularibus, & regularibus etiam in carcere, aut captivitate existentibus, vel aliqua corporis infirmitate, seu alio quocumque impedimento detentis, qui supra expressa, vel eorum aliqua præstare nequiverint, ut illa confessarius, ex jam approbatis a locorum Ordinariis ante præsentium publicationem seu approbandis, in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus prorogare possit, eaque injungere, quæ ipsi pœnitentes efficere poterunt, pariter concedimus, & indulgemus. Insuper omnibus, & singulis Christifidelibus utriusque Sexus tam Laicis, quam Ecclesiasticis, Secularibus, & Regularibus cujusvis Ordinis, Congregationis, & Instituti jam memoratis Regnis, Provinciis, & Ditionibus, ut præfertur degentibus licentiam concedimus, & facultatem ut sibi ad hunc effectum eligere possint quemcumq; Presbyterum Confessarium tam secularem, quam cujusvis Ordinis, & Instituti Regularem ex approbatis, ut præmittitur a locorum Ordinariis, qui eos ab omnibus excommunicationis, suspensionis, & aliis ecclesiasticis sententiis, & censuris a jure, vel ab homine quavis causa latis, seu inflictis, necnon ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus, & delictis quantumvis gravibus, & enormibus, etiam locorum Ordinariis, sive Nobis, & Sedi Apostolicæ etiam in litteris die Cœnæ Domini legi solitis contentis, & alias per quascumque nostras, aut Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum Constitutiones, quarum tenores, præsentibus haberi volumus pro expressis quomodocumque reservatis in foro conscientiæ, & hac vice tantum absolvere, & liberare valeant. Et insuper vota quæcumque (Religionis, & Castitatis exceptis) in alia pia, & salutaria opera commutare, injuncta tamen eis, & eorum cuilibet in supradictis omnibus casibus

Facultas eligendi benevisum confessarium.

Publicationē præſentis Conſtitutionis ubique in Gallia mandat

bus pœnitentia ſalutari, aliiſque ejuſdem Confeſſarii arbitrio injungendis. Quocirca tenore præſentium in virtute ſanctæ obedientiæ diſtricte præcipimus, atque mandamus omnibus, & quibuſcumque Ven. Fratribus Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis Eccleſiarum Prælatis, ac quibuſcumque Ordinariis locorum in præfatis Galliarum Regno, ac Provinciis, & Ditionibus exiſten., eorumque Vicariis, & Officialibus, vel iis deficientibus, illis, qui curam animarum exercent, & cum præſentium litterarum tranſumpta, aut exempla etiam impreſſa acceperint, illa ſtatim abſque ulla mora, retardatione, vel impedimento per ſuas Eccleſias, & Diœceſes, Provincias, Civitates, Oppida, Terras, & Loca publicent, & publicari faciant, Eccleſiamque, ſen Eccleſias viſitandas deſignent, ac ipſi Archiepiſcopi, Epiſcopi, & alii Ordinarii ſerio invigilent, ut eleemoſynæ, quas occaſione Jubilei hujuſmodi a memoratis Chriſtifidelibus pro eorum devotione ſponte conferri, & in Capitulis Eccleſiarum repetiri contigerit, in cauſam Belli contra Turcas prædictos fideliter erogentur, nec in alium quemcumque uſum divertantur. Non intendimus autem per præſentes ſuper aliqua irregularitate publica, vel occulta, nota defectu, incapacitate, ſeu inhabilitate quoquo modo contracta diſpenſare, vel aliquam facultatem tribuere diſpenſandi, ſeu habilitandi, & in priſtinum ſtatum reſtituendi, etiam in foro conſcientiæ, neque etiam eaſdem præſentes iis, qui a Nobis, & Apoſtolica Sede, vel ab aliquo Prælato, ſeu Judice Eccleſiaſtico excommunicati, ſuſpenſi, interdicti, ſeu alias in ſententias, & cenſuras incidiſſe declarati, vel publice denunciati fuerint, niſi intra tempus dictarum, duarum hebdomadarum ſatisfecerint, aut cum partibus concordaverint, ullo modo ſuffragari poſſe, aut debere.

Eleemoſynas hac occaſione ſponte collatas pro Bello contra Turcas deſervire ſtatuit.

Clauſulæ præſervativæ.

§.3. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, præſertim quibus facultas abſolvendi in certis tunc expreſsis caſibus ita Romano Pontifici pro tempore exiſtenti reſervatur, ut nec etiam ſimiles, vel diſſimiles Indulgentiarum, & facultatum hujuſmodi conceſsiones, niſi de illis expreſſa mentio, aut ſpecialis derogatio fiat cuiquam ſuffragari queant, necnon regula noſtra de non concedendis Indulgentiis ad inſtar, ac quoramcumque Ordinum, & Congregationum, ſive Inſtitutorum Regularium, etiam juramento, confirmatione apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apoſtolicis eiſdem Ordinibus, Congregationibus, & Inſtitutis illorumque perſonis quomodolibet conceſsis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſsio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illorum omnium, & ſingulorum tenores præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſsis, ac formam in eis traditam pro ſervata habentes hac vice ſpecialiter, nominatim, & expreſſe ad effectum præmiſſorum derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Tranſumpto. rum fides.

§.4. Ut autem præſentes noſtræ, quæ ad ſingula loca deferri non poſſunt, ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus, ut earumdem præſentium tranſumptis, vel exemplis, etiam impreſsis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis ubique locorum eadem prorſus fides habeatur, quæ haberetur ipſis præſentibus ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, die 4. Febr. 1669. Pontificatus noſtri Anno II.

Dat. die 4. Feb. 1669. An. II.

XCIV.

Indultum Reipublicæ Raguſinæ vendendi Capitalia locorum piorum Raguſin. in Civitate Neapolitan. fundat. ad effectum Domos conſtruendi in Civit. Raguſina.

Ex Regeſt. in Secret. Brev.

Ven. Fratri Archiepiſcopo Raguſin.

CLEMENS PAPA NONUS

Ven. Frater ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Supplicatio

§.1. EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Magiſtratus Reipublicæ Raguſinæ, quod cum ſuper redditibus Regiis fundata reperiantur in Civitate Neapolitana multa capitalia pecuniarum ad varia loca pia Civitatis Raguſinæ legitime ſpectantia quorum fructus propter notabilem reddituum pro eorum fundo aſſignatorum deterioration em notabiliter diminuti exiſtunt, & probabiliter timeatur, ne majorem in futurum diminutionem patiantur in dicta vero Civitate Raguſin. utiliter impendi poſſint dicta Capitalia in conſtructionem Domorum: Ipſi exponentes legitimis dictorum locorum piorum Adminiſtratoribus licentiam vendendi eadem Capitalia ſeu eorum fructus ad vitam, vel ad aliud tempus mediante pretio, prout magis expedire videbitur obligandi, & hypothecandi, pecuniaſque inde proventuras in fabricam Domorum in præfata Civitate Raguſin. conſtruendarum convertendi, & erogandi a Nobis concedi, ac onera pia a Teſtatoribus, ſeu piis largitoribus ſuper Capitalibus hujuſmodi injuncta, in Domos, ut præfertur, conſtruendas transferri plurimum deſiderant. Nobis propterea humiliter ſupplicari fecerunt, ut in præmiſſis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Concedit Pontifex ut in rubrica.

§.2. Nos igitur dictos Exponentes ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes,

lentes, & eorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes; ac quarumcumque diſpoſitionum Teſtatorum, ſeu piorum largitorum præfatorum tenores, præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum conſilio, fraternitati tuæ per præſentes committimus, & mandamus ut veris exiſtentibus narratis legitimis præfatorum locorum piorum Adminiſtratoribus memorata Capitalia, juſtis reſpective prætiis, ac meliori qua fieri poterit conditione in perpetuum, ſive ad emptorum vitam, aut aliud tempus prout magis expedire in Domino exiſtimaveris, vendendi, & alienandi, ſeu illa, eorumque fructus obligandi, & hypothecandi, necnon pecunias inde proventuras in Fabricam Domorum in dicta Civitate Raguſin., ut præfertur conſtruendarum, & non in alios uſus integre convertendi, & erogandi licentiam & facultatem auctoritate noſtra Apoſtolica pro tuo arbitrio, & conſcientia gratis impertiaris: Ac onera pia eiſdem Capitalibus reſpective injuncta in Domos, ut præmittitur, conſtruendas eadem auctoritate tranſferas, & tranſportes.

Contrariis derogat.

§.3. Non obſtantibus quorumcumque Teſtatorum, & piorum largitorum præfatorum, etiam ultimis voluntatibus, quas, quoad præmiſſa ſufficienter, & expreſſe commutamus, ac fel. record. Pauli II., & aliorum Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum de rebus Eccleſiæ non alienandis, aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis necnon quatenus opus ſit dictorum locorum piorum etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Dat. die 5. Feb. 1669. An.II.

Datum Romæ apud S. M. M. ſub Annulo Piſcat. die 5. Febr. 1669. Pontificatus noſtri Anno II.

XCV.

Ex Regeſt. in Secret. Brev.

Licentia Religioſis Monaſteriorum Palatinatus Superioris ſolvendi 80. millium Florenorum in extinctionem debitorum Eccleſiæ Ratisbonen.

CLEMENS PAPA NONUS

Ad futuram rei memoriam.

Supplicatio

§.1. ALias pro parte dilecti filii Nobilis viri Ferdinandi Mariæ Bavariæ Ducis S. R. E. Principis Electoris Noſ-

Alia Conſtitutione prædictum fuerat indigentiis ſecularis Eccleſiæ Ratisbonen.

bis expoſito, quod cum Monaſteria de Reichenbach, de Endorff, de Weiſſenhoc, & de Michelfelt virorum Ordinis S. Benedicti ac de Walderbach, & de Walſaſſenetiam virorum, & de Selingenpont mulierum Ordinis Ciſtercien., necnon de Schontal ſive Vallis ſpecioſæ virorum Ordinis Eremitarum S. Auguſtini ac de Speiſſart etiam virorum Ordinis Prædemonſtraten., & de Gnaderbeg nuncupata Monialium Ordinis Sanctæ Brigittæ Ratiſbonen., Bambergen., & Eiſtetten. Diœceſum reſpective in Palatinatu Superiori exiſtentia cum omnibus eorum bonis, pertinentiis, & juribus dudum ab hæreticis occupata, & tamdiu detenta fuiſſent, donec a claræ memoriæ Ferdinando II. dum vixit Romanorum Rege Illuſtri in Imperatorem electo operæ præcipue, ope, conſiliis, & fortitudine bellica bon. mem. Maximiliani dum vixit etiam Bavariæ Ducis S. R. I. Principis Electoris ipſius Ferdinandi Mariæ Ducis genitoris ab illorum manibus vindicata, & recuperata fuerant; Idem Ferdinandus Maria Dux ad Catholicam Religionem in dicto Palatinatu, qui a memorato Ferdinando Rege eidem Maximiliano Duci ceſſus, & traditus fuerat, & in cujus poſſeſsione dictus Ferdinandus Maria Dux uti ipſius Maximiliani Ducis hæres, & Succeſſor exiſtebat ſtabiliendam, atque augendam plurimum conferre poſſe exiſtimabat, ſi prædicta octo virorum Monaſteria Monachis, ac Canonicis Regularibus, & Fratribus reſpective dictorum Ordinum; Reliqua vero duo Monialium Monaſteria in erectionem novi Monaſterii pariter Monialium in Oppido Civitate nuncupato Ambergæ faciendam reſpective traderentur, tribuerentur, & aſsignarentur: Nos ſupplicationibus ipſius Ferdinandi Mariæ Ducis Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, de Congregationis a Nobis ſuper hoc negocio ſpecialiter deputatæ Conſilio, eidem Ferdinando Mariæ Duci benigne indulſimus, ut noſtra, & Sedis Apoſtolicæ auctoritate Monaſteria prædicta reſpective cum omnibus, & ſingulis illorum bonis, membris, pertinentiis, redditibus, & juribus univerſis ſicut præmittitur perpetuo tradere, tribuere, & aſsignare, cum interventu tamen, & aſsiſtentia dilecti filii noſtri, & Sedis prædictæ Nuncii apud Chariſsimum in Chriſto filium noſtrum Leopoldum eorumdem Romanorum Regem Illuſtrem in Imperatorem Electum pro tempore reſidentis, vel alterius Eccleſiaſticæ perſonæ ab eodem Nuncio deputandæ poſset, & valeret, nullo tamen ſibi deſuper acquiſito, aut reſervato jurepatronatus, aut alio quocumque jure, ac ſalva remanente Conventui Fratrum Ordinis Sancti Franciſci de Paula Minimorum nuncupatorum in Oppido Civitate nuncupato Neoburgi exiſtentium pro eorum alimentis portione bonorum, ſeu reddituum dicti Monaſterii de Reichenbach penes ipſos exiſtente, quam portionem eiſdem fratribus conceſsimus, & ab eis retineri voluimus, donec de æquivalenti

lenti annuo reddítu, & æque opportuno proviſum illis foret.

§.2. Volentes inter cætera tunc in humanis agentem Guidobaldum S.R.E. dum vixit Cardinalem de Thun nuncupatum, Eccleſiæ Ratisbonen. ex conceſſione, & diſpenſatione apoſtolica Præſulem accipere per triennium de manu prædictorum Monachorum, & Canonicorum Regularium, & Fratrum Eremitarum Ordinis S. Auguſtini reſpective dimidiam partem annuorum fructuum ex prædictorum octo Monaſteriorum virorum bonis proventurorum, ut in extinctionem debitorum ejuſdem Eccleſiæ Ratisbonen. cum interventu, & aſſenſu dilectorum filiorum Capituli, & Canonicorum ipſius Eccleſiæ, & non in alios uſus converteretur, & alias cum diverſis declarationibus, facultatibus, ordinationibus, expreſſionibus, clauſulis, & decretis, prout uberius continetur in noſtris deſuper in ſimili forma Brevis expeditis literis tenoris, qui ſequitur videlicet, a tergo: Dilecto filio nobili viro Ferdinando Mariæ Bavariæ Duci S.R.I.Principis Electoris; intus vero: Clemens Papa IX. Dilecti fili nobilis vir ſalutem, & apoſtolicam benedictionem *Sacroſanctii Apoſtolatus &c.*, reliqua, ut in ſuo loco ſub die 24. Aug. 1667. Anno Primo.

Nunc aliter providetur in dictæ præ-dictæ.

§.3. Cum autem ſicut pro parte tam bon. mem. Guidobaldi Cardinalis, & Præſulis prædicti, quam dicti Ferdinandi Mariæ Ducis conjunctim Nobis ſubinde expoſitum fuit, longe magis expediat tam Eccleſiæ Ratisbonen., quam octo Monaſteriis virorum ſupradictis, ut loco dimidiæ partis fructuum eorumdem Monaſteriorum extinctioni æris alieni, quo eadem Eccleſia Ratisbonen. obſtricta eſt, ad triennium, ut præfertur, applicatæ ſumma octoginta millium florenorum monetæ illarum partium a Monachis, ac Canonicis Regularibus, & Fratribus reſpective ipſorum octo Monaſteriorum præfectur, atque ita difficultates, & diſpendia liquidationis, & diſtractionis eorumdem Fratrum evitentur: Hinc eſt, quod Nos, qui id ipſum ex aliis quoque perſonis fide dignis, & rerum hujuſmodi peritis cognovimus, levamento, atque utilitati tam Eccleſiæ Ratisbonen., quam octo Monaſteriorum prædictorum quantum Nobis ex alto conceditur providere cupientes, memoratis Monachis, & Canonicis Regularibus, & Fratribus eorumdem octo Monaſteriorum, ut vice, & loco dimidiæ partis fructuum ipſorum Monaſteriorum, quæ in extinctionem debitorum dictæ Eccleſiæ Ratisbonen. triennio durante juxta diſpoſitionem præinſertarum noſtrarum literarum converti deberet, quamprimum ſummam octoginta millium ſcutorum dictæ monetæ, nempe ratas quique partes, ſive portiones ſummæ hujuſmodi pro modo fructuum, & reddituum uniuſcujuſque ex iiſdem octo Monaſteriis a prædicto Nuncio determinandas, vel approbandas Creditoribus ſupradictæ Eccleſiæ Ratisbonen. a Ven. Fratre moderno Epiſcopo Ratisbonen. deſignandas in extinctionem, & diſſolutionem debitorum ipſius Eccleſiæ cum interventu, & conſenſu Capituli, & Canonicorum ejuſdem Eccleſiæ Ratisbonen. realiter, & cum effectu præſtare, & ſolvere, ſive loco ſolutionis hujuſmodi tot debita Eccleſiæ prædictæ Ratisbonen ab eiſdem Epiſcopo, ac Capitulo, & Canonicis deſignanda, creditorum ad id accedente conſenſu, in ſe, & dicta Monaſteria reſpective ſuſcipere, ac etiam ad computum, & in diminutionem dictæ ſummæ octoginta millium Florenorum bona ſtabilia etiam juriſdictionalia ad eadem Monaſteria, ſeu eorum aliquod reſpective ſpectantia, dummodo tamen ipſa bona ſtabilia ſummam decem millium Florenorum parium in totum non excedant, prævia dicti Nuncii licentia eidem Eccleſiæ Ratisbonen. cedere, ac in ipſam Eccleſiam transferre, & tranſportare; ut autem pecuniæ eis reſpective ad ſolvendas portiones, unumquodque ex dictis Monaſteriis contingentes ſuppetant, pecunias ad cenſum, ſeu aliud intereſſe, vel interuſſurium licitum, ſuper bonis ipſorum Monaſteriorum reſpective prout opus fuerit, de pari ejuſdem Nuncii licentia capere, illaſque in ſolutionem portionum contingentium hujuſmodi, & non in alios uſus convertere, & erogare, libere, & licite poſſint, & valeant, itaut per præmiſſa, quæ ſaltem intra quinquennium proximum abſolvi volumus ab onere, & obligatione præſtandi triennio durante prædictam dimidiam partem fructuum penitus, & omnino liberi, atque immunes remaneant, ſalva tamen in reliquis omnibus, & ſingulis, ac in ſuo robore remanente præinſertarum literarum diſpoſitione, auctoritate apoſtolica tenore præſentium concedimus, & indulgemus.

Derogatio contrariorum

§.4. Non obſtantibus quoad ea, quæ præſentibus adverſantur præinſertis noſtris literis, ac rec. mem. Pauli II., & aliorum Romanorum Pontificum Prædeceſſorum pariter noſtrorum de rebus Eccleſiæ non alienandis, aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon omnibus, & ſingulis illis, quæ in literis præinſertis voluimus non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Dat. die 16. Feb. 1669. An. II.

Datum Romæ apud S.Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, die 16. Febr. 1669. Pontificatus noſtri Anno II.

XCVI.

Commiſſio Epiſcopo Ferentin. contra Interfectores Epiſcopi Nicoteren.

Ex Regeſt. in Secret. Brev.

Ven. Fratri moderno Epiſcopo Ferentin.

CLEMENS PAPA NONUS

Ven. Frater ſalutem, & apoſtolicam benedictionem.

Motiva.

§.1. CUM ſicut ad aures noſtras nuper non ſine graviſſima animi noſtri molestia pervenit, nonnulli iniquitatis filii bon. mem. Joannem Franciſcum ultimum dum vixit Epiſcopum Nicoteren. in ipſa ſua Civitate Nicoteren. deteſtabili immanitate trucidaverint: Nos, qui in ſupremo Juſtitiæ Throno a Domino conſtituti ſumus horrendum, atque deplorandum facinus hujuſmodi minime impunitum remanere, ſed condignis pœnis, & animadverſionibus per Sacros Canones, & Conciliorum Decreta, ac Conſtitutiones Apoſtolicas inſlictis, & promulgatis puniri, coerceri, & vindicari volentes, ac de tua fide, prudentia, diligentia, integritate, dexteritate, & vigilantia, ac omni fortitudine, & Dei ejuſque Miniſtrorum honoris zelo plurimum in Domino confiſi, motu proprio, ac ex certa ſcientia, & matura deliberatione noſtris deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, fraternitati tuæ per præſentes committimus, & mandamus, ut ad prædictam Civitatem Nicoteren., vel alio prout opportunius, atque tutius fore judicaveris, quamprimum te conferas, ac contra omnes, & ſingulos, qui deteſtandum homicidium hujuſmodi in perſona dicti Joannis Franciſci Epiſcopi commiſerint, aut illud fieri mandaverint, ſeu factum ab aliis ratum habuerint, aut ſocii in hoc fuerint faventium, ſeu conſilium, auxilium, vel favorem quoquo modo etiam indirecte illis dederunt, vel illos ſcienter defenderunt, aut receptarunt, & generaliter contra quoſcumque tam execrandi ſceleris quomodolibet reos, complices, & culpabiles cujuſcumque ſtatus, gradus, conditionis, qualitatis, ordinis, præeminentiæ, & dignitatis ſive Eccleſiaſticæ, ſive ſecularis, etiamſi ſpecifica, & individua mentione, & expreſſione digni ſint ſuper præmiſſis diligentes Informationes capias, proceſſus formes, Teſtes quoſcumque examines, & ad teſtificandum quaſcumque perſonas, cujuſcumque ſtatus, gradus, conditionis, ordinis, & præeminentiæ exiſtant, etiam Eccleſiaſticas, ſeculares, & regulares etiam quomodolibet exemptas, per cenſuras Eccleſiaſticas, & alias opportunis juris, & facti remediis cogas, & compellas, cauſamque, & cauſas ſuper iiſdem præmiſſis tam ex officio, quam ad inſtantiam Promotoris Fiſcalis a Te deputan., ſeu alias quomodolibet movendas cum earum annexis, & connexis, ac dependentibus, & emergentibus quibusliber, totoque negocio principali uſque ad declarationem incurſus in anathematis, & excommunicationis majoris, aliaſque pœnas quaſcumque a Sacris Canonibus, Conciliorum Generalium Decretis, & Conſtitutionibus Apoſtolicis, & ſpeciatim illa, quotannis die Cœnæ Domini legi ſolita inflictas, ac ſententiam, ſeu ſententias, illiuſque, ſeu illarum omnimodam executionem incluſive cognoſcas, & prout juris fuerit decidas, & termines, etiam omni, & quacumque appellatione, recurſu, reclamatione, nullitatum etiam ex tribus dictione, prætenſæ injuſtitiæ allegatione, in integrum reſtitutione, aliiſque quibuſvis juris remediis ordinariis, & extraordinariis penitus, & omnino remotis, Nos enim tibi contra prædictos, aliosque omnes & ſingulos in præmiſſis, ſeu eorum occaſione quomodolibet culpabiles, ſummarie, ſimpliciter, & de plano ſine ſtrepitu, & figura judicii, ſola facti veritate inſpecta, ac omiſſis omnibus, & ſingulis juris, & ſtyli Curiæ ſolemnitatibus, procedendi, illoſque omnes, & ſingulos etiam per Edictum publicum conſtito tibi etiam ſummarie de non tuto acceſſu, ſeu alias arbitrio tuo citandi, & monendi, ac in jus, & judicium etiam extra ſuas reſpective Provincias, & Diœceſes, ac ultra duas, & plures dietas, evocandi, illiſque, ac judicibus quibuslibet toties, quoties tibi videbitur inhibendi, reos, & culpabiles prædictos, & eorum quemlibet, necnon etiam teſtes ſi forſan ad Eccleſias, & loca immunitate Eccleſiaſtica gaudentia confugerint, inde pro reverentia Eccleſiis debita quanto minori fieri poterit cum ſcandalo, extrahen. ſeu extrahi, & carceribus mancipari faciendi, ac Curiæ ſeculari etiam prævia degradatione per te, ſeu tuo mandato facienda prout juris fuerit tradendi, ipſos reos, & culpabiles repertos publice anathematizatos, & excommunicatos nunciandi, ac Ven. Fratribus Epiſcopis, & Archiepiſcopis, aliiſque locorum Ordinariis in univerſo Regno Siciliæ citra Pharum conſtitutis per ſuarum reſpective Civitatum, Diœceſum, Diſtrictuum, & locorum Eccleſias ſingulis diebus Dominicis, & Feſtivis, dum in eis major Populi multitudo ad divina convenerit, pulſatis campanis, & candelis accenſis, quouſque condignam ſatisfactionem præſtiterint, ac abſolutionis beneficium a Nobis, ſeu Romano Pontifice pro tempore exiſtente dumtaxat ſe obtinuiſſe docuerint, nunciari faciendi, quodque ab excommunicationis, & anathematis hujuſmodi ſententiis, nemo prædictorum reorum, & culpabilium per alium, quam per Nos, ſeu Romanum Pontificem pro tempore exiſtentem (præterquam in mortis articulo conſtitutus, & tunc non niſi præſtito juramento de ſtando mandatis Eccleſiæ, ac de ſatisfaciendo, atque cum reincidentia eo ipſo quo convaluerit) etiã vigore, ſeu prætextu Jubilæi Anni Sancti, Cruciatæ Sanctæ, aliorumque Jubilæorum, Indulgentiarum, Indultorum, facultatum, & privilegiorum, etiam ſpeciali expreſſione dignorum quibuſcumque Eccleſiaſticis ſecularibus, & quorumvis Ordinum etiam Mendicantium, ac Militiarum regularibus, etiam Epiſcopali, vel alia majori dignitate præditis, ipſiſque Ordinibus, & eorum Monaſteriis, Conventibus, & Domibus, ac Capitulis, Collegiis, Confraternitatibus, Congregationibus, Hoſpitalibus, etiam Sancti Joannis Hieroſolymitani, & locis piis, necnon laicis etiam Regali, Ducali, & alia mundana præcellentia fulgentibus per Nos, & Romanos Pontifices Prædeceſſores noſtros, Sedemque Apoſtolicam, ac cujuſvis Concilii Decreta, verbo, literis, aut

Committitur Epiſcopo Ferentin. proceſſus ut in rubrica.

aut alia quacumque ſcriptura in genere, vel in ſpecie conceſſorum, ac etiam pluries innovatorum, concedendorumque, & innovandorum abſolvi ullatenus poſſit, declarandi, & decernendi, aliaque omnia, & ſingula in præmiſſis neceſſaria quomodolibet, & opportuna dicendi, agendi, faciendi, gerendi, mandandi, & exequendi, etiamſi talia forent, quæ magis ſpecialem, quam præſentibus ſit expreſſa imo, & individuam requirerent commiſſionem, itaut nullam præmiſſorum omnium, & ſingulorum a Te in executione præſentium quomodolibet gerendorum ratione, vel occaſione, irregularitatem, aut aliam notam, vel impedimentum quodcumque incurras pleniſſimam, ampliſſimam, & omnimodam facultatem, poteſtatem, & auctoritatem harum ſerie tribuimus, & impartimur.

Derogatio contrariorum.

§. 2. Non obſtantibus ſel. rec. Bonifacii Papæ VIII. Prædeceſſoris noſtri de una, & Concilii generalis de duabus dictis, aliiſque Apoſtolicis, ac in Univerſalibus, Provincialibuſque, & Synodalibus editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus quibuſcumque, necnon quibuſvis etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apoſtolicis generalibus, vel ſpecialibus ſupradictis, vel eorum alicui, ſeu quibuſvis aliis cujuſvis ſtatus, gradus, ordinis, præeminentiæ, & dignitatis Eccleſiaſticæ, vel mundanæ fuerint, ſub quibuſcumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, ac inſolitis clauſulis, & decretis etiam irritantibus, etiam conſiſtorialiter, ac motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus, & alias quomodolibet in contrarium præmiſſorum conceſſis, confirmatis, & pluries innovatis, etiamſi in eis caveatur expreſſe, quod ſic privilegiati excommunicari, & anathematizari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de privilegiis, & indultis hujuſmodi, ac de ordinibus, locis, nominibus propriis, cognominibus, & dignitatibus eorum mentionem. Quibus omnibus, & ſingulis etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi acſi de verbo ad verbum nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita pro ſervata habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, et expreſſe derogamus, et derogatum eſſe volumus, & decernimus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, die vigeſima Februarii 1669. Pontificatus noſtri Anno II.

Dat. die 20. Feb. 1669. An. II

XCVII.

Declaratio incurſus in excommunicationem, & anathema, aliaſque pœnas canonicas, ac Excommunicatio, & Anathematizatio interfectorum bon. mem. Joan. Franciſci Epiſcopi Nicoterenſis.

CLEMENS PAPA NONUS

Ad futuram rei memoriam.

Publicatio excommunicationis contra interfectores Epiſcopi Nicoterenſis.

CUM ſicut non ſine gravi animi noſtri perturbatione accepimus, bon. mem. Joannes Franciſcus, dum vixit Epiſcopus Nicoterenſis in ipſa ſua Civitate Nicoterenſi a nonnullis iniquitatis filiis, qui ad præſens ignorantur, neſarie interfectus fuerit.

§. 1. Nos crimen adeo horrendum, & quod Nos ſui atrocitate confudit, pœnis per Sacros Canones, Conciliorum Generalium decreta, & Conſtitutiones Apoſtolicas inflictis, & promulgatis pro officii noſtri debito vindicare, & punire volentes: Ex parte Dei Omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, auctoritate quoque Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli ac noſtra omnes, & ſingulos, qui homicidium in perſona dicti Joannis Franciſci Epiſcopi commiſerunt, aut illud fieri mandaverunt, ſeu factum ab aliis ratum habuerunt, vel ſocii in hoc fuerunt facientium, aut conſilium, auxilium, vel favorem illis dederunt, ſeu illos ſcienter defenſaverunt, vel receptaverunt, & generaliter quoſcumque tam deteſtandi ſceleris quomodolibet complices, & culpabiles, cujuſcumque ſtatus, gradus, conditionis, qualitatis, ordinis, præeminentiæ, & dignitatis, ſive eccleſiaſticæ, ſive ſecularis, etiam ſpecialem, & individuam expreſſionem requirentis exiſtant, anathematis, & excommunicationis majoris, aliaſque pœnas quaſcumque a Sacris Canonibus, Conciliorum Generalium decretis, & Conſtitutionibus Apoſtolicis, & ſpeciatim illa, quotannis die Cœnæ Domini legi ſolita inflictas, eo ipſo damnabiliter incurriſſe tenore præſentium declaramus, ipſoſque, & eorum quemlibet, & quoſcumque ſcientiam de prædictis delinquentibus habentes, & non revelantes anathematizamus, & excommunicamus, ac anathematizatos, & excommunicatos publicamus, & nunciamus.

Reſervatio abſolutionis a cenſuris prædictis.

§. 2. Ab excommunicationis autem, & anathematis hujuſmodi ſententiis nemo prædictorum per alium, quam Nos, & Romanum Pontificem pro tempore exiſtentem (præterquam mortis in articulo conſtitutus, nec etiam tunc niſi de ſtando Eccleſiæ mandatis, & ſatisfaciendo cautione præſtita, atque cum reincidentia eo ipſo quod convaluerit) etiam vigore, ſeu prætextu Jubilæi Anni Sancti, Cruciatæ Sanctæ, aliorumque Jubilæorum, Indulgentiarum, indultorum, facultatum, & privilegiorum, etiam ſpeciali expreſſione dignorum, quibuſcumque Eccleſiaſticis, Secularibus, & quorumvis Ordinum, etiam Mendicantium, ac Militiarum regularibus, etiam Epiſcopali, vel alia majori dignitate præditis, ipſiſque Ordinibus, & eorum Monaſteriis, Conventibus, & Domibus, ac Capitulis, Collegiis, Confraternitatibus, Congregationibus, Hoſpitalibus, etiam S. Joannis Hieroſolymitani, & Locis Piis, necnon Laicis, etiam Regali, Ducali, & alia mundana præcellentia fulgentibus, per Nos, & Sedem Apoſtolicam, ac cujuſvis Concilii decreta verbo, literis, aut alia quacumque ſcriptura in genere, vel in ſpecie conceſſorum, & etiam pluries innovatorum, ac concedendorum, & innovandorum, abſolvi poſſit.

§. 3. Et quia eo major erit ipſorum confuſio, quo ſua fuerit culpa patentior, quouſque dignam ſatisfactionem præſtiterint, & abſolutionis beneficium, ut ſupra ſe obtinuiſſe docuerint, omnibus, & ſingulis Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & locorum Ordinariis ubilibet conſtitutis per eaſdem præſentes committimus, & in virtute ſanctæ obedientiæ diſtricte præcipiendo mandamus, ut per ſe, vel per alium, ſeu alios per omnes Civitatum, & Diœceſum ſuarum Eccleſias quibuslibet diebus Dominicis, & Feſtivis, dum in eis major populi multitudo ad divina convenerit, pulſatis campanis, & candelis accenſis, prædictos ſic excommunicatos, & anathematizatos ſolenniter publicent, ſeu publicari curent, & faciant.

§. 4. Quod ſi forte aliqui contra tenorem præſentium talibus excommunicatione, & anathemate illaqueatis, vel eorum alicui ablolutionis beneficium impendere de facto præſumpſerint, eos excommunicationis ſententia innodamus, gravius contra eos ſpiritualiter, & temporaliter, prout expedire noverimus, proceſſuri.

Clauſula ſublata, & Decretum irritans.

§. 5. Decernentes præſentes literas, etiam ex eo quod prædicti, & quicumque alii in præmiſſis intereſſe habentes, ſeu habere quomodolibet prætendentes, illis non conſenſerint, nec ad ea vocati, citati, & auditi fuerint, de ſubreptionis, & obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtræ, aut alio quovis, quantumvis ſubſtantiali defectu, vel ex quacumque alia cauſa, occaſione, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore juris clauſo, notari, impugnari, invalidari, redargui, ſeu reſcindi, aut ad terminos juris reduci, aut adverſus illas aperitionis oris, reſtitutionis in integrum, vel aliud quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, aut etiam motu proprio conceſſo quempiam in judicio, vel extra illud uti, ſeu ſe juvare nullo unquam tempore poſſe: Sicque, & non aliter in præmiſſis per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obſtantibus quibuſvis Apoſtolici, ac in univerſalibus, provincialibuſque, & ſynodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, necnon quibuſcumque, etiam juramento, confirmatione apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, ac præſcriptionibus quantumcumque longiſſimis, & immemorabilibus, privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apoſtolicis generalibus, vel ſpecialibus ſupradictis, vel eorum alicui, ſeu quibuſvis aliis cujuſcumque ordinis, ſtatus, gradus, conditionis, dignitatis, & præeminentiæ fuerint, etiamſi, ut præmittitur, Pontificali, Regali, Ducali, ſeu quavis alia eccleſiaſtica, & mundana præfulgeant dignitate, a Sede prædicta ex quacumque cauſa, etiam per viam contractus, & remunerationis, etiam intuitu, & contemplatione Regum, Ducum, Rerumpublicarum, & aliorum quorumcumque, ac ſub quibuſcumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis decretis in genere, vel in ſpecie, etiam motu proprio, ac etiam conſiſtorialiter, & alias in contrarium quomodolibet conceſſis, approbatis, & innovatis, etiam continentibus quod excommunicari, & anathematizari non poſſint per literas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de privilegiis, indulgentiis, & indultis hujuſmodi, ac de ordinibus, locis, nominibus propriis, cognominibus, & dignitatibus eorum mentionem. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur, præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ac derogatum eſſe decernimus, & volumus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud S. Sabinam, ſub Annulo Piſcatoris, die 23. Februarii 1669. Pontificatus noſtri Anno II.

Dat. die 23. Feb. 1669. An. II.

In-

XCVIII.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Indultum Reginæ Magnæ Brittaniæ recitari, & celebrari faciendi Officium, & Missam de Beata Rosa de Sancta Maria in Cappella sua Regia, in qua Missa de Sedis Apostolicæ licentia celebratur.

Charissimæ in Christo filiæ nostræ Catherinæ Magnæ Brittaniæ Reginæ Illustri.

CLEMENS PAPA NONUS

Charissima in Christo filia nostra salutem, & Apostolicam benedictionem.

Exordium.

EXimia Majestatis tuæ in Deum pietas, singulari Orthodoxæ fidei zelo, ac erga Nos, & hanc Sanctam Sedem devotioni conjuncta promeretur, ut piis votis tuis ad augendam in Terris Cœlestis Regni Incolarum venerationem tendentibus, quantum cum Domino possumus libentissime annuamus.

Alias concesserat Prædecessor ut de B. Rosa Officium duplex, & Missa celebraretur.

§. 1. Aliàs siquidem Nos apostolica auctoritate indulsimus, ut Serva Dei Rosa de Sancta Maria Virgo Limana Tertii Ordinis S. Dominici Beatæ nomine nuncuparetur, atque de ea sub ritu duplici recitaretur Officium, & Missa celebraretur de Virgine non Martyre, juxta Rubricas Breviarii, & Missalis Romani singulis annis die 29. Augusti, quæ prima est non impedita post diem 24. ejusdem mensis, qua spiritum Creatori reddidit, & alias prout in nostris desuper in simili forma Brevis die 12. Februarii 1668. expeditis literis quarum tenorem præsentibus pro pleno, & sufficienter expresso, & inserto haberi volumus, uberius continetur.

Concedit ut Officium, & Missa de Beata Rosa in Cappella privata recitari possit.

§. 2. Cum autem sicut majestatis tuæ nomine Nobis nuper expositum fuit, tu Officium, & Missam de eadem Beata Rosa in Cappella tua Regia, in qua Sacrosanctum Missæ Sacrificium de Sedis Apostolicæ licentia celebratur, quo spirituali tuæ consolationi, ac Catholicorum in istis partibus existentium ædificationi consulatur, recitari, & celebrari posse plurimum desideres: Nos piis, atque devotis Majestatis tuæ desideriis favorabilem assensum paterno affectu præbere volentes, supplicationibus tuo nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, eidem Majestati tuæ, ut Officium, & Missam de memorata Beata Rosa in Cappella tua præfata recitari, & celebrari facere libere, & licite possis, & valeas, servata tamen literarum nostrarum præfatarum forma, & dispositione, auctoritate apostolica tenore præsentium concedimus, & indulgemus.

Derogat contrariis.

§. 3. Non obstantibus omnibus, & singulis illis, quæ in eisdem literis nostris voluimus non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 26. Feb. 1669. An. II

Datum Romæ apud S. Sabinam sub Annulo Piscatoris, die 26. Februarii 1669. Pontificatus nostri Anno II.

XCIX.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Confirmatio Decreti a Generali Ordinis Carmelitarum Discalceatorum editi, quo prohibetur Fratribus Provinciæ Januen., vel in illa morantibus ludus, quem ibi vocant Seminarii sub excommunicationis, aliisque pœnis, quarum absolutio summo Pontifici reservatur.

CLEMENS PAPA NONUS

Ad futurum rei memoriam.

Proœmium.

EX injuncto Nobis divinitus Apostolicæ servitutis officio, Superiorum Regularium Decretis, per quæ pravi abusus tollentur, Apostolici muniminis libenter adjungimus firmitatem.

Supplicatio.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Procurator Generalis Congregationis Italiæ Fratrum Ordinis Beatæ Mariæ de Monte Carmelo Discalceatorum nuncupatorum, quod dilectus filius Præpositus Generalis dictæ Congregationis ad instantiam dilecti etiam filii Superioris Provincialis Provinciæ Januen., ejusdem Congregationis ludum, quem ibi vocant Seminarii, Fratribus ejusdem Provinciæ, vel in illa morantibus sub diversis respective pœnis vetuit per Decretum tenoris, qui sequitur videlicet. Fr. Philippus a Sanctissima Trinitate Præpositus Generalis Carmelitarum Discalceatorum Congregationis Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmelo ejusdemque Sanctæ Matris Prior.

Prohibet ludum Seminarii.

§. 1. Cum aliquibus Visitatoribus Generalibus, aliisque Superioribus graviter vetitum fuerit Religiosis nostris Provinciæ Januensis, ne aliquis eorum ludat ad ludum, quem ibi vocant Seminarii; Constat nihilominus ab aliquibus coloratus prætextus adduci, quibus Superiores non possint facile contradicere, ex quo oriri possunt scandala, necnon graves transgressiones voti Paupertatis, quibus rationibus ductus R. P. Provincialis dictæ Provinciæ firmius remedium a Nobis postulari; Nos hujusmodi malis obviare volentes, omnibus Religiosis nostris dictæ Provinciæ, vel qui in illa morantur, Superioribus, & subditis, Choristis, sive donatis præcipimus in virtute S. obedientiæ, & sub præcepto, necnon sub pœna excommunicationis latæ sententiæ ipso facto incurrenda; Et Superioribus quidem privationis officiorum, quæ habent, & inhabilitatis perpetuæ ad eadem, vel alia imposterum habenda, subditis vero choristis privationis vocis activæ, & passivæ, donatis autem, privationis loci super quibus a solo summo Pontifice absolvi, & dispensari possint, ne aliquis deinceps ad præfatum ludum Seminarii ludat, nec per se, nec per alium, nec pro se, nec pro Conventu, vel Conventibus, sive pro quacumque persona, etiam speciali expressione digna. Mandamusque Reverendi Patri nostro Procuratori Generali, ut curet, hoc no-

strum Decretum a Sanctissimo approbari & auctoritate Apostolica in perpetum muniri &c. Datum Romæ in Conventu nostro Sanctæ Mariæ de Scala die 19. Febr. 1669.

Fr. Philippus a Sanctissima Trinitate Præpositus Generalis.

Decretum præinsertum confirmatur a Pontifice.

§. 2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dictus Procurator Generalis decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, & servetur exactius, apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desideret: Nos ipsum Procuratorem Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommun., suspensionis, & interdicti aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes & absolutum fore censentes supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Decretum firmans.

§. 3. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtineri, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, invialibiliter observari; Sicq; in præmissis per quoscumq; judices ordin., & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit Congregationis, & Provinciæ hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 1. Mar. 1669. An. II.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die prima Martii 1669. Pontificatus nostri Anno Secundo.

C.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Nonnullæ Ordinationes super electione ad Abbatissas, & Prioratus Congregationis Monachorum Cœlestinorum.

CLEMENS PAPA NONUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

INjunctæ Nobis cœlitus apostolicæ servitutis debitum exigit, ut felici, prosperoque Religiosorum virorum Altissimi obsequiis sub laudabili vitæ monasticæ jugo mancipatorum regimini, & gubernio quantum Nobis ex alto conceditur providere satagamus.

Supplicatio.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilect. filius noster Carolus Barberinus S.R.E. Cardinalis Carolus nuncupatus Congregationis Monachorum Cœlestinorum nuncupatorum apud Nos, & Sedem Apostolicam Protector, quod dicta Congregatio distinguitur in quatuor Nationes, seu Quarteria, quorum primo decem Abbatiæ, & quinque Prioratus, secundo undecim Abbatiæ, & quatuor Prioratus, tertio novem Abbatiæ, & unus Prioratus, ac quarto novem Abbatiæ, & tres Prioratus respective assignati reperiuntur, ac insuper habet eadem Congregatio Abbatiam S. Mariæ in Posterula nuncupatam de Urbe, apud quam residet, eamque gubernat Procurator Generalis ipsius Congregationis, quæ Abbatia tanquam communibus omnium quatuor quarteriorum hujusmodi impensis erecta, nulli illorum specialiter annexa existit.

Annuit Pontifex.

§. 2. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat progressu temporis irrepserit, ut sequutis vacationibus tam Abbatiarum, quam Prioratuum Congregationis præfatæ, justitia distributiva in electione Monachorum Nationalium uniuscujusq; Quarterii, habito respectu ad numerum Abbatiarum, & Prioratuum ipsius Quarterii, non fuerit servata: Nobis propterea dictus Carolus Cardinalis, & Protector humiliter supplicavit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ipsum Carolum Cardinalem, & Protectorem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de nonnullorum Romanæ Curiæ Prælatorum, quibus negotium hujusmodi commissimus, consilio, auctoritate apostolica tenore præsentium concedimus, ut eligantur tot Abbates, & Priores, ex unoquoque Quarterio, quot sunt Abbatiæ, & Prioratus vigore Constitutionum dictæ Congregationis assignati unicuique Quarterio. Completo autem numero Abbatum ex unoquoque Quarterio, ut supra, & deficiente aliquo Abbate in quarterio habente Abbatem ultra suum numerum, propter Abbatiam S. Mariæ in Posterula Urbis, quæ est annexa Procuratori Generali pro tempore, in tali casu eligatur no-

vus Abbas ex Quarterio immediate sequenti, atque si contingat in aliquo Quarterio non reperiri habentes requisita ex Constitutionibus ad hoc, ut in Abbates eligi possint, tunc in Capitulo Generali ipsius Congregationis juxta facultatem ei per Constitutiones attributam, habilitentur aliqui ejusdem Quarterii professione antiquiores cæteris paribus.

Decretum irritans.

§.3. Decernentes easdem præsentes literas, semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, plenissime suffragari, & ab iis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum

§.4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit dictæ Congregationis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumpto rum fides.

§.5. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 8. Mar. 1669. An.II.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 8. Martii 1669. Pontificatus nostri Anno II.

CI.

Decretum in quo Conventus Licien sis, Grumi, Ripaldæ, & Caldarolæ Ordini Fratrum Minorum Conventualium Sancti Francisci, cum omnibus bonis, juribus, & pertinentiis adjudicantur.

CLEMENS PAPA NONUS

Ad futuram rei memoriam.

Proœmium.

EX injuncto Nobis cœlitus apostolicæ servitutis officio Religiosorum virorum statui, quantum cum Domino possumus, salubriter providere cupientes, ac dilectum filium Antonium Latinum ab Ameria Commissarium, ac Vicarium Generalem Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Conventualium nuncupatorum specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium tantum consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes.

Suppressio Congr. Fratr. Convent. reform. ab Urbano VIII.

§.1. Supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de consilio Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Congregationis super statu Regularium deputate, qui literas fel. rec. Urbani Papæ VIII. Prædecessoris nostri die 6. Februarii 1626. super extinctione, ac suppressione Congregationis Fratrum Conventualium Reformatorum ejusdem Sancti Francisci emanatas, necnon unas, die 16. Septembris 1667. super transitu Fratrum Minorum Conventualium dicti Ordinis ad prædictos Fratres Reformatos Conventuum, qui in eis post suppressionem remanserant.

§.2. Et alteras nostras in simili forma Brevis novissime expeditas, quibus confirmando Decretum a Congregatione prædictorum Cardinalium editum die 15. Novembris 1668. tribuitur facultas antedictis Fratribus Reformatis degentibus in Conventibus Licien si & Oppidorum Grumi, Ripaldæ, & Caldarolæ, qui soli nunc supereſſe noscuntur, transeundi ad dictos Fratres Minores Conventuales S Francisci aut ad quamcumque aliam Religionem parem, vel strictiorem a Sede Apostolica approbatam, in qua benevolos invenerint receptores.

Breve pro transitu ad ot diem alium.

§.3. Eisque inhibetur ne de cætero quempiam ex Conventualibus antedictis, vel ex alia Religione, aut ex seculo ad habitum, vel professionem admittant, sub pœnis nullitatis actus, & excommunicationis latæ sententiæ, non obstantibus anterioribus nostris literis prædictis, aliaque videnda, & consideranda viderunt, & consiederarunt.

§.4. Auctoritate Apostolica tenore præsentium decernimus, & declaramus memoratos Conventus Licien sis, Grumi, Ripaldæ, & Caldarolæ, cum omnibus eorum bonis, juribus, & pertinentiis, sacraque, & profana supellectili ad prædictum Ordinem Fratrum minorum Conventualium S. Francisci spectare, & pertinere, ejusq; Ordinis Superiores per Ordinarios locorum in possessionem Conventuum, ac bonorum hujusmodi esse immittendos.

Terminum duorum mensium ad aliam Religionem transeundi præscribit.

§.5. Fratribus autem Reformatis legitime in eodem Ordine professis, degentibus in dictis quatuor Conventibus per eosdem Ordinarios auctoritate nostra injungi volumus, ut intra terminum duorum mensium transeant ad dictum Ordinem Fratrum Minorum Conventualium, vel ad aliam Religionem parem, vel strictiorem a Sede Apostolica approbatam, in qua, ut supra, invenerint benevolos receptores.

Pœna contra ventions.

§.6. Quod si neutrum præstiterint, elapso termino per Ordinarios antedictos juris remediis compellantur a memoratis Conventibus discedere, & dimisso Habitu Reformatorum ad Religionem dictorum Fratrum Conventualium transire, ejusque habitum assumere, ut in eo quoad vixerint permaneant, nec inde absedant sub pœna apostasiæ.

Decretum irritans.

§.7. Decernentes pariter easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§.8. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon omnibus, & singulis illis, quæ in literis prædictis concessimus non obstare cæteris que contrariis quibuscumque.

Dat. die 9. Mar. 1669. An.II.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 9. Martii 1669. Pontificatus nostri Anno II.

CII.

Super præcedentia Procuratoris Generalis in concursu aliorum Prælatorum Ordinis Canonicorum Regularium Sancti Salvatoris.

CLEMENS PAPA NONUS

Ad futuram rei memoriam.

Causa Brevis.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Angelus Seravalli Procurator Generalis Congregationis Canonicorum Regularium S. Salvatoris, quod dudum, videlicet anno 1628. tunc in humanis agens Andreas Petraccoli Prior Generalis d. Congregationis a fel. rec. Urbano Papa VIII. Prædecessore nostro deputatus Congregationem Generalem eorumdem Canonicorum Regularium in Monasterio S. Petri ad Vincula de Urbe ejusdem Congregationis celebravit, in qua Visitatores, aliique Officiales Congregationis hujusmodi electi, & a dilecto filio Magistro Prospero Fagnano in utraque Signatura nostra Referendario, qui eidem Congregationi Generali jussu dicti Urbani Prædecessoris præsidebat, confirmati fuerunt: ac inter alia factum fuit in dicta Congregatione Generali Decretum tenoris sequentis, videlicet.

Procuratori Generali locum primum post Priorem assignatur.

§.1. Procurator Ordinis, qui pro universa laborat Congregatione, unde titulum Procuratoris Generalis obtinet, in Monasteriis Urbis, & extra, locum semper teneat immediate post Priorem.

§.2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, vertente inter dictum Angelum Procuratorem General. ex una, & dilectum pariter filium modernum Abbatem dicti Monasterii S. Petri ad Vincula ex altera partibus lite, seu controversia de, & super præcedentia inter ipsos habenda, præsertim in Monasterio S. Laurentii extra muros ejusdem Congregationis, quam præfatus quidem Angelus Procurator Generalis vigore Decreti præinserti, dictus vero Abbas in vim Constitutionum ipsius Congregationis auctoritate Apostolica, & usu ipso (ut asseritur) comprobatarum sibi competere respective prætendebant,

§.3. Decretum fuerit a Dieta Candianensi dictæ Congregationis, quod prædictus Abbas Monasterii S. Petri ad Vincula manutenendus esset in sua quasi possessione præcedendi dicto Procuratori Generali in dicto Monasterio S. Laurentii extra muros, & ubique in pertinentiis Urbis præfatæ, reservato tamen eidem Procuratori Generali jure probandi supradictum Decretum Capitulare fuisse, & esse munitum confirmatione apostolica, itaut ejus sit roboris, & momenti, ut vim habeat derogandi prædictis Constitutionibus præfatæ auctoritate, & usu comprobatis, & alias prout in ipso decreto die 26. Aprilis proxime præteriti in dicta Dieta edito uberius dicitur contineri. Cumque Decreti hujusmodi fundamenta minime subsistant, ac proinde primo dictum Decretum servari debeat, Nobis propterea præfatus Angelus Procurator Generalis humiliter supplicari fecit, ut sibi in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Decretum Capitulare confirmatur.

§.4. Nos igitur ipsum Angelum Procuratorem Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de nonnullorum Romanæ Cutiæ Prælatorum super hoc negotio a Nobis specialiter deputatorum, qui partes audierunt, consilio, præinsertum Decretum Capitulare anni 1628. auctoritate apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Decretum irritans.

§.5. Decernentes ipsas præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac dicto Angelo Procuratori Generali, & aliis, ad quos pro tempore spectabit, plenissime suffra-

fulfragari; ſicque in præmiſſis per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane ſi quid ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contraria remouet.

§.6. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon quatenus opus ſit, dictæ Congregationis etiam juramento, confirmatione apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Dat. die 16. Mar. 1668. An.II.

Datum Romæ apud S. M. M. ſub Annulo Piſcatoris, die 16. Martii 1669. Pontificatus noſtri anno II.

CIII.

Ex Regeſt. in Secret. Brev.

Omnia bona Congregationum ſuppreſſarum Canonicorum Sancti Georgii in Alga Venetiarum, ac Fratrum Jeſuatorum, & Fratrum Sancti Hieronymi de Feſulis (exceptis Sacris) in Regno Siciliæ ultra Pharum exiſtentia applicat in ſubſidium Civitatis Candiæ, & Regni Cretæ, ac expeditionis contra Turcas.

Ven. Fratri Archiepiſcopo Panormitano.

CLEMENS PAPA NONUS

Ven. Frater ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Narrat tenorem alterius Conſtit.

§.1. CUM Nos graviſſimis, & rationabilibus cauſis Nobis notis adducti, Congregationes Canonicorum Sancti Georgii in Alga Venetiarum, ac Fratrum Jeſuatorum Sancti Hieronymi, & Fratrum ejuſdem Sancti Hieronymi de Fæſulis ſub Regula Sancti Auguſtini una cum omnibus earum reſpective Dignitatibus, officiis, ac miniſteriis, omnique conventualitate, collegialitate, titulo, eſſentia, ac denominatione perpetuo extinxerimus, & ſuppreſſerimus; Ac univerſa earumdem Congregationum ſic ſuppreſſarum reſpective bona mobilia, & immobilia, tam ſacra, quam profana, Conventus, Collegia, Monaſteria, Domos, Vineas, Prædia, Canones, reſponſiones, fructus, introitus, & jura quæcumque, ubicumque locorum exiſterent, noſtræ, & Sedis Apoſtolicæ diſpoſitioni in uſus, & opera pia per eos, quibus id a Nobis, & Sede prædicta commiſſum foret, convertenda reſervaverimus; Præterea Canonicis, & Fratribus dictarum Congregationum ſuppreſſarum, qui nunc vivunt, & in eiſdem Congregationibus reſpective profeſſionem emiſerunt, facultatem tranſeundi ad aliam quamcumque Religionem ab eadem Sede approbatam, in qua benevolos invenerint receptores, aut remanendi in ſeculo in habitu Clerici ſeculari ſub juriſdictione, & obedientia Ordinariorum locorum, ubi eos morari contigerit, cum proviſione ipſorum ſingulis pro alimentis, Clericis quidem in ſumma quadraginta ſcutorum monetæ Romanæ; laicis vero, ſeu converſis in ſumma viginti ſcutorum parium annis ſingulis donec vixerint, ſeu aliunde ſufficienter eis proviſum fuerit ſuper certis bonis, aut redditibus Congregationum ſuppreſſarum hujuſmodi reſpective, per eoſdem Ordinarios aſſignanda tribuerimus, & impartiti fuerimus; Ac demum ne Eccleſiæ earumdem Congregationum ſuppreſſarum debito deſtituantur ſervitio, ſed ſartæ tectæ cuſtodiantur, prædictis Ordinariis locorum, in quibus Eccleſiæ ipſæ ſunt ſitæ commiſerimus, & mandaverimus, ut Cappellanos deputent cum competente mercede, etiam ſuper re certa de bonis prædictis aſſignanda, per quos miſſis, & aliis oneribus ſatisfiat, ac ipſis Eccleſiis debitus cultus, & veneratio conſervetur, utque dicti Ordinarii Inventarium tam ſacræ, quam profanæ ſupellectilis ad Congregationes ſuppreſſas hujuſmodi reſpective ſpectantis, accurate conficiant, ac provideant ne a quoquam occultari, occupari, aut inde amoveri ullatenus poſſit, niſi, & donec a Nobis, & Sede prædicta aliter provideatur, & alias prout in noſtris deſuper in ſimili forma Brevis, die 6. menſis Decembris proxime præteriti expeditis literis, quarum tenorem præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſo, ac de verbo ad verbum inſerto haberi volumus uberius continetur: Et ſicut pro parte dilectorum filiorum nobilium virorum Ducis, & Reipublicæ Venetorum Nobis nuper expoſitum fuit, ipſi atrociſſimum ſibi a Turcarum Tyranno illatum bellum a viginti tribus annis pro ſuarum Ditionum tuitione ſuſtineant, eorumdemque Turcarum Civitatem Candiæ tamdiu vehementi obſidione præmentium impetus pro viribus propulſare fatagant, ſed ejuſdem Reipublicæ facultates tot ſumptibus in cauſam dicti belli factis adeo attritæ de præſenti reperiantur, ut bello hujuſmodi impoſterum ſuſtinendo impares ſint, manifeſtumque proinde inſtet periculum amiſſionis dictæ Civitatis, totiuſque Regni Cretæ, niſi Reſpublica ipſa præſentaneo aliunde auxilio ſublevetur.

Bona Congr. applicat in ſubſid. um Civitatis Candiæ & Regni Cretæ.

§.2. Hinc eſt, quod Nos, qui ab ipſo Pontificatus noſtri primordio omnia divinæ, humanæque opis præſidia, atque auxilia in ſubventionem rei Chriſtianæ contra infenſiſſimos illius hoſtes aſſiduis Pontificis zeli ſtudiis conciliare, conquirere, atque pro viribus conferre non deſtitimus, Reipublicæ prædictæ in præſentibus angustiis quantum Nobis ex alto conceditur, ſubvenire, dictoſque Ducem, & Rempublicam pro peculiari paternæ noſtræ in eos charitatis affectu ſpecialis favore gratiæ proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus eorum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, omnia, & ſingula memoratarum trium Congregationum, ut præmittitur ſuppreſſarum bona (exceptis Sacris) in Regno Siciliæ ultra Pharum exiſtentia in ſubſidium, atque ſubventionem Civitatis Candiæ, & Regni Cretæ prædictorum, ac expeditionis contra Turcas ſupradictos Apoſtolica auctoritate tenore præſentium perpetuo applicamus. Ac tibi per eaſdem præſentes committimus, & mandamus, ut per te ipſum, vel per Commiſſarios a te ſpecialiter deputandos, bona hujuſmodi quam primum, meliori qua fieri poterit conditione, auctoritate noſtra Apoſtolica, vendas, detractis tamen prius detrahendis tam pro alimentis nunc viventium Canonicorum, & Fratrum, ſeu Religioſorum Congregationum ſuppreſſarum prædictarum juxta ſupradictas noſtras literas, quam pro ſervitio, & manutentione Eccleſiarum earumdem Congregationum, atque onerum illis reſpective incumbentium ſupportatione, ac pretium inde redactum deponi facias penes Ædem Sacram, vel perſonam fide, & facultatibus idoneam, ita ut inde extrahi, ſeu amoveri minime poſſit, niſi cum mandatis Ven. Fratris Laurentii Archiepiſcopi Carthaginen. moderni, ſeu pro tempore exiſtentis noſtri, & Apoſtolicæ Sedis in Dominio Venetorum Nuncii manu ſubſcriptis cum expreſſione cauſæ, & uſus, in quem pecunia erit eroganda, qui quidem uſus non ſit alius, quam pro ſubſidio, & ſubventione, ac expeditione antedictis.

Decretum irritans.

§.3. Decernentes pariter eaſdem præſentes literas firmas, validas, & efficaces exiſtere, et fore, neque ſub quibuſvis ſimilium applicationum revocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, aliiſque contrariis diſpoſitionibus unquam comprehendi aut comprehenſas cenſeri, ſed ſemper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum, & validiſſimum ſtatum reſtitutas, repoſitas, & plenarie reintegratas, ac etiam ſub poſteriori data per prædictos Ducem, & Rempublicam quandocumque eligenda de novo conceſſas intelligi, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, et obtinere, ac eiſdem Duci, & Reipublicæ, ac aliis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari; Sicque in præmiſſis per quoſcumque Judices ordinarios, et delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos, & Sedis prædictæ Nuncios, alioſve quoslibet quacumque præeminentia, et poteſtate fungentes, et functuros, ſublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contraria tollit.

§.4. Non obſtantibus quatenus opus ſit de jure quæſito non tollendo, ac de expriemendo vero annuo valore in ſimilibus applicationibus, illiſque committendis ad partes, vocatis quorum intereſt, aliiſque noſtris, & Cancellariæ Apoſtolicæ Regulis, necnon ſel. record. Pauli II., & aliorum Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum de rebus Eccleſiæ non alienandis, & illarum alienationibus committendis, aliiſque Apoſtolicis, ac in univerſalibus, provincialibuſque, & ſynodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, ac omnibus, & ſingulis illis, quæ in prædictis literis voluimus non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Exequutores deputat.

Datum Romæ apud S. M. M. ſub Annulo Piſcatoris die 23. Martii 1669. Pontificatus noſtri Anno II.

Dat. die 23. Mar. 1669. An. II.

CIV.

Ut exercitium Artis Serici in Civitate Piſauren. nobilitati non præjudicet.

Ex Regeſt. in Secr. Brev.

CLEMENS PAPA NONUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Motiva.

CONſtantis fidei, & ſinceræ devotionis affectus, quem dilecti filii Communitas, & Homines Civitatis noſtræ Piſauren. erga Nos, & Sedem Apoſtolicam gerere comprobantur, promerentur, ut eorum commodis, dictæque Civitatis decori paterna benignitate libenter conſulamus.

Expoſitio.

§.1. Cum itaque, ſicut dicta Communitas, & Homines Nobis nuper exponi fecerunt, ipſi, ut ejuſdem Civitatis utilitati, & levamento conſulatur, Artem Serici in dictam Civitatem introducere intendant; ne autem illius exercitium Nobilitati Civium Nobilium ipſius Civitatis præjudicium adferat, opportune a Nobis provideri & ut infra indulgeri ſummopere deſiderent; Nos ſpecialem ipſi Communitati, & Hominibus gratiam facere volentes, & eorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt ad effectum præſentium dumtaxat conſequen. harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus eorum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus, & ſingulis memoratæ Civitatis Piſau-

Pisauren. Civibus Nobilibus præsentibus, & futuris, ut Artem Serici prædictam exercere libere, & licite possint, & valeant, itaut nullum propterea eorum Nobilitati præjudicium inferatur, aut illatum quoquo modo dici, vel prætendi possit, auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, & indulgemus.

Clausulæ præservativæ.

§.2. Decernentes eosdem Nobiles dictæ Civitatis Cives nunc, & pro tempore quandocumque existentes, qui Artem præfatam exercebunt, in eodem omnino nobilitatis gradu esse, fore, ac remanere, etiam ad effectum consequendi habitum, & Crucem Fratrum Militum de Justitia Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani, vel Sancti Stephani, aliarumque quarumvis Militiarum, eorumque privilegiis, prærogativis, præeminentiis, honoribus, juribus, & gratiis fruendi, & gaudendi, ac quoad alia omnia, & singula, ad quæ nobiles dictæ Civitatis quomodolibet admitti, & recipi consueverunt, seu possunt, aut debent, non secus ac si Artem supradictam nunquam exercuissent; Præsentes vero literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, plenissime suffragari; Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§.3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac legibus etiam Imperialibus, & municipalibus, necnon Civitatis, ac Hospitalis, & Militiarum hujusmodi, aliisve quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, stabilimentis, usibus, & naturis, ac Ordinationibus Capitularibus privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 3. Apr. 1669. An.II.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die 3. Apr. 1669. Pontificatus nostri An.II.

CV.

Concessio Indulgentiarum pro Christifidelibus Italiæ, & Insularum adjacentium divinum auxilium implorantibus pro felici electione Regis Poloniæ, ac liberatione Cretæ a tyrannide, & armis communis hostis.

CLEMENS PAPA NONUS

Ad futuram rei memoriam.

Proœmium.

NUper Nos ad divinam opem in præsentibus Ecclesiæ necessitatibus implorandam, in omnibus Almæ Urbis nostræ Patriarchalibus, & Collegiatis, ac Parochialibus, & aliis quibusvis secularium, & regularium utriusq; sexus Ecclesiis campanam majorem hora secunda noctis quotidie, a die prima currentis mensis Aprilis, donec aliter ordinaverimus, per spatium octavæ partis horæ pulsari jussimus. Ac omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui durante sono campanæ hujusmodi flexis genibus, vel aliter prout valerent, quinquies orationem Dominicam, & Salutationem Angelicã in honorem quinque plagarum Domini Nostri Jesu Christi devote recitarent, ac divinam clementiam implorarent, ut quietam, ac communiter gratam, & acceptam, Ecclesiæque Dei utilem novi Regis Poloniæ electionem benigne largiri, necnon Cretæ Regnum a tyrannide, & armis communis hostis liberare dignetur, singulis diebus, quibus id agerent, quinque annos, & totidem quadragenas de injunctis eis, aut alias quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consueta relaxavimus. Insuper iisdem Christifidelibus, qui præmissa per integrum quindecim dierum curriculum peragerent, ac in uno eorumdem quindecim dierum vere pœnitentes, & confessi, ac sacra communione refecti, S. Marci Collegiatam, & S. Stanislai Nationis Polonorum Ecclesias Urbis prædictæ devote visitarent, divinamque clementiam ibidem similiter implorarent, plenariam quolibet curriculo quindecim dierum, quibus id egissent, peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concessimus.

Quid faciendum præscribit.

§.1. Nunc autem, ut quod feliciter petimus, validiori conjunctarum precum intercessione ab Omnipotentis Dei misericordia impetremus, divinum auxilium in universa Italia, & Insulis illi adjacentibus pariformiter invocari cupientes, Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, aliisque Ecclesiarum Prælatis, & Ordinariis Civitatum, & Diœcesum, Oppidorum, Terrarum, & locorum universæ Italiæ, & Insularum illi adjacentium hujusmodi, seu eorum Vicariis in spiritualibus Generalibus harum serie committimus, & mandamus, ut statim atque ipsarum præsentium literarum transumpta, seu exempla, etiam impressa, ad eos pervenerint, campanas pariter diebus singulis per spatium octavæ partis horæ, donec aliter ordinandum duxerint, in suarum respective Civitatum, & Diœcesum, Oppidorum, Terrarum, & locorum, tam secularium, quam regularium utriusque sexus Ecclesiis pulsari mandent, ac Ecclesias ut infra visitandas defiguent, seu designari curent.

Nos

Indulgentiam plenam concedit.

§.2. Nos enim omnibus, & singulis utriusque sexus Christifidelibus, qui durante sono campanarum hujusmodi quinquies orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam pariter recitaverint, divinamque clementiam, ut supra implorayerint, quocumque die id egerint, similem pœnitentiarum relaxationem; illis vero qui continuata per quindecim dies ejusmodi devotione; in uno eorumdem quindecim dierum vere pœnitentes, & confessi, ac sacra communione refecti Ecclesias per memoratos Ordinarios, & Prælatos, seu eorum Vicarios respective, sive illorum jussu designandas devote visitaverint, ibique divinam clementiam similiter imploraverint, plenariam itidem omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem, quolibet curriculo quindecim dierum lucrifaciendam, concedimus pariter, & elargimur. Cæterum regularibus utriusque sexus in perpetua clausura viventibus, necnon aliis Christifidelibus prædictis in carcere, vel corporis infirmitate, aliove quolibet impedimento detentis, qui Ecclesias, ut præmittitur, designatas, vel designandas visitare nequiverint, ut ejusmodi visitationem Confessarius ex approbatis, seu approbandis ab Ordinariis in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus differre, eaque injungere possit, quæ ipsi pœnitentes adimplere poterunt, concedimus similiter, & indulgemus.

Transumptis fides danda.

*§.3. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra habeatur, quæ præsentibus ipsis haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 8. Apr. 1669. An.II

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris die 8. Aprilis 1669. Pontificatus nostri Anno II.

CVI.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Declaratio nullitatis gestorum ab Oeconomo Mediolanen. circa apprehensionem possessionis rerum, & bonorum ad Conventus Congregationum suppressarum Fratrum Jesuatorum, & Fæsulanæ in Statu Mediolanen. sitos spectantium, & amotionem Administratorum ab Ordinariis deputatorum.

CLEMENS PAPA NONUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Motiva.

§.1. CUM Nos gravissimis, & rationabilibus causis Nobis notis addu-

*Cti, Congregationes Canonicorum Sancti Georgii in Alga Venetiarum, ac Fratrum Jesuatorum Sancti Hieronymi, & Fratrum ejusdem Sancti Hieronymi de Fæsulis sub Regula Sancti Augustini una cum omnibus earum respective Dignitatibus, officiis, ac ministeriis, omnique conventualitate, collegialitate, titulo, essentia, ac denominatione perpetuo extinxerimus, & suppresserimus, ac universa earumdem Congregationum sic suppressarum respective bona mobilia, & immobilia tam sacra, quam profana, Conventus, Collegia, Monasteria, Domos, Vineas, prædia, Canones, responsiones, fructus, introitus, & jura quæcumque, ubicumque locorum existerent, nostræ, & Sedis Apostolicæ dispositioni, in usus, & opera pia per eos, quibus id a Nobis, & Sede prædicta commissum foret, convertenda, reservaverimus; Ne autem Ecclesiæ earumdem Congregationum suppressarum, debito destituerentur servitio, Ordinariis locorum, in quibus Ecclesiæ ipsæ sunt sitæ, commiserimus, & mandaverimus, ut Cappellanos deputarent cum competenti mercede, etiam super re certa de bonis prædictis assignanda, per quos Missis, & aliis oneribus satisfieret, ac ipsis Ecclesiis debitus cultus, & veneratio conservaretur, utque dicti Ordinarii inventarium tam sacræ quam profanæ supellectilis ad Congregationes suppressas hujusmodi respective spectantis accurate conficerent, ac provideret, ut a quoquam occultari, occupari, aut inde amoveri nullatenus posset, nisi, & donec a Nobis, seu Sede prædicta aliter provideretur, & alias prout in nostris desuper in simili forma Brevis die 6. Decembris proxime præteriti expeditis literis, quarum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso, ac verbatim inserto haberi volumus uberius continetur.

Iritat quidquid Oeconomus generalis fecerat in Statu Mediolanen.

§.2. Verum subinde (sicut ad aures nostras pervenit) dilectus filius Joannes Paulus Zaccharias Præpositus secularis, & Collegiatæ Ecclesiæ Sanctæ Mariæ de Scala nuncupat. Mediolanen., ac noster, & dictæ Sedis Oeconomus Generalis in Ducatu Mediolanen., ejusque Statu, & Dominio universo, auctoritate Apostolica deputatus, possessionem Domorum regularium, & Conventuum Congregationum Fratrum Jesuatorum, & Sancti Hieronymi de Fæsulis ut præfertur, suppressarum in Ducatu, Statu, & Dominio Mediolanen. prædictis consistentium, rerumque, & bonorum ad illos, & illas respective spectantium apprehenderit, seu apprehendi curaverit, ac Administratores in illis ab Ordinariis locorum auctoritate nostra deputatos amoverit, tametsi nullum super ea re a Nobis mandatum accepisset: Hinc est, quod Nos omnium, & singulorum a dicto Joanne Paulo, seu ejus nomine a quibusvis aliis in præmissis quomodolibet actorum, & gestorum seriem, causas, & occasiones, aliaveque quæcumque etiam specificam, & individuam expressionem requirentia, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac exactissime, & accuratissime specificatis habentes; Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque

Apo-

Apostolicæ potestatis plenitudine, apprehensionem possessionis Domorum Regularium, & Conventuum in Ducatu, Statu, & Dominio Mediolanen. præfatis consistentium, rerumque, & bonorum ad illas, & illos spectantium quorumcumque, necnon amotionem Administratorum a locorum Ordinariis, ut præfertur, deputatorum, & alia quæcumque a memorato Joanne Paulo œconomo generali, seu ejus jussu, mandato, vel nomine a quibusvis aliis etiam speciali, & individua mentione, & expressione dignis in præmissis, & circa ea quomodocumque, & qualitercumque facta, acta, gesta, dispositа, & mandata, ac forsan in futurum sine speciali, & expresso nostro, & dictæ Sedis mandato facienda, gerenda, agenda, disponenda, & mandanda cum omnibus, & singulis inde sequutis, & quandocumque sequuturis pœnitus, & omnino nulla, invalida, irrita, frivola, inania, ac a non habente potestatem attentata, & de facto præsumpta, nulliusque roboris, momenti, & efficaciæ esse, & ab initio fuisse, & perpetuo fore tenore præsentium decernimus, & declaramus; Ac ad majorem, & abundantiorem cautelam, & quatenus opus sit illa omnia, & singula quatenus de facto processerunt, seu procedent in futurum, revocamus, cassamus, irritamus, & annullamus, viribusque, & effectu penitus, & omnino vacuamus in omnibus, & per omnia perinde acsi nunquam facta fuissent, seu evenissent, nec unquam forent, vel evenirent.

Clausulæ præservativæ.

§. 3. Decernentes pariter easdem præsentes literas, & in eis contenta quæcumque etiam ex eo, quod dictus Joannes Paulus Oeconomus Generalis, & alii quilibet cujuscumque status, gradus, ordinis, præeminentiæ, & dignitatis existant in præmissis forsan. interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, neque causæ propter quas præsentes emanarint, adductæ, verificatæ, aut justificatæ fuerint, nullo umquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ aut interesse habentium consensus, aliove quolibet, etiam quantumvis formali, & substantiali, ac incogitato, & inexcogitabili defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari seu ad terminos juris reduci, aut adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, seu impetrato, aut etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concesso, vel emanato quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse, sed ipsas præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis ad quos spectat, & spectabit, in futurum inviolabiliter, & inconcusse observari; Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de latere Legatos aliosve quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contraria tollit.

§. 4. Non obstantibus quatenus opus sit nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula de non tollendo jure quæsito, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, usibus, stylis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, etiam dicto Joanni Paulo, seu pro tempore existenti Oeconomo Generali, aliisque personis quibuslibet sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in specie, aut alias in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, & exprimerentur, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisq; contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§. 4. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscat., die 27. Apr. 1669. Pont. nostri Anno II.

Dat. die 27. Apr. 1669 An. II.

CVII.

Jubilæum pro Dominio Reipublicæ Ragusinæ ad supplicationem ejusdem Reipublicæ.

Ex Regist. in Secret. Brev.

CLE-

CLEMENS PAPA NONUS

Ad futuram rei memoriam.

Proœmium.

§. 1. EX injuncti Nobis divinitus pastoralis officii debito spiritualibus omnium Christifidelium, quorum Nobis incumbit solicitudo necessitatibus consulere paterno affectu jugiter satagentes, ac Christifidelibus in Dominio Reipublicæ Ragusinæ degentibus, qui terræmotus, & incendii flagellis graviter afflicti, ac sub potenti Domini manu humilitati corde contrito ad Sacram misericordiarum Domini Aram unanimiter accedere, opportunaque cœlestis opis auxilia implorare cupiunt, ut id ferventius, atque fructuosius faciant, spiritualium gratiarum dispensationi nostræ, a Deo creditarum munera largissima manu erogare volentes, supplicationibus dilectorum filiorum Magistratuum dictæ Reipublicæ nomine Nobis humiliter porrectis, benigne inclinati, ac de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, ex illa ligandi, atque solvendi potestate, quam Nobis Dominus licet indignis, contulit, universis, & singulis utriusque sexus Christifidelibus in Dominio præd. Reipublicæ Ragusinæ degentibus, qui Ecclesias ab Ordinariis locorum, vel eorum Vicariis, seu Officialibus, aut de eorum mandato, & ipsis deficientibus, per eos, qui ibi curam animarum exercent, postquam ad eorum notitiam hæ nostræ pervenerint, designandas, vel Ecclesiarum hujusmodi aliquam spatio duarum hebdomadarum a publicatione designationis per Ordinarios, vel eorum Vicarios, seu Officiales, vel alios, ut præfertur, faciendæ decursarum saltem semel visitaverint, ibique pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac S. M. E. exaltatione pias ad Deum preces effuderint, & quarta, & sexta feriis, ac Sabbatho alterius ex hebdomadis hujusmodi jejunaverint, & peccata sua confessi in die Dominica immediate sequenti, vel alia die intra eamdem hebdomadam Sanctissima Communione refecti fuerint, & pauperibus aliquam eleemosynam, prout unicuique suggeret devotio erogaverint, plenissimam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem sicut in Anno Jubilei visitantibus certas Ecclesias intra, & extra Almam Urbem concedi consuevit, tenore præsentium concedimus, & elargimur; navigantes vero, & iter agentes, ut cum primum ad sua sese domicilia receperint, suprascriptis peractis, & visitata Ecclesia Cathedrali, vel majore, aut Parochiali loci eorum domicilii, eamdem Indulgentiam consequi possint, & valeant: Regularibus autem personis utriusque sexus etiam in claustris perpetuo degentibus, necnon aliis quibuscumq; tam laicis, quam ecclesiasticis secularibus, vel regularibus etiam in carcere, aut captivitate existentibus, vel aliqua corporis infirmitate, seu alio quocumque impedimento detentis, qui supra expressa, vel eorum aliqua præstare nequiverint, ut illa Confessarius ex jam approbatis a locorum Ordinariis ante præsentium publicationem, seu approbandis in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus prorogare possit, eaque injungere quæ ipsi pœnitentes efficere poterunt, pariter concedimus, & indulgemus. Insuper omnibus, & singulis Christifidelibus utriusque sexus tam laicis, quam ecclesiasticis secularibus, & cujusvis Ordinis, Congregationis, & Instituti regularibus in memorato Dominio degentibus licentiam concedimus, & facultatem, ut sibi ad hunc effectum eligere possint quemcumque Presbyterum Confessarium tam secularem, quam cujusvis Ordinis, & Instituti regularem ex approbatis, ut præmittitur, a locorum Ordinariis, qui eos ab omnibus excommunicationis, suspensionis, & aliis ecclesiasticis sententiis, & censuris a jure, vel ab homine quavis causa latis, seu inflictis, necnon ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus, & delictis quantumvis gravibus, & enormibus, etiam locorum Ordinariis, sive Nobis, & Sedi Apostolicæ etiam in literis die Cœnæ Domini legi solitis contentis, & alias per quascumque nostras, aut Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum Constitutiones, quarum tenores præsentibus haberi volumus pro expressis quomodocumque reservatis in foro conscientiæ, & hac vice tantum absolvere, & liberare valeant; Et insuper vota quæcumque (Religionis, & Castitatis exceptis) in alia pia, & salutaria opera commutare, injuncta tamen eis, & eorum cuilibet in suprадictis omnibus casibus pœnitentia salutari, aliisque ejusdem Confessarii arbitrio injungendis. Quapropter tenore præsentium, in virtute sanctæ obedientiæ districte præcipimus, atque mandamus Ven. Fratribus Archiepiscopo Ragusin., ac Episcopis, & aliis Ecclesiarum Prælatis, & quibuscumque Ordinariis locorum in præfatis Dominio existentium, eorumque Vicariis, & Officialibus, vel iis deficientibus, illis, qui curam animarum exercent, ut cum præsentium litterarum transumpta, aut exempla etiam impressa acceperint, illa statim absque ulla mora, retardatione, vel impedimento per suas Ecclesias, & Diœceses, Civitates, Oppida, Terras, & Loca publicent, & publicari faciant, Ecclesiamque, seu Ecclesias visitandas designent.

Certa opera facientibus indulgent. concedit ut in rubrica.

Navigantibus iter agentibus cæterisq. impeditis provident.

Publicationē transumptorū mandat.

§. 2. Non intendimus autem per præsentes super aliqua irregularitate publica, vel occulta, nota, defectu, incapacitate, seu inhabilitate quoquo modo contracta dispensare, vel aliquam facultatem tribuere dispensandi, su habilitandi, & in pristinum statum restituendi, etiam in foro conscientiæ, neque etiam easdem præsentes iis, qui a Nobis, & Apostolica Sede, vel ab aliquo Prælato, seu Judice Ecclesiastico excommunicati, suspensi, interdicti, seu alias in sententias, & censuras incidisse de-

Facultatem dispensandi super irregularitate denegat.

clarati, vel publice denunciati fuerint, nisi intra tempus dictarum duarum hebdomadarum satisfecerint, aut cum partibus concordaverint, ullo modo suffragari posse, aut debere.

Contrariorum Derogatio

§.3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, præsertim quibus facultas absolvendi in certis tunc expressis casibus ita Romano Pontifici pro tempore existenti reservatur, ut nec etiam similes, vel dissimiles indulgentiarum, & facultatum hujusmodi concessiones, nisi de illis expressa mentio, ut specialis derogatio fiat, cuiquam suffragari queant, nec non Regula nostra de non concedendis Indulgentiis ad instar, ac quorumcumque Ordinum, & Congregationum, sive Institutorum Regularium etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus privilegiis, quoque, Indultis, & Literis Apostolicis eisdem Ordinibus, Congregationibus, & Institutis, illorumque personis quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis, ac formam in eis traditam pro servata habentes, hac vice specialiter, nominatim, & expresse ad effectum præmissorum derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§.4. Ut autem præsentes nostræ, quæ ad singula loca deferri non possunt, ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus, ut earumdem præsentium transumptis, vel exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, ubique locorum, & gentium eadem prorsus fides habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 6. Maii 1669. An.II.

Datum Romæ apud S.Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 6. Maii 1669. Pontificatus nostri Anno II.

CVIII.

Ex Regest. in Secr. Brev.

Facultas M.Magistro Hospitalis S.Jo: Hierosolymitani dismembrandi sex millia librarum annuarum ex redditibus Prioratus S. Egidii linguæ Provinciæ; ex quibus millia scuta applicabuntur expensis victus Fratrum dictæ Linguæ, reliquæ vero mille libræ communi ærario in compensationem damni, quod illi per dismembrationem hujusmodi inferri posset.

Dilecto filio Magno Magistro Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani.

CLEMENS PAPA NONUS

Dilecte fili salutem, & apostolicam benedictionem.

Postulatio.

§.1. NUper pro parte dilectorum filiorum Fratrum Linguæ Provinciæ istius Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani Nobis expositum fuit, quod consideratо modico, atque miserabili victu, qui Fratribus Militibus dictæ Linguæ valde numerosis in illius Albergia præbetur, ad sublevandam ejusmodi miseriam, sive tenuitatem, ab eadem Lingua die 28. Novembris 1667., ac a te, & dilectis filiis Consilio dicti Hospitalis die 9. Jan. 1668. ordinatum fuit, ut ex redditibus, & proventibus Prioratus Sancti Ægidii Linguæ, & Hospitalis præfatorum post mortem dilecti filii moderni Prioris dicti Prioratus separarentur, & dismembrarentur annua sex millium librarum monetæ illarum partium, ex quibus quinque millia librarum applicarentur impensis victus Fratrum dictæ Linguæ, ultra id, quod pro tempore existens Magnus Commendatarius Bajulivus Conventualis ejusdem Linguæ eam in rem de proprio impendere debet, reliquæ vero mille libræ hujusmodi communi ærario Hospitalis præfati in compensationem damni, quod illi per dismembrationem hujusmodi inferri posset, & alias prout in decretis desuper diebus præfatis, seu aliis verioribus temporibus respective emanatis uberius dicitur contineri.

§.2. Et subinde cum divisio, seu separatio, & dismembratio hujusmodi per Commissarios in partibus deputatos factæ fuissent, ea lege, ut demum post mortem dicti moderni Prioris effectum habere, ac executioni demandari debeant; tu, & consilium præfatum illas juxta eorumdem Commissariorum relationem, die 10. Decembris proxime præteriti approbastis, prout in Decreto apprbationis hujusmodi contineri etiam dicitur.

Confirmat Pont. ut in ea brica.

§.3. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dicti Exponentes præmissa, quo firmius subsistant, apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desiderent; Nos specialem ipsis Exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, tibi divisionem, seu separationem, & dismembrationem annuarum sex millium librarum hujusmodi ex redditibus, & proventibus memorati Prioratus factas, & demum post mortem præfati moderni Prioris effectum sortituras, ac a te, & consilio supradicto approbatas, ut præfertur, necnon

necnon deliberationes, seu decreta Linguæ, & Consilii hujusmodi desuper emanata cum omnibus, & singulis in eis contentis, alias tamen licitis, & honestis auctoritate nostra apostolica confirmandi, & approbandi, illisque inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiiciendi, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, dicta auctoritate supplendi, necnon quatenus opus sit eadem divisionem, seu separationem, & dismembrationem de novo auctoritate præfata faciendi plenam, & amplam facultatem eadem auctoritate tenore præsentium tribuimus, & impartimur.

Derogatio contrariorum

§.4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon præfatorum Hospitalis, & Linguæ, ac Prioratus etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, stabilimentis, usibus, & naturis, ac Ordinationibus Capitularibus, privilegiis quoque Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 10. Maii 1669. Anno II.

Datum Romæ apud S.Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 10. Maii 1669. Pont. nostri Anno II.

CIX.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Donatio Conventus, & Ecclesiæ Sanctorum Joannis, & Pauli suppressæ Congregationis Fratrum Jesuatorum Puellis pauperibus S. Philippi Nerii de Urbe.

CLEMENS PAPA NONUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

COmmissi Nobis divinitus pastoralis muneris ratio postulat, ut Puellarum pauperum pudori, & commodis quantum Nobis ex alto conceditur, secundum prudentiæ, atque charitatis leges consulere studeamus.

Motivâ;

§.1. Cum itaque, sicut accepimus Domus, seu Conservatorium Puellarum pauperum S. Philippi Nerei de Urbe prope Cloacam S.Luciæ nuncupatam existens non solum insalubritate aeris, ac nimia angustia laboret, sed etiam vicinorum locorum domos contiguas, quibus undique cingitur, inhabitantium inspectui pateant ipsa cubicula earumdem Puellarum, non sine aliquo ingressus periculo, nec his incommodis, propter situs qualitatem, satis provideri valeat: Nos præmissa, quæ etiam Nobis dum in minoribus constituti, & Cardinalatus honore fungentes Puellarum præfatarum protectionem gerebamus oculari inspectione innotuerunt, mature considerantes, ac eisdem incommodis pastorali providentia occurrere, dictasque Puellas paternæ nostræ benignitatis largitate prosequi cupientes, & earum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione, meraque liberalitate nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine, eisdem Puellis pauperibus S. Philippi Nerii, pro earum usu, & habitatione Conventum suppressæ Congregationis Fratrum S. Hieronymi Jesuatorum nuncupatorum, illique contiguam Ecclesiam Sanctorum Joannis, & Pauli de eadem Urbe, una cum omnibus supellectilibus sacris in ea existentibus, & cum tribus hortis eidem Conventui adjacentibus, ac insuper cum superficie, sive portione Vineæ triginta duarum cannarum mensuræ Romanæ in longitudinem a fine muri mansionis, quæ il legnaro vulgariter vocatur, per radices dormitorii, seu cellarum, ex quibus in eamdem Vineam prospectus datur, protensam, & vigintiquinque cannarum similium in latitudinem quæ superficies, sive portio Vineæ statim, atque pro parte ipsarum Puellarum absoluti fuerint muri, quibus illa claudi debet, eisdem Puellis consignanda erit, donatione pura, perpetua, & irrevocabili, quæ fieri dicitur inter vivos, tenore præsentium donamus, & elargimur, ac perpetuo concedimus, assignamus, & applicamus: ea tamen lege, ut Puellæ præfatæ dictam Ecclesiam sartam tectam, & in bono statu, ac Sacris Supellectilibus sufficienter instructam perpetuo conservare, & manutenere teneantur, liberumque sit illi, seu illis cui, seu quibus ad implementum onerum Missarum eidem Ecclesiæ de præmissis incumbentium pro tempore injunctum fuerit, onera Missarum hujusmodi ibidem adimplere, ac ad eum effectum Supellectilibus Sacris in ipsa Ecclesia nunc, & pro tempore existentibus uti. Præterea dominium, liberamque, & omnimodam dispositionem Domus, seu Conservatorii dictarum Puellarum prope Cloacam S. Luciæ nuncupatam, ut præfertur, existentis, omniumque, & singulorum illius membrorum, & pertinentiarum, statim atque eædem Puellæ inde ad Conventum eis donatum præfatum migraverint, in Nos, & Sedem Apostolicam assumimus, ac nostræ, & ejusdem Sedis Ordinationi reservamus. Volentes, ut dilectus filius Œconomus bonorum dicti Conventus administrationi præpositus administrationem Domus, seu Conservatorii, ejusque membrorum, & pertinentiarum hujusmodi suscipiat, illaque meliori qua fieri poterit conditione vendere procuret,

Donat. Pont. Conventum aliaque bona suppressæ Congreg. cum lege ut in rubr.

ac ex prætio inde proventuro annuos perpetuos, & redimibiles census, qui de super legitime impositi reperiuntur omnino extinguat, & redimat; Interea vero donec facta fuerit hujusmodi venditio, Domum, seu Conservatorium, ejusque pertinentias, & membra præfata meliori itidem qua fieri poterit conditione locet, & ex pensionibus inde proventuris fructus eorumdem censuum solvat: Quidquid autem ex prætio post extinctos census, & ex pensionibus prædictis post solutos fructus hujusmodi respective superfuerit, id totum nostræ, & dictæ Sedis libertæ dispositioni, & ordinationi pariter reservamus, ac pœnes Montem Pietatis de Urbe præfata ad nostrum, & ejusdem Sedis creditum deponi volumus, & mandamus; necnon eidem Œconomo quamcumque necessariam, & opportunam ad præmissa facultatem harum serie tribuimus, & impertimur.

Clausula præservativa.

§.2. Cæterum non intendimus per præsentes literas titulo Cardinalitio in præfata Ecclesia Sanctorum Joannis, & Pauli existenti ullo modo præjudicare, sed illius in suo vigore, ut prius remanere; Ipsas vero præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod quilibet, cujusvis status, gradus, ordinis, dignitatis, & præeminentiæ existant, etiam Cardinalatus honore fungentes in præmissis, seu eorum aliquo interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, neque causæ propter quas eædem præsentes emanarint, adductæ, verificatæ, & justificatæ fuerint, aut ex alia quacumque quantumvis justa, pia, legitima, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, aut intentionis nostræ, vel interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam quantumvis magno, & substantiali, hac incogitato, & inexcogitabili defectu notari, impugnari, infringi, retractari, limitari, in controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, seu impetrato, aut etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concesso, vel emanato quépiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullatenus posse; neque ipsas præsentes literas sub quibusvis similium, vel dissimilium donationum, & gratiarum revocationibus, limitationibus, restrictionibus, aliisque contrariis dispositionibus, etiam per Nos, & Sedem præfatam, seu Romanos Pontifices Successores nostros quandocumque, & quomodocumque faciendis unquam comprehendi, aut comprehensas censeri, sed semper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum, & validissimum statum restitutas, repositas, & plenarie reintegratas, ac etiam de novo sub quibuscumque posteriori data per Puellas præfatas, seu alios, ad quos spectat, & pro tempore spectabit eligenda concessas intelligi, firmasque, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quas, & quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari; Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Camerarium, seu Procamerarium, & alios Cardinales, etiam de latere Legatos, necnon Cameræ nostræ Apostolicæ Præsidentes, Clericos, Thesaurarium, & Commissarium Generales, aliosve quoslibet earumdem Cameræ, & Sedis Officiales, & Ministros, & quoscumque alios quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interprætandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Derogatio contrariorum.

§.3. Non obstantibus quibusvis etiam ultimis voluntatibus, & dispositionibus, quas, quoad præmissa sufficienter, & expresse commutamus, ac de jure quæsito non tollendo, & de exprimendo in unionibus, & applicationibus perpetuis vero valore, aliisque nostris, & Cancellariæ Apostolicæ Regulis, necnon Lateranen. Concilii novissime celebrati, uniones perpetuas nisi in casibus a jure permissis fieri prohiben., ac fel. rec. Symachi quæ incipit: *Ne liceat*, & Pauli II., Pauli IV. aliorumque Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum de rebus Ecclesiæ, ac Sedis, & Cameræ præfatarum non alienandis, necnon rec. mem. Pii Papæ IV. Prædecessoris pariter nostri de gratiis qualecumque interesse dictæ Cameræ concernentibus in eadem Camera intra certum tunc expressum tempus præsentandis, & registrandis, ita ut ipsas præsentes literas ibidem præsentari, & registrari nunquam necesse sit, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Cameræ, & Domus, seu Conservatorii, Conventus, & Ecclesiæ hujusmodi etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis, etiam eidem Cameræ ejusque Officialibus, & Ministris, ac aliis personis, & locis quibuslibet, sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie, etiam consistorialiter, & alias quomodolibet in contrarium præmissorum, concessis, confirmatis, & pluries innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 1. Junii 1669. Anno II.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 1. Junii 1669. Pont. nostri Anno II.

CX.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Declaratio nullitatis Capitulationum, Sede Archiepiscopali Salisburgen. vacante a Capitularibus dictæ Ecclesiæ in præjudicium jurisdictionis Archiepiscopalis, & auctoritatis Sedis Apostolicæ factarum.

CLEMENS PAPA NONUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Motiva.

§.1. CUM (sicut Nobis innotuit) alias Ecclesia Salisburgen. per obitum bon. mem. Guidobaldi dum vixit Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis de Thun. nuncupati ejusdem Ecclesiæ Salisburgen. Archiepiscopi solatio destituta Pastoris, Capitulares ejusdem Ecclesiæ Successorem vigore Indulti eis super hoc ab hac Sancta Sede concessi electuri, in quasdam ut vocant, capitulationes convenerint per futurum Electum quis quis ille foret, observandas, volentes eumdem Electum ad præstandum juramentum de ejusmodi Capitulationibus observandis obligatum esse, prout Ven. Fratem Maximilianum Gandolphum Archiepiscopum Salisburgen. juramentum hujusmodi de facto præstitisse accepimus; In dictis vero Capitulationibus jurisdictio, & potestas, ac jura Archiepiscopalia contra Sacrorum Canonum, & Constitutionum Apostolicarum dispositionem, nimium circumscribantur, Apostolicæque etiam Sedis jura, & auctoritatem lædi fatagatur. Hinc est, quod Nos considerantes sine dictæ Sedis Apostolicæ auctoritate nihil omnino in similibus negociis pacisci fas esse, ne autem ex Capitulationibus hujusmodi, licet ob licentiæ Apostolicæ defectum ipso jure nullis, & invalidis, aliquod cuiquam jus acquisitum, aut Ecclesiæ Salisburgen. prædictæ, illiusque Archiepiscopo, vel Capitulo qualecumque gravamen illatum, jurisdictionique, & libertati Ecclesiasticæ quoquo modo præjudicatum, aut ejusdem Apostolicæ Sedis juri quicquam detractum fuisse, esse, vel

fore umquam prætendi dici, vel censeri, neque quovis temporis cursu, aut ex quacumque alia etiam quantumlibet juridica causa fuisse per Nos, & Sedem Apostolicam tacite, aut expresse approbatas allegari, & beneplacitum apostolicum desuper accessisse præsumi umquam possit, pro pastorali nostra sollicitudine providere volentes, ac earumdem Capitulationum tenores etiam veriores, præsentibus pro expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, capitulationes prædictas nullas, irritas, ac prorsus invalidas, nulliusque roboris, & momenti fuisse, esse, & semper fore, adeout nullum omnino sortiri possint, aut debeant effectum, perinde acsi conceptæ, factæ, initæ, aut juratæ nunquam fuissent, tenore præsentium declaramus, illasque pro non factis haberi volumus, approbationemque nostram, & beneplacitum Apostolicum, quoad ipsas Capitulationes denegamus. Ac memorato Maximiliano Gandolpho Archiepiscopo juramentum de servandis Capitulationibus hujusmodi ab ipso, ut præfertur præstitum, quatenus opus sit, relaxamus.

Capitulationes factæ a Capitulatibus Ecclesiæ Salisburgen. irritæ.

Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac dicto Maximiliano Gandolpho Archiepiscopo, & aliis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit plenissime suffragari; Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de latere Legatos, Apostolicæque Sedis prædictæ Nuncios, & quosvis alios quacumque auctoritate fungentes nunc, & pro tempore existentes, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interprætandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Irritantia, & Clausula sublata.

Derogatio contrariorum

§.3. Non obstantibus præmissis, necnon Apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, & synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, & quatenus opus foret etiam Regula nostra de non tollendo jure quæsito ac dictæ Ecclesiæ Salisburgen. etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & approbatis, Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis

quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illorum tenores, acſi de verbo ad verbum inſererentur, & exprimerentur, præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Dat. 5 Junii 1669. An. II.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, ſub Annulo Piſcatoris, die quinta Junii 1669. Pontificatus noſtri Anno Secundo.

CXI.

Ex Regeſt. in Secret. Brev.

Erectio Novi Hoſpitalis in Civitate Neapolitan. ſub Invocatione Sancti Petri, & Sancti Januarii pro uſu Pauperum Mendicantium, & otio vacantium.

CLEMENS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI

Dilecto filio noſtro, & Sedis Apoſtolicæ Nuncio in Civitate Neapolitan. commoranti ſalutem, & apoſtolicam benedictionem.

Exordium.

SEdes Apoſtolica veluti pia mater de filiorum ſuorum cura, & ſalute ſollicita præcipue vero Pauperum, & miſerabilium qui ob membrorum mutilationem, aut alium naturæ defectum quotidianum victum per Eccleſias, & Plateas, ac oſtiatim ſibi quærere ſunt coacti, ne ob temporaliam rerum caritatem totam vitam miſerabiliter ducere cogantur pia Chriſtifidelium ad fundationem Hoſpitalium pro ſimilibus excipiendis perſonis tendentia vota opportunis favoribus, & gratiis proſequi conſuevit.

Expoſitio.

§.1. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum moderno-rum Gubernatorum Hoſpitalis, & Eccleſiæ Sancti Petri, & Sancti Januarii extra mœnia Civit. Neapolitan. noviter erigendi petitio continebat, quod alias ſeu nuper tunc exiſtentes dilecti ſimiliter filii Gubernatores ſine cura, & non collativæ Eccleſiæ dicti Sancti Januarii extra prædicta mœnia Civitatis Neapolitan., & Hoſpitalis dictæ Eccleſiæ pro uſu tempore peſtis tali morbo affectorum canonice erecta, quibus etiam alias Hoſpitalis, & Eccleſia hujuſmodi bonorum, & rerum regimen, & gubernium, ac fructuum &c. diſtributio, & applicatio pro peſte laborantium, & ceſſante, Pauperum Civium Civitatis Neapolitan. ſubventione, & aliis eleemoſynis eis beneviſis, Diœceſani loci, vel cujuſvis alterius licentia deſuper minime requiſita Apoſtolica auctoritate conceſſa fuerant, prout in Literis Apoſtolicis deſuper expeditis plenius continetur. Exiſtimantes propterea de bonis, & fructibus hujuſmodi libere, & licite, ut præfertur, diſponere poſſe, reminiſcentesque etiam quod dilecti ſimiliter Filii Communitas, & Homines dictæ Civitatis tempore poſtremæ peſtis novum Hoſpitale forſan pro uſu Pauperum Mendicantium, qui jugiter, & ubique præſertim in Eccleſiis Chriſtifideles inibi orantes non ſine ſtrepitu, et importunitate moleſtabant, et aliarum utriuſque ſexus perſonarum otio vacan. conſtruendi Deo Omnipotenti voverant quædam cortilia, et ædes, ſeu Fabricas prædictæ Eccleſiæ, annexa, necnon omnia, et quæcumque alia dictæ Eccleſiæ, et primodicti Hoſpitalis jura, cenſus, fructus &c. etiam decurſos ad illa quomodolibet ſpectan. pro erectione dicti novi Hoſpitalis ſub invocatione Sancti Petri, & Sancti Januarii, ac illius Fabrica, ac in eo pro tempore degentium ſuſtentatione, ac onerum illi incumbentium ſupportatione ad inſtantiam, & contemplationem dilecti filii Petri de Aragon moderni Proregis Neapolitan. ſub diverſis pactis, & conditionibus licitis tamen, & honeſtis, reſervato tamen noſtro, & Sedis prædictæ, ſeu alterius Superioris, quatenus opus eſſet beneplacito dederunt, & conceſſerunt, ac donatio, & conceſſio ſic, ut præfertur, facta dictis Gubernatoribus Hoſpitalis, & Eccleſiæ preſentium vigore erigendorum hujuſmodi acceptata fuerunt, prout in ſcripturis deſuper confectis etiam plenius continetur. Et ſucceſſive ipſe Petrus Prorex in Cortilibus, & Fabricis hujuſmodi novas ædes, & ædificia ad uſum Hoſpitalis cum Refectorio, Dormitorio, aliiſque Officinis, & commoditatibus, necnon Eccleſia, Sacriſtia, Campaniſi, Cæmeterio ac congrua, & ſufficienti ſupellectili tam ſacra, quam profana etiam median. eleemoſynis a pluribus piis Chriſtifidelibus larga manu elargitis conſtrui, & ædificari, ac inſtrui reſpective curavit, & benedicente Domino in dictis novis ædibus, & ædificiis quingenti circiter Pauperes non ſine ſpirituali Communitatis, & Hominum hujuſmodi conſolatione ad præſens reperiuntur.

§.2. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat donatio, & conceſſio hujuſmodi a Congregatione Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum & Regularium præpoſitorum nullæ, & invalidæ declaratæ fuerint ipſaque Congregatio prædicti Petri Proregis pietate, & zelo ab ea plurimum commendatis cenſuerit, ſi Nobis placuiſſet per Literas Apoſtolicas in forma Brevis ſub Annulo Piſcatoris poſſe committi noſtro, & dictæ Sedis Apoſtolicæ Nuncio in dicta Civitate commoranti, ut ipſe Nuncius arbitrio, & conſcientia bona, & fructus etiam decurſos donata, & conceſſa hujuſmodi Gubernatoribus Hoſpitalis, & Eccleſiæ, ſic, ut præfertur erigendorum ex integro concederet, & aſſignaret, aliaque infraſcripta concedi, & ordinari poſſe, prout in ſupplici libello pro parte dicti Petri Proregis Nobis, & Congregationi prædictæ humiliter porrecto, ac reſolutione, ſeu Decreto ejuſdem Congregationis deſuper, ſub Datum

tum Romæ die 31. menſis Auguſti Anni Domini 1668. emanata, ſeu emanato ſimiliter plenius continetur.

Supplicatio

§.3. Quare pro parte Petri Proregis, & Gubernatorum Eccleſiæ, & Hoſpitalis ſic erigendorum hujuſmodi Nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus eis in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur memores verbi Prophetæ: *Beatus qui intelligit ſuper egenum, & pauperem*, ac cupientes hoc pium opus executioni demandari, propterea hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus bona, jura, fructus &c. etiam decurſos aliaque a Gubernatoribus primodictis Hoſpitalis, & Eccleſiæ ſic erigen. hujuſmodi, ut præfertur, donata, & conceſſa cum omnibus, & ſingulis pactis, conditionibus, obligationibus, clauſulis, & declarationibus in ſcripturis deſuper confectis expreſſis, & contentis quibuſcumque licitis tamen, & honeſtis pro tuis arbitrio, & conſcientia auctoritate noſtra de novo concedas, & in dictis novis ædibus unum Hoſpitale ſub invocatione Sancti Petri, & Sancti Januarii cum Eccleſia, aliiſque prædictis per pro tempore exiſtentes illorum Gubernatores regendum, & adminiſtran., in quo Pauperes Mendicantes utriuſque ſexus, & aliæ perſonæ otio vacan. degere, & in Eccleſia ſic erigen. hujuſmodi Sacramenta Eccleſiaſtica ſuſcipere, & in ejus Sepulturis tam ipſi, quam alii, qui in illis ſepeliri voluerint, ſepeliri poſſint ſine alicujus præjudicio auctoritate noſtra prædicta erigas, & inſtituas, illique ſic erecto, & inſtituto pro ejus dote, & congrua perſonarum Mendicantium, & otio vacantium, ac Miniſtrorum, Officialium, & famulorum illius ſuſtentatione, & onerum ei incumbentium ſupportatione, & Eccleſiæ prædictæ erigen. hujuſmodi manutentione bona, jura, & fructus &c. etiam decurſos hujuſmodi, aliaque a quibuſvis aliis donata, & donan., ac aſſignata, & aſſignan. quæcumque poſtquam donata, & aſſignata fuerint, ita quod liceat Gubernatoribus pro tempore exiſten. Hoſpitalis, & Eccleſiæ per te erigendorum hujuſmodi per ſe vel alium, ſeu alios eorum, ac Hoſpitalis, & Eccleſiæ per te erigendorum nominibus, illorum omnium, & ſingulorum realem, corporalem, & actualem poſſeſſionem propria auctoritate libere apprehendere, & apprehenſam perpetuo retinere, ac illorum fructus &c. percipere, exigere, & levare, ac in uſus, & utilitatem Hoſpitalis, & Eccleſiæ per te erigendorum, ac Pauperum Mendicantium hujuſmodi convertere Diœceſani loci, vel cujuſvis alterius licentia deſuper minime requiſita, eadem auctoritate noſtra etiam perpetuo applices & appropries. Nos enim ſi conceſſionem, erectionem, inſtitutionem, applicationem, & appropriationem prædictas per te vigore præſentium fieri contigerit, ut præfertur, eaſdem præſentes etiam ex eo quod in præmiſſis quicumque intereſſe habentes, ſeu habere prætendentes præmiſſis non conſenſerint, nec ad ea vocati, vel auditi fuerint nullo umquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtræ, aliove quomodolibet quantumvis magno, & ſubſtantiali, ac excogitabili, & inexcogitabili defectu notari, impugnari, redargui, infringi, retractari, & in jus, vel controverſiam vocari ad viam, & terminos juris reduci, ſeu adverſus illas aperitionis oris, reſtitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, aut impetrato, aut etiam motu proprio conceſſa nunquam in judicio, vel extra illud uti, ſeu ſe juvare poſſe, nec ſub quibuſvis ſimilium, vel diſſimilium gratiarum revocationibus, limitationibus, aut aliis contrariis diſpoſitionibus comprehendi, ſed ſemper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum, & eum, in quo antea erant ſtatum reſtitutas, repoſitas, & plenarie reintegratas, ac etiam de novo ſub quacumque poſteriori data per modernos, & pro tempore exiſtentes Hoſpitalis per te erigen. hujuſmodi Gubernatores quandocumque eligenda conceſſas fore, & eſſe, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac Gubernatoribus Hoſpitalis per te erigen. huiuſmodi pleniſſime, & perpetuo ſuffragari, & ab omnibus illis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit inviolabiliter, & inconcuſſe obſervari; Sicque, & non aliter in præmiſſis omnibus, & ſingulis cenſeri, atque ita per quoſcumque judices ordinarios & delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales etiam de latere Legatos, Vice-Legatos, & Sedis Apoſtolicæ Nuncios, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interprætandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, & ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus.

Convalidat Pontifex donationes prout in rubr.

Clauſula ſublata, & decretum irritans.

§.4. Non obſtantibus noſtra, & Cancellariæ Apoſtolicæ Regulis de unionibus committendis ad partes, vocatis quorum intereſt, ac de exprimendo vero annuo valore, necnon Lateranen. Concilii noviſſime celebrati uniones perpetuas niſi in caſibus a jure expreſſis fieri prohibentis, ac fel. rec. Pii Papæ IV. Prædeceſſoris noſtri de gratiis intereſſe Cameræ Apoſtolicæ quomodolibet concernen. in eadem Camera infra certum inibi expreſſum tempus regiſtrandis, aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, etiam in ſynodalibus, provincialibus, univerſalibus, & generalibus Conciliis editis, & eden. ſpecialibus, vel generalibus ſub quibuſcumque tenoribus, & formis ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, ac irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in ſpecie etiam iteratis

Contraria tollit.

Clauſulæ præſervativæ.

ratis vicibus etiam contra similia in contrarium præmissorum quovis modo, & quomodolibet concessis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, acsi de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata, inserti forent eisdem præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris hac vice dumtaxat latissime, & plenissime, ac specialiter, & expresse derogamus contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, quod Gubernatores pro tempore existentes Ecclesiæ, & Hospitalis per te erigendorum hujusmodi, de rebus gestis, & administratis Tibi juxta Concilii Tridentini dispositionem quot annis rationem reddere omnino teneantur.

Dat. die 9. Junii 1669. An. II. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo sexagesimo nono, nonis Julii Pontificatus nostri Anno Secundo.

CXII.

Constitutio prohibens Mercaturam, & Negociationes seculares Ecclesiasticis præsertim Religiosis quibuslibet in Indiis Orientalibus, & America nunc, & pro tempore existentibus.

CLEMENS PAPA NONUS

Ad futuram rei memoriam.

Exordium. SOlicitudo pastoralis officii, quo Ecclesiæ Catholicæ per universum Orbem diffusæ regimini per inefabbilem Divinæ Sapientiæ, atque Clementiæ abundantiam præsidemus, Nos stimulat, ut ea, quæ Christianæ Religionis, Catholicæque Fidei propagationi remoram, vel impedimentum iniicere, ac in Virorum in sortem Domini vocatorum, & præsertim Religiosorum, qui semetipsos adnegarunt, & mundana omnia contempserunt, ut Christum lucrifacerent, ejusque obsequiis mundo corde, & mente tranquilla unice intenderent, honestatis gloria maculam ponere possent, salubri sanctione e medio tollere, atque radicitus evellere studeamus.

Urbano VIII. negociationes Ecclesiasticis prohibuit. §. 1. Dudum siquidem fel. rec. Urbanus Papa VIII. Prædecessor noster considerans per Sacros Canones, Conciliorum Decreta, & Constitutiones Apostolicas omnibus Religiosis, ac etiam aliis Ecclesiasticis, præsertim in Sacris Ordinibus constitutis, mercaturam, & negociationes seculares districte prohiberi, ac valde damnosum, indecorum, & indecens existere hujusmodi personas divino cultui mancipatas, ac præcipue illas, quæ ad prædicandum Sacrosanctum Christi Domini Evangelium destinatæ sunt, mercaturæ, & negotiationibus hujusmodi se immiscere, aut operam dare, per quandam suam in simili forma Brevis die 22. Februarii 1633. emanatam Constitutionem inter alia Religiosis omnibus cujuscumque Ordinis, & Instituti, tam non Mendicantium, quam Mendicantium, etiam Societatis Jesu, eorumque singulis, tam tunc in Insulis, Provinciis, Regionibus, & Regnis Indiæ Orientalis, ac Chinæ, & Japonum existentibus, quam in futurum ad illa mittendis omnem, & quamcumque mercaturam, seu negotiationem quocumque modo ab eis fieri contingeret, sive per se, sive per alios, sive proprio, sive Communitatis nomine, directe, sive indirecte, aut quovis alio prætextu, causa, vel colore, interdixit, & prohibuit sub excommunicationis latæ sententiæ pœna ipso facto incurrenda, ac privationis vocis activæ, & passivæ, officiorum, ac graduum, & dignitatum quarumcumque, & inhabilitatis ad ea, ac insuper amissionis mercium, & lucrorum ex eis factorum: quæ omnia a Superioribus Religionum, ex quibus delinquentes existerent, reservanda essent ad usum Missionum, quas eædem Religiones habebant, & in futurum habituræ erant in Indiis prædictis, & non in alios usus: ac eisdem Superioribus districte præcepit sub eisdem pœnis, ut in hoc invigilarent, & contra delinquentes ad prædictas pœnas procederent, sublata eisdem facultate hujusmodi delinquentibus aliquid ex dictis mercibus, & lucris quantumvis minimum remittendi, aut condonandi, & alias prout in dicta Urbani Prædecessoris Constitutione, cujus tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur.

§. 2. Cum autem (sicut non sine gravissimo animi nostri dolore accepimus) multi ex iisdem Religiosis, & personis ecclesiasticis, propriæ professionis, injunctique sibi gravissimi ministerii immemores, ab ejusmodi mercatura, & negotiationibus secularibus non abstineant, sed sese a debita prædictæ Constitutionis Urbani Prædecessoris observatione sub variis prætextibus, coloribus, & subterfugiis eximere conati fuerint, & satagant de præsenti, in deplorandam animarum suarum perditionem, pernicioſum quoque exemplum, & scandalum plurimorum: Nos salutaribus Doctoris Gentium præceptis edocti, quod nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus, ut ei placeat, cui se probavit, tam grande, tamque exitiosum ab Ecclesia Dei malum Apostolici zeli vigore propellere, scandalorumque inde nascentium occasiones recidere, ac saluti animarum, & Christianæ Religionis, Catholicæque fidei propagationi, quantum Nobis ex alto conceditur, salubriter consulere, omnemque lucrorum mundanorum spem personis cœlesti

testi militiæ adscriptis, præsertim ad infidelium conversionem, & Evangelii prædicationem destinatis, quas sicut bonos Christi milites laborare, & ministerium suum honorificare oportet, ut eo studiosus, ac impensius adspirante superni favoris auxilio horrea Domini novis semper frugibus locupletare satagant, omnino adimere decrevimus.

Pontifex confirmat, & innovat prohibitionem prout in rub. §. 3. Itaque Sacris Canonibus, ac Decretis, & Constitutionibus prædictis inhærentes, illaque, & præsertim memoratam Urbani Prædecessoris Constitutionem in iis quæ præsentibus literis non adversantur, approbantes, & innovantes, & circa præmissa de novo disponentes, & statuentes, motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione Nostris deque apostolicæ potestatis plenitudine omnibus, & singulis personis ecclesiasticis, tam secularibus, quam regularibus cujuscumque status, gradus, conditionis, & qualitatis, ac cujusvis Ordinis, Congregationis, & Instituti, tam Mendicantium, quam non Mendicantium, etiam Societatis Jesu, & earum cuilibet, quæ ad Insulas, Provincias, Regna Indiarum Orientalium, & præsertim in Provinciam Societatis Jesu de Japone nuncupatam, ac in partes Americæ, tam Australes, quam Septentrionales a Sede Apostolica, vel Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandæ Fidei præpositorum, aut ab earum Superioribus sub nomine Missionariorum, aut quovis alio titulo pro tempore missæ fuerint, aut in illis partibus quomodolibet morabuntur, sub excommunicationis latæ sententiæ, ac privationis vocis activæ, & passivæ, & officiorum, dignitatum, & graduum quorumcumque per eas obtentorum, & inhabilitatis ad illa, & alia quæcumque in posterum obtinenda, necnon amissionis mercium, & lucrorum omnium ipso facto incurrendis, ac aliis Nostro, & Romani Pontificis pro tempore existentis, vel prædictæ Cardinalium Congregationis arbitrio imponendis pœnis, tenore præsentium districte prohibemus pariter, & interdicimus, ne mercaturis, & negotiationibus secularibus hujusmodi quovis prætextu, titulo, colore, ingenio, causa, occasione, & forma, etiam semel, per se, aut mediantibus Ministris, seu aliis personis subsidiariis, directe, vel indirecte, tam nomine proprio, quam suarum respective Religionum, seu Congregationum, ac Societatum, etiam Jesu, vel aliorum quorumlibet, & alias quovis modo, & qualitercumque se ingerant, vel immiscеant. Ac ex nunc prout ex tunc, & e contra postquam casus evenerit, merces, & lucra quæcumque, quæ ex hujusmodi mercaturis, & negotiationibus provenerint, & provenient, in usus, & commodum Pauperum, Hospitalium, Seminariorum Ecclesiasticorum, ac Operariorum (non tamen Religionum, Congregationum, & Societatum, etiam Jesu, seu Instituti eorum, qui in præmissis, vel circa ea delinquerit) sed aliorum non delinquentium, harum serie applicamus, qui teneantur consignare merces, & lucra hujusmodi locorum Ordinariis, seu eorum Vicariis in spiritualibus generalibus, aut Officialibus, vel Apostolicis Vicariis, seu Provicariis: Si vero tanquam dictæ Sedis Delegati, illa, ut præfertur, & non in alios usus distribuere, & erogare debeant: super quibus eorum conscientiam districte oneramus. Et quia in præmissis, & circa ea delinquentes, ut plurimum prætextu necessitatis pro eorum Missionibus, se excusare præsumunt, excusationes hujusmodi eis, eorumve cuilibet nullo modo suffragari posse, vel debere decernimus, & declaramus.

Pœnam Superioribus permittentibus injungit. §. 4. Insuper eisdemmet censuris, & pœnis innodamus, & innodatos fore declaramus Superiores immediatos, ac Provinciales, & Generales prædictorum Ordinum, Congregationum, & Societatum, etiam Jesu, qui eorum respective subditos in præmissis, vel circa ea, etiam pro unica vice quomodolibet delinquentes, saltem per amotionem illorum a locis commissi per eos delicti non puniverint; a sententia vero excommunicationis hujusmodi per Superiores, vel alium, seu alios quoscumque, etiam quavis facultate suffultos, nemo ex prædictis delinquentibus absolvi possit, præterquam in mortis articulo constitutus, nisi lucris hujusmodi prius restitutis.

Decretum irritans. §. 5. Decernentes easdem præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo quod in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, & alii quilibet, cujuscumque status, gradus, ordinis, præeminentiæ, & dignitatis, (seu alias specifica, & individua mentione digni illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, neque causæ propter quas ipsæ præsentes emanarint, sufficienter adductæ, verificatæ, & justificatæ fuerint, aut ex alia quacumque, quantumvis justa, pia, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore juris clauso, etiam enormis, enormissime, & totalis læsionis, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet, etiam quantumvis magno, & substantiali, ac incogitato, & inexcogitabili defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, seu impetrato, aut etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concesso, vel emanato quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse; sed ipsas præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia in-

Nec aliter judicari posse decernit.

violabiliter, & inconcusse observari.

§.6. Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ Generalem, & Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem Cameræ Præsidentes, Clericos, Thesaurarium Generalem, Commissarium, aliosque Officiales, & Ministros, necnon S. R. E. prædictæ Camerarium, seu Procamerarium, & alios Cardinales, etiam de latere Legatos, & dictæ Sedis Nuncios, cæterosque quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, in quavis causa, & instantia, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, ubique judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§.7. Non obstantibus, quoad ea quæ præsentibus adversantur, prædicta Urbani Prædecessoris, ac rec. mem. Bonifacii PP.VIII. Prædecessoris pariter nostri de una, & Concilii Generalis de duabus dietis, itaut vigore præsentium etiam ultra duas, plurisve dietas quilibet in judicium trahi possit, & piæ mem. Pii IV., & Pauli V. aliorumque Romanorum Pontificum etiam Prædecessorum nostrorum super spoliis Cameræ prædictæ applicandis, ac ejusdem Pii IV. Prædecessoris de gratiis qualecumque interesse dictæ Cameræ concernentibus in ipsa Camera intra certum tunc expressum tempus præsentandis, & registrandis, itaut præsentes literas ibidem præsentari, registrari, & insinuari nunquam necesse sit, necnon quatenus opus sit, de jure quæsito non tollendo, aliisque nostris, & Cancellariæ Apostolicæ regulis, cæterisque Apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, & synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, ac dictæ Cameræ, & Provinciarum, Regnorum, Regionum, Ordinum Congregationum, Institutorum, Societatum, etiam Jesu, Domorum, & Collegiorum, quorumcumque, aliisve quibusvis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque indultis, facultatibus, licentiis, & Literis Apostolicis quibusvis Ordinibus, Congregationibus, Institutis, & Societatibus, etiam Jesu, eorumque Superioribus, & personis, etiam particularibus, & aliis quibuscumque, etiam speciali nota dignis, & de necessitate juris, vel facti omnino exprimendis, etiam cum facultate eligendi posteriorem datam, quam nemini adversus easdem præsentes literas ullo modo suffragari unquam posse statuimus, & decernimus, ac sub aliis quibuscumque verborum tenoribus, & formis, & cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, ac consistorialiter, & alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, ac etiam pluries confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis expressio habenda, aut alia aliqua exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata exprimerentur, & insererentur, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus derogamus, & derogatum esse, & censeri, illaque nemini adversus præsentes literas suffragari volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Exequutores deputat.

§.8. Cæterum volumus, & expresse mandamus, ut eædem præsentes literæ, seu earum exempla, etiam impressa, notificentur, & intimentur omnibus, & singulis Ordinum, Congregationum, Institutorum, & Societatum, etiam Jesu, hujusmodi Superioribus Generalibus, & Procuratoribus Generalibus, ad hoc, ut eorum, & prædictorum Religiosorum eis respective subditorum nominibus illas acceptent, & earum exempla transmittant ad illos cum archisimis præceptis eadē præsentes literas, & in eis contenta quæcumque plenarie, & integre, ac vere, realiter, & cum effectu exequendi, & observandi.

§.9. Ac insuper quibuslibet locorum Ordinariis, eorumque Officialibus, Vicariis in spiritualibus generalibus, ac Apostolicis, & Capitularibus Vicariis amplam, & liberam concedimus, & impartimur facultatem præsentes literas in locis eorū cujuslibet respective jurisdictionis publicandi, ad hoc ut illarum ignorantia allegari nequeat, & allegata minime suffragari debeat.

Transumptis fides danda.

§.10. Et quia difficile foret præsentes literas originales ubique ostendi, & publicari, volumus pariter, & decernimus illarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eamdē prorsus in judicio, & extra ubique locorum fidem haberi, quæ haberetur ipsis præsentibus literis, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 17. Junii 1669. An.II.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 17. Junii 1669. Pontificatus nostri Anno II.

De-

CXIII.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Declaratio circa solutionem Decimæ quoad Ecclesiasticos Regnorum, & Provinciarum Coronæ Aragoniæ.

Ven. Fratri Federico Patriarchæ Alexandrin. nostro, & Apostolicæ Sedis in Regnis Hispaniarum Nuncio.

CLEMENS PAPA NONUS

Ven. Frater salutem, & apostolicam benedictionem.

Alexand. VII concessit Philippo IV. subventionem quamdam ab Ecclesiasticis solvendam.

§.1. Alias fel. rec. Alexander PP.VII. Prædecessor noster in subventionem claræ memor. Philippi IV. dum vixit Hispaniarum Regis Catholici indixit, & imposuit unam semel in duobus annis tunc proximis, illorum nempe singulo pro medietate persolvendam Decimam, quæ in totum ad summam octingentorum millium ducatorum monetæ Hispaniæ ascenderet, juxta taxam a tunc existente suo, & Apostolicæ Sedis in Regnis Hispaniarum Nuncio taxandam omnium fructuum, redituum, proventuum, jurium, obventionum, & emolumentorum, & distributionum quotidianarum omnium Ecclesiarum Archiepiscopalium, Episcopalium, Collegiatarum, & Parochialium, necnon Monasteriorum, & Conventuum, ac etiam mensarum Abbatialium, Capitularium, tam Cathedralium, etiam Metropolitanarum, quam quarumcumque Collegiatarum Ecclesiarum, & Conventualium, Prioratuum quoque, ac cæterorum Beneficiorum Ecclesiasticorum cum cura, & sine cura secularium, ac quorumvis Ordinum utriusque sexus etiam Mendicantium annuos redditus habentium, tam virorum, quam Mulierum, necnon Congregationum, Institutorum, & Societatum Regularium, etiam Societatis Jesu, & præterea Hospitalium, & Militiarum quarumcumque (exceptis tamen Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus) & Fratribus Militibus Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani, qui pro sui tutela contra Turcas, & alios Infideles, alienis auxiliis quotidie indigebant, & quoad curata, iis, quorum centum; quo vero ad simplicia Beneficia Ecclesiastica, iis quorum annui redditus summam viginti quatuor ducatorum auri de Camera non excederent, in Regnis Castellæ, & Legionis, ac Aragoniæ, & Valentiæ, necnon Principatu Cathaloniæ, atque Insulis Balenearibus, & Sardiniæ, omnibusque Provinciis, & Ditionibus in eisdem Regnis, & Insulis comprehensis existentium, ac similiter omnium pensionum super præmissis assignatarum, & assignandarum, & alias sub certis modo, & forma tunc expressis; Ac præfatum tunc, & pro tempore existentem suum, & dictæ Sedis in præfatis Hispaniarum Regnis Nuncium Decimæ hujusmodi collectorem cum facultatibus opportunis constituit, & deputavit, ipsique Nuncio taxam, & repartimentum hujusmodi pro dicta summa octingentorum millium Ducatorum conficiendi amplam potestatem concessit, prout in ipsius Alexandri Prædecessoris literis desuper in simili forma Brevis die vigesima Octobris 1662. expeditis, quarum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso haberi volumus uberius continetur.

Quæ tamen fuit postea moderata.

§.2. Et subinde pro parte Charissimi in Christo filii nostri Caroli eorumdem Hispaniarum Regis Catholici dicto Alexandro Prædecessori exposito, quod habito necessitatis Ecclesiarum dictorum Regnorum Castellæ, & Legionis ratione, portio Decimæ præfatæ eisdem Ecclesias contingens ex Regiæ Majestatis benignitate ad minorem nempe quingentorum viginti quinque millium ducatorum dictæ monetæ Hispaniæ summam reducta fuerat, residuo ipsis Ecclesiis, & personis Ecclesiasticis remisso, & condonato, ac etiam biennium solutioni ejusdem Decimæ per literas præfatas præfinitum eisdem Ecclesiis, & personis Ecclesiasticis Regnorum Castellæ, & Legionis ad quadriennium ex pari benignitate ampliatum extiterat; Idcirco idem Alexander Prædecessor, ut summa quingentorum vigintiquinque millium ducatorum monetæ hujusmodi intra quadriennium præfatum facilius exigi, taxaque, & repartimentum opportunum desuper expeditius confici valerent, providere, necnon difficultatibus, quæ circa præmissa oriri possent, obviare, ac exemptionem, seu exceptionem præfatam ut infra moderari volens, per alias suas pariter in forma Brevis die 9. Decembr. 1665. expeditas literas, quarum tenorem præsentibus itidem pro expresso haberi volumus; Quod ex Parochiales Ecclesias, quarum centum, & Beneficia simplicia præfata, quorum redditus Annui vigintiquatuor ducatorum auri de Camera summam respective non excederent, obtinentibus ad contributionem, & solutionem portionis Decimæ hujusmodi, sicut præmittitur reductæ, omnes, & singuli ii tenerentur, & obligati essent, qui ad solutionem, & contributionem subsidii, & primæ Decimæ Excusati nuncupat. in illis Regnis tenebantur, & illa solvebant, decrevit, & declaravit. Nec non tunc existenti suo, & Sedis præfatæ in memoratis Hispaniarum Regnis Nuncio ad omnimodam primodictarum literarum cum omnibus, & singulis facultatibus, & indultis ibi expressis, executionem juxta tamen decreti, & declarationis hujusmodi tenorem, & servata alias earumdem literarum forma, procedendi facultatem concessit, & alias prout in ultimodictis Alexandri Prædecessoris literis plenius etiam continetur.

§.3. Cum autem, sicut præfati Caroli Regis nomine Nobis nuper expositum fuit, in ultimodictis Alexandri Prædecessoris literis Regnorum, & Provinciarum Coronæ Aragoniæ mentio facta non fuerit, & Ec-

clesiastici eorumdem Regnorum, & Provinciarum, qui ratam dictæ Decimæ octingentorum millium ducatorum monetæ Hispaniæ, sicut præmittitur impositæ nondum solverunt, ratam, sive portionem Decimæ hujusmodi eos tangentem juxta formam Ecclesiasticis dictorum Regnorum, Castellæ, & Legionis per ultimodictas Alexandri Prædecessoris literas præscriptam solvere, sive contribuere recusent: Nos specialem dicto Carolo Regi gratiam facere, ac, ut rata, seu portio Decimæ hujusdi nondum soluta ab Ecclesiasticis dictorum Regnorum, & Provinciarum Coronæ Aragoniæ facilius exigi, taxaque, & repartimentum opportunum desuper expeditius, etiam confici valeant, providere, necnon difficultatibus, quæ circa præmissa oriri possent, obviare, ac exemptionem, seu exceptionem præfatam pariter moderari volentes; motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine; quod ex Parochiales Ecclesias, quarum centum, & Beneficia simplicia in Regnis, & Provinciis dictæ Coronæ Aragoniæ consistentia, quorum redditus annui vigintiquatuor ducatorum auri de Camera summam respective non excedunt, obtinentibus, ad contributionem, & solutionem ratæ, seu portionis Decimæ hujusmodi, sicut præmittitur, nondum solutæ, & adhuc debitæ omnes, & singuli illi teneantur pariter, & obligati sint, qui ad solutionem, & contributionem Subsidii, & primæ Decimæ *Excusati* nuncupat. in eisdem Regnis, & Provinciis Coronæ Aragoniæ tenentur, & illa solvunt, tenore præsentium decernimus, similiter, & declaramus; Tibique ad omnimodam præfatarum Alexandri Prædecessoris literarum cum omnibus, & singulis facultatibus, & indultis ibi expressis executionem, juxta tamen decreti, & declarationis in præsentibus literis expressorum tenorem, & servata alias in iis quæ præsentibus non contrariantur, eorumdem Alexandri Prædecessoris literarum forma procedendi, apostolica auctoritate earumdem tenore præsentium plenam, liberam, & amplam facultatem, & auctoritatem concedimus, & impartimur.

Quam contributionem solvi mandat Pontifex ut in rubrica.

Contraria tollit.

§.4. Non obstantibus præfatis Alexandri Prædecessoris literis, necnon omnibus, & singulis illis, quæ in eisdem literis concessa sunt, non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 3. Julii 1669. An.III.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 3. Julii 1669. Pontificatus nostri Anno III.

CXIV.

Erectio Congregationis Indulgentiis, & sacris reliquiis præpositæ.

CLEMENS PAPA NONUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

IN ipsis Pontificatus nostri primordiis, cum multas Venerabilium fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Congregationes ad certarum rerum, & negotiorum in amplissimum Romanæ Curiæ alveum ex omnibus Mundi partibus assidue confluentium tractationem, atque determinationem a felic. record. Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris, ad Ecclesiæ Catholicæ, ac Ditionis temporalis ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ utilitatem prudenti, salubrique consilio institutas reperissemus, quæ incumbentem Nobis ingentem curarum molem pro sua quæque parte sublevarent; nullam tamen adhuc erectam videremus, quæ sacri Indulgentiarum thesauri curæ, & dispensationi, sacrarumque reliquiarum recognitioni, disquisitioni peculiariter incumberet,

Erectio de qua in rub.

§.1. Nos eumdem inæstimabilem thesaurum fideli dispensatione erogare, & omnia quæ sacras reliquias hujusmodi contingunt, recte, atque ordine disponere cupientes, nonnullos ex memoratis Cardinalibus, ac aliquos Curiæ prædictæ Prælatos, aliosque viros religione, pietate, doctrina, & rerum usu eximie præditos selegimus, quorum consilio, opera, & industria tam gravem muneris nostri partem ad Omnipotentis Dei gloriam, Ecclesiæ honorem, ac spiritualem Christifidelium ædificationem facilius implere valeremus. Hi vero subinde, prout rerum, & negotiorum momenta postulabant, insimul convenientes, commissam sibi a Nobis Provinciam recte, & fructuose, atque ex animi nostri sententia hactenus administrarunt. Quapropter sperantes in Domino non minus utiliter in futurum quoque desudaturam esse eorum industriam, ac salubris consilii, quod auctore Deo suscepimus fructum, eodem adjuvante, atque incrementum dante, perennare desiderantes.

§.2. Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine Congregationem ejusdem S. R. E. Cardinalium, ac Prælatorum, & aliorum virorum prædictorum a Nobis, ut præfertur, electorum, & deputatorum, ac in futurum tam a Nobis, quam a Successoribus nostris Romanis Pontificibus eligendorum, & deputandorum, cum facultate omnem difficultatem, ac dubietatem in sanctorum reliquiis, aut indulgentiis emergentem, quæ ad fidei dogma non pertineat (Nobis tamen, & Romano Pontifice pro tempore existente circa graviora, difficilioraque consultis) expediendi: Ac, si qui abusus in eis irrepserint, illos, judicii forma plane postposita, corrigendi, & emendandi; causas vero judicialem formam requirentes ad proprios Judices remittendi: Falsas, apocryphas, indiscretasque Indulgentias

gentias typis imprimi vetandi, impressas recognoscendi, & examinandi, ac ubi nobis, seu Romano Pontifici pro tempore existenti retulerit, nostra, seu illius auctoritate reiiciendi: Reliquias de novo inventas, quas rec. mem. Innocentius III. Prædecessor noster in Generali Concilio Lateranensi publica veneratione coli, nisi prius auctoritate Romani Pontificis approbatas, prohibuit, recognoscendi quoque, & examinandi; ac in concedendis Indulgentiis, Sanctorumque reliquiis donandis moderationem adhiberi, omniaque pie, sancte, & incorrupte fieri curandi tenore præsentium perpetuo erigimus, & instituimus.

Clausulæ præservativæ.

§.3. Decernentes eaidem præsentes literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, nec de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aliove quolibet, etiam substantiali, & formali, ac incogitato, & inexcogitabili, necessariamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos juris reduci ullo modo unquam posse.

Clausula sublata.

§.4. Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. prædictæ Cardinales, etiam de latere Legatos, & alios quoslibet, quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublatis eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum

§.5. Non obstantibus quatenus opus sit, nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula de jure quæsito non tollendo, aliisque Apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, & synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon quibusvis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis quibusvis personis, & locis, ac sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie, seu alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, confirmatis, & pluries innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata exprimerentur, & insererentur, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§.6. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, & extra habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 6. Julii 1669. An. III.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 6. Julii 1669. Pontificatus nostri Anno III.

CXV.

Concessio Indulgentiæ Plenariæ Christifidelibus Italiæ, & Insularum adjacentium divinam opem implorantibus pro liberatione Civitatis Candiæ, & Regni Cretæ ab oppressione Turcarum.

CLEMENS PAPA NONUS

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

QUod jam pluries indictis publice precibus, a Domino exercituum humili devotoque cordis affectu poposcimus, ut Civitatem Candiæ Regni Cretæ Metropolim diutina, vehementiq; impiorum Christiani nominis hostium Turcarum obsidione pressam liberare dignaretur, id nunc præcipue, cum iidem Turcæ Christiani exercitus adventum antevertere satagentes, Civitatem prædictam efferatiori quam unquam rabie expugnare moliuntur, ferventiori spiritus ardore, majorique animi contentione faciendum censemus, ut Clementissimus Dominus noster, in cujus manu est liberare in multis, & in paucis, Turcas prædictos in multitudine contumaci, & superbia nil nisi cædes, & excidia spirantes conterat, & disperdat potentia virtutis suæ, ac fortissimis Christi pugilibus gloriosa pro ejus honore, Sanctæque ejus Ecclesiæ defensione certamina alacriter subeuntibus robur, & fortitudinem, quæ de cœlo est, multiplicet, nostrosque labores, & curas, ac spem, quam in ejus ineffabili bonitate collocavimus, læta tandem victoria solari dignetur.

Concedit Indulgentias.

§.1. Nuperrime siquidem omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui aliquam ex Ecclesiis, seu Basilicis S. Joannis in Laterano, ac Principis Apostolorum, & S. Mariæ Majoris de Urbe, in quarum prima, feria 6. ac Sabbatho currentis hebdomadæ, & Dominica immediate sequenti; in reliquis vero duabus similiter feriis sextis, & Sabbathis proxime subsequentium hebdomadarum, ac Dominicis pariter immedia-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

mediate sequentibus respective Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, quemadmodum in Orationibus quadragiuta horarum fieri consuevit, publice veneration exponi mandavimus, devote visitaverint, ac aliquo ex dictis Sabbathis jejunaverint, & vere pœnitentes, ac confessi, idem Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum Dominica subsequenti Sabbathum hujusmodi sumpserint, ibique ante Sanctissimum Sacramentum prædictum publice veneration, ut præfertur, expositum per aliquod temporis spatium, prout unicuique suggeret devotio, pias ad Deum preces effuderint, ut copias Christianas suo divino auxilio ad defensionem, & totalem liberationem Civitatis Candiæ, & Regni Cretæ prædictorum ab oppressione Turcarum fovere, & protegere dignetur, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concessimus.

Eadem per totam Italiam largitur.

§.2. Nunc autem divinam opem similibus pietatis operibus in universa quoque Italia, & Insulis adjacentibus implorari cupientes: Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, aliisque Ecclesiarum Prælatis, & Ordinariis Civitatum, & Diœcesum, Oppidorum, Terrarum, & locorum universæ Italiæ, & Insularum adjacentium hujusmodi, seu eorum Vicariis in spiritualibus generalibus præsentium serie committimus, & mandamus, ut statim, atque ipsarum præsentium literarum transumpta, seu exempla, etiam impressa, ad eos pervenerint, in aliquibus suarum respective Civitatum, & Diœcesum, Oppidorum, Terrarum, & Locorum Ecclesiis per eos designandis memoratum Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum feriis sextis, ac Sabbathis, & Dominicis trium continuarum hebdomadarum publicæ pariter fidelium venerationi exponi curent: Nos enim de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui aliquam ex Ecclesiis hujusmodi eo tempore, quo idem Sanctissimum Sacramentum publicæ veneration ibidem sic expositum fuerit, devote visitaverint, ac aliquo ex iisdem Sabbathis pariter jejunaverint, & vere pœnitentes, ac confessi, die Dominica immediate sequenti Sabbathum hujusmodi Sacra Communione refecti fuerint, ac in eisdem Ecclesiis ante prædictum Sanctissimum Sacramentum per aliquod temporis spatium, prout unicuique suggeret devotio, pias ad Deum preces effundendo divinam opem pariformiter invocaverint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem similiter concedimus, & elargimur. Regularibus vero utriusque sexus in clausura viventibus, qui pariter uno ex dictis Sabbathis jejunaverint, eorumque respective Ecclesias in aliquo ex memoratis diebus visitaverint, ac vere pœnitentes, & confessi, sacraque communione in aliqua ex Dominicis hujusmodi refecti, Deum ut supra oraverint, ut eamdem Plenariam Indulgentiam, & peccatorum remissionem consequantur, indulgemus.

§.4. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, & extra habeatur, quæ præsentibus ipsis haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Fides Transumptis adhibenda.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 17. Julii 1669. Pont. nostri Anno III. Dat. die 17. Jul. 1669. An. III.

CXVI.

Commissio Archiepiscopo Mediolanen. procedendi contra Expulsores Inquisitoris Januen., eorumque complices cum facultatibus opportunis. Ex Regest. in Secret. Brev.

Dilecto filio nostro Alphonso Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbytero Cardinali Littæ nuncupato Ecclesiæ Mediolanen. ex concessione, & dispensatione Apostolica Præsuli.

CLEMENS PAPA NONUS

Dilecte fili noster salutem, & Apostolicam benedictionem.

Expositio.

§.1. EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Petrus Serista Sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis Procurator Fiscalis, quod cum dilect. fil. Sacerdos Michael Pius Passus Frater expresse profess. Ordinis Prædicatorum in Civitate, & Dominio Reipublicæ Genuæ contra hæreticam pravitatem Inquisitor, & Deputatus Apostolicus nuper vi, & armata manu ab Civitate, & toto Dominio Reipublicæ per ejusdem Magistratus, & milites, propriæ salutis immemores, non sine maximo Populi scandalo expulsus fuerit: Idem Petrus quo injuriæ, & offensiones hujusmodi quantocitius, ut par est, reparari possint, super reparatione hujusmodi, necnon plena reintegratione, & libero exercitio ejusdem Inquisitoris Officii contra omnes delinquentes summarie agere intendit. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut de opportuno justitiæ remedio in præmissis providere de benignitate Apostolica dignaremur.

Committit Archiepiscopo processus contra delinquentes prout in rubrica.

§.2. Nos igitur justitiam unicuique ministrari, ac delicta hujusmodi minime impunita remanere volentes, necnon causæ, seu causarum infrascriptarum statum, & merita, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, dictumque Petrum a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat

taxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, circumspectioni tuæ per præsentes committimus, & mandamus, quatenus vocatis, qui fuerint vocandi, causam, & causas in terminis, in quibus reperiuntur, quam, & quas prædictus Petrus de, & super præmissis contra omnes, & singulos delinquentes, ac quoscumque alios etiam Magistratum, Consiliarios, Gubernatores, Ducem, & Rempublicam ipsam qui mandatum, auxilium, consilium, favorem, seu ratihabitionem desuper præstiterunt expulsioni dicti Inquisitoris, & quoquo modo dictæ expulsionis complices fuerunt prosequi, & movere intendit, cum omnibus suis incidentibus, dependen., emergen., annexis, & connexis, totoque negocio principali summarie, simpliciter, & de plano, & sine strepitu, & figura judicii, omnique, et quacumque appellatione, reclamatione, recursu, & restitutione in integrum remotis, auctoritate nostra Apostolica prosequaris, audias, cognoscas, simulque, & semel, & unica, vel pluribus sententiis si ita tibi videbitur, prout juris fuerit, decidas, finemque debito termines, ac deinde sententiam hujusmodi exequaris, seu debitæ executioni demandari cures, cum potestate subdelegandi in omnibus, & singulis præmissis, & aliis infra dicendis, & omnibus contentis in præsentibus literis unum, vel plures, prout tibi videbitur: Nos enim Tibi citandi dictos delinquentes, omnesque alios, quos opus fuerit, etiam per Edictum publicum constito etiam summarie de non tuto accessu, illisque, & quibus tibi videbitur sub sententiis, censuris, & pœnis inhibendi: Contradictores in illas, servata forma Concilii Tridentini incidisse declarandi, aggravandi, reaggravandi, & interdicendi, auxiliumque brachii secularis ad hoc si opus fuerit, invocandi, ac attentata, & innovata quæcumque, prout de jure, in primis, & ante omnia revocandi, necnon delinquentes, & alios supradictos, quatenus opus sit, debitis pœnis afficiendi, & puniendi, aliaque omnia, & singula in præmissis, & circa ea quomodolibet necessaria, et opportuna faciendi, dicendi, gerendi, exercendi, et exequendi, plenam, et amplam facultatem dicta auctoritate, earumdem tenore præsentium tribuimus, et impartimur.

Derogatio contrariorum

§.3. Non obstantibus fel. recod. Bonifacii Papæ VIII. Prædecessoris nostri de una, et Concilii Generalis de duabus dietis, aliisque Apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus Constitutionibus, et Ordinationibus, necnon quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Aut si aliquibus communiter vel divisim ab Apostolica sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per Literas Apostolicas non facientes plenam, et expressam, ac de verbo ad verbum de Indulto hujusmodi mentionem. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores, præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. M. M. sub Annulo Piscat., die 19. Julii 1669. Pont. nostri Anno III. Dat. die 19. Jul. 1669. An. III.

CXVII.

Suspensio juris conferendi Beneficia in Civitate, Patria, et Diœcesi Leodien. sita in aliquibus mensibus per obitum vacantia, Universitati Lovanien., illiusque Facultati Artium a Sede Apostolica concessi. Ex Regest. in Secret. Brev.

CLEMENS PAPA NONUS

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

§.1. ROmanus Pontifex æqui, bonique assertor, atque gratiarum dispensator in Terris a Domino constitutus, personas quidem literarum Studiis ad Dei gloriam, Ecclesiæque honorem, et præsidium, præsertim in Universitatibus Studiorum Generalium a Sede Apostolica institutis, laudabiliter incumbentes, privilegiis, et gratiis benigno, liberalique animo decorare, atque fovere studet; summam tamen justitiæ rationem habens, si quando personas sic privilegiatas, privilegiorum, atque gratiarum hujusmodi prætextu, a Juris, atque Justitiæ, & æquitatis orbita deflectere, nec paternis licet, crebrisque ad hortationibus clementer admonitas, in viam reversi conspicit, eas canonicæ animadversionis remedio ad debitæ observantiæ, devotionis, & obedientiæ tramitem revocare satagit, sicut omnibus mature considerationis trutina perpensis, rationi consentaneum esse in Domino arbitramur.

Motiva.

§.2. Ad nostri siquidem Apostolatus notitiam pervenit, quod dilecti filii Rectores, ac Magistri, Rectores, & Scholares, necnon Decani, seu Vice-Decani facultatis Artium, ac Conservatores privilegiorum Universitatis Studii Generalis Oppidi Lovanien. olim Leodien. nunc Mechlinien. Diœces. a felic. recordat. Martino PP. V. Prædecessore nostro erectæ, & institutæ plurimis ab hinc annis privilegiis, facultatibus, gratiis, & indultis eidem Universitati tam a dicto Martino Prædecessore, quam a rec. mem. Paulo II., Sixto IV., Leone X., Adriano VI., Clemente VII., Paulo III., Pio IV., Gregorio XIII., ac Paulo V., & forsan aliis Romanis Pontificibus Præ-

Prædecessoribus pariter nostris respective concessis, & confirmatis abutuntur circa nominationes ad Beneficia Ecclesiastica in Belgicis Ditionibus consistentia, ac collationes, & provisiones ejusmodi Beneficiorum in Civitate, Patria, & Diœcesi Leodien. sitorum, necnon exercitium Jurisdictionis prædictis Conservatoribus per privilegia hujusmodi attributæ, quippe qui ad Beneficia Ecclesiastica valorem annuum centum ducatorum auri de Camera excedentia nominare, ac nominationes hujusmodi Sedibus Episcopalibus, & Archiepiscopalibus, ac Prælaturis collatorum Ordinariorum vacantibus facere, & plura Beneficia incomparibilia eisdem personis conferre, seu eas ad illa nominare, quinimo Beneficia Ecclesiastica, de quibus per coadjutorias cum futura successione ab hac Sancta Sede provisum fuerat, conferre pariter, seu ad illa nominare, aliosque similes excessus privilegiorum, facultatum, gratiarum, & indultorum prædictorum dispositioni plane contrarios committere, & Conservatores prædicti de causis non solum in quibus agitur, ab Beneficia in mensibus Apostolicis, vel Ordinariorum, an vero in illis, qui dictæ Universitati concessi sunt, vacaverint, sed etiam ubi tractatur, utrum Beneficia hujusmodi ejusdem Apostolicæ Sedis dispositioni, aliter quam ratione vacationis in mense Apostolico reservata, seu affecta sint, nec ne, cognoscere præsumpserint, tametsi nihil horum eis ex privilegiorum, facultatum, gratiarum, & indultorum hujusmodi, tenore permissum sit, sed hæc omnia nulla penitus, invalida, & attentata existant, & quod Sedis Apostolicæ dignitatem, authoritatemque magis lædit, citationes, inhibitiones, monitiones, mandata, sententias, & decreta, ac incursus excommunicationis, aliarumque censurarum declarationes, etiam aggravatorias, & reaggravatorias in eos propter excessus hujusmodi, ac ab ipsis respective provisos a Sacri Palatii Auditorio legitime emanatas, & emanata nulliter, & de facto cassare, & annullare, ac tam provisos a Sede prædicta, quam Capitula Ecclesiarum, aliasque personas Ecclesiasticas huic Sanctæ Sedi devotas, ac ipsius Sedis, ejusque delegatorum Auditorii prædicti mandatis, ut par est, obsequentes arrestis, sequestrationibus, & detentionibus fructuum, & redditum Ecclesiasticorum, aliisque modis hujusmodi perturbare, & inquietare ausi fuerint, & in præsens audeant, super quibus frequentes ad Nos, & hanc Sanctam Sedem variorum ab eadem Sede de Beneficiis Ecclesiasticis præsertim in Civitate, Patria, & Diœcesi Leodien. consistentibus provisorum quærelæ pervenerunt, Nobis humiliter supplicantium, ut in præmissis, de opportuno remedio providere, gravibusque scandalis inde nascentibus occurrere de benignitate apostolica dignaremur. Et Nos quidem cum ex debito pastoralis muneris Nobis divinitus impositi, quo populorum quieti, quantum Nobis ex alto conceditur consulere, nostraque, & dictæ Sedis jura tueri adstringimur, preces tam justas negligere, excessusque prædictos dissimulare non valeremus, pro singulari paternæ nostræ erga Universitatem prædictam, quam memorati Romani Pontifices Prædecessores nostri, ut illam, ejusque scholares, & personas ad sacrarum, aliarumque bonarum literarum studia excitarent, illorumque devotionem, & reverentiam erga hanc Sanctam Sedem foverent, tot, tantisque, & tam loculentis privilegiis, atque prærogativis decorarunt, charitatis affectu, omnes suaviores, benigniores que vias tentavimus, operamque sedulo dedimus tum paternis admonitionibus, tum personarum doctrina, & morum gravitate spectabilium, dictæque Universitati benevolarum insinuationibus, injecta quoque aliqua spe novarum gratiarum, & etiam justæ indignationis nostræ timore suaviter suggesto, ut res omnis coram dilecto filio Carolo Antonio Airoldo Abbate Ecclesiæ Sancti Abundii nostro, & dictæ Sedis in Belgicis ditionibus Internuncio in id, quod æquum est redigeretur; verum hæc omnia in cassum cecidere-runt. Hinc licet ex Sacrorum Canonum præscripto privilegia amittere meruissent, eo quod concessa sibi facultate fuerint abusi: attamen paternæ nostræ benignitatis memores, & pœnitentiæ locum relinquere volentes, & mitius agendo, omnium, & singulorum privilegiorum, facultatum, gratiarum, & Indultorum prædictorum, literarumque Apostolicarum tam sub plumbo quam in simili forma Brevis a memoratis Prædecessoribus nostris desuper emanatarum tenores, & datas etiam veriores, aliaque omnia, & singula etiam specificam, & individuam mentionem, & expressionem requirentia, præsentibus pro plene, & sufficienter, ac de verbo ad verbum nihil penitus omisso insertis, & expressis, ac specificatis habentes; motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, jus, & facultatem, ac indultum conferendi Beneficia cum cura, & sine cura seculari, in titulum, clericis secularibus conferri, & per clericos seculares regi, & gubernari solita in Civitate, Patria, & Diœcesi Leodien. consistentia, & pro tempore per obitum dumtaxat, in certis tunc expressis mensibus vacantia, etiamsi Canonicatus, & Præben., Personatus, Administrationes, & dignitates, cujuscumque qualitatis, & valoris sint, exceptis certis itidem tunc expressis Beneficiis, a prædicto Paulo V. Prædecessore per suas sub plumbo Kalendis Decembris Anno Incarnationis Dominicæ 1614. desuper expeditas literas Decano, seu Vice-Decano prædictæ facultatis artium sub certis modo, & forma tunc expressis, loco juris, seu facultatis nominandi, quod seu, quam idem Paulus Prædecessor per dictas literas perpetuo abrogavit, itidem perpetuo concessum, seu con-

Confirmatio privilegiorū.

cessam

cessam, tenore præsentium ad nostrum, & dictæ Sedis Apostolicæ beneplacitum suspendimus, ac suspensum, & suspensam esse, & fore decernimus, & declaramus.

Provisiones aliter factas ceteraque acta irrita Pontifex.

§. 3. Decernentes pariter quascumque collationes, & provisiones Canonicatuum, & Præbendarum, Personatuum, Administrationum, & dignitatum, aliorumque Beneficiorum Ecclesiasticorum cum cura, & sine cura in Civitate, Patria, & Diœcesi Leodien. consistentium prædictorum pro tempore vacantium, & de illis provisorum in illorum possessionem, immissiones, ac etiam nominationes ad eadem Beneficia, prætextu abrogati, ut præfertur, juris nominandi, si quas suspensione hujusmodi durante forsan a pro tempore existente Decano, seu Vice-Decano dictæ facultatis Artium etiam de consensu Receptoris, & Procuratorum quatuor Nationum ejusdem facultatis, seu majoris partis eorum, aut alias quomodolibet, seu ab aliis quibusvis personis dictæ Universitatis, tam conjunctim, quam divisim, & alias quomodocumque, & qualitercumque fieri contigerit, nullas prorsus, ac irritas, inanes, & invalidas, nulliusque roboris, & momenti, ac viribus, & effectu penitus, & omnino vacuas fore, nec cuiquam titulum etiam coloratum, aut possidendi, vel detinendi causam ullatenus tribuere; citationes quoque, monitiones, mandata, decreta, processus, sententias, censurarum fulminationes, auxilii brachii secularis invocationes, & acta judicialia, & extrajudicialia quæcumque, si quæ a Conservatoribus prædictis, vel aliis Judicibus quibuscumque, seu eorum aliquo ad instantiam eorum, quibus Beneficia hujusmodi, suspensione prædicta durante, de facto collata essent, seu alias quomodolibet pro tuendis, seu ad effectum deducendis hujusmodi collationibus, seu provisionibus fieri, mandari, decerni, relaxari, ferri, vel pronunciari contingat, cum omnibus, & singulis inde forsan quomodolibet secuturis nulla pariter, & invalida, irrita, inania, de facto præsumpta, ac prorsus attentata, & vitiola fore, neminemque prorsus arctare, vel afficere, sed nullatenus attendenda fore, & esse; Collationem vero omnium, & singulorum Beneficiorum in Civitate, Patria, & Diœcesi Leodien. prædictis consistentium hujusmodi, quæ in mensibus memoratæ Universitati, seu facultati Artium, ut præfertur, concessis durante suspensione hujusmodi vacaverint, ad Nos, & hanc Sanctam Sedem spectare, & pertinere, nec quemquam etiam vigore cujuscumque indulti a Nobis, et Sede prædicta concessi desuper quidquam prætendere, aut se intromittere posse; Præsentes autem litteras, et in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod Rector, Magistri, Doctores, aliique Graduati, et Scholares, ac Conservatores privilegiorum Universitatis prædictæ, et præsertim Decanus, seu Vice-Decanus facultatis Artium hujusmodi, ac Receptor, et Procuratores quatuor nationum ejusdem facultatis, et alii quilibet quacumque Ecclesiastica, vel mundana dignitate, vel potestate præditi, et fungentes, cujusvis status, gradus, ordinis, præeminentiæ, conditionis, et qualitatis existant, aut alias specifica, et individua mentione, et expressione digni, in præmissis, seu eorum aliquo jus, vel interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, et auditi, neque causæ propter quas præsentes emanarint sufficienter deductæ, verificatæ, et justificatæ fuerint, aut ex alia quacumque quantumvis legitima, et juridica, ac pia, et privilegiata causa, colore, prætextu, et capite, etiam in corpore juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, et totalis læsionis nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium, seu habere prætendentium consensus, aliove quolibet etiam quantumvis magno, formali, substantiali, ac incogitato, et inexcogitabili defectu notari, impugnari, infringi, retractari, limitari, ad viam, seu terminos juris, aut privilegiorum dictæ Universitati, ejusque facultati Artium quomodolibet concessorum reduci, aut in controversiam vocari, seu adversus ipsas præsentes literas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, seu intentari, aut impetrato, vel etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus concesso, vel emanato quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse, sed easdem præsentes literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac ab illis ad quos quovis modo spectat, et spectabit in futurum in omnibus, et per omnia inviolabiliter, et inconcusse observari; Sicque, et non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, dictæque Universitatis privilegiorum Conservatores, ac S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, et Apostolicæ Sedis prædictæ Nuncios, et Internuncios, aliosq. quoslibet quacumque præeminentia, et potestate fungentes, et functuros, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate in quacumque causa, et instantia judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, quidquid secus super his quacumque auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausulæ præservativæ.

Et Vacationes durante suspensione datas ad S. Sedem pertinere decernit.

Clausula sublata.

§. 4. Quocirca Ven. Fratri Augustino Archiepiscopo Trapezuntin. moderno, et pro tempore existenti, nostro, et d. Sedis ad tractum Rheni, et partes inferioris Germaniæ Nuncio per præsentes motu pari committimus, et mandamus, quatenus ipse tanquam ad hæc specialiter delegatus cum facultate subdelegandi, per se, vel alium, seu alios ubi, et quando opus fuerit, et quotiescumque pro parte interesse in præmissis habentium, seu alicujus eorum desuper fuerit

Exequutores deputati.

rit requisitus, eaſdem præſentes literas, et in eis contenta quæcumque ſolemniter publicans, illiſque efficacis defenſionis præſidio aſſiſtens, faciat auctoritate noſtra ipſas præſentes literas, et in eis contenta hujuſmodi per Rectorem, Magiſtros, Doctores, alioſque Graduatos, Scholares, Decanum, et Vice Decanum facultatis Artium, Receptorem, et Procuratorem Nationum Univerſitatis prædictæ, alioſve quoslibet in omnibus, et per omnia inviolabiliter, et illibate obſervari, non permittens quemquam contra ipſarum literarum diſpoſitionem quomodolibet indebite moleſtari, perturbari, vel inquietari; Contradictores quoslibet, & rebelles per ſententias, cenſuras, & pœnas eccleſiaſticas, aliaque opportuna, & facti remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo, legitimiſq. ſuper his habendis, ſervatis proceſſibus, cenſuras ipſas aggravando, & reaggravando interdictum eccleſiaſticum apponendo, invocato etiam quatenus opus fuerit auxilio brachii ſecularis.

Contrarii derogat.

§. 5. Non obſtantibus piæ mem. Bonifacii PP. VIII. Prædeceſſoris pariter noſtri de una, & in Concilio Generali edita de duabus dietis, ac de jure quæſito non tollendo, aliiſque noſtris, & Cancellariæ Apoſt. regulis, cæteriſque Apoſtolicis, ac in univerſalibus, provincialibuſque, & ſynodalibus Conciliis editis generalibus, Conſtitutionibus, & Ordinationibus, necnon quatenus opus ſit, Univerſitatis Lovanien., & facultatis Artium hujuſmodi, aliiſve quibuſvis, etiam juramento, confirmatione apoſtolica, & quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, etiam immemorabilibus, ac Rom. Curiæ, aliiſve quibuslibet ſtylis, & uſibus, etiam quantumvis antiquis, & inveteratis, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſt. Univerſitati Lovanien., ejuſque facultati artium hujuſmodi, ac earum reſpective Rectoribus, Magiſtris, Doctoribus, Graduatis, Scholaribus, Decanis, Vice-Decanis, Receptoribus, Procuratoribus Nationum, facultatibus, Conſervatoribus privilegiorum, ac ſuppoſitis, & perſonis quibuslibet, aliiſve quibuſvis quomodolibet nuncupat., et qualificatis per memoratos Martinum V., Eugenium IV., Paulum II., Sixtum IV., Alexandrum VI., Leonem X., Adrianum VI., Clement. VII., Paulum III., Pium IV., Gregorium XIII., & Paulum V., alioſque forſan Rom. Pont. Præd. noſtros, et Sedem prædictam, etiam motu, ſcientia, et poteſtatis plenitudine paribus, ſeu etiam ad Imperatorum, Regum, Reginarum, Archiducum, Ducum, et aliorum Principum, necnon S.R.E. Cardd., Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, aliorumque quorumlibet quavis eccleſiaſtica, vel mundana dignitate, præcellentia, et poteſtate fulgentium inſtantiam, ſeu eorum interceſſione, vel contemplatione ſub quibuſvis verborum formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, mentis atteſtativis, reſtitutivis, poſteriorem datam eligendi facultatem, quam nemini contra præſentes literas ſuffragari volumus continentibus, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis, et inſolitis clauſulis, et decretis, etiam irritantibus in genere, vel in ſpecie, ſeu aliis quomodolibet in contrarium præmiſſorum conceſſis, ac etiam pluries, et quantiſcumque vicibus confirmatis, approbatis, iteratis, & innovatis, etiamſi in eiſdem literis inter alia caveatur expreſſe, quod illis per quaſcumque apoſtolicas etiam in forma Brevis, et ſub nomine Cam. Apoſt. pro tempore expeditas, ſeu dictæ Sedis, ejuſque Legatorum, aut Nuncior. literis, etiam quaslibet generales, vel ſpeciales, etiã derogatoriarum derogatorias, aliaſque efficaciores, et inſolitas clauſulas, necnon irritantia, et alia decreta in ſe continentes, et ſub quibuſvis verborum formis, et expreſſionibus conceptas derogari nullatenus poſſit, nec derogatum cenſeatur, niſi earumdem literarum tenor de verbo ad verbum nihil penitus omiſſo inſertus, ac urgens, et ſufficiens cauſa expreſſa, et per trinas diſtinctas literas illarum tenorem continentes tribus diſtinctis vicibus cum trium menſium intervallo prædictæ Univerſitati legitime intimata, et inſinuata, ac derogationes ipſæ motu, et ſcientia ſimilibus factæ fuerint, appareatque Rom. Pont. illis expreſſe derogare voluiſſe, et aliter pro tempore facta derogationes nullius roboris, vel momenti ſint, et nemini ſuffragentur, ac pro inſectis, et non conceſſis haberi debeant, quodque Rector, Doctores, Magiſtri, Scholares, cæterique legentes d. Univerſitatis, ſeu aliæ illius perſonæ quæcumque, vigore quarumcumque literarum a Sede prædicta, ſeu illius Legatis. Delegatis, et Subdelegatis, aut alias quomodolibet emanatarum, et conceſſarum in quibuſvis eorum cauſis civilibus, criminalibus, et mixtis extra muros d. Oppidi Lovanien. in prima inſtantia trahi, citari, vel conveniri, aut alias ad judicium evocari non poſſint, dummodo coram aliquo ex Conſervatoribus prædictis in d. Oppido parati ſint quibuſcumque poſcentibus de inſtantia reſpondere; Sed ipſi Rector, Doctores, Magiſtri, et Scholares adverſarios ſuos, dũmodo Sedis prædictæ Officiales, aut in Rom. Curia præſentes non ſint, coram aliquo ex iiſdem Conſervatoribus trahere, convenire, et ad judicium evocari facere in prima inſtantia, ut præfertur, libere, et licite valeant. Quibus omnibus, et ſingulis etiamſi in eis alia quæcumque etiam de neceſſitate ſpecifice exprimenda contineantur, et pro illorũ ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, et individua, ac de verbo ad verbum non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut quæcumque alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illorum omnium, et ſingulorum tenores, formas, occaſiones, et cauſas etiam quantumvis prægnantes, pias, et privilegiatas, præſentibus pro plene, et ſufficienter, ac de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo inſertis, et expreſſis, ac exactiſſime adductis, et accuratiſſime ſervatis, et ſpecificatis reſpective habentes, illis alias in ſuo robore

bore permanſuris, ad premiſſorum effectum motu, ſcientia, et poteſtatis plenitudine paribus derogamus, Noſque ex urgenti, et ſufficienti cauſa derogare, et derogatum velle declaramus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Tranſumptorum fides.

§. 6. Volumus autem, ut earumdem præſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, et ſigillo perſonæ in eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in judicio, et extra illud, ubique habeatur, quæ haberetur ipſis præſentibus ſi originaliter exhibita forent, et oſtenſæ. Utque ipſæ præſentes literæ, ſeu earum tranſumpta, ſive exempla hujuſmodi ad valvas Cathedralis Leodien., ac Tongrenſis, et S. Trudonis Oppidorum Leodien. Diœceſis Collegiatarum Eccleſiarum publicentur, et affigantur, ſicque publicatæ, et affixæ Rectorem, Magiſtros, Doctores, Scholares, Decanum, Vice-Decanum, Conſervatores, et alios præfatos, cæteroſque quos quomodolibet concernunt perinde afficiant, et arctent, acſi illorum cuilibet perſonaliter notificatæ, et intimatæ fuiſſent.

Dat. die 13. Sept. 1669. An. III.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, die 13. Sept. 1669. Pontificatus noſtri Anno III.

CXVIII.

Ex Regeſt. in Secret. Brev.

Diverſæ facultates, & ordinationes circa exercitium muneris, ac dependentiam Miſſionariorum Regularium cujuſvis Ordinis, etiam Societatis Jeſu, a Vicariis Apoſtolicis apud Sinas.

CLEMENS PAPA NONUS

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

SPeculatores Domus Iſrael, quæ eſt Sancta Dei Eccleſiæ in Terris a Domino conſtituti ad illa precipuæ charitatis, atque vigilantiæ noſtræ paſtoralis ſtudia convertimus, quæ Chriſtianæ Religionis, Catholicæque fidei propagationem concernunt; ut illis certam, atque prudentem ex ſolita hujus S. Sedis prudentia, & rectitudine normam tradamus, & ſublatis dubiis, atque controverſiis, quæ inter operarios in Vineam Domini miſſos, in eaque Sedulo laborantes enaſci, illorumque labores, & laborum fructuum turbare, vel impedire poſſent, omnia pie, ſanctèque (quantum Dominus donare dignatur) diſponere fatagamus, quo optati ſurgant benedicente Domino fructus, ac ad maturitatem perducantur, Sanctaque Mater Eccleſia uberioribus, atq; lætioribus in dies gaudeat incrementis.

Supplicatio

§. 1. Cum itaque, ſicut Venerabilis Frater Franciſcus Epiſcopus Eliopolitan., Vicarius Apoſtolicus in Regno Tunchini cum adminiſtratione Provinciarum Sinæ huic Regno adjacentium, videlicet Januam, Queicken, Hauquang, Sucenen, Quengſii, & Laos, a ſe: re: Alexandro Papa VII. Prædeceſſore noſtro conſtitutus, ac deputatus, tam ſuo, quam Venerabilis pariter Fratris Petri Epiſcopi Beryten Vicarii Apoſtolici Cochinchinæ, cum adminiſtratione infraſcriptarum Provinciarum Sinæ videlicet Cechiang., Forchien., Quantimg., Chiemſii Inſulæ Haynaum, & aliarum Inſularum, atque etiam Epiſcopi Metellopolitan. conſecrati, aut mox conſecrandi, Vicarii Apoſtolici Nanchini, Sinar: cum adminiſtratione Provinciarum Pechuin, Kianſii, Kantinzg, Honau, Kenſii, Coreæ, & Tartariæ ab eodem Alexandro Prædeceſſore pariter conſtitutorum cum extenſione adminiſtrationis dicti Epiſcopi Metellopolitan. ad Civitatem Juthiæ, totumque Siami Regnum a Nobis nuper facta, nominibus Nobis exponi fecit, in dictis Regnis, & Provinciis reperiantur diverſorum Ordinum Religioſi tam a ſuis reſpective Superioribus Generalibus, quam a Congregatione Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandæ Fidei præpoſitorum deſtinati, qui Miſſionibus ibidem ſub directione ſuorum reſpective Præpoſitorum, aut Præfectorum operam navant: eorumque nonnulli, ut neceſſarios operarios multiplicarent, aliquos ex ferventioribus Neophytis, Catechiſtas, effecerint, illaſq; ſibi, ſuæque directioni quibuſdam votis adſtrinxerint: prædicti vero Epiſcopi Vicarii Apoſtolici humiliter a Nobis poſtulaverint, ut auctoritate Nobis a Domino tradita decernere, atque declarare dignaremur: Primo an aliqua ſit inter Vicarios Apoſtolicos, & Regulares prædictos ſubordinatio, & in quibus hi ab illis dependere debeant? Secundo an Catechiſtæ per vota Regularibus facta eximantur a juriſdictione eorumdem Vicariorum Apoſtolicorum, Nos attendentes eo potiſſimum fine in Sinam, Tunchinum, Cochinchinam, Siamum, & alia vicina Regna miſſos ibique conſtitutos eſſe Epiſcopos Vicarios Apoſtolicos, ut ex Chriſtianis indigenis, ſeu Incolis illarum partium inſtituerentur Clerici, et Sacerdotes, ac creſcente fide, fideliumque numero diſciplinæ eccleſiaſticæ uſus paulatim introduceretur, conſiderantelque ex independentia plurimorum operariorum in iiſdem locis, præcipue cum ab hac Sancta Sede valde ſint remota, oriri facile poſſe diſſenſiones, rixas, diviſiones, et ſchiſmata in Chriſtianæ Religionis detrimentum, atque pernicium eruptura, niſi illis mature occurratur: de memoratorum Cardinalium conſilio, auctoritate apoſtolica tenore præſentium decernimus, ſtatuimus, et ordinamus, quod prædicti Epiſcopi Vicarii Apoſtolici ab omnibus, et ſingulis Religioſis cujuslibet Ordinis, Congregationis, et Inſtituti, etiam Societatis Jeſu in prædicta Regna, et Provincias, ſive a ſuis Succeſſoribus miſſi ſint, ſive a Nobis, aut Congregatione eorumdem Cardinalium ſpecialiter deputati exigere poſſint, et debeant, ut ſuas Patentes, ſeu alias quaſcumque eorum Miſſionis, Deſtinationis, Conſtitutionis, et deputationis, literas

Miſſionarii in quibus Vicariis Apoſtolicis ſint ſubordinati.

teras exhibeant, illíque, qui illas exhibere recuſaverint, tanquam Sedis Apoſtolicæ Delegati prohibere, ne facultates ſibi per literas hujuſmodi conceſſas exerceant; Ipſique Regulares licentiam exercendi ſuas facultates petere teneantur ab iiſdem Epiſcopis Vicariis Apoſtolicis, quam iſti denegare non debeant, niſi in caſu gravis cauſæ dictæ Congregationi Cardinalium communicandæ. Porro dicti Regulares in defectu Sacerdotum ſecularium non ſolum titulo charitatis, ſed etiam juſtitiæ, curam animarum teneantur exercere, et quatenus id facere recuſent, a Vicariis Apoſtolicis ad tale munus obeundum cogi poſſint. Quotieſcumque vero Regulares ſub titulo Miſſionariorum curam animarum exercebunt, ſubditi ſint quo ad functiones parochiales viſitationi, et correctioni Vicariorum Apoſtolicorum, aut Provicariorum eorumdem juxta Conſtitutionem rec. mem. Gregorii PP. XV. Prædeceſſoris pariter noſtri, quæ incipit: *Inſcrutabili Dei providentia, &c.* Anno Incarnationis Dominicæ 1622. Nonis Februarii editam, nec ſine licentia eorumdem Vicariorum Apoſtolicorum, & multo minus contra eorum voluntatem liceat Regularibus ædificare, & aperire Eccleſias, in locis, ubi ipſi, vel alii Miſſionarii alterius Ordinis, ſeu Presbyteri ſeculares ſimiliter Miſſionarii Eccleſias habent, ubi vero apertæ non ſint, poſſint ad formam privilegiorum, & facultatum ipſis conceſſarum.

Quæ ſint Miſſionariorum, faculiates, & qua Vicariorum Apoſt.

§.2. Cum autem præmultitudine Neophytorum in una Provincia, aut Civitate, vel provincia earum amplitudine unus, aut alter, qui eis præſunt Miſſionarii non ſufficiunt, aliique ſuppetunt Sacerdotes ſeculares, aut Religioſi, licet alterius Ordinis, quorum tamen ſubſidium, nec illi quærunt, nec oblatum recipiunt: tunc habito dumtaxat reſpectu ad Chriſtianorum neceſſitatem poſſint, & debeant, Vicarii Apoſtolici prædicti operarios multiplicare, Parochias dividere, aliaque ejuſmodi facere juxta præſcripta a Sacris Canonibus, & Concilii Tridentini Decretis. Poſſint quoque iidem Vicarii Apoſtolici exigere a Regularibus rationem executionis piarum voluntatum quatenus ad illas exequendas illi deputentur. Præterea juxta Conſtitutionem rec. mem. Urbani PP. VIII. Prædeceſſoris pariter noſtri, quæ incipit — *Exdebito paſtoralis officii &c.* ſi forte aliquæ controverſiæ inter Religioſos dictarum partium (quod Deus avertat) oriantur, memorati Vicarii Apoſtolici tanquam Sedis Apoſtolicæ delegati, illas decidere, & terminare poſſint, & debeant. Si vero graviora quædam negocia occurrerint, ea ad Nos, & Romanos Pontifices Succeſſores noſtros, quantocitius ab iiſdem Vicariis Apoſtolicis referantur, ut quod in illis ſtatuendum fuerit matura conſultatione adhibita decernatur. Ad hæc quo ad vota catechyſtarum ſtatuimus pariter, & ordinamus, votum obedientiæ quo nonnulli Regulares eos obſtringunt eiſdem non impedire ſui officii exercitium, ſub directione dictorum Vicariorum Apoſtolicorum, eorumque Provicariorum, nec iſtud impediri poſſe a Regularibus tanquam eis vigore dicti Voti catechyſtæ omnimode ſubditi ſint; Quinimo votum hujuſmodi in hac circumſtantia nullum eſſe declaramus. Volentes ab iiſdem Vicariis Apoſtolicis poſſe dictos catechyſtas compelli, ut ſub eorum directione, & dependentia ſua munia exerceant: Et quatenus Regulares de facto adſtringerent Catechiſtas ad ſimilia Vota, & alias obligationes, quibus a Vicariis Apoſtolicis independentes remanerent, poſſe eoſdem Vicarios Apoſtolicos publica ſignificatione manifeſtare Regularibus, atque his intimare ut abſtineant, ab uſu, ſeu verius abuſu Catechiſtas voto obedientiæ erga ſe ipſos privative quoad Vicarios a Sede Apoſtolica deputatos obſtringendi. Inſuper volumus, ut ad Vicarios Apoſtolicos intra fines ſuorum Vicariatuum præcipue ſpectet, maxime in concurſu Viſitationis, ea inſpicere, quæ ſpectant ad fidem, bonos mores, & adminiſtrationem Sacramentorum Baptiſmi, Matrimonii, & aliorum ad cultum Divinum, ad preces publicas, ad Imaginum, Reliquiarumque cultum, competat quoque dictis Vicariis Apoſtolicis facultas ſuper novis Miraculis, & Martyribus, proceſſum inſtituendi, et ad memoratam Cardinalium Congregationem tranſmittendi, nec non circa obſervationem Feſtorum, Rituumque Eccleſiaſticorum ſtatuendi quæcumque opportuniora videbuntur, ſecundum Decreta Romanorum Pontificum, locorumque circumſtantias. Ac ad eoſdem Vicarios Apoſtolicos etiam ſpectet verificare, et publicare quaſcumque Literas Apoſtolicas, Conſtitutiones, et reſcripta Romanorum Pontificum, quæ locorum Ordinariis dirigi ſolent, Jubilæa quoque, Indulgentias, Sacrarumque Congregationum Ordinationes. Porrò unicuique memoratorum Epiſcoporum Vicariorum Apoſtolicorum ſex Notarios Apoſtolicos creandi, et inſtituendi facultatem dicta auctoritate harum ſerie tribuimus, et impertimur. Cæterum has omnes facultates dictis Vicariis Apoſtolicis ita elargimur, et concedimus, ut extra eorum limites excurrere ipſis nullo modo liceat, quod quidem omnino vetamus, et prohibemus: ſalva ſemper in præmiſſis auctoritate præfatæ Congreg. Cardinalium negotiis Propagandæ Fidei præpoſitorum.

Pœnæ contra inobedientes.

§.3. Mandantes propterea in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub indignationis noſtræ, aliiſque noſtro, ſeu dictæ Cardinalium Congregationis arbitrio imponendis pœnis omnibus, et ſingulis Regularibus prædictis, aliiſve quibuslibet ad quos ſpectat, et pro tempore quovis modo ſpectabit, ut omnia, et ſingula præmiſſa exacte inviolabiliter, et inconcuſſe obſervent, et adimpleant.

Decretum ſtabilitatis.

§.4. Ac decernentes eaſdem præſentes literas firmas, validas, et efficaces exiſtere, & fo-

et fore, ſuoſque plenarios, et integros effectus fortiri, et obtinere, ac memoratis Vicariis Apoſtolicis in omnibus, et per omnia pleniſſime ſuffragari; Sicque in præmiſſis per quoſcumque Judices ordinarios, et delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§.5. Non obſtantibus Apoſtolicis, ac in univerſalibus, provincialibuſque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, necnon quatenus opus ſit quorumvis Ordinum, Congregationum, Societatum, etiam Jeſu, & Inſtitutorum, ac Eccleſiarum, Monaſteriorum, Provinciarum, Conventuum, Domorum, Collegiorum, & locorum Regularium quorum cumque, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apoſtolicis quibuſvis Ordinibus, Congregationibus Societatibus, etiam Jeſu, & Inſtitutis, ac Eccleſiis, Monaſteriis, Provinciis, Conventibus, Domibus, Collegiis, & locis Regularibus, illorumque Superioribus, & perſonis quibuſcumque ſub quibuſvis verborum tenoribus, & formis, ac cum quibuſcumque, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, & decretis in genere, vel in ſpecie, etiam motu proprio, & de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ac conſiſtorialiter, & alias quomodolibet in contrarium præmiſſorum conceſſis, confirmatis, & pluries innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecialibus, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idē importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, acſi de verbo ad verbum nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata, exprimerentur, & inſererentur, præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Tranſumptorum fides.

§.6. Volumus autem, ut earumdem præſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides ubique locorum tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipſis præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Dat. die 13. Sept. 1669. Anno III.

Datum Romæ apud S. M. M. ſub Annulo Piſcatoris, die 13. Sept. 1669. Pont. noſtri Anno III.

CXIX.

Confirmatio, & extenſio decretorum Alexandri VII. & Cardinalium negotiis Propagandæ Fidei Præpoſitorum de nonnullis abuſibus Eccleſiaſticorum in Inſulis Orientalibus degentium tollendis.

CLEMENS PAPA NONUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

IN excelſa Sedis Apoſtolicæ ſpecula, meritis licet imparibus per ineffabilem Divinæ Sapientiæ, atque Bonitatis abundantiam conſtituti, vigilantiæ noſtræ oculos per univerſas Chriſtiani Orbis partes jugiter circumferimus, & ſolicitis ſtudiis providere ſatagimus, ut Divinus cultus ubique floreat, populorum devotio excitetur, & foveatur, ac omnium Chriſtifidelium, præſertim in remotiſſimis partibus degentium quieti, & animarum ſaluti opportune conſulatur. Hoc conſilio ea, quæ pro ſalubri illorum directione a Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus noſtris, eorumque juſſu pie, prudenterque decreta, atque conſtituta fuiſſe comperimus, ut firmius ſubſiſtant, & ſerventur exactius, Apoſtolici muniminis noſtri patrocinio corroboramus, ac opportune extendimus, ſicut ad Omnipotentis Dei gloriam, Eccleſiæ honorem, ſpiritualemque eorumdem Chriſtifidelium ædificationem, & conſolationem ſalubriter expedire in Domino arbitramur.

Decreta Alexandri VII. referuntur.

§.1. Dudum ſiquidem emanarunt a felic. record. Alexandro Papa VII. Prædeceſſore noſtro literæ in ſimili forma Brevis tenoris, qui ſequitur, videlicet: Alexander Papa VII. Ad futuram rei memoriam. Sacroſancti Apoſtolatus officii, quo Divina diſponente Clementia Catholicæ Eccleſiæ Regimini, meritis licet imparibus, præſidemus, ſolicitudo nos monet, ut noxia, quæcumque a Dominico Grege, quantum Nobis ex alto conceditur, removere ſtudeamus. Cum itaque ad aures noſtras devenerint querimoniæ Chriſtifidelium Goæ, atque in adjacentibus Inſulis degentium de nonnullis abuſibus Eccleſiaſticorum, eorum præcipue penes quos ipſorum Chriſtifidelium ſpirituale regimen, ac cura reſidet: Nos prædictis abuſibus, quatenus irrepſerint, quantocitius occurri, aut ſaltem præcaveri, ne illi in poſterum contingant, volentes, de nonnullorum Venerabilium Fratrum noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium ex Congregatione negotio Propagandæ Fidei præpoſita, quibus querimonias hujuſmodi diſcutiendas remiſimus, conſilio, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium ſtatuimus, præcipimus, & mandamus, ſedulo, inviolabiliter, & exacte ſervari ab omnibus, & ſingulis, ad quos ſpectat, & in poſterum ſpectabit, Decreta infraſcripta, videlicet.

Primo. Caveant Parochi, aut Eccleſiaſtici quicumque, ſive Seculares, ſive Regu-

Regulares, ne in posterum ullo pacto cogant pauperes ad operas, seu laborem impendendum pro suis Ecclesiis, non persoluta justa mercede, nisi id sponte, et ex pietate præstare voluerint: multoque minus audeant eos mulctare, qui renuerint.

Secundo. Cum iis, qui Sacro, &c. *Omittitur residuum Constitut. 185. Alex. VII. Tom. 6. Par. 4. sub dat. 18. Jan. 1658.*

Decreta Sacr. Congr. de Propagandæ Fidei.

§. 2. Et subinde Congr. tunc existentium S.R.E. Cardd. negotiis Propag. Fidei præposita alia nonnulla decreta die 22. Julii 1658. edidit tenoris sequentis, videlicet: Ad melius, & facilius occurrendum necessitatibus spiritualibus Christifidelium in Indiis Orientalibus degentium S. Congr. de Propaganda Fide decrevit. I. Ut Parochi non naturales illarum partium, sive regulares, sive seculares sint, teneantur omnino habere apud se Cappellanum natalibus, & origine Indum, pro Confessionibus audiendis, & diebus festis hortationibus ad populum lingua vernacula habendis, ne tali auxilio destituti in ea, quæ initiati sunt, Orthodoxa fide languescant, ac paulatim deficiant, iisque pro sustentatione, & labore, ubi populus ipse id sponte non præstiterit, congruum suppeditent stipendium. II. Præcepit iisdem Parochiis, cæterisque quarumcumque Ecclesiarum Superioribus, ut nedum Sacerdotes indigenas in eorum Ecclesiis celebrare volentes non arceant, verum etiam perurbaniter excipiant, quo frequentius illuc redeant ad Omnipotenti Deo immolandum, sentiantque Christianam charitatem omnes æquis officiis amplexari. III. Ut vero fides adhuc in iis regionibus pubescens literarum alimento coalescat, & pueri reddantur idonei ad res ecclesiasticas percipiendas, iisdem Parochis, & maxime Pagorum, & Villarum injungit, ut eos, vel per se, vel per Cappellanos naturales, si tales ipsi non sunt, ultra fidei Christianæ rudimenta Grammatices etiam Institutionem, cæterasque artes liberales quoad fieri poterit, edoceant. IV. Decrevit, quoniam, ut auditum est, in Processionibus solemnibus etiã SS. Corporis Christi ex Gentilium moribus ritus aliqui, sive actus irrepserunt, qui licet honoris, & majoris cultus gratia exhibeantur. Majestatem nihilominus Christianæ religionis non minimum dedecent, S. Congr. vetuit, ne imposterum permittantur, & arceatur omnino quidquid ludibri, aut minus gravis speciem aliquam habuerit: nullo modo autem liceat ecclesiasticis, & præcipue Regularibus, prætextu dignitatis, gradus, aut officii umbellam in iis gestare: sed quo majori præfulgent dignitate, eo demissius Divinæ Majestati obsequium præstare, aliosque Christianos humilitatis exemplo præire nitantur. Dat. Romæ die 22. Julii 1658.

Prædicta Pontifex confirmat.

§. 3. Nunc autem Nos spiritualibus Christifidelium non solum Goæ, & in Insulis adjacentibus, sed etiam in universis Indiarum Orientalium Regnis, Provinciis, & Regionibus degentium necessitatibus, prosperisque in via Domini progressibus pastorali solicitudine, atque charitate salubriter consulere cupientes, de Ven. Fratrum nostrorum ejusdem S.R.E. Cardd. negotiis Propagandæ Fidei Præpositorum consilio, literas Alex. Prædec., & subinde emanata Decreta præinserta, omniaque, & singula in eis respective contenta, & expressa, auctoritate Apostolica, tenore præsentium perpetuo approbamus, confirmamus, & innovamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adiicimus, ac illa omnia, & singula ad omnia, Indiarum Orientalium Regna, Provincias, & Regiones extendimus, & ampliamus, ibique locum habere decernimus, ac per quascumque personas etiam Regulares, cujusvis Ordinis, Congregationis, & Instituti, tam Mendicantium, quam non Mendicantium, etiam Soc. Jesu, Goæ, & in Insulis adjacentibus, ac in universis Indiarum Orientalium Regnis, Provinciis, & Regionibus hujusmodi nunc, & pro tempore degentes, cujuscumque status, gradus, conditionis, qualitatis, & præeminentiæ existant, ad unguem inviolabiliter, & exacte observari, eadem auctoritate harum serie itidem perpetuo præcipimus, volumus & mandamus.

Decretum irritans.

§. 4. Decernentes pariter ita in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si quid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum

§. 5. Non obstantibus omnibus, & singulis illis, quæ memoratus Alexander Prædec. in suis literis præinsertis voluit non obstare cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§. 6. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra illud ubique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 13. Septembris 1669. Pont. nostri Anno III.

Dat. die 13. Sept. 1669. An. III.

CXX.

Extensio declarationis ab Alexandro VII. circa Altaria privilegiata perpetua editæ ad Altaria ejusmodi privilegio temporaneo, nec omnibus hebdomadæ diebus decorata.

CLEMENS PAPA NONUS
Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

CUM fel. re. Alexander Papa VII. Præd. noster dubia in diversis mundi partibus occasione Decreti Congr. tunc existentium S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus Præpositorum die 5. Augusti 1662. emanati, & ab ipso Alexandro Præd. approbati, de non celebrandis Missis Defunctorum in Festis ritus duplicis, exorta dirimere cupiens, aliud ejusdem Congreg. Decr. in una Novarien. si die

die 22. Nov. 1664. editum approbaverit, quo declaratum fuerat, Anniversaria, & Missas Defunctorum cantu ex dispositione Testatorum quotannis recurrente ipsorum obitus die celebrandas, tametsi dies obitus hujusmodi in festum ritus duplicis majoris incideret, non comprehendi in primodicto Decreto.

Declaratio Alexand. VII.

§. 1. Ac ulterius quoad Altaria privilegio Apostolico pro Animabus fidelium Defunctorum in perpetuum decorata, & in quibus proinde quotidie etiam in festis ritus duplicis, celebrandæ essent Missæ Defunctorum ex obligatione, declaraverit per celebrationem Missarum de festo currenti satisfieri injunctis obligationibus, & Indulgentias per ejusmodi privilegia Apostolica concessas Animabus fidelium Defunctorum in Purgatorio existentibus suffragari perinde, acsi celebratæ fuissent Missæ Defunctorum ad formam dictorum privilegiorum, & alias prout in ejusdem Alexandri Prædec. literis desuper in simili forma Brevis die 22 Jan. 1667. expeditis, quarum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso, & inserto haberi volumus, uberius continetur.

Extensio de qua in subt.

§. 2. Cumque (sicut ad aures nostras pervenit) etiam dubitetur, utrum dictarum literarum dispositio quoad Altaria pariter quidem privilegiata, sed non in perpetuum, nec pro omnibus hebdomadæ diebus, & ad quæ Missæ non ex obligatione, sed ex sola fidelium devotione celebrantur, locũ habeat.

§. 3. Hinc est, quod Nos dubitationes hujusmodi ex injunctæ Nobis cælitus pastoralis solicitudinis munere dirimere pariter, atque decidere cupientes, de Ven. Fratrum nostrorum ejusdem S.R.E. Card. Sacr. Rit. Præpositorum, qui rem mature perpenderunt, consilio, declarationem a memorato Alexandro Præd., sicut præmittitur editam ad Altaria, ut præfertur, non in perpetuum, sed ad septennium, seu aliud brevius, vel longius tempus, ac non omnibus, sed aliquo, vel aliquibus tantum hebdomadæ diebus, nunc, & in futurum quandocumque privilegiata, auctoritate Apostolica tenore præsentium extendimus. Et proinde, ut Missæ, quæ ibidem de festo currenti, in quo Missæ Defunctorum celebrari non possint, sive ex obligatione, sive ex sola fidelium devotione celebrabuntur, suffragentur, itaut animæ Christifidelium, pro quibus celebratæ fuerint, Indulgentias per privilegia hujusmodi concessas consequantur in omnibus, & per omnia, perinde, acsi Missæ Defunctorum ad formam eorumdem privilegiorum celebratæ fuissent, auctoritate, & tenore prædictis concedimus, & indulgemus.

Clausulæ præservativæ.

§. 4. Decernentes pariter easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime, suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari.

Clausula sublata.

§. 5. Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus quatenus opus sit nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula, de non concedendis Indulgentiis ad instar, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis fides danda.

§. 7. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S.M.M., sub Annulo Piscatoris, die 23. Sept. 1669. Pont. nostri Anno III.

Dat. die 23. Sep. 1669. An.III.

CXXI.

Extensio facultatis constituendi in Ecclesia Monasterii S. Antonii Viennen., & totius Ordinis ejusdem S. Antonii Abbati Generali pro tempore existen. duos Pœnitentiarios ab Eugenio IV. concessæ ad alios duos Pœnitentiarios, attento quod duo primi non sufficiunt.

Ex Regest. in Secr. Brev.

CLEMENS PAPA NONUS
Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

EX injuncto Nobis divinitus Apostolicæ servitutis officio, Indulta a Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris ad fovendam fidelium pietatem pie, prudenterque concessa libenter ampliamus, sicut eorumdem fidelium animarum saluti, spiritualique consolationi profuturum arbitramur.

Concessio Eugenio IV. relatur.

§. 1. Dudum siquidem pro parte tunc existentium Abbatis, & Conventus Monasterii S. Antonii Ordinis S. Augustini Vienen. Diœcesis fel. rec. Eugenio Papæ IV. Prædecessori nostro exposito, quod ad Monasterium præfatum tam ab ipsius S. Antonii reverentiam, quam pro consequendis Indulgentiarum muneribus fidelibus Ecclesiam dicti Monasterii pro tempore visitantibus per nonnullos anteriores Romanos Pontifices (ut asserebatur) dudum concessis fere innumerabilis Christifidelium utriusque sexus annis singulis confluebat multitudo, & propter carentiam inibi Sacerdotum ad id potestatem habentium, multi ex confluentibus a Monasterio ipso absque confessione recedebant, pluresque de Conventu præfato, necnon ex infirmis in Hospitali dicti Monasterii pro tempore existentibus in eorum faciendis confessionibus non modica interdum incommoda patiebantur: Idem Eugenius Præd. supplicationibus ipsorum Abbatis, & Conventus nomine

mine sibi super hoc humiliter porrectis inclinatus, canonicis pro tempore existentibus præfati Monasterii in Sacerdotio constitutis, quos ad id Abbas pro tempore existens ejusdem Monasterii, necnon Capitulum generale a Religiosis Monasterii, hujusmodi pro tempore canonice celebratum duxissent eligendos, videlicet duobus ex primo electis pro tempore supradictis, ita, quod illis, vel eorum alteri in casum mortis, vel alterius impedimenti legitimi, alius vel alii successive electorum præfatorum ad id succedere posset, seu possent, omnium, & singulorum fidelium utriusq. sexus præfatorum ad d. Monasterium peregrinando pro tempore confluentium, necnon Canonicorum Monasterii ac Infirmorum Hospitalis prefatorum præsentium, & futurorum quoties expedire videretur, confessiones audiendi, necnon eorum cuilibet pro commissis etiam in casibus Episcopis a jure reservatis debitam absolutionem impendendi, salutaremque pœnitentiam injungendi, ac Eucharistiæ, & alia Sacramenta Ecclesiastica ministrandi, necnon etiam eisdem Abbati pro tempore, & Capitulo electionem hujusmodi annis singulis, seu alias prout eis visum foret faciendi, plenam, & liberam, auctoritate Apostolica, concessit facultatem perpetuis futuris temporibus valituram, & alias prout in ipsius Eugenii Præd. literis desuper sub Plumbo Anno Incarnationis Dominicæ 1443. pridie Kalen. Febr. expeditis, quarum tenorem, præsentibus pro plene, & sufficienter expresso, & inserto haberi volumus uberius continetur.

Supplicatio.

§.2. Cum autem sicut dilectus filius Joannes Rasse dicti Monasterii, & totius Ordinis ejusdem S. Antonii Abbas Generalis Nobis nuper exponi fecit, tantus in dies ad Ecclesiam supradictam devotionis causa confluat peregrinantium numerus, ut duo Pœnitentiarii vigore præfatarum Eugenii Prædecessoris literarum ibidem constituti soliti, Sacramentalibus illorum confessionibus excipiendis minime sufficiant. Nobis propterea idem Joannes Abbas Generalis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

§.3. Nos igitur ipsius Jo: Abbatis Generalis votis, hac in re quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati, ut præter memoratos duos, alii duo Pœnitentiarii in eadem Ecclesia juxta formam supradictarum Eugenii Prædecessoris literarum cum facultatibus per easdem literas concessis, servataque in reliquis ipsarum literarum dispositione eligi, constitui, & deputari libere, & licite possint, & valeant, auctoritate Apostolica, tenore præsentium concedimus, & indulgemus.

Alios duos Pœnitentiarios concedit Pontifex.

§.4. Decernentes ipsas præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiter observari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Decretum irritans.

§.5. Non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, necnon omnibus, et singulis illis, quæ in præfatis Eugenii Prædecessoris literis concessa sunt non obstare, cæterisque contrariis quibuscumq.

Contrariis derogat.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 27. Septembris 1669. Pontificatus nostri Anno III.

Dat. die 27. Sept. 1669. An.III.

CXXII.

Confirmat Decretum Sac. Congreg. rebus Consistorialibus præpositæ editum in causa Dismembrationis a Metropolitana Ecclesia Burgensi ejus partis Diœcesis, quæ vulgo dicitur *le Montagne basse*, ad effectum erigendi novum Episcopatum in Collegiata Ecclesiæ Oppidi de Santander.

CLEMENS PAPA IX.

Ad futuram rei memoriam.

§.1. CUM Congreg. Ven. Fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium rebus Consistorialibus præposita in causa Dismembrationis a Metropolina Ecclesia Burgensi ejus partis Diœcesis, quæ vulgo dicitur *le Montagne basse*, ad effectum erigendi novum Episcopatum in Collegiata Ecclesia Oppidi de Santander, visis, et mature discussis probationibus, tam pro dismembratione, quam contra legitime factis, et una cum aliis documentis, utraque parte informante latissime deductis, censuerit non esse locum dismembrationi ejusmodi, prout in ipsius Congregat. Decreto desuper die 27. Sept. proxime præteriti emanato continetur.

Decretum Sac. Congr.

§.2. Et sicut Ven. Frater Archiepiscopus Burgensis, ac dilecti filii Capitulum, et Canonici d. Metropolitanæ Ecclesiæ Burgensis Nobis subinde exponi fecerunt, ipsi Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desiderent.

Petitur confirmatio Pont.

§.3. Nos specialem ipsis Archiepiscopo, ac Capitulo, & Canonicis gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis,

Confirmat Pont.

tiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium tantum consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus ejus nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum supra expressum, auctoritate Apostolica, tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adiicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis prædictæ Cardinalium.

Decretum irritans.

§.3. Decernentes ipsas præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & spectabit in futurum, plenissime suffragari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si quid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contraria tollit.

§.5. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat die 7. Oct 1669. An.III.

Datum Romæ apud S. M. M. sub Annulo Piscatoris die 7. Oct. 1669. Pontificatus nostri Anno III.

CXXIII.

Reductio Decreti circa vacationem Generalatus ad formam Constitutionum pro Ordine Fratrum Cappuccinorum.

CLEMENS PAPA NONUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Recensentur Decr. Capituli Generalis.

§.1. CUM (sicut accepimus) officium Generalatus Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Cappuccinorum nuncupatorum de præsenti vacet, per quoddam vero Decretum in ultimo Capitulo Generali dicti Ordinis factum, & a Nobis per quasdam nostras in simili forma Brevis die 9. Sept. 1667. expeditas literas confirmatum disponatur in hæc verba: Cum non possit Pater Generalis complere totam Religionis Visitationem decursu sexennii, expedit differre officium Generalatus usque ad septennium, & quod si durante septennio non completa visitatione decedat, Primus Definitor sub nomine Vicarii Gen. perficiat Visitationem, & maneat in officio usque ad complementum dicti septennii; Ipso autem impedito, vel non valente, succedat alius Definitor gradatim juxta Constitutiones, & proinde juxta hoc Decretum electio novi Ministri Generalis Ordinis prædicti, ante Pentecostem Anni 1664. fieri non debeat: Nos felici, prosperoque ejusdem Ordinis regimini, & gubernio quantum Nobis ex alto conceditur consulere, ac incommoda, & detrimenta, quæ diuturna Generalatus hujusmodi vacatio observantiæ, & disciplinæ Regulari, atque Religiosæ quieti adferre posset, excludere cupientes. aliisque convenientibus rationibus adducti, de nonnullorum dilectorum filiorum Romanæ Curiæ Prælatorum super hoc negotio a Nobis specialiter deputatorum consilio, Decretum supra expressum, quantum ad prosequutionem Visitationis a primo, aliisque Definitoribus dicti Ordinis gradatim, ut præfertur, faciendam, ac continuationem vacationis Generalatus usque ad complementum septennii attinet, auctoritate Apostolica tenore præsentium moderamur, & reducimus ad formam, & tenorem Constitutionum ejusdem Ordinis, quibus disponitur, ut eveniente morte Ministri Generalis antequã tempus suum compleverit, Minister Provincialis illius Provinciæ ubi decesserit, id confestim significari debeat Procuratori Generali dicti Ordinis in hac Alma Urbe residenti, qui Capitulum Generale pro electione futuri Ministri Generalis illico convocare teneatur. Atque ita semper in futurum servari volumus; & propterea præcipimus dilecto filio moderno Procuratori Generali Ordinis præfati, ut Capitulum Generale Ordinis hujusmodi in tempore, & termino per Constitutiones præfatas præscriptis pro electione novi Ministri Generalis ejusdem Ordinis celebrandum quam primum convocaret, ac illis, ad quos spectat, intimet, seu intimari curet, & faciat: supradictis nostris literis quoad cætera in suo vigore remanentibus.

Moderatur decretum pro infertum ut in rubrica.

Decretum irritans.

§.2. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia inviolabiliter observari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum

§.3. Non obstantibus Decreto, & Literis nostris præfatis, aliisque Ordinationibus, & Constitutionibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§.4. Volumus autem, ut ipsarum præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S.M.M., sub Annulo Piscat. die 21. Octobr. 1669. Pontificatus nostri Anno III.

Dat. die 21. Oct. 1669. An.III.

CXXXIV.

Congregatio Cleric. Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum restituitur ad statum

Ex Regest. in Secret. Brev.

Regularem, ac fruitionem privilegiorum Mendicantibus concessorum.

CLEMENS PAPA NONUS
Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

§.1. EX injuncto Nobis divinitus apostolicæ servitutis munere Congregationes Virorum in Ecclesia Dei pie, prudenterque institutas, eas præsertim, quæ Pueris non solum literarum rudimentis, sed etiam pietate, moribusque Christianis mature imbuendis laudabiliter incumbunt peculiari favore prosequimur, illarumque felici statui, & prosperis progressibus, quantum Nobis ex alto conceditur, consulere studemus, sicut omnibus matura consideratione perpensis, ad omnipotentis Dei gloriam, ac religionis, bonorumque operum incrementum arbitramur in Domino salubriter expedire.

Congregat. Pauperum Matris Dei in Religionem trium votorum solemnium cum effectu privilegia approbata fuit a Greg. XV.

§. 2. Dudum siquidem cum pro parte tunc existentis Præfecti Generalis Congr. Cleric. Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum prius auctoritate apostolica erectæ fel. rec. Gregor. PP. XV. Prædecessori nostro expositum fuisset, quod Clerici ejusdem Congregationis, quia tria simplicia paupertatis scilicet, castitatis, & obedientiæ vota emittebant, perfectionis vitæ studio ducti, simplicia vota hujusmodi solemnia declarari cupiebant; & tunc existentes S. R. E. Cardinales negotiis Episcoporum, & Regularium prepositi, quibus dictus Gregorius Prædecessor negotium hujusmodi mature examinandum, ibique referendum commiserat, prædictam Congregationem in Religionem trium votorum solemnium approbari posse censuissent, prout in decreto desuper facto dicebatur contineri: Idem Gregorius Prædec. decretum prædictum, apostolica auctoritate confirmavit, & approbavit. Et subinde ipse Gregorius Prædecessor Congregationi prædictæ, illiusque Ministro, & Clericis, aliisque personis, ut omnibus, & singulis privilegiis, immunitatibus, libertatibus, facultatibus, exemptionibus, aliisque gratiis, & indultis tam spiritualibus, quam temporalibus, Ordinibus Mendicantium, illorumque Superioribus, Professoribus, necnon Ecclesiis, Monasteriis, & Regularibus locis, etiam per viam communicationis, vel extensionis, aut alias quomodolibet per quoscumque Rom. Pontifices Prædecessores d. Gregorii Prædecessores, ipsumque Gregorium Prædecessorem quomodolibet concessis, & quibus ipsi, necnon Ecclesiæ, Monasteria, & Regularia loca hujusmodi de jure, usu, & consuetudine, privilegio, aut concessione Apostolica in genere, vel in specie, ac tam conjunctim, quam divisim, seu alias quomodolibet utebantur, fruebantur, & gaudebant, ac uti, frui, & gaudere poterant, & possent quomodolibet in futurum, dummodo tamen essent in usu, & non essent revocata, aut sub aliquibus revocationibus comprehensa, nec Sacris Canonibus, & Concilii Trid. Decretis, ac Constitutionibus Apostolicis repugnarent, pari modo non solum ad eorum instar, sed pariformiter, & æque principaliter perinde acsi nominatim, & in specie illis concessa fuissent, uti, frui, & gaudere libere, & licite valerent, dicta auctoritate perpetuo concessit, & indulsit, dictaque privilegia, immunitates, libertates, facultates, exemptiones, gratias, & indulta eis communicavit, illaque ad eos extendit.

Innocentius X. & Alex VII. Congregationem a statu regulari ad secularem reduxerunt.

§.3. Verum postmodum re:me: Innocentius PP. X. pariter Prædecessor noster Congregationem, sive Religionem prædictam in Congregationem similem Instituto Congreg. Oratorii in Ecclesia S. Mariæ in Vallicellæ de Urbe erectæ S. Philippi Nerii nuncupatæ absque ulla votorum emissione regendam, dirigendam, & gubernandam sub certis modo, & forma tunc expressis redegit, & reduxit. Et successive piæ me: Alexander PP. VII. etiam Prædecessor noster reductionem eorumdem Clericorum a statu Regulari ad statum secularem sub eadem denominatione Clericorum Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum approbavit, & confirmavit, & quatenus opus esset de novo Congregationem hujusmodi ad statum Secularem sub denominatione prædicta reduxit cum diversis statutis, ordinationibus, indultis, declarationibus, & decretis, ac inter alia quodcumque in eamdem Congregationem secularem tunc, & pro tempore quandocumque recepti tria vota simplicia, nempe castitatis, paupertatis, & obedientiæ cum juramento in eadem Congregatione perpetuo permanendi suo tempore emittere deberent, itaut cum ipsis super votis, & juramento hujusmodi, nisi per Romanum Pontificem pro tempore existentem dispensari, aut illa commutari, vel relaxari respective nullatenus, etiam prætextu, vel vigore quarumcumque facultatum, etiam Cruciatæ Sanctæ, vel Jubilæi Universalis possent sub pœnis Apostasiæ in casum contraventionis.

Alexand VII aliqua decrevit pro bono Congreg.

§.4. Ac demum idem Alexander Prædecessor controversias in dicta Congregatione seculari exortas dirimere, & bonum ipsius Congregationis promovere cupiens, statuit, & decrevit, ut Præpositus Generalis memoratæ Congregationis, & quatuor Assistentes tam in Capitulo Generali tunc novissime celebrato electi, quam deinceps in perpetuum eligendi durare deberent ad sexennium tantum; Ipsique Assistentes votum haberent decisivum cum eodem Præposito Generali in electionibus, deputationibus, ac mutationibus quorumcumque Superiorum; Item in causis, & sententiis criminalibus, necnon in quibuscumque aliis actibus, qui ex Constitutionibus, vel Decretis Capitulorum Generalium fieri, seu expediri deberent a Præposito Generali, & Assistentibus. In reliquis vero iidem Assistentes votum haberent consultivum, & Præpositus Generalis, quo ad ejus fieri posset eorum consilium sequeretur ad præscriptum Constitutionum ipsius Congregationis, & una omnes cum Præposito Gene-

rali residerent in Domo S. Pantaleonis de Urbe: Præterea inviolate servari præcipit laudabile d. Congr. Institutum, præcipue in usu associandi pauperes pueros ad eorum Domos; deferendi habitum qualitatis, & formæ a prædictis Constitutionibus præscriptæ, incedendi pedibus discalceatis, recipiendi ad Scholas pueros aptos ad prima elementa; Adhibendi lectulos ad formam dd. Constitutionum, denominandi personas ejusdem Congregationis non ex cognomine gentilitio, sed ex nomine alicuius Sancti, ac demum servandi etiam in itinere paupertatem, quam operarii huius Instituti profitentur. In cæteris vero servari jussit antiquas Constitutiones Constitutionis hujusmodi cum omnibus gratiis, indultis, & privilegiis a Sede Apostolica eidem concessis, in iis tamen, quæ aptarentur, & congruerent statui Congregat. secularis, & his statutis, atque decretis non adversarentur; & alias prout in binis Gregorii die 14. Nov. 1621. & die 15. Oct. 1622., ac unis Innocentii die 16. Mart. 1646., necnon itidem binis Alexand. Prædecessorum præfatorum die 24. Jan. 1656., & die 28. Apr. 1660. respective expeditis in simili forma Brevis literis, quarum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, uberius continetur.

Supplicatur Pontifex ut Congreg. in primitivo statu regulari reponat.

§.5. Cum autem, sicut dilecti filii Præpositus Generalis, & alii Superiores d. Congreg. Secularis Cler. Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum Nobis nuper exponi fecerunt, ipsi eamdem Congregationem, quo majori perfectione in via Domini de cætero ambulare, ac in laudabili suo Instituto constantius perseverare valeat, ad statum Regularem, & titulum Religionis cum emissione trium votorum solemnium, quemadmodum a memor. Gregorio Prædecessore, ut præfertur, constituta fuerat, necnon ad fruitionem omnium, & singulorum privilegiorum, immunitatum, facultatum, exemptionum, aliarumque gratiarum, & indultorum, Ordinibus Mendicantibus concessorum, quæ eidem Congregationi a d. Gregorio Prædecessore per posteriores suas literas præfatas communicata fuerunt, restitui, & reintegrari, ac ultimodictarum Alexandri Prædecessoris literarum observantiam circa tempus durationis Præpositi Generalis in officio Assistentium auctoritatem, usum associandi pauperes pueros ad eorum Domus, habitus, qualitatem, & formam, aliaque omnia per easdem literas statuta, & decreta firmius constabiliri summopere desiderent; Nos prospero felicique ejusdem Congregationis statui, & progressui, quantum cum Domino possumus salubriter providere, dictosque Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Ven. Fratrum nostrorum S. R. E. præfatæ Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositi. qui rem mature discusserunt, consilio, eamdem Congregationem Secularem Cleric. Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum ad statum Regularem, & titulum Religionis cum emissione trium votorum solemnium, ac ad fruitionem omnium, & singulorum privilegiorum, immunitatum facultatum, exemptionum, aliarumque gratiarum, & indultorum Ordinibus Mendicantibus quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Annuit Pont.

Decretum irritans.

§.6. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum

§.7. Non obstantibus præfatis Innocentii, & Alexandri Præd. literis, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit, dictæ Congregationis, aliisve quibusvis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumpti fides danda.

§.8. Volumus autem, ut ipsarum præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent, exhibitæ, vel ostensæ. Dat. Romæ apud S.M.M. sub Annulo &c. die 23. Oct. 1669. Anno III.

Dat. die 23 Oct. 1669. An. III.

CXXV.

Ex Regest. in Secret. Brev. Confirmatio Brevis Pauli V. super licentia Alumnis Collegii Nationis Scotorum Parisien. concessa celebrari facien. in dicto Collegio, & suscipien. Ordines Sacros ad Titulum Paupertatis.

CLEMENS PAPA NONUS
Ad futuram rei memoriam.

Recensetur Bulla Pauli V §.1. DUdum emanarunt a fel.rec.Paulo Papa V.Præd. nostro ad favorem Alumnorum Collegii Nationis Scotorum Parisien. literæ in simili forma Brevis tenoris, qui sequitur, videlicet: Paulus Papa V. Ad futuram rei memoriam. Dilectos filios Alumnos Collegii Nationis Scotorum Parisien. specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, supplicationibus dilecti filii nostri Matthæi Tituli S. Honuphrii Presbyteri Card. Barberini nuncupati Regni Scotiæ apud Nos, & Apostolicam Sedem Protectoris, super hoc humiliter porrectis inclinati, ejusdem Collegii Superioribus, ut arbitrio Ven. Fratris Guidonis Archiepiscopi Rodien. moderni, & pro tempore existentis nostri, & Sedis Apostolicæ in Regno Franciæ Nuncii in privato dicti Collegii Oratorio ad hoc decenter extructo, & ornato, seu extruendo, & ornando ab omnibus domesticis usibus libero per Ordinarium loci prius visitando & approbando Sacrosanctum Missæ Sacrificium in sua, & Alumnorum, ac aliarum personarum dicti Collegii præsentia celebrare, seu celebrari facere necnon eisdem Alumnis, ut absque literis dimissorialibus suorum Ordinariorum, ac etiam sine titulo Beneficii Ecclesiastici, vel Patrimonii, sed ad titulum tantum paupertatis a quocumque quem maluerint Catholico Antistite Gratiam, & Communionem Apostolicæ Sedis habente in propria Diœcesi residente, vel in aliena de Diœcesani loci consensu Pontificalia exercente per eos eligendo clericali charactere insigniri, & ad quatuor minores, necnon Sacros Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus Ordines in temporibus ad id a jure statutis, dummodo tamen prævio examine ad id reperti fuerint idonei, & nullum eis aliud Canonicum obstet impedimentum, necnon testimonio Rectoris, & Superiorum dicti Collegii commendentur, specialemque ab ipsis licentiam obtineant, & servatis alias servan. promoveri, & promoti in illis etiam Altaris ministerio ministrare libere, & licite possint, & valeant Apostolica auctoritate tenore præsentium concedimus, & indulgemus, ac tam Antistiti, ut probentur, quam Alumnis probatis licentiam desuper impartimur.

§.2. Non obstan. Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. M. M. sub Annulo Piscatoris die 27. Maii 1617. Pontificatus nostri Anno XII.

Petitur confirmatio Pont. §.3. Cum autem, sicut pro parte dilectorum filiorum Alumnorum dicti Collegii Nobis nuper expositum fuit, ipsi præmissa Apostolici muniminis nostri patrocinio roborari plurimum desiderent.

Confirmat Pontifex. §.4. Nos specialem ipsis Alumnis gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus Ven. Fratris nostri Francisci Episcopi Ostien., & Veliternen. S.R.E.Cardinalis Barberini nuncupati moderni, Regni Scotiæ prædicti apud Nos, & Sedem eamdem Protectoris Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, præinsertas Pauli Prædecessoris literas cum omnibus, & singulis in eis contentis auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adiicimus, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari debere, irritumque, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus. Decretum irritans.

Derogatio contrariorum §.5. Non obstantibus omnibus, & singulis illis, quæ dictus Paulus Præd. in suis literis præinsertis concessit non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 26. Oct. 1669. An.III. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 26. Octobr. 1669. Pont. nostri Anno III.

CXXVI.

Ex Regest. in Secret. Brev. Confirmatio extinctionis antiqui, & erectio novi Montis Collegii Secretariorum Apostolicor. de numero Participantium.

CLEMENS PAPA NONUS
Ad futuram rei memoriam.

Exordium. §.1. NUper pro parte dilectorum filiorum Collegii Secretariorum Apostolicorum de numero Participantium Nobis expositum fuit, quod ipsi in executionem quarumdam nostrarum in simili forma Brevis literarum die 4. Januarii proxime præteriti expeditarum, antiquum Montem Secretariorum Apostolicorum nuncupatum dudum ab eorum antecessoribus de licentia Sedis Apostolicæ erectum & su-

& subinde depari licentia auctum, restituto illius montistis pretio, perpetuo suppressorunt, & extinxerunt, ac ad effectum restituendi prætium hujusmodi, novum Montem sub eadem denominatione quadringentorum quinquaginta octo locorum cum tribus quartis partibus alterius simil is loci ad rationem pretii, seu sortis centum, & redditus annui quat. scut. monetæ Romanæ pro quolibet loco erexerunt, & instituerunt, & alias prout uberius continetur in literis nostris præfatis, ac publico desuper confecto Instrumento tenoris, qui sequitur videlicet: In nomine Domini Amen Præsenti publico Instrumento cunctis ubique pateat evidenter, & sit notum quod Anno ab ejusdem D.N.J. C. Nativit. 1669. Indict. 7., die vero 16. mensis Maii Pont. autem SS. in Christo Patris, & D.N.D.Clementis div. prov. PP.IX. Anno ejus II. In mei Collegii Illmorum, & Rmorum Dominorum Secretariorum Apostolicorum Cappellani, & Montis ejusdem Collegii Secretarii, ac Notarii publici in Archivio Romanæ Curiæ descripti, & Petri Gentilis Catalani R. C. A. Notarii, testiumque infrascriptorum præsentia præsentes, & personaliter existentes Illmus, & Rmus D. Joannes Baptista Costagutus, & Illmus Dñus D. Ferdinandus Raggius Defensores Emus, & Rmus D. Cardinal. Sigismundus Chisius, & pro eo admodum R.D. Franc. Silvanius, Illmus, & Rmus D. Franc. Maria Phebeus Archiep. Tarsensis Præceptor S. Spiritus pro Ven. Archiosp. it. S. Spiritus, Illmus, & Rmus Dñus Hieronymus Gastaldus Illmus & Rmus D. Franc. Martellus, Illmus, & Rev. D. Franc. Maria Victorius, Illmus, & Exmus D. Augustinus Chisius. & pro eo Dñus Gregorius Satus. Illmus Dñus Flaminius Morollus Canonic. S. Eustachii pro Ven. Capit. ejusdem Ecclesiæ S. Eustachii Illmus D. Marchio Bartolomeus Ruspulus, Illmus Dñus Marchio Martius Ursinus, Illmus D. Sigismundus Raggius, & Illmus Dñus Carolus Salusatus omnes Secretarii Apostolici, & de numero Participantium in Cancellaria Apost. in loco solito, & consueto pro rebus, & negociis dicti Collegii collegialiter congregati majorem, & saniorem partem ejusdem Collegii constituentes, qui alias vigore indulti, & facultatis d. Collegio concessæ per fel.rec. Sixtum Papam V. sub dat. die 17. Febr. 1586. erexerunt, & constituerunt unum Montem vigintiquinque mil. scut. auri in auro pro rehabendo, & recuperando Officium Secretariatus Apost. & subinde vigore alterius facultatis & indulti ejusdem fel rec. Sixti d. Montem auxerunt in aliis scutis duodecim millibus similibus pro rehabendo, & recuperando Officium alterius Secretarii Domestici Brevium, quæ Principibus scribuntur pt. rehabuisse, & recuperasse asserverunt, & latius prout in Instrum. in actis mei &c. die prima Martii 1586., seu &c. celebrato, ad quod &c. In executionem, & vigore Lit. Apost. SSmi D. N. Clementis div. provid. Papæ IX. in forma Brev. sub dat. Romæ die 4. Jan. 1669. prox. præt. expeditarum, quas præ manibus habens idem Illmus, & Rmus Dñus Costagutus Defensor mihi consignavit, ad effectum præsenti Instrum. inseren. tenoris sequen. videlicet. Clemens PP.IX. Ad futuram rei memoriam. Dudum cum fel. rec. Sixtus Papa V. Præd. noster Officium Secretarii Domestici quod tunc in humanis agens Joannes Baptista Canobius exercebat, supprimere, ac illius exercitium cum omnibus, & singulis suis honoribus, & oneribus, ac emolumentis Collegio Secretariorum Apost. restituere, seu illis de novo concedere, & assignare intenderet, & Collegium prædictum pro restitutione, seu concessione hujusmodi, aliisque de causis summam 25. mil. scut. auri in auro, seu illorum valorem ipsi Sixto Præd. obtulisset, Idem Sixtus Præd. d. Collegio, quo commodius, & minori dispendio summam prædictam congerere valeret, ut unum Montem a quibusvis gravaminibus omnino liberum, immunem, & exemptum dictam summam 25. mil. scut. non excedentem, cujus loca vacabilia non essent, super proprietate, & grossa, seu massa dicti Collegii ad rationem fructuum reperibilium pro quolibet centenario ad instar Montis Pacis, & aliorum montium Provincialium ab ipso Sixto Præd. alias erectorum cum omnibus, & singulis facultatibus, indultis, privilegiis, & clausulis in illis expressis erigere, & instituere, necnon pro securitate, & indemnitate Emptorum dictorum locorum, omnia, & singula dicti Collegii bona in ampliori forma Cam. Apost. obligare, & hypothecare, obligationesque, & hypothecas cum quibusvis promissionibus, fidejussionibus, cautionibus, cautelis, conventionibus, clausulis, & decretis omnibus consuetis, necessariis, & opportunis præstare, cæteraque ad hoc necessaria facere libere, & licite valeret, licentiam, & facultatem concesit, prout in ipsius Sixti Præd. literis desuper in simili forma Brevis die 17. Febr. 1586. expeditis latius continetur, & subinde postquam Instrumentum Erectionis d. Montis, ejusque distributio subsecuta fuerant, cum dictus Sixtus Præd. Officium alterius Secretarii Domestici Brevium quæ Principibus scribuntur, quod quon. Antonius Buccapadulius eatenus exercuerat pariter supprimere, illiusque exercitium cū omnibus, & singulis illius honoribus, oneribus, & emolumentis eidem Collegio concedere, & assignare intenderat, d. vero Collegium pro concessione, & assignatione hujusmodi summam 12. mil. scut. similium solvere, & ad id necessaria parare desideraret: Ipse Sixtus Præd. eidem Collegio, ut Montem prædict. 20. mil. scut. auri ad monetam tunc reductorum ad aliam summam 12. mil. scut. auri in auro distribuendum, vel etiam si opus foret ad monetam pariter reducen. cum eisdem facultatibus juribus, & privilegiis extendere, & augere libere pariter, & licite posset, sexennio intra quod Montem prædict. extingui voluerat, ad alios sex annos prorogato, & alias

alias sub certis modo, & forma tunc expressis licentiam pariter concessit,& facultatem,prout in cedula motus proprii manu ipsius Sixti Præd. signata,sive in Lit. Apost. desuper expeditis cujus, seu quarum, necnon aliarum literarū prædict. tenores, & datas etiam veriores præsentibus pro plene & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus uberius continetur. Cum autem sicut pro parte dilectorum filiorum modernorum Secretariorum Apost.Collegii pred.Nobis nuper expositum fuit, Mons præd., ut præfertur, erectus, & auctus in ducentis septuaginta octo locis, quorum pretium in moneta ad rationem centum scut. monetæ pro quolibet loco, ac in aliis centum viginti locis, quorum pretium in auro ad rationem centum scut. auri in auro pro quolibet locorum hujusmodi respective constituta fuerunt, de præsenti consistat, & pro quolibet eorumdem locorum fructus Annui ad rationem 5. scut. monetæ,vel auri respective Montistis a d. Collegio de præsenti adhuc solvantur,ipsi vero Exponentes,ut ejusdem Collegii conditionem efficiant meliorem, novum Montem quadringentorum octo locorum ad rationem pretii centum, & fructus annui quatuor scut. mon. Rom.pro quolibet loco erigere,& instituere,illiusque loca d. pretio vendere, ac pecunias inde proventuras in extinctionem,& redemptionem alterius Montis prædicti convertere, & erogare, atque ita ipsum Montem restituto singulis Montistis pretio, quoad illos quidem quorum loca in moneta creata,seu ad monetam reducta fuerunt, ad rationem 100. scut. mon. pro quolibet loco, quoad illos vero, quorum loca in auro constituta reperiuntur, ad rationem centum,& quinquaginta scut.mon. parium, quæ 100.scut. auri in auro juxta præsentem cursum constituunt, itidem pro quolibet loco penitus, & omnino supprimere intendant, si nostra, & hujus S.Sedis sibi super hoc licentia suffragetur, & facultas, Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut quandoquidem id in neminis injuriam, sed in notabilem præd.Collegii utilitatem sit cessurum, opportune sibi in præmissis providere, & ut infra indulgere de benignitate Apost.dignaremur. Nos igitur Collegii prædicti, in quo singulari in Nos, & hanc S. Sedem fide, doctrina, prudentia,& usu rerum,& negociorum ad Rom.Cur. ex omnibus Christiani Orbis partibus confluentium,necnon dexteritate, industria,& probitate præstantes Viri connumerantur,commodis, atque utilitatibus paterno affectu consulere, ipsiusque Collegii singulares personas a quibusvis excommunicat., suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiast. sententiis,censuris, & pœnis a jure,vel ab homine quavis occasione,vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, ac Instrumenti super erectione Montis supprimendi præd., seu aliarum scripturarum desuper confectarum, necnon erectionum omnium, & singulorum aliorum Montium præd. tenores pariter, & datas, cæteraque etiam specificam,& individuam mentionem, & expressionem requirentia, præsentibus itidem pro plene, & sufficienter expressis, & exactissime specificatis habentes, eidem Collegio, ut unum novum Montem Secret. Apost. nuncupandum pariformiter, a quibusvis gravaminibus omnino liberum immunem,& exemptum,cujus loca vacabilia non sint, & numerum quadringentorum quinquaginta octo non excedant, ad rationem pretii 100.,& annui fructus quatuor scut. monetæ prædictæ pro quolibet loco super proprietate,& grossa, seu massa d. Collegii ad instar Montis Pacis, & aliorum Montium Provincialium alias erectorum prædict. cum omnibus, & singulis facultatibns,indultis, privilegiis,& clausulis in erectionibus Montium hujusmodi expressis,& non expectato, nec requisito Secret. Apost. absentium consensu, erigere, & instituere, illiusque loca per dilectos filios Defensores d. Collegii pretio præd. quibuscumque personis,& locis piis, &prophanis vendere,& alienare,pecuniasq; inde proventuras in redemptionem, & extinctionem alterius Montis Secret. Apost. præd. sicut præfertur, & non in alios usus convertere, & erogare atque ita ipsum Montem, restituto illius Montistis pretio una cum fructibus, usque ad diem redemptionis, & extinctionis hujusmodi decursis, & per quindecim dies immediate subsequentes juxta stylum in similibus extinctionibus, seu extractionibus servari consuetum penitus, & omnino supprimere, necnon pro securitate,& indemnitate Emptorum locorum Montis hujusmodi omnia & singula ipsius Collegii bona, illorumque fructus,redditus, & proventus in ampliori forma Cameræ Apost. præd obligare pariter, & hypothecare, obligationesque, & hypothecas cum quibusvis promissionibus fidejussionibus, cautionibus, cauthelis,conventionibus, clausulis, & Decretis consuetis, & alias quomodolibet necessariis,& opportunis præstare, cæteraque desuper quovis modo necessaria, & opportuna facere, & exequi libere, & licite possit, & valeat quamcumque necessariam, & opportunam facultatem,& licentiam,auctorit. Apost.tenore præsentium concedimus, & impartimur.Decernentes eorumdem locorum novi Montis Emptores, & quoscumq; alios in præmissis interesse quomodolibet prætendentes,ad probandum,seu verificandum in quos usus pecuniæ per eos respective præfatæ conversæ fuerint, nullo unquam tempore teneri,nec obligatos fore,neque locorum hujusmodi fructus in sortem unquam computari posse; Præsentes vero literas, & in eis contenta quæcumque etiam ex eo, quod quicumque etiam specifica,& individua mentione, & expressione digni in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, neq; causæ propter quas ipsæ præsentes emanarint sufficienter adductæ,verificatæ,& justificatæ fuerint,seu ex alia quacumque quantumvis justa,pia,& privilegiata causa,colore,prætextu, & capite etiam in corpore juris clauso nullatenus unquam de subreptionis,vel obreptionis,aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ aut interesse habentium consensus,aliove quolibet etiam formali,& substantiali defectu notari, impugnari, infringi, retractari in controversiam vocari, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris,facti,vel gratiæ remedium impetrari, seu intentari,vel etiam motu proprio,ac de Apost. potestatis plenitudine concesso, vel emanato quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvari posse, sed ipsas præsentes literas semper firmas,validas,& efficaces existere,& fore,suosque plenarios,& integros effectus sortiri,& obtinere,ac Collegio,& Emptoribus prædictis, aliisque ad quos spectat,& pro tempore quandocumq; spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari;Sicque,& non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordin.& deleg., etiam causarum Palatii Apost. Audit. ac S.R.E.Camerarium& alios Card.necnon Thesaur. Gen., Præsidentes, Clericos,Cōmissarium, cæterosque d. Cam. Officiales, & Ministros, & alios quoslibet quacumque præeminentia,& potestate fungentes,&functuros, sublata eis,& eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interprætandi facultate, & auctorit. judicari, et definiri debere, ac irritum,et inane si secus super his a quoquā quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstan. quatenus opus sit re:me:Pii PP.IV. Præd. pariter nostri de gratiis qualecumque interesse d.Cameræ concernen.in eadem Cam.intra certum tunc expressum tempus præsentandis, & registrandis, ita ut præsentes literas ibidem præsentari,et registrari nunquam necesse sit,aliisque Constit.,et Ordinat. Apost. necnon omnibus, et singulis illis quæ memoratus Sixtus Præd. in suis literis, seu cedula motus proprii supradictis voluit non obstare,cæterisque contrariis quibusc. Volumus autem,ut pecuniæ ex venditione locorum novi Montis hujusmodi proventure in actu earum solutionis unico contextu in redemptionem, et extinctionem alterius Montis præfati sicut præfertur integre convertantur, vel saltem penes dilect.fil. Vincentium Bavellium Depositt.Collegii prædicti deponātur,inde non amovendæ nisi ad effectum illas sic convertendi,& erogandi, utque idem novus Mons vigore præsentiū erigendus intra 12. annos ab illius erectione computandos extingui debat.Dat.Romę apud S.M.M. sub Annulo Piscat die 4.Jan, 1669. Pont. nostri Anno II. I. G. Slusius Loco ✠ Annuli Piscat.ac juxta illius formā continentiam, & tenorem,& non alias &c. prædicti Illmi DD. Secretarii Apost. sic, ut supra congregati unanimiter, & concorditer,&nemine ipsorum contradicente sponte &c. ac omnibus &c. d.Montem,ut supra erectum,& auctum cum omnibus illius juribus penitus, & omnino suppresserunt, & extinxerunt,ac pro suppresso,&extincto haberi,& censeri voluerunt, ac nullius roboris,& momenti existere,minusque amplius durare,aut esse decreverunt,& declararunt ac declarant, & ita &c.non solum &c. modo præd. &c. sed etiam omni &c. Hanc autem suppressionem &c.iidem Illmi DD. Secretarii Apost.ut supra collegialiter congregati fecerunt, & facere dixerunt, & declararunt ad formam dd. Lit. Apost. ut supra,& non alias &c.stante Cedula Bancaria gratis, & amore, & absque ulla spe aliquid consequendi sub quovis prætextu, nec etiā ratione damni emergentis,& lucri cessantis facta ab Illmo D.Vincentio Bavello ejusdē Collegii Deposit. de solvendo Montistis d. Montis pretium locorum, ut supra extinctorum, & suppressor.quem idem D. Vinc. Bavellius ibidem præsens &c. suis præ manibus habens mihi &c. confignavit ad effectum præsenti Instrumento inserendi tenoris sequentis videlicet. Si è dato credito all Sig. Montisti del Monte Segretario a oro, e Segretario a moneta di sc.quaranta cinque mila ottocento settantacinque moneta quali si doveranno pagare con ordine degl' Illmi Sig.Defensori del Collegio di d. Sig. Segretarii Apost.in conto appartenente per doverne esser rimborsati dal d. Collegio in conformità dell' Instrom. rog.per gl'atti del Gentile Catalani,al quale &c. In fede questo di 16. Mag. 1669.per sc.45875. moneta Vincenzo Bavelli. Hujusmodi autem Cedulam D. Bavellus fecit,eo quia vicevers præd. Illmi,& Rmi Dñi Defensores & Secret. Apost. ut supra congreg.nomine d. Collegii,& non alias &c. de quo &c.promiserunt, et esse obligarunt deponere in Banco d. Dñi Vincentii Bavelli sc. quadraginta quinque mil. octingenta septuaginta quinque monetæ seu etc. pro pretio dd.locorum Montium, ut supra extinctorum, et suppressorum retrahenda ex pretio aliorū Montium Secret.ut inferius dicetur Apost. auctoritate erigen. hic Romæ libere etc. alias etc. Et insuper præd. Illmus D. Vinc. Bavellus sponte &c. ac omnibus promisit &c. reddere bonum, & fidele computum d. Illmis Dñis Secret. Apost. ut supra præsentibus &c.de pecuniis penes ipsum,ut supra deponendis, & restituere quidquid supererit cui,vel quibus d. Illmi D.Secretarii Apost. mandabunt infra annum ab hodie proximum absque ulla contradictione, & exceptione hic Romæ libere alias &c. & facta restitutione reliquatus sit liber,& exēptus ab omni, & quacumque obligatione pro summa restituta, & non alias &c. quia sic &c. Et successive in executionem pariter, et vigore supranarratarum Lit. Apost. prælibati SS. D. N. PP. Clem.IX., ac juxta illarum formam,continentiam,et tenorem et non alias etc. de quo etc. præd.Illmi D. Secretarii Apost.ut supra congregati sponte etc. ac omnibus etc. d.Collegii nomine et non alias etc. de quo etc. pariter unanimiter,et concorditer, ipsorumque nomine contra-

contradicente utentes facultate, et auctoritate ipsis in d. literis per SSmum concessa et attributa unum novemMontem non vacabilem Secret. Apost. pariter nuncupan. ab omnibus, et quibuscumque gravaminibus omnino liberum, immunem,et exemptum in summa locorum quadringentorũ quinquaginta octo cum tribus quartis, et non ultra ad rationem pretii in valore sc. 100.et annui fructus sc.4. monetæ Romanæ Juliorum decem pro scuto pro quolibet loco super proprietate, & grossa, seu massa d.Collegii ad instar Montis Pacis, et aliorum Montium Provincialium alias per fel. rec. Sixtum PP. V. erectorum, prout ante illius extinctionem extabant, erexerunt, et instituerunt, illoque sic erecto, et instituto pro dote, et futuris illius Creditoribus annuam summam sc. mille octingentorum, triginta quinque, seu etc. salvo omni meliori calculo ex proprietate, et grossa, seu massa d.Collegii quam nulli hucusque obligatum esse affirmarunt eadem auctoritate Apost.eis ut supra concessa,et attributa eisdem modo, et forma, ut d.Monti,sic,ut supra nuper extincto applicata, et obligata, reperiebantur, assignarunt, appropriarunt, applicarunt,et obligarunt, ac per supradict. D.Bavellum, et pro tempore deputandum Depositarium de bimestri in bimestre in fine cujuslibet bimestris incipien.a Kal.Junii proxime venturi ad suprad. ratam annuorum sc.4 pro quolibet loco solvi mandarunt libere, et absque ulla diminutione,ipsumque Montem,illiusque futuros Montistas in ipsorum, & d. eorum Collegii locum quoad integram sum. præd. ejusque liberam perceptionem, exactionem,& consecutionem etiam irrevocabiliter posuerunt, subrogarunt, ac ab omnibus ejusd. Collegii pro d. rata emolumentis separarunt,& dismembrarunt,ac alias in omnibus et per omnia juxta dd. Lit. Apost. formam continentiam, & tenorem,& non alias &c. de quo &c.Et insuper pro ulteriori ipsarum Lit. Apost. executione, & juxta illarum formam, & non alias promiserunt nomine d. Collegii d. Montem,ut supra nuper erectum infra 12. annos ab hodie prox.venturos extinguere, pretiumque ipsius Montis extinguendi,Montistis reddere,& restituere hic Romæ libere &c. alias &c. etiam ad omnia damna de quibus &c. Idem Illmi DD. Secret. Apost. suprad. eorum Collegium illius bona, & massam, seu grossam, ac proprietatem,& fructus in ampliori forma Rev. Cameræ Apostolicæ cum solitis clausulis &c. citra &c. non autem sese ipsos, eorumque hæredes, aut bona propria de quo &c. obligarunt &c. cuicumque appellationi &c. renunciarunt &c.& in mandatum executivum unica &c. consenserunt &c. & sic tactis pectoribus, et scripturis respective jurarunt etc. super quibus omnibus, et singulis præmissis petitum fuit a me eodem Cappellano Secretario,et Notario, ut unum, vel plura publicum, seu publica conficerem,atque traderem Instrumentum, seu Instrumenta prout opus fuerit,& requisitus ero. Actum Romæ in Cancellaria Apostolica in banco,ubi Abbreviatores de majori residere,& Congregationes celebrari solent, præsentibus ibidem, audientibus, & intelligentibus DD. Antonio Maria Lanciano fil. quon.Antonii de Monte Cœllio Tiburtin. Diœcef.& Thoma Philippo Pontio fil. D. Antonii Romano testibus ad præmissa omnia, & singula vocatis, habitis, atque rogatis. Ego Joannes Spinosa Vicarius Cappellanus Secretarius, & Notarius Apostolicus in Archivio Romanæ Curiæ descriptus de præmissis rogatus præsens Instrumentum subscripsi, & publicavi requisitus &c.

Petitur confirmatio.

§.2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dicti Exponentes numero quadringentorum quinquaginta octo locorum, ad quem dictus novus Mons per preinsertas nostras literas restrictus erat, tres quartas partes alterius loci similis superaddiderint,ut novus Mons hujusmodi cum antiquo extincto,& suppresso exæquaretur; Ipsique Exponentes præmissa, quo firmius subsistant Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desiderent: Nos singularium erga Nos,& Sedem Apostolicam fidei, & devotionis, aliorumque multiplicium meritorum, quibus eosdem Exponentes præditos esse novimus, intuitu, specialem eis gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis,& interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, perpetuam suppressionem, & extinctionem dicti Montis antiqui, ac illius loco, & pro ejus extinctione erectionem,& institutionem novi Montis quadringentorum quinquaginta octo locorum cum tribus quartis partibus alterius loci hujusmodi a memoratis Exponentibus factas, ut præfertur, confectumque desuper Instrumentum præinsertum cum omnibus,& singulis in eo contentis auctoritate Apostolica confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adiicimus,ac omnes,& singulos juris,& facti, ac solemnitatum quarumcumque tam ex juris communis, & Constitutionum Apostolicarum, quam ex dicti Collegii, aliorumve quorumlibet statutorum,& consuetudinum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratorum, necnon privilegiorum quorumlibet præscripto, seu de stylo, et alias quomodolibet in similibus, etiam de necessitate observandarum,aliosve quoslibet quantumvis magnos, et substantiales, ac specifica mentione dignos defectus, si qui in præmissis principaliter vel accessorie, aut alias quomodolibet intervenerint, seu interveniisse dici, censeri,vel prætendi possent plenissime supplemus, et sanamus, ac penitus, et omnino tollimus, et abolemus.

Decretum irritans.

§.3. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat,& pro tempore spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, & ab illis respective inviolabiliter observari; Sicque, et non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores ac S. R. E. Camerarium, et alios Cardinales, necnon Cameræ Apostolicæ Præsidentes Clericos,Thesaurarium Generalem, Commissarium, aliosque Officiales,et Ministros, cæterosque quoslibet quacumque præeminentia,et potestate fungentes, et functuros, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi,et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum

§.4. Non obstantibus literis nostris præinsertis, ac quatenus opus sit præfatæ Pii IV. Prædecessoris nostri de gratiis qualecumque interesse dictæ Cameræ concernentibus in eadem Camera intra certum tunc expressum tempus præsentandis,et registrandis, ita ut præsentes literas ibidem præsentari, et registrari nunquam necesse sit, aliisque Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, necnon omnibus, et singulis illis, quæ in eisdem literis concessimus non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. M. M. sub Annulo Piscatoris die 29.Novem.1669. Pontificatus nostri Anno III.

Dat. die 29. Nov. 1669. An.III.

Finis Pontificatus Clem. IX.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

INDEX

NOMINUM, ET RERUM PRÆCIPUARUM

Quæ in hoc Volumine continentur.

Numerus paginam indicat, A *primam columnam*, B *secundam designant*.

A

Abbates Regulares nequeunt sibi non subditis Ordines Minores conferre. 225. *b.* Promoti autem non indigent alia collatione, sed absolutione tantum, & dispensatione a Sede Apost. *ibid.* Prædicti Abbates nequeunt conferre Sacr. Confirmationis, confirmati autem indigent nova confirmatione. *ibid.*

Absolutio a censuris conceditur Capitulo, Canonicis, & Diœcesanis Portalegren. 285. *b.* Conceditur etiam Capitulo Ecclesiæ S. Salvatoris Civitatis Cæsaraugust. 140. *a.*

Alex. VII. Ven. Franciscum de Sales Episc. Genevensem SS. cathalogo adscribit. 113. *a.* Instaurat, ac reformat Cisterc. Ordinem. 119. *a.* Jubilæum universale imponit. 162. *a.*

Alienatio Bonorum Ecclesiasticorum, an & quando permittatur. 322. *b.* 74. *a.*

Alphonsus Cardinalis Litta Archiepiscopus Mediolan. 350. *b.*

Alumni Seminarii Pontificii Brunsbergæ in Prussia promoventur ad Ordines ad titulum sufficientis literaturæ. 175. *a.*

Andreas Petraccioli Prior Gen. Canonicorum Regularium S. Salvatoris. 331. *a.*

Angelus Archiep. Damatien. Sabaudiæ Nuncius. 302. *b.*

Anniversaria fundare pro Canonicis decedentibus permittitur Capitulo Ecclesiæ Lexovien. 216. *a.*

Anniversaria in duplicibus an celebrari possint. 142. *a.*

Archiconfraternitas Sancti Josephi Civitatis Bononien. manutenet Hospitale Pauperum Septuagenariorum. 315. *a.* Confirmantur statuta pro Hospitali. *ibid.*

Ars Serica in Civitate Pisauren. nobilitati non præjudicat. 333. *b.*

Auditores Rotæ Civitatis Perusin. quomodo assumendi. 132. *a.*

Augustinus Arch. Trapezuntin. Coloniæ Nuncius. 207. *b.* Mittitur ad congressum Pacis inter Reges Catholicum, & Christianissimum tractandæ. 207. *b.*

Avenionen. Civitas. Consilium Civitatis quotannis eligit quatuor mercatores ad causas ipsorũ de bono, & æquo cognoscendas. 151. *b.* Ex istis Vice-Legatus eligit duos, qui vocantur *Relatores*, hisque Judex remittit causas eorum artem concernentes. *ibid.*

B

Beneficiorum Ecclesiasticorum reservatio an & quando inducatur. 116. *b.*

C

Cameræ Ap. Clericis missam domi habere concessum fuit ab Alex. VII. 238. *b.*

Canonici absque Apostolico indulto nequeunt uti Mozzetta, aut alio distincto habitu. 135. *b.*

Capitulationes Cap. Salisburgen. irritantur. 341. *a*

Capitulis alternativa præcedentia, an, & quando mandanda. 136. *a.*

Cardinalis oriundus ex Provincia Marchiæ Anconitanæ est Protector Cappellæ ad Præsepe Domini in Basilica S. Mariæ Majoris de Urbe. 263. *a.*

Cardd. S. R. E. privilegia testandi de bonis, & emolumentis Ecclesiasticis extenduntur ad fructus inconsumptos, vel cum aliis ipsorum bonis non commixtos. 237. *b.*

Carolus Card. Barberinus Congr. Monachorum Cœlestinorum Protector. 329. *a.*

Carolus Emanuel Dux Sabaudiæ. 79. *a.*

Carolus Ant. Airoldus Abbas S. Abbundii in Belgicis Ditionibus Internuncius. 352. *b.*

Catherina M. Brittaniæ Regina. 328. *a.* Conceditur ut in Cappella sua Regia Missa de B. Rosa Limana celebrari possit. *ibid.*

Censuræ latæ a Facultate Theologica Parisiensi damnantur. 73. *a.*

Cessio jurisdictionis Capituli Ecclesiæ Cathedralis, Lucanæ Reipublicæ factæ. 125. *b.*

Christ. fidelibus Status Ecclesiastici, & Italiæ diviuam opem contra Turcas implorantibus indulgentiæ conceduntur. 298. *a.* 299. *b.* Etmelius in verbo *Indulgentiæ*.

Clemens IX. Collegii Germanici Protectoribus extendit jurisdictionem privativam ad Ecclesias, & Monasteria Collegio unita. 270. *a.* Deputat Commissariatum ad visendas Communitates exceptis illis quatuor Legationum. 278. *b.* Nova Cruciata in Regnis Portugalliæ, & Algarbiorum ad triennium. 280. *a.* Permittit Senatui Reip. Venetorum vendere quædam bona ecclesiastica, pretiumque in bello contra Turcas convertere. 481. *b.* Familiaribus, & Cappellanis suis communibus privilegia concedit. 256. *a.* 290. *a.* Cæremoniarum Magistris non participantibus assignat 36. duc. auri de Camera a singulis Cardinalibus in promotione, & 25. post eorum obitum ab eorum hæredibus. 303. *b.* Referendariis Votantibus Sign. Missam domi habere concedit. 238. *b.* Visitationem Ecclesiarum, & locorum piorum urbis absolvendam imponit. 199. *a.* Supprimit Canonicos S. Georgii in Statu Venetiarum, ac FF. Jesuatos & S. Hieronymi de Fesulis. 304. *b.* illorumque bona in præd. Statu, & in Regno Siciliæ ultra Pharum existentia, exceptis Sacris, applicat Reipublicæ. 305. *b.* 311. *a.* 332. *a.* irritat quidquid Œconumus Gen. S. Sedis gesserat in statu Mediolanen. circa apprehensionem bonorum ad Congr. suppressas spectantium. 335. *b.* Bona, & Conventum Jesuatorum de Urbe applicat Conserv. S. Philippi Nerii. 339. *b.* V. Rosam V. Limanã SS. Cathologo adscribit. 236. *a.* Reformat jurisdictionem Tribunalis Burgi. 184. *a.* Congregationem super Indulgentiis, & Sacris Reliquiis erigit. 248. *b.*

Colleg. Garmanici, & Hungarici de Urbe privilegia. 270. *a.* Cardd. Protectoribus extenditur jurisdictio privativa ad Ecclesias, & Monasteria Collegio unita. *ibid.*

Collegium Maronitarum in Civitate Ravennæ supprimitur. 86. *b.*

Coll. S. Petri Universitatis Studii Gen. Colymbrien. Sedi Apost. immediate subjectum. 86. *a.* Eidem renovatur facultas admittendi Collegialem Canonistam supranumerarium. *ibid.*

Coll. Nationis Scotorum Parisien. fuit indultum a Paul. V. Breve celebrari facien. in suo privato Oratorio; illiusque Alumnis absque dimissoriis ad titulum paupertatis se ordinandi. 364. *a.* Quod confirmatur a Clemente IX. *ibid.*

Conceptionis B. M. V. Immaculatæ Officium, & Missam de præcepto ordinatur in Regnis Hisp. & Indiarum. 20. *b.* Idem in ditionibus Ducis Sabaudiæ. 79. *a.* Idem in Ditionibus Ferdinandi M. Ducis Etruriæ. 83. *a.* Et in Statu Ecclesiastico 208. *a.* Et in Statu Mediolanen. & Marchionatu Finarensi. 89. *b.* Idem in Ditionibus Siciliæ, & Sardiniæ. 90. *a.*

Conclavistarum privilegia. 165. *a.* 175. *b.*

Congr. Cardinalium rebus Consistorialibus præposita. 360. *b.*

Congr. super statu Regularium instituit Innoc. X. & Clem. IX. confirmat. 253. *b.*

Congr. Canonicorum Regul. S. Salvatoris. 331. *a.* Procuratori Generali locus primus post Priorem assignatur. *ibid.*

Congr. Pauperum Matris Dei Scholar. Piarum. Conventus erigitur in Oppido Piscinæ. 15. *a.* Restituitur ad statum Regularem cum privilegiis Mendicantium. 363. *a.*

Congr. Somascha. An, & ubi sepellire possit cadavera Alumnorum sine Parochorum interventu. 150. *a.*

Congr. B. Jacobi Veneti erigitur sub regulari observantia PP. Prædicat. 100. *a. aliaque fusius in* Verbo *Ordo Prædicat.*

Congr. seu Confrat. Scholæ Christi. Confirmantur Constitutiones. 54. *a.*

Congr. Indulgentiis, & S. Ritibus præposita Romæ erigitur. 348. *b.*

Congr. S. Hieronymi Jesuatorum. Procur. Gen. per repartitionem manutenendus. 83. *b.* Supprimitur Congr. 304. *b.* illiusque bona tam Venetiis, quam in Regno Siciliæ ultra Pharum Reipub. Venetiarum in subsidium contra Turcas applicantur. 305. *b.* 311. *a.*

Congr. Cler. Secularium Doctrinæ Christianæ in Gallia singulis triennis habet Capitula Provincialia, & singulis sexennis Capitulum Gen. loco, & tempore a Præposito Gen. designandis. 18. *b.* PP. Doctrinæ Christianæ Regni Neapolis uniuntur Congr. Romanæ. 146. *a.*

Confessarius Monialium. Vide: *Monialium Monasterium.*

Conservatorio Sancti Philippi Nerii de Urbe applicantur Conventus, bonaque suppressæ Congregationis Jesuatorum. 339. *b.*

Cornelius Jansenius. Vide: *Ecclesiasticis Regni Galliarum.*

D

Damnatio plurimarum propositionum. 84. *b.* & 110. *a.*

Damnatur liber sub tit. *Rituale* pro Diœc. Alcten. 237. *a.* & 252. *a.* Damnatur alius testamenti novi in versione Gallica. 254 *a.*

Debita Ecclesiæ Episcopalis a quibus solvantur. 323. *b.*

Dismembratio Diœcesis ad novum Episcopatum erigendum. 360. *b.*

S. Dominici Festum in toto Regno Neapol. celebratur de præcepto tamquam de Patrono cum Octava. 19. *b.*

Dominicus Verneirius Ord. Prædic. Inquisitor hæreticæ pravitatis in Civit. Bisuntin. 79. *b.* Eidem imputantur quædam delicta quorum cognitio Archiepiscopo committitur exclusive ad sententiam. *ibid.*

E

Ecclesiasticis, & præcipue Regularibus apud Sinas in Processionibus solemnibus Umbellam gestare vetatur. 358. *a.* Et quidquid ludibri, aut minus gravis speciem haberet, tollere imponitur. *ibid.*

Ecclesiasticis Hisp. & Sardiniæ prorogatur subsidium solvendum Regi Catholico ad quinquennium. 29. *a.*

Ecclesiasticis Regnorum Castellæ, & Legionis imponitur subsidium pro Rege Catholico. 239. *a* Aliud subsidium. 285. *a.*

Ecclesiasticis Regnorum, & Prov. Coronæ Aragoniæ decima imposita moderatur. 347. *b.*

Ecclesiasticis Regni Galliar. exhibetur formula ab ipsis subscribenda pro confutatione 5. propositionum Cornelii Jansenii. 52. *a.* Quidam Episcopi protestationes typis emittunt occasione hujus formularii quas supprimit Pontif. 160. *b.* Mandatque Episcopis ut subscribant formularium. *ibid.*

Ecclesiasticis Reip. Venetorum imponitur subsidium. 143. *a.* Aliud subsidium. 219. *a.*

Ecclesiasticis Status Senen. imponitur subsidium pro expensis fluminum, & aggerum. 266. *a.*

Eleonora Vidua Ferdin. III. Rom. Regina. 277. *a.* Erigit unionem Matronarum, & Virginum nobilium sub denominatione *Cruciferarum*. *ibid.*

Episcopatus de novo erigitur cum dismembratione Diœcesis. 360. *b.*

Erectio hospitalis pro pauperibus mendicantibus Neapoli. 342 *a.*

Erectio unionis Matronarum, & Virginum Nobilium sub denominatione *Cruciferarum*. 277. *a.*

Exemptiones a victigalibus, aliisque publicis oneribus revocantur subditis Sedis Apost. 231. *a.*

F

Familiarii Pontif. privilegia, quæ sint. 256. *a.*

Ferdinandus M. Dux Etruriæ. 83. *a.*

Ferdinandus Mariæ Bavariæ Dux. 180. *b.* Facul-

tas restituendi octo,ex decem Monasteriis Palatinatus superioris jam per hæreticos occupata, Religiosis eorum respective Ordinum, reliqua duo Monialium in erectionem novi Monasterii in Oppido Bambergæ. 180. *a.*
Ferdinandus Episc. Paderbonen. 76.*a.*
Flavius Card. Chisius Nepos S. S. delegatur ad Ludovicum Regem Christianissimum. 1.*b.* Eidem uti Legato Avenionen. conceditur facultas absolvendi quosdam facinorosos. 41.*a.*
V. Franciscus de Sales Episc. Genevensis SS. Cathalogo adscribitur. 113.*a.*
Francisco Duci Mutinæ ejusque Successoribus conceditur jus patronatus præsentandi ad Præpositurам secularem in Ecclesia Abbatiæ de Pomposa, ac Archipresbyteratum Ecclesiæ S. Mariæ de Bondeno. 10.*b.* 11.*a.*
Franciscus Card. Barberinus Episc. Portuen. 77. *b.* Ord. Min. S. Francisci Protector. 91.*b.*
Franciscus Card. Maidalchinius absolvitur a censuris, & in Urbem cum solitis prærogativis, & redditibus revocatur. 7.*a.* 8.*a.*
Franciscus Card. de Sourdis Ecclesiæ Burdagalen. Præsul. 203.*b.*
Francisco Ludovico Ferrerio Fliseo renovatur investitura Principatus Messerani, & Comitatus Crepacorii. 229.*a.*
Franciscus Episcopus Eliopolitan. in Regno Tunchini Vicarius Apostolicus. 355. *a.*
Franciscus Maria Luranius Proc. Gen. Congreg. Observ. Lombardiæ Ord. Erem. S. Aug. 23. *b.*

G

Sancti Georgii festum in Cathalonia conceditur de præcepto una cum illius officio. 133.*a.*
Guidobaldus Card. de Thun Ecclesiæ Salisburgen. Archiepiscopus. 341.*a.*
Guidus Archiep. Rodien. in Regno Franciæ Nuncius. 364.*a.*

H

Hieronymus Valvasorius Prior Gen. Ord. Eremitarum S. Augustini. 239. *a.*
Homicidium Episcopi Nicoreten. 324.*b.* Committitur Episcopo Ferentin. processus. *ibid.* Excommunicatio contra interfectores, & reservatio absolutionis. 326.*b.*
Hospitale S. Jo: Hierosolymitani. Monasteria Monialium ab Hospitale dependentia Caturcen. Diœc. ab Ordinariis visitanda. 298.*b.* Fratres quidem Hospitalis ad Urbem personaliter vocantur. 222.*b.*
Hospitali B. M. Theutonicorum, confirmantur privilegia Hospitalis S. Jo: Hierosolym. 264.*b.*
Hospitalarum Monialium institutum confirmatur. 99.*a.*
Hospitale pro pauperibus mendicantibus, & otio vacantibus erigitur Neapoli. 342.*a.*
Hospitale Avenionen. singulis Novenniis debebat Cameræ Apost. scut. 850. 301.*b.* Reducitur hoc onus ad 108. sc., ita tamen ut milites Sedis Apostolicæ ægroti in hospitali curentur. *ibid.*
Hospitale Pauperum Septuagenariorum in Civitate Bononien. 315. *a.* Statuta pro Hospitali confirmantur. *ibid.*
Hyacinthus Maria Granata Inquisitor in Ducatu Mantuan. 159.*b.*

I

Sancti Jacobi Apost. Patroni Hispan. Officium sub ritu semiduplici recitandum. 164.*b.*
S. Januarius Regni Neapolitani Principalior Patronus. 53.*a.*
Jacobus Novellius Præpositus Gen. Congr. Doctrinæ Christianæ. 147.*a.*
Idelphonsus Salizanes Minister Gen. FF. Minor. S. Francisci de Observ. 30.*a.*
Indulgentiæ pro Christifidelibus Italiæ Insularumque adjacentium orantibus pro electione Regis Poloniæ, ac liberatione Cretæ a Turcis. 334.*b.*
Indulgentiæ Statistis Italisque omnibus conceduntur. 298. *a.* 299.*b* renovantur pro Indis ad 20. annos. 312.*b.*
Indultum nominandi ad Cathedrales Ecclesias conceditur Regi Christianissimo. 45.*a.*
Inquisitor hæreticæ pravitatis a Civitate, & Ducatu Mantuan. expulsus. 159.*b.* Committitur Archiepiscopo Ferrarien. processus contra delinquentes. *ibid.* Inquisitor a Dominio Januensi expulsus. 350.*b.* Processus contra expulsores *ibid.*
Investitura Principatus Messerani, & Comitatus Crepacorii Francisco Ludovico Ferrerio Fliseo. 229.*a.*
Joannes Casimirus Poloniæ, & Sveciæ Rex. 71.*a.*
Joannes Baptista Cardinalis Pallottus Episcopus Albanensis. 23.*b.*
Joannes Cardinalis Delphinus Patriarcha Aquilegien. 281.*b.*
Joannes Baptista de Marinis Ord. Prædicatorum Mag. Gen. 195. *a.*
Joannes Paulus Oliva Præpositus Generalis Societ. Jesu. 179. *b.*
Joannes Franciscus Nigronus in utraque Signat. Referendarius. 278. *b.* Deputatur Commissarius ad visendas Communitates Status Ecclesiastici, exceptas illas 4. Legationum. *ibid.*
Jo: Franciscus Episcopus Nicoreten. interficitur. 324.*a.* Committitur Episcopo Ferentin. processus. *ibid.* Excommunicatio contra interfectores, & reservatio absolutionis. 326. *b.*
Joseph a S. Maria Episc. Hieropolitan. Visitator in Insulis Maris Ægei. 129.*a.*
Jubilæum universale indicitur. 162.*a.*
Jubilæum pro Regno Galliarum, & Ditionibus Regis Christianissimi. 321.*a.* Et elemosynæ a Christifidelibus occasione Jubilæi collatæ, erogandæ in causam Belli contra Turcas. *ibid.*
Jubilæum pro Dominio Reipublicæ Ragusinæ. 337. *a.*
Julius Archiep. Laodiceæ Nuncius Apostolicus in Regno Neapolis. 40. *a.* Eidem committitur processus contra Episc. Policastren. *ibid. b.*
Jurisdictionem sibi in aliquibus locis competentem cedit Reipublicæ Lucanæ Capitulum Ecclesiæ Cathedralis. 125. *b.*

L

Laici, & Commissi, quæ vota emittere, & quamdiu duratura 133.*a.* A Congregatione expelli non autem voluntarie discedere possunt. *ibid.*
Laurentius Archiep. Carthaginen. Venetiis Nuncius. 281.*b.*
Locorum piorum Civitatis Ragusinæ Capitalia, Neapoli existentia venduntur ad costruendas domos in præd. Civitate. 322.*b.*
Ludovicus XIII. Francorum Rex. Eidem conceditur indultum nominandi personas idoneas ad Cathedrales Ecclesias Meten., Tullen., & Virdunen. 45. *a.*

M

Maffeus Card. Barberinus Regni Scotiæ apud S. Sedem Protector. 364. *a.*
Marius Chisius Princeps Campaniani, Frater S. S. ac Capitaneus Gen. S. R. E. 1.*a.*
Martius Card. Ginettus. 22.*b.*
Maximilianus I. Rom. Imperator. 277.*a.*
Maximilianus Gandolphus Archiepiscopus Salisburgen. 341. *a.*
Meusæ Episcopalis Paderbonen. redditus sarti tectique servandi. 76. *a.*
Mercatorum Causæ in Civitate Avenionen. quomodo cognoscantur. 151.*b.*
Michael Pius Passus Inquisitor hæreticæ prativatis in Civitate, & Dominio Reipublicæ Januen. 350.*b.* Expulsus ab officio. *ibid.* Processus contra expulsores. *ibid.*
Missæ de Requiem in duplicibus nequeunt celebrari. 141. Excipiuntur Anniversaria 142. *a.* Altaria vero privilegiata non excipiuntur. *ib.* In his per celebrationem Missarum de Festo currenti satisfit obligationibus. 359.*a.*
Missam domi habere conceditur Referendariis Votantibus Sign. Justitiæ. 238.*b.* Idem ab Alexand. VII. fuerat concessum Clericis Cameræ Apost. *ibid.*
Missionarii Regulares apud Sinas in quibus subordinati Vicariis Apostolicis. 355. *b.* Quæ sit Vicariorum facultas, & quæ Missionariorum. 356. *a.*
Monasterium S. Brigittæ in Opp. Bambergæ erexit Ferdin. Maria Bavariæ Dux. 180.*b.*
Monialium Monasterium. 34.*b.* Superior Regularis semel in anno ingredi potest occasione Visitationis. *ibid.* Extra Visitationem semper cum facultate Ordinarii. 35.*a.* Visitet per se ipsum interiorem clausuram cum unico Socio. *ibid.* Generalis Ordinis cum duobus. *ibid.* Visitatori assistant quatuor Moniales. *ibid.* Confessarius non ingrediatur absque necessitate. *ibid.* Et pernoctare debeat in proprio Conventu. *ib.* Quando contrarium procedat 35.*b.* Ad Monasteria Hispaniarum prohibitus accessus sub excommunicatione latæ sententiæ. 49.*b.* Suspenditur pœna prædicta in iis casibus in quibus, aut a jure communi, aut aliis Const. imposita non reperitur. 214.*a. b.*
Monialibus Carmelitis Discalc. Belgii conceduntur privilegia concessa aliis Franciæ, & Germaniæ. 80.*a.*
Monialibus Excalceatis Regni Franciæ confirmatur Breve Alex. VII. 200.*a.*
Moniales Monasterii Lugdunen. primæ Regulæ S. Claræ subiiciuntur Provinciali, & FF. Recollectis Provinciæ S. Francisci. 81.*a.*

Mons Secretariorum Apostolicorum extinctus, de novo erigitur. 364.*b.*

N

Negociatio Regularibus de jure Canonico prohibita. 345.*a.* In Indiis Orientalibus, & America prohibita sub censuris. 344.*a.*
Nicolaus Cottoner M. Magister Hospitalis S. Jo: Hierosolymitani 222.*b.* Eidem committitur ut præcipiat aliquibus Fratribus ad Urbem personaliter accedere. *ibid.*
Nobilitati non præjudicat Ars Serica in Civitate Pisauren. 333.*b.*

O

Ordo Cappuccinorum. Transeuntes ad aliam Religionem nequeunt permanere in eadem Provincia in qua emiserunt professionē. 46. *a.* Confirmantur decreta Capituli Gener. 186. *a.* Generalatus officium reducitur ad septennium. 361.*a.*
Ordo Carmelitarum Discalceatorum. Fratribus Congregationis Hispaniæ conceditur erigere novas domos de sola licentia Ordinariorum. 300.*b.* Prohibetur Iudus *Seminarii* sub excommunicatione reservata. 328.*b.* Privilegia Fratrum Hispaniæ ad omnes Indiarum Provincias extenduntur. 92.*b.*
Ordo Camaldulensium. Capitulum Generale de biennio in biennium celebrandum. 104.*b.* Urbanus VIII. Eremum Camaldulensem Etruriæ, sive Provinciæ Aretinæ cum Congr. Montis Coronæ incorporavit. 209.*a.* Clem. IX. unionem prædictam revocat. 210.*a.* Vetatur ingressus mulierum in Eremis. 125.*a.*
Ordo S. Basilii Magni. Nuncio Poloniæ committitur ut convocet Capitulum Monachorum Ruthenorum. 71.*a.*
Ordo S. Benedicti. Congregationi Cassinensi conceditur facultas alienandi stabilia. 74.*a.* Laici, & Commissi Congregationis SS. Vitonis, & Hidulphi emittant tria vota simplicia servanda donec in Congregatione permanserint. 133.*b.* A Congregatione expelli, non autem voluntarie discedere possunt. *ibid.* Alexander VII. univit Congregationes Monachorum Vallis Umbrosæ, & Silvestrinorum. 211.*a.* Clemens Nonus revocat unionem. 211. *b.* Definitiones Capituli Generalis circa electiones intermedias ad Abbatias confirmantur. 226.*b.*
Ordo Minorum S. Francisci. Commissarii Visitatores pro Provincia de Guatimala ex Provinciis vicinioribus assumendi. 12.*b.* Alternativa inter Patres Criollos, & Cachapinos servanda. 13.*b.* Quod extenditur ad septem Provincias Peruanas. 17. *a.* Confirmatur alternativa etiam quoad Provinciam S. Josephi de Jucatan. 21. *a.* Eadem inter Observantes, & Reformatos imponitur. 30. *a.* Ita ut tres Definitores ex Reformatis, & tres ex Observantibus eligantur, *ibid.* Commissarii Visitatores Tertii Ordinis nequeant assumi de Observantia. 39.*b.* Fratribus Tolosæ commorantibus prohibetur novum Rosarium sub tit. *Seraphici*, nec tabellam exponere in qua B. Virgo det Rosarium SS. Francisco, & Claræ. 14.*a.* Commissarius

sarius Visitator Provinciæ S. Didaci ex eadem Provincia eligendus. 16. *a.* Conventus Murciæ adjudicatur Provinciæ B. Petri de Alcantara. 47. *b.* Decreta Provinciæ S. Ivonis servanda in Provincia S. Ludovici. 72. *a.* Quæ præcedentia servanda inter Procuratores Generales, & Commissarios Curiæ. 81. *b.* Recollectis Provinciæ S. Francisci subiiciuntur Moniales Monasterii Lugdunen. primæ Regulæ S. Claræ. 81. *a.* Decreta S. Congregat. Episcoporum circa professiones, & electiones factas in Capitulo Provinciali Provinciæ S. Elzearii, seu Aquitaniæ 82. *a.* Separantur quidam Conv. Recollectorum a Provincia S. Dionysii in Gallia, & eriguntur in novam Provinciam sub titulo S. Antonii de Padua. 198. *a.* Confirmantur privilegia concessa tam Guardiano Sacri Montis Sion, quam Fratribus, necnon Locis Terræ Sanctæ. 202. *b.* Fratribus Nationis Germano-Belgicæ ab Urbano VIII. abrogata fuerunt privilegia personalia, quod confirmatur a Clemente IX. 223. *b.* Paulus V. excommunicavit Fratres utentes favore personarum extra Ordinem ad obtinenda officia, Clemens IX. innovat contra illos Prov. Aquitaniæ. 243. *b.* Studium Linguæ Arabicæ, & controversiarum in Conventu S. Petri in Monte Aureo pro decem Religiosis strictioris Observantiæ. 307. *b.* Reformatis Conventus Licien sis, Grumi, Ripaldæ, & Caldarolæ permittitur transire ad aliam Religionem, aut ad Conventuales, quibus assignantur prædicti Conventus. 330. *b.* Restituitur in pristinum statum custodia SS. Trinitatis in Gallia. 90. *b.* Recollectis Provinciæ Angliæ competere locum præcedentiæ juxta tempus suæ erectionis. 93. *b.* Laici Provinciæ Turoniæ majoris in Gallia professione antiquiores præcedunt Clericos non dum Sacris Ordinibus initiatos. 97. *a.* Inter Reformatos Provinciæ Romanæ nulla competit præcedentia nisi Superioribus actualibus, & Exgeneralibus. 97 *b.* Conventus Targovisti spectat ad Fratres Custodiæ Vallacchiæ, nec ullum jus habere in eo Conventuales in dicta Provincia Missionarii. 143. *a.*

Ordo Minimorum S. Francisci de Paula. Durantibus infirmitatibus in quibus licitum est Fratribus vesci cibis Paschalibus, nequibant egredi è Conventibus. 267. *b.* Quod Clemens Nonus ad infirmarias Conventuum restrinxit. *ibid.* Transigunt cum Vicario Generali Bergomensi pro receptione Conventus B. Mariæ de Galgario. 94. *b.*

Ordo Minorum Conventualium S. Francisci. Confirmantur Capitula ad reformationem inservientia. 193. *b.* Adjudicantur huic Ordini Conventus Licien sis, Grumi, Ripaldæ, & Caldarolæ. 330. *a.*

Ordo Prædicatorum. 27. *b.* Conventus S. Mariæ super Minervam de Urbe primus inter Conventus Provinciæ Romanæ, nec ab eadem separari potest. *ibid.* Collegium S. Ludovici Angelopolitan. ad Conventum S. Dominici Mexican., & Provinciam S. Jacobi pertinet. 31. *a.* Fratribus Provinciæ Hiberniæ facultas fundandi Conventus in Oppido Matriti, aliisque partibus. 194. *b.* Imo, & erigendi ubicumque pro Nationibus Collegia. 204. *b.* Erectio Congregationis B. Jacobi Veneti sub regulari observantia PP. Prædicatorum. 100. *a.* In ea literarum studia promoventur. *ibid.* Professi ejusdem Congregationis ad alios quosvis Conventus dicti Ordinis transire nequeunt nisi de expressa licentia Generalis. *ibid.* In Provincia Teutoniæ prohibetur sub pœna excommunicationis quæcumque divisio. 1. 7. *a.*

Ordo Eremitarum S. Augustini. Priores Provinciæ Peruntinæ suffragium in Capitulis ferre valent. 235. *a.* In Provincia S. Gullielmi Franciæ esse perpetuo admittendos decem Magistros cum privilegiis loci, & vocis. 102. *b.* Confirmantur Definitiones Capituli Generalis factæ pro Congregat. Observantiæ Lombardiæ. 23. *a.* Convalidatur Capitulum in Provincia Peruana celebratum. 173. *b.* Confirmatio Decretorum pro Conventu, & Collegio majori Parisien. 212. *b.* Officium, & Missam Conceptionis B. M. V. de præcepto recitare injungitur, idemque Officium ad usum dicti Ordinis seorsim imprimi posse conceditur. 217. *a.*

Ordo Præmonstratensis. Priores Abbatiarum Commendatarum in Gallia eliguntur inter Definitores in Capitulo Gen. Ordinis. 47. *a.*

Ordo S. Hieronymi. Concordia inter Archiepiscopum Toletanum, ac Priores, & Fratres Conventus S. Bartholomæi de Lupiano pro colligendis decimis. 182. *b.* Professus deputandus ad informationes capiendas super puritate sanguinis Monachorum, Notarii munere fungitur. 269. *a.*

Ordo S. Antonii Viennen. Bonifacius Octavus concessit ut Regulam S. Augustini servarent, & Canonici Regulares S. Antonii vocarentur. 268. *a.* Eugenius IV. indulsit in Ecclesia Monasterii Viennen. duos Pœnitentiarios ex prædictis Canonicis. 359. *b.* Clemens IX. ad quatuor extendit. 360. *a.*

Ordo SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum. Trinitariis prohibetur usus Cappæ nigræ. 106. *b.* Confirmantur Capitula inter Fratres Conventus S Franciscæ Romanæ, & Augustinianos Reformatos S. Idelphonsi Urbis. 108. *a.* In Provincia Portugalliæ Procurator Captivorum, Secretarius Provinciæ, & Vicarius Commissarii Ulixbonen. gaudent voto in Capitulis Provincialibus Provinciæ. 142. *b.*

Ordo B. Joannis Dei. Confirmantur statuta quædam Provinciæ Franciæ. 22. *b.*

Ordo B. Mariæ de Monte Carmelo. Priori Generali impertitur privilegium conferendi Lauream Doctoralem Magistris sui Ordinis. 276. *a.*

Ordo B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum. Confraternitates, seu Congregationes secularium Ordini unire conceditur. 288. *a* Quæ incumbant Redemptioni, & libertati Captivorum. *ibid.* Et privilegia indulgentiasque Ordinis illis communicare. *ibid.*

Ordo Cistercien. 33. *b.* Monasterium S. Mariæ de Saggitario Cistercien. S. Bernardi Anglonen. Diœcesis unitur Congreg. Tusciæ. 33. *b.* Professorium Monachorum S. Bernardi a Monasterio S. Pudentianæ de Urbe ad illud Sancti Bernardi transfertur. 48. *b.* Instauratio, ac Reformatio Ordinis. 119. *a.* Abbates communis observantiæ possunt recipere Novitios ad habitum, & professionem, & noviter professos collocare in Monasteriis pro Novitiatibus, & Professoriis designatis. 228. *b.* Seu in quibus aluntur vigintiquinque Monachi. *ibid.*

Ordo Canonicorum Regularium S. Augustini. Vice-Prior, & Canonici Regulares S. Georgii Gratianapolitan. Diœcesi. ad statum Presbyterorum secularium reducuntur. 217. *b.* Abbati Gen. permittitur habitus Prælatitius. 134. *a.*

P

PArochi in Indiis Orientalibus non naturales, tenentur apud se habere Cappellanum natalibus, & origine Indum. 358. *a.* Sacerdotes indigenas perurbaniter excipiant. *ibid.* Ultra Fidei Christianæ rudimenta, grammaticam, cæteraque artes liberales pueros edoceant. *ibid.*

Paschalis Card. de Aragonia Archiepiscopus Toletan. 182. *b.*

Paulus Luchinus Prior Generalis Eremitarum S. Augustini. 212. *b.*

Paulus Zaccharias Præpositus Collegiatæ Ecclesiæ S. Mariæ de Scala, & S. Sedis Œconomus Generalis in Ducatu Mediolanen. 335. *b.* Irritantur omnia ab ipso gesta pro apprehensione bonorum Congregationum suppressarum. *ibid.*

Petrus de Aragonia Orator Regis Catholici apud S. Sedem. 96. *a.*

Petrus Archiepiscop. Thebarum Sabaudiæ Nuncius. 111. *a.*

Petrus Serista Universalis Inquisitionis Procurator Fiscalis. 159. *b.*

Petrus de Consentia Procurator Generalis Ordinis Minimorum Sancti Francisci de Paula. 267. *a.*

Philippus Marchio Sfondratus vendit feudum de Montesia. 152. *a.*

Pizzocheræ. Conservatorii Venetiarum sub Habitu Sancti P. Dominici permittitur votum Fratrum, & Sororum de Pœnitentia ad formam Constitutionum. 225. *a.* Ad habitum admittere mulieres post decimum octavum annum. *ibid.* Ideoque dimittendas illas, quæ hujusmodi ætatem non expleverint, *ibid.* Permittitur habere propriam Cappellam, seu Oratorium dummodo sit publicum, & salvis juribus Ecclesiæ Parochialis. *ibid.*

Privilegia ex Sacrorum Canonum præscripto amittit, qui illis abutitur. 352. *b.*

Præcedentia alternativa inter Capitula an, & quando sit mandanda. 136. *a.*

In Processionibus solemnibus apud Sinas vetatur Ecclesiasticis umbellam gestare. 358. *a.* Et quidquid ludibri, aut minus gravis speciem haberet, imponitur tollere. *ibid.*

Protector Cappellæ ad Præsepe Domini in Basilica Sanctæ Mariæ Majoris de Urbe est Cardinalis oriundus ex Provinciæ Marchiæ Anconitanæ. 263. *a.*

R

RAtisbonen. Ecclesiæ debita solvuntur a Religiosis Monasteriorum Palatinatus superioris. 323. *b.*

Recursus subditorum Principatus Messerani, & Marchionatus Crevacorii committuntur Nuncio Sabaudiæ. 111. *a.* & 302. *b.*

Referendariis Votantibus Signaturæ Justitiæ Missam domi habere conceditur. 238. *b.*

Reformatio Jurisdictionis Tribun. Burgi. 184. *a.*

Regi Catholico facultas dispensandi extra Capitulum de omnibus locis Ordinis Aurei Velleris. 145. *b.* Ratificatur investitura Regni Siciliæ, & Hierusalem. 187. *b.* Dispensatur ad retinendum dictum Regnum cum Ducatu Mediolanen. dummodo major pars Lombardiæ comprehendat. 188. *b.* Subsidia ab Ecclesiasticis solvenda. 239. *a.* & 285. *a.* Donativum ordinarium a Regno Siciliæ. 255. *a.* Indultum nominandi ad dignitates Belgii, & Comitatus Borgundiæ. 172. *b.*

Regi Christianissimo indultum nominandi ad dignitates Principales in Ecclesiis Meten., Tullen., & Virdunen. 241. *a.* Et ad Ecclesiam Tornacen. 282. *b.* Jus patronatus eidem, ejusque successoribus ad Ecclesiam Attrebaten. 248. *b.* Similiter ad Ecclesiam Elnen., ac Monasteria consistorialia in Comitatibus Rossinonensi Confluentino, & parte Cerdaniæ versus Galliam. 249. *a.* Indultum prædicto Regi nominandi ad Dignitates Abbatiales, & Regimina Monasteriorum in Ditionibus Belgicis sibi subjectis. 251. *a.* Ampliatur ad alia beneficia in aliis ditionibus Belgicis a Rege Catholico nuper renunciatis. 283. *b.*

Regularibus de jure Canonico prohibita negociatio. 345. *a.* In Indiis Orientalibus, & America prohibita sub censuris. 344. *a.*

Reservatio Beneficiorum Ecclesiasticorum, an & quando inducatur. 111. *b.*

Ven. Rosa de Sancta Maria Virgo Limana Ordinis Sancti Dominici in Beatorum numerum adscribitur. 236. *a.* Et de ea Officium, & Missa sub ritu duplici majori permittitur. *ibid.* Conceditur Reginæ Brittaniæ ut in Cappella sua Regia de ea Missa recitari possit. 328. *a.*

S

SOcietas Jesu. Conceditur illius Presbyteris, cæterisque ad horas Canonicas adstrictis ut Officium, & Missa Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis cum Octava de præcepto recitent, Officium S. Fundatoris sub ritu duplici recitandum. 203. *a.* Innocentius X. Generalem Congregationem singulo triennio injunxerat, quod suspendit Clemens Nonus. 296. *a.* Superioribus in Insulis Maris Ægei præcipitur ut Visitationem in eorum Collegiis excipiant. 129. *a.*

Stephanus Cardinalis Donghus Archiepiscopus Ferrarien. 159. *b.*

Stephanus Archiepiscopus Adrianopolitan. Nuncius Apost. apud Venetos. 219. *a.*

Studium Linguæ Arabicæ, & controversiarum in Conventu S. Petri in Monte de Aureo Urbis institutitur. 307. *b.* Decem Religiosi strictioris Observantiæ ad studium designantur. 308. *a.*

Suppressio Canonicorum S. Georgii in Alga Venetiarum, ac Fratrum Jesuatorum, & Sancti Hieronymi de Fesulis. 304. *b.* Horum bona in Statu Venetorum, & in Regno Siciliæ ultra Pharum applicantur Reipublicæ. 305. *b.*, & 311. *a.* Illa vero in Ducatu Mediolanen. ab Œco-

Œconomo Generali S. Sedis apprehenta, reſtituenda Adminiſtratoribus. 335. *b.*
Subditis Sedis Apoſtolicæ revocantur exemptiones a victigalibus, aliiſque publicis oneribus. 231. *a.*

T

TRibunalis Burgi Juriſdictio reformatur. 184. *a.*

V

VItalianus Archiepiſcopus Epheſin. in Regnis Hiſpaniarum Nuncius Apoſtolicus. 95. *b.* Eidem committitur ut abſolvat a cenſuris Capitulum Eccleſiæ S. Salvatoris Civitatis Cæſarauguſtan. 140. *a.*
Viſitatio Apoſtolica Eccleſiarum, & Locorum Piorum Urbis abſolvenda. 199. *a.* Et in Inſulis Maris Ægei. 129.
Viſitare Viſitatio quoad Monaſteria Monialium. Vide in verbo *Monialium Monaſteria*.
Univerſitas Studii Generalis Colymbrien. Vide *Collegium S. Petri*.
Univerſitatis Studii Generalis Colonien. Proviſoribus renovatur indultum nominandi ad Canonicatus, & Præbendas Eccleſiarum Colonien. 189. *b.*
Univerſitati Lovanien., illiuſque Facultati artium, indultum conferendi beneficia in Diœceſi Leodien. 352. *b.* Suſpenditur. 351. *b.*
Urſulinarum Monaſterium ſub Regula S. Auguſtini in Civitate Burdagalen. in Gallia Paul. V. erexit. 203. *b.* Inſtitutum hoc ex Gallia in ſemotas Regiones etiam tranſmarinas novæ Galliæ, ac in utramque Germaniam propagatum. *ibid.* Privilegia Pauli Quinti Monaſterio prædicto conceſſa ad cætera omnia Monaſteria ejuſdem Inſtituti extenduntur. 204. *a.*

FINIS.

UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

UANL
SIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO
CCIÓN GENERAL DE BIBLIOTEC